BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

SUMMORUM PONTIFICUM

BENEDICTI XIV. CLEMENTIS XIII. CLEMENTIS XIV.
PII VI. PII VII. LEONIS XII. PII VIII.

CONSTITUTIONES, LITTERAS IN FORMA BREVIS,
EPISTOLAS AD PRINCIPES VIROS, ET ALIOS,
ATQUE ALLOCUTIONES COMPLECTENS.

TOMUS QUARTUS

PARS II.

CLEMENTIS XIII.

CONTINENS PONTIFICATUM

ALBER ET GHETTUS SOC.

PRATI
IN TYPOGRAPHIA ALDINA
MDCCCXLIII.

ANNO SEPTIMO

CDXX

Dat. die 14. Julii 1764. Anno VII.

Cardinalem Migazzium Archiepiscopum Viennensem obsecrat, ut e sua Dioecesi exterminare curet librum Justini Febronii De statu Ecclesiae, et legitima Romani Pontificis potestate.

Quoad proscriptionem Libri sub nomine Justini Febronii alias dedimus Literas perscriptas Episcopo Herbipolensi, et Moguntino Archiepiscopo, quae consulendae ad opportunitatem sunt hujus Continuationis praesenti Tomo sub Num. CDV. CDVI. pag. 860 *et* 861.

Dilecto filio Nostro Christophoro S. R. E.
Presbytero Cardinali Migazzio
Archiepiscopo Viennensi

Clemens Papa XIII.
Dilecte Fili Noster salutem,
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. De exitiali Justini Febronii libro non solum e fidelium manibus excutiendo, sed etiam quantum potest omnino delendo tibi scripsimus ante hos quatuor menses, tuumque erga Romanam Ecclesiam, in qua amplissimum ministerium geris, excitabamus studium, ut ad emoliendum scandalum ab eodem Libro fidelibus oblatum, omnem operam tuam conferres, Non dubitamus te, dilecte fili Noster, id jam fecisse, quod de tua religione, pietate, et in hanc sacram B. Petri Sedem egregia voluntate, et fide Nobis ipsi pollicebamur. Sed cum ad Nos allatum sit, pestiferum librum per manus etiam Caesareae istius Aulae Procerum non sine quorumdam approbatione circumferri, Apostolici Nostri muneris esse arbitramur, te alioquin ardentem et erectum ad hanc S. Sedem in hac re defendendam, vindicandamque, datis iterum ad te Nostris Literis adhortari. Itaque omni cogitatione et cura in hoc serio, dilecte fili Noster, incumbe, nec patiare tantum malum inveterascere, et fieri robustius, quod nascens multo facilius opprimi potuisset. Tua demum providentia, sedulitate, et industria freti, dum expectamus ejus libri, vel ipsam, opera tua, memoriam obsolevisse, tibi Fili Noster, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Julii MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDXXI

Pro concordia inter eos restituta, praecedentibus dissentionibus compressis, gratulatur, cum Archiepiscopis, et Episcopis Nationis Graeco-Melchitae, eosque hortatur, ut obsequentes novo Patriarchae sint, et simul conjuncti pro Religionis bono.

Dat. die 23. Julii 1764. Anno VII.

Literae Apostolicae quibus electio Patriarchae Antiocheni Graeco-Melchitarum ab Episcopis dissidentibus facta annullatur, dedimus hujus Continuationis praesenti Tomo sub. Numerum CLVII. pag. 384.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et
Episcopis Nationis Graeco-Melchitae.

Clemens PP. XIII.
Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Suum gaudium esprimi pro restituta concordia, veteribusque dissenctionibus extinctis.

§. 1. Quam molestum Nobis acciderit eas inter vos dissentiones ac turbas extitisse, quae magnum Religioni periculum inducerent, et clerum ac populum in duas veluti partes discissum separarent, ex pluribus certo nunciis, et non ambiguis Apostolicae sollicitudinis Nostrae documentis intelligere potuistis. Nullum enim neque paterni amoris studium, neque Pastoralis vigilantiae consilium praetermisimus, ut quantocius fieri posset, ingruenti malo remedium adhiberetur, et antiqua pacis, et charitatis unio, arctissimis inter vos concordiae vinculis redintegratis, tandem aliquando restitueretur. Id jam factum divina misericordia opitulante, et plurimum laetamur, et vobis intimo cordis gratulamur affectu.

Et in communi reverentia erga novum Patriarcham persistant suadet et intima inter se conjunctione.

§. 2. Reliquum est, ut quemadmodum unanimiter Venerabili fratri Nostro Theodosio Patriarchae debitum reverentiae praestitistis obsequium, ita omnem operam in id impendatis, ut a praesentibus angustiis, et difficillimis rerum circumstantiis sublevatus, novam hanc suam dignitatem tranquille tueri possit, et ad Fidem Orthodoxam per totum Patriarchatum promovendam facilius incumbere. Sed praecipue vos hortamur, ac obsecramus in Domino, ut animorum concordiam praeclara cum laude pietatis ac Religionis vestrae sancitam firmissime teneatis, nec umquam sinatis ut praeteritae divisionis scandalum inter vos oriatur. Conjunctis igitur opibus, consiliisque id unum satagite ut Catholica Religio, in qua populi Rectores, ac Magistri a Deo constituti estis, et in dies purior effulgeat, et a fidelibus pastorali officio vestro commendatis integerrime custodiatur. Quod ut fortiter, alacriterque peragatis, Apostolicam benedictionem, vobis Venerabiles fratres, vestrisque gregibus peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXII.

Dat. die 25. Julii 1764. Anno VII.

Dolet de vexata per laicam potestatem Episcopi Wratislaviensis Ecclesia, rationesque designat cur facultates ab eodem Episcopo imploratas pro parendo laicis mandatis nequeat concedere.

Venerabili Fratri Philippo Gotthardo
Episcopo Wratislaviensi.

Clemens PP. XIII.

Quantum Episcopali dignitati detrimento sit ostendit, quanties Pontificius indulgeatur assensus obtemperandi laicis potestatibus.

§. 1. Magna te miseriarum mole praegravatum afferunt literae tuae quae sane animum Nostrum amaritudine compleverunt. Is enim videtur esse Ecclesiae tuae status atque conditio, ut quidquid illi non accidat gravius id lucro apponere debeamus. Sed de remediis sedulo cogitandum, aut saltem providendum, ne quibus laborat malis, ea gliscant in dies magis. Tu quidem Venerabilis Frater de conscientia tua tantummodo videris esse sollicitus. Facultates enim a Nobis petis, quibus munitus sine aeternae salutis discrimine assentiri possis laicae potestati duriter praecipienti, quae sacris Canonibus adversantur. Ac pietatem in hac re tuam, ac timorem Domini magnopere laudamus. Sed videat Fraternitas tua, ne si has tibi facultates concedamus, et ipse fias in resistendo remissior, et laica potestas in novitatibus moliendis et in te obtrudendo audacior: et si quidem in earum facultatum usu parcior detrectes ejus obsequi voluntati, illam graviorem severioremque experiare. Neque enim reluctari te existimabit conscentia deterritum, sed te infensiores sibi esse animo judicabit. Te autem a Nobis eas facultates impetrasse id arbitramur laicam potestatem diutius laetare non posse. Nihil enim occultum quod non reveletur.

Assidua oratione, atque firmitate curandum ut laicae emolliantur potestates, earumque concilietur gratia.

§. 2. Quamobrem alio cogitationes tuas convertas oportet: Ac primum intendenda tibi est ad Deum impensior oratio, qui invicto patientiae robore animum tuum communiat; atque illud cogitato, Episcopo ad asperrima quaeque opus esse paratum animum gerere, si enim, ut monet Divus Augustinus, ab illis persequutionibus quas olim Martyres nostri passi sunt, libera nunc est praesens Ecclesiae tranquillitas, non deesse tamen persequutiones, quibus tolerandis omnes, qui sequimur Christum, ac praesertim Episcopi ad ejus

exemplum debemus patientiae nostrae praebere documenta. Deinde experiundae tibi sunt rationes omnes, quibus laicam potestatem emollias, ejusque tibi reconcilies gratiam. Ceterum longe tollerabilius arbitramur esse malum, te violentiae cedere gravi metu perculsum, quam Nos iis rebus, quae ab Ecclesiastica regula abhorrent Apostolicam Nostram adjicere auctoritatem.

Sinendum non est ut aes alienum contrahatur ab Ecclesiis, quo possint acria tributa a Laicis imposita persolvere.

§. 3. De contrahendo aere alieno quo possis acria tributa solvere a laica potestate imposita, satius est ob illa uno ictu Ecclesiam suis everti fortunis, quam paullatim per te ipsum ad extremam aliquando redigi inopiam. Si enim rebus suis penitus expolietur, veniet fortasse tempus cum in earum possessionem redire possit. Quod si ipse aere alieno obrueris, nulla spes esse potest, ut eadem Ecclesia e sua se inopia possit emergere. Si quid autem in posterum tale quiddam incidat in quo Nostram opem tibi existimes implorandam, de eo Nos certiores facere ne gravetur Fraternitas tua: in singulis enim casibus, cujusmodi auxilium tibi ferre possimus considerabimus. Denique Fraternitati tuae benevolentiae erga te Nostrae pignus, omni cordis Nostro affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Julii MDCCLXXIV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXXIII.

Dat. die 28. Julii 1764 Ann. VII.

Collegialibus novi Collegii S. Bernardi Congregationis Reformatae ejusdem S. Bernardi Ordinis Cisterciensis de Urbe, facultatem impertitur Lauream Doctoralem consequendi, expleto sexennio studiorum.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. In supereminenti Apostolicae Sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et intra mentis Nostrae arcana revolventes, quantum ex sacrarum literarum studiis Catholica Fides augeatur, Divini Numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, ac justitia colatur, ad ea, propter quae literarum studia hujusmodi ubilibet excitentur, et praesertim personae Religiosam vivendi rationem professae, et sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantes, eisque incumbere desiderantes id accurate, diligenterque efficere possint, libenter extendimus, et in iis Nostrae sollicitudinis partes libenter interponimus, ac propensius impartimur, prout pia Superiorum Regularium vota exposcunt, et Nos locorum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Commemorat erectionem hujus novi Collegii, et Statuta pro illius regimine Apostolica auctoritate approbata.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius Joannes Sianda Abbas Generalis Congregationis Reformatae Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad augendam, confirmandamque in ipsa Congregatione regularem disciplinam, illiusque alumnos pro bonis artibus, doctrinisque necessariis addiscendis adducendos proprium, et consentaneum esse existimaverit unum Collegium studiorum sub invocatione Sancti Bernardi, seu Sancti Bernardi nuncupandum in Monasterio ejusdem Congregationis sub titulo Sancti Bernardi praedicti ad Thermas de Urbe erigere, et instituere, ac pro felici, prosperoque dicti novi Collegii regimine, et administratione, nonnullas Constitutiones peculiares, Constitutionibus ipsius Congregationis etiam accommodatas in dicto Collegio observandas condere, Nobisque exhibere quas subinde Nos, postquam dilectus filius Noster Ferdinandus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis De Rubeis nuncupatus, memoratae Congregationis apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Protector, illas jussu Nostro mature perpendere curaverat, Apostolica auctoritate confirmavimus, dictumque Collegium pluribus ab hinc Mensibus erectum reperiatur.

Preces porrectae pro facultate Collegialibus obtinendi Lauream Doctoralem ad instar Collegii S. Bonaventurae Fratrum

§. 3. Propterea ipse Joannes Abbas Generalis, quo Collegii hujusmodi Collegiales pro tempore existentes ad addiscendas sacras literas, et pietatem sequendam magis, magisque in dies incitentur, ut absoluto sexennali studiorum cursu, Lauream Doctoralem consequantur, seu ad gradum Doctoratus in

Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium SS. XII. Apostolorum de Urbe.

Sacra Theologia, servatis omnibus formulis, ritibus, ac stylis, quibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum in Conventu dicti Ordinis Sanctorum XII. Apostolorum de Urbe a fel. rec. Sixto Papa V. praedecessore Nostro erecti, pro assequutione Laureae Doctoralis hujusmodi utuntur, promoveri possint, per Nos concedi plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex postulatum indultum concedit.

§. 4. Nos igitur ipsum Joannem Abbatem Generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati ut futuris temporibus Collegiales Collegii Sancti Bernardi Congregationis Reformatae ejusdem Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis de novo, ut praefertur, erecti nunc, et pro tempore existentes, postquam per sex integros annos juxta Constitutiones memorati novi Collegii per Nos, sicut praemittitur, confirmatas, studuerint, ac idonei, habiles, et capaces reperti fuerint ab iis, ad quos legitime spectabit, servatis prius omnibus formulis, ritibus, stylis et consuetudinibus, quae servari solent, et in more positae sunt, quando Collegiales Collegii Sancti Bonaventurae dicti Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Lauream Doctoralem consequuntur, servatis tamen in omnibus, et per omnia decretis Concilii Trydentini, quibus in aliquo derogare non intendimus, Lauream Doctoralem, ac Annulum, aliaque insigna solita, et consueta consequi, et recipere, et ad gradum Doctoratus in Sacra Theologia promoveri, utque ad gradum hujusmodi promoti, auctoritate in praedicta Theologica facultate interpretandi, aliosque docendi, ac disputandi, caeterosque gradui hujusmodi convenientes actus exercere libere, et licite possint, et valeant auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Excipiuntur ab concesso indulto Collegiales, qui tempore studiorum aliquam culpam commiserint in spretum Constitutionum Ordinis, a qua absolvi ab Abbate Generali nequeant.

§. 5. Ac insuper volumus, praecipimus, et auctoritate praedicta mandamus, ut tractu temporis, si contingat aliquem inveniri Collegialem memorati Collegii Sancti Bernardi culpabilem, et convictum esse tempore sui studii, et morae in dicto Collegio de aliqua ex culpis, quae expresse reperiuntur vetitae, ac probibitae in Constitutionibus ipsius Congregationis Cap. XXV. et XXI. Paragrapho V., licet ratione Studii ad consequendam Lauream hujusmodi habilis, et idoneus sit, nihilominus ratione culpae praedictae, Laurea Doctorali hujusmodi privatus remaneat, nullusque Abbas Generalis dictae Congregationis pro tempore existens cum culpabili praedicto, super defectu, et culpa hujusmodi dispensari possit, et ad hunc effectum quemcumque Abbatem Generalem praedictum facultatibus sibi competentibus, et ratione muneris, et officii concessis, auctoritate, et tenore praesentis privamus, ac privatos esse declaramus.

Praecedentia Statuta hoc super novo Sancti Bernardi, Collegio condita, et approbata, confirmantur, et ab omnibus ipsius Congregationis observari mandatur.

§. 6. Demum observantiam dictarum Constitutionum pro dicto novo Collegio Sancti Bernardi conditarum, et per dictum Ferdinandum Mariam Cardinalem, et Protectorem jussu Nostro mature perpensarum, ac a Nobis approbatarum, et confirmatarum stricte, et inviolabiliter in virtute sanctae obedientiae, auctoritate, et tenore praesentis praecipimus itidem, et mandamus, Constitutionesque praedictas de novo, quatenus opus sit, approbamus, et confirmamus, ac omnibus, et singulis ipsius Congregationis Monachis, et Abbatibus nunc, et pro tempore existentibus cujuscumque status, gradus, qualitatis, auctoritatis, et conditionis, ac quocumque officio, et superioritate, ac auctoritate etiam Abbatis Generalis fungentibus, et functuris, ne illi ullo unquam tempore quacumque de causa, ratione, et occasione quidquam contra omnimodam Constitutionum hujusmodi observantiam, aut Constitutiones hujusmodi, et aliquam illarum partem, praesertim capitula sextum, et ultimum, paragraphum tertium, et quartum, audere, atque attentare, ac variare, seu innovare, ac mutare, seu ut varientur, innoventur, et mutentur, permittere, et consentire audeat, seu praesumat sub privationis vocis activae, et passivae, ac of-

ficiorum, gradus, et Abbatiae, etiam Generalatus per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinendorum ipso facto absque alia declaratione incurrendis poenis auctoritate, et tenore praesentis perpetuo interdicimus, et prohibemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis inconcusse observari; sicque in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Congregationis, et Collegii hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Julii Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quarto, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXXIV.

Dat. die 28. Julii 1764. Anno VII.

Civitati, et Reipublicae Lucanae assignatur locus perpetuis futuris temporibus inter Consistorialis Aulae Advocatos.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces porrectae pro stabili loco consequendo alteri ex Civi Lucanae Reipublicae inter Aulae Consistorialis Advocatos.

§. 1. Devotionis, et obsequii erga hanc Apostolicam Sedem insignia, quibus dilecti filii Nobiles Viri Antiani, et Vexillifer Lucanae Reipublicae, et universus ejus populus apud Nos commendantur, merito Nos inducunt, ut in Apostolicis gratiis, et favoribus elargiendis propensi simus et liberales. Nuper siquidem Nobis exponere fecerunt, quod ipsi, ac universa eorum Civitas, et Respublica summopere desiderant; ut inter Aulae Consistorialis Nostrae Advocatos, in quorum numero, retroactis temporibus, plures ornatissimi Lucanae Reipublicae cives, et scientiae praestantia, et vitae integritate claruerunt, unus certus, ac stabilis designetur, et concedatur locus, perinde ac aliis Civitatibus, nempe Bononiensi, Ferrariensi, Mediolanensi, Neapolitanae ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris concessus fuit, quem semper, ac perpetuo unus ex eorum civibus assequeretur, et retineat; adeo ut is omnem suam operam, studium, ac laborem in benemerendo de Apostolica Sede assidue, et laudabiliter impendere possit, atque ita nomine quodammodo totius Reipublicae Lucanae obsequendo, inserviendoque Apostolicae Sedi, Lucani populi, ac Senatus, obsequentissimam voluntatem, fidem, et devotionem erga Beati Petri Cathedram omnibus notam, ac testatam facere; propterea demississime Nobis supplicarunt, ut eorum votis, ac precibus annuere de Apostolica benignitate dignaremur.

Pontifex Lucanae Reipublicae preces benigne excipit, imploratumque locum in Aula Consistoriali indulget.

§. 2. Nos igitur praedictos Antianos, Vexilliferum, et populum, et universam Rempublicam pro filiali ipsorum obedientia, fide et devotione, quam erga Nos, Romanosque Pontifices praedecessores Nostros semper gessisse, atque etiam gerere indubiis, manifestisque argumentis nuperrime comprobarunt, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eosque, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt,

hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ipsosum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, cupientesque, ut perpetuum paternae charitatis, et benignitatis Nostrae erga memoratam Lucanam Rempublicam, ejusque cives, et populum monumentum existat, et motu etiam proprio, et ex certa scientia, matura deliberatione, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione volumus, constituimus, decernimus, et declaramus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus inter praedictos Consistorialis aulae Advocatos unus praedictae Civitati, et Reipublicae Lucanae locus assignetur, et statuatur, qui nulli alii, nisi uni ex Lucanis civibus per Nos, Romanosque Pontifices pro tempore existentes, eligendo, et nominando, assignari, et concedi possit, ac debeat.

Quo ut celerius perfrui Lucana Respublica possit, Coadjutorem designat, qui futurus sit pro eadem Republica Advocatus Consistorialis.

§. 3. Et quoniam mentis, et voluntatis Nostrae non est, ut numerus duodecim Advocatorum Consistorialium ab antiquissimo tempore praefinitus augeatur, et amplietur, volumus autem ut Lucana Respublica, quam speciali benevolentia prosequimur, quanto citius fieri potest, Apostolicae indulgentiae, et largitionis Nostrae effectus sentiat, fructusque percipiat, idcirco cum in praesens nullius loci vacatio in dicto Advocatorum Consistorialium Collegio occurat, dilectum filium Laurentium Bottini nobilem Lucanum in Coadjutorem cum futura successione dilecto pariter filio Joanni Baptistae a Cornu, qui dicto Collegio Advocatorum Consistorialium adscriptus in munere hujusmodi obeundo bene promeruit, et qui super hac de re suum praestitit consensum, eadem auctoritate Apostolica constituimus, et deputamus, et quandocumque officium, seu munus praedictum per cessum, vel decessum dicti Joannis Baptistae vacare contigerit, in ejus locum ex nunc prout ex tunc substituimus, et subrogamus, ita ut sequuto praedicti Joannis Baptistae obitu, vel eo dictum munus, sive officium quomodocumque cedente, vel dimittente, illico absque ulla alia declaratione, seu concessione faciendam ejusdem officii, aut muneris possessionem, seu quasi possessionem servatis servandis appraehendere, illud libere exercere, ac omnia emolumenta, fructus, salaria, honores, praerogativas, quibus uti, frui Advocati Consistoriales Aulae Nostrae pro tempore de jure, sive consuetudine solent, assequi, percipere, retinere, frui, et gaudere, servata tamen in omnibus ejusdem Collegii consuetudine, usu, legibus, ac statutis possit, et valeat; praeterea, ut locus iste, quem inter duodecim Advocatos dictae Aulae Nostrae Consistorialis in praesenti praedictus Joannes Baptista obtinet, perpetuis futuris temporibus uni ex civibus Lucanae Reipublicae per Nos, et Romanos Pontifices pro tempore successores Nostros ut supra, eligendo, et nominando assignetur, et concedatur, eorumque Civitati, et Reipublicae locus iste in Collegio praedicto Advocatorum Consistorialium in perpetuum addictus, assignatus, atque adscriptus intelligatur, motu, scientia, deliberatione, et auctoritate pari tenore praesentium statuimus, concedimus, atque indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes quascumque collationes, concessiones, assignationes, aut alias dispositiones de loco Advocati Aulae hujusmodi in aliorum, quam civium praedictorum favorem, ut praefertur quomodocumque, et qualitercumque pro tempore faciendas, nullas, irritas, et inanes, nulliusque roboris, vel momenti fore, et esse, ac nulli prorsus suffragari, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis praesertim Constitutione fel. rec. Benedicti XIV, Praedecessoris Nostri, quae incipit « Inter conspicuos » cui ad effectum praesentium dumtaxat derogamus, et derogatum esse volumus, nec non Collegii Advocatorum Aulae hujusmodi, ac quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis supe-

rioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, illorumque tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Julii MDCCLXIV., Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDXXV.

Dat. die 31. Julii 1764. Ann. VII.

Quod Causa decimarum Collegii Societatis Jesu Neoburgi agatur coram Judicibus laicis condolet cum Bavariae Duce eumque obsecrat, ut ad Ecclesiasticos Judices cognoscendam remittat.

Dilectissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Josepho Bavariae Duci S. R. I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Laudes inclytae Bavariae Domus, ejusque studium erga Catholicam Religionem.

§. 1. Inter praecipuas inclytae Domus Bavariae laudes illam jure optimo numeramus, quam ex peculiari suo in S. Ecclesiam reverentia, et singulari erga eam obsequio clarissimi tulerunt majores tui; de quorum pietate ipse tibi sumens exempla eamdem quam illi obsequentis et egregiae in eamdem Ecclesiam voluntatis consequutus es gloriam. Quamobrem quod fel. recor. praedecessor Noster Benedictus XIII. monuit cl. mem. Avum Tuum Maximilianum, ne causam decimarum Collegii Neoburgensis Societatis Jesu, quae sane Ecclesiastica est, trahi pateretur ad laicorum judicium, idem te his Nostris literis volumus admonere, et quanta possumus maxima prece petere ut aulicum consilium tuum jubeas ejus causae cognitionem rejicere, et injurias abstinere manus ab Ecclesia, in cujus jurisdictione ubique tuenda, et conservanda Apostolico muneri Nostro deesse nec possumus, nec debemus.

Decimarum hanc causam ne sinat ab Ecclesiasticis judicibus subtrahi postulat.

§. 2. Tua igitur freti spectatissima in eamdem Ecclesiam pietate non dubitamus quin quemadmodum, cum memorati praedecessoris Nostri datae fuissent ea de re ad Avum tuum literae altum de ea causa silentium est consequutum, quod ut opinamus, Princeps Optimus Religione tactus, judicio illi laicali cursum praeciderit, ipse quoque, dilectissime in Christo fili Noster, in earum decimarum causa sis praestiturus, nec eam passurus ab Ecclesiastico subduci judicio. Id a te postulat, et tua in Ecclesiam devotio, et studium imitandi praeclara majorum tuorum exempla, et ex tali imitatione parta tibi adhuc maxima laus, et ipsa demum rerum temporalium conditio, quas fluxas magis, et deteriores sibi fieri sunt experti, quotquot eas cum Ecclesiasticarum rerum detrimento augeri posse sibi sunt assentati dum autem pro certo habemus, te Apostolicis Nostris monitis, quae tibi paterno amore existimavimus suggerenda, faciles aures esse daturum, nec preces Nostras aspernaturum, quibus te etiam atque etiam rogamus, ut hanc injuriam ab Ecclesiastica jurisdictione removeas, Apostolicam Nostram, tibi dilectissime in Christo Fili Noster, omni Nostro cordis affectu, benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae, apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXXI. Julii MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXVI.

Dat. die 3. Augusti 1764. Anno VII.

Omnibus Ecclesiasticis personis servitio addictis, aut in Monasteriis habitantibus Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Olivetanae facultas indulgetur recitandi divinum officium, et horas canonicas juxta ritum dictae Congregationis.

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Preces porrectae pro facultate re-

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Caesar Scarselli Abbas, et Procurator

citandi divinum officium juxta ritum hujus Congregationis pro singulis in hoc indulto comprae-hensis.

Generalis Monachorum Congregationis Olivetanae Ordinis S. Benedicti, quod nonnulli Sacerdotes saeculares terrenas turbas, ac mundanos tumultus fugientes in ejus Congregationem secedunt, ut quietius, et securius Deo famulari possint in dicta Congregatione: alii vero ad eorum Ecclesiis in divinis officiis inserviendum ab Abbatibus respective Monasteriorum assumi solent, qui omnes intra Claustra continue habitant, et cum Monachis vitam degunt; qui cum divinum officium, horasque canonicas de jure recitare teneantur, atque etiam Ecclesiae Choro cum Monachis praedictae Congregationis interesse, ac officium divinum, horasque canonicas hujusmodi juxta ordinem, seu ritum Monasticum canere, seu recitare consueverint, eisdem Ecclesiasticis personis saecularibus valde onerosum, incommodumque esset, si divinum officium, horasque canonicas juxta ritum Romanum de novo recitare deberent, ac propterea ipse Caesar Abbas, ac Procurator Generalis tam suae, quam aliorum Abbatum ejusdem Congregationis, personarum Ecclesiasticarum saecularium hujusmodi conscientiæ, per Nos, consulere, ac in praemissis opportune providere plurimum desiderat.

Pontifex petitam facultatem concedit.

§. 2. Nos piis dicti Caesaris Abbatis, et Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tamen consequendi, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis personis Ecclesiasticis saecularibus servitio Monasteriorum, et Ecclesiarum, ac Granciarum dictae Congregationis addictis, nunc, et pro tempore existentibus, aliisque intra Claustra eorumdem Monasteriorum assidue habitantibus, et cum Monachis conviventibus, ut donec, et quousque in servitio praedicto, seu in convicto intra claustra cum Monachis perduraverint, si divinum officium horasque canonicas recitare tenentur, absque ullo conscientiae scrupulo officium divinum, horasque canonicas juxta ritum dictae Congregationis, seu dictorum Monasteriorum, in quibus ipsi existunt, seu servitio addicti reperiuntur, non solum in Choro cum Monachis, sed etiam si in Choro una cum aliis Monachis minime praesentes sint, seorsim, et separatim recitare possint, et valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus, permittimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus, super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis Generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac Ordinis, et Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae, vel Procuratoris Generalis dictae Congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub An-

nulo Piscatoris die III. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDXXVII.

Dat. die 4. Augusti 1764. Anno VII.

Clementi Regio Poloniae Principi significat indultum concessum, ut Coadjutor Augustanus eligi possit, eumdemque commendat quod pestiferum Justini Febronii librum, proscripserit.

Dilectissimo in Christo Filio Nostro Clementi Regio Poloniae Principi e Ducibus Saxoniae, electo Principi Frisingensi, et Ratisponensi.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Dispensationem elargitam huic Principi pro Coadjutoria Ecclesia Augustanae denunciat.

§. 1. De Augustana Ecclesia te idoneum jam fecimus, qui ejus Episcopi Coadjutor fias; dudum enim ea de re in forma Brevis Nostras literas dedimus. Id si perinde ut tua meretur virtus tibi ceciderit, pro certo habeas, non plus ad te quam ad nos perventum esse laetitiam. Tibi enim vehementer studemus; tuas res augeri maxime cupimus; omnia denique tua causa volumus tibi successa: quantacumque enim ad tuas opes fiat accessio, non dubitamus quin Ecclesia maximam inde utilitatem sit acceptura. Novimus enim pro ea qua es in Deum pietate, et Religione, ad illius cultum, honorem, et gloriam, animarumque salutem omnia te revocare. Caeterum voluntati Nostrae tuam te submisisse, et de tertia adipiscenda, retinendaque Cathedrali Ecclesia omnem abjecisse cogitationem libentissimo animo accepimus.

Laudat quod per suum Edictum pestiferum Justini Febronii librum proscripserit in Dioecesibus Frisingensi, et Ratisponensi.

§. 2. De proscripto Justini Febronii pestifero libro fecisti probe, qui Edicto tuo judicium Nostrum, quo illum condemnavimus, omnibus Fidelibus in Ecclesiis Frisingensi, et Ratisponensi denunciaveris. Id Nobis pollicebatur tum fides tua, qua commissas tibi oves sancte custodis, et venenatis prohibes pascuis, tum obsequium quo coluisti semper, et colis Nos, et Apostolicam Sedem. Tibique dilectissime in Christo Fili Noster, paterno Nostro cordis intimo affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quarta Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXVIII.

Archiepiscopum Auscitanum de Gallicanae Ecclesiae erumnis conquerentem consolatur, eique salutares praebet instructiones ad majora futura mala avertenda.

Dat. die 15. Aug. 1764. Anno VII.

Quamplures Epistolas de malis Gallicanae Ecclesiae impendentibus, ab hoc Pontifice perscriptas Episcopis in Gallicis Regnis existentibus, dedimus in hac continuatione et signanter, sub num. CCCLXXXVIII ad CCCCII. pag. 835. ad 841. ubi consulendae ad opportunitatem sunt.

Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Auscitano.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quaerelas ab Episcopis Gallicis delatas de earum Ecclesiarum aerumnis commemorat, causasque designat.

§. 1. Quo in loco res sacrae sint apud Vos, dudum complures alii denunciarunt Nobis per literas suas Gallicani Episcopi, quorum eaedem fere sunt, quas literis tuis ad Nos detulisti, quaerelae. Impietatem sese jactantem exultantemque cernitis omnibus in locis impune volitare: Christianae Religionis hostes qui antea Reipublicae probra, et dedecora censebantur nunc laude florere, atque etiam cum potentioribus esse in gratia: Sacerdotibus divinam, quam a Christo Domino acceperunt, potestatem fere ademptam, aut certe magna ex parte imminutam: secularis potestatis arbitris, notorie refragantibus Constitutioni Unigenitus (spreta piae mem. praedecessoris Nostri Benedicti XIV. Encyclica, quam ipsi etiam confirmavimus) sancta Mysteria sacrilege administrata: Non amplius

vos esse Ministros et dispensatores Mysteriorum Dei: prope jam omnem doctrinae, morumque disciplinam vobis ereptam; quasi laicis non Episcopis docendorum populorum munus a Christo Domino fuerit demandatum, qui solos Apostolos alloquebatur cum dixit, » *qui vos audit, me audit; et sicut me misit Pater, et ego mitto vos* » Episcoporum voces usque adeo compressas, ut ne ad greges quidem sibi commissos saltem clamare possint, ut ab irruentibus lupis caveant: ipsas pastorales eorum literas igni traditas Carnificis manu, cum interea libertini, et Ecclesiae hostes, connivente laicali potestate, venenatis probrosisque scriptis, Regnum istud complere non desinunt, quibus Apostolica Sedes, et Episcopalis ordo, caeterique sacri Ministri, et universae Ecclesiae divina auctoritas et potestas, uno verbo, Catholica Religio, sacrarumque rerum sanctitas, vel audaciter impugnatur, vel contumeliosis dictis, aut amaris irrisionibus impudenter proscinditur, et illuditur. Id nimirum contenditur, ut Episcopi taceant; et Christi Sponsae crimini datur, si crudelibus, cruentisque percussa vulneribus, vel exiguam ac pene intermortuam ejulantis vocem emiserit. Interea hinc impietas Evangelio illudit impune; hinc Baji, Jansenii, et Quesnellii errores adversus Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum Constitutiones caput jactitant suum, et Apostolicae Sedi, atque ipsi universae minitantur Ecclesiae. Qui vero de tanta sacrarum rerum clade ingemiscunt, tamquam homines deliri, aut inani phantasmate perterrefacti irridentur: ac si quis zelo domus Dei incensus audacibus Jansenistarum conatibus resistere instituat, is ut ambitiosus, et dominandi in Ecclesia Dei cupidus, malevolis de industria dissipatis rumoribus, rapitur in invidiam; interdum etiam tamquam capitalis homo, et publicae tranquillitatis inimicus, vel ablatis pignoribus coercetur, vel pellitur in exilium.

Condoletur quod nonnulli ex Episcopali Ordine plauserunt laicae potestati, Ecclesiasticam jurisdictionem invadenti.

§. 2. Illud vero dolorem Nostrum acriorem facit, quod ex ipso Episcopali ordine homines extiterint, qui seculari potestati Ecclesiam invadenti, partim plauserunt, partim etiam suam operam praebuerunt, partim se, quod cernerent oculis, non videre simularunt. Quamquam hi quidem sunt paucissimi, caeteris Episcopis omnibus tantam indignitatem iniquissimo animo perferentibus: unde tamen fidelibus oblata est adeo gravis offensio, ut ex ipso Regno, celebriori in dies gradu, Catholica Religio recedere videatur. Etsi autem tantorum malorum proluvie, ut ex tuis Ven. Frater, aliorumque Coepiscoporum literis intelleximus, res sacrae omnes isthic apud vos videantur esse de suo statu convulsae, non est tamen abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

Cur Sancta Sedes m... fuerit potius patientia ... nem tot malorum expectare, participat, Episcopum autem ad constantiam sollicitat.

§. 3. Nos quidem per hoc silentium, quo excepimus, et patienter tulimus gravissimas plagas, spe quadam adhuc laetati sumus, futurum ut inimicorum animi adversus Nos, et Ecclesiam incensi paullatim defervescerent. Sed Sancti verba Jacobi jure possumus usurpare » *Nonne dissimulavi? Nonne silui? Nonne quievi? et ecce venit super Nos gravior indignatio.* Eo tandem Nos adducent, ut veluti parturiens aliquando loquamur. Quisquam ne jure Nos posset repraehendere, si humanis omnibus lenitatis, et prudentiae consiliis jam exhaustis, efficaciora, gliscentibus in dies Ecclesiae vestrae malis, meditaremur adhibere remedia? Te vero, Venerabilis Frater, quem zelo Dei probe novimus mirifice incensum, precamur, et obtestamur, ut in ea perdures constantia, qua ad omnes dimicationes pro Christo subeundas dudum ostendisti te paratissimum. Magnum profecto dedisti tuae firmitudinis documentum, cum novissimam Pastoralem tuam omni praeconio dignam, nullis deterritus quae te circumsidebant periculis, edidisti, in qua fideles habent quo a venenatis hujus saeculi sensibus caveant, et sacrae veterum Antistitum eloquentiae vim posteri deprehendent et mirabuntur. Nobis quidem ea lectio mirifice placuit, laetatique vehementer sumus, quod multiplici sit editione vulgatior.

Laudat quod contra pestiferum librum ASSERTIONUM Pastorali sua Epistola ... clamaverit.

§. 4. De libro Assertionum quod ad Nos scripsit Fraternitas tua, et in memorata Pastorali iteravit, librum illum esse pestiferum codicem, in quem conditores ejus omnia conjecere flagitia maximumque propterea, et

evidentissimum fidelibus offerre periculum, et vernacula lingua conscriptum exitiosissimum pabulum universo Christiano Populo objicere, tibi plane assentimur. Auribus praeterea Nostris bonorum omnium querelae circumsonant, pluribus fallaciis consarcinatum, et dolis. Interea Deo gratulamur, te tantum Antistitem extitisse, qui invicto animi robore opposueris murum ex adverso, steterisque in praelio pro domo Domini. Denique te ob tuam fidem, gravitatem, constantiam, caeterasque tuas egregii animi virtutes quanta complectamur benevolentia, ut testimonium aliquod Fraternitati tuae exhibeamus, mittimus ad te de Sacris Beati Francisci Salesii Reliquiis, ut cujus nomen, et praeclaras doctrinae, vigilantiae, mansuetudinis, et Episcopalis zeli dotes geris, ejus apud te habeas monumentum, quo semper recordere, cujus sis aemulator, et ejus utare patrocinio ad bene, ut facis, Episcopale ministerium obeundum. Tibique Ven. Frater, quem in visceribus charitatis gerimus, intimo nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XV. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus nostri anno septimo.

CDXXIX.

Dat. die 22. Aug. 1764. Ann. VII.

Approbasse Constitutiones Monialium Ordinis S. Basilii Magni Monachis Graeco Melchitis S. Joannis Baptistae in Soairo subjectarum, Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum participat, eique Moniales ipsas commendat.

Literae Apostolicae quibus approbantur Constitutiones harum Monialium relatae a Nobis sunt hujus Continuationis praesenti Tomo sub Num. CCCXIX. pag. 716.

Venerabili Fratri Theodosio Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Sacrarum Virginum caetus, quae cum se Deo devoverint in Sancto Monasteriorum recessu divinarum rerum contemplationi vacantes, Angelicam vitam colunt, eximiam esse portionem Dominici Gregis, ad quam sedulo prae ceteris custodiendam cogitationes suas omnes conferre debent Ecclesiae Pastores, non ignorat Fraternitas tua. Ex quo intelligis, quam libenti Nos animo acceperimus, conditas esse Constitutiones, quibus uti debeant Moniales Ordinis S. Basilii Graeco-Melchitae Congregationi Monachorum Graeco-Melchitarum S. Jo. Baptistae in Soairo subjectae, ut ad earum normam Monasticam vitam suam exigentes, bono Christi odore, vestram Ecclesiam compleant. Eas Constitutiones cum Sacra Venerabilium FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatio, Propagandae Fidei negotiis praeposita, sedulo examinaverit; et ut pie prudenterque compositas, et ad Monasterium regendum earumdem Monialium accomodatissimas approbaverit, Nos per alias litteras Nostras datas die XV. Novembris MDCCLXII. Apostolicae auctoritatis Nostrae robore confirmavimus. Id te Ven. Frater ac libentius monere voluimus, quod jucundum tibi fore novimus extare in illis Nostris literis praecipuae charitatis Nostrae, quae Monasterium illud prosequimur, perpetuum monumentum. Te vero rogamus, ut easdem Moniales commendatissimas habeas, earumque religioni, pietati, et Monasticae observantiae quam potes plurimum faveas, et monasterium illud tuo tuearis patrocinio. Et Fraternitati tuae intimo Nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXX.

Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, Bohemiae Reginae, et Imperatrici electae participat, Pontificium assensum haud concedere potuisse nonnullis pactionibus noviter initis cum Republica trium Rhetiae foederum, Catholicae rei adversis, et incolis illis gravissimis.

Dat. die 22. Aug. 1764. Ann. VII.

Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, nec non Bohemiae Reginae Illustri, in Romanorum Imperatricem Electae.

Clemens Papa XIII.

Carissima in Christo Filia Nostra salutem, et Apostolicam benedictionem.

Supplicaverat Imperatrix Regina Sanctam Sedem ut hasce initas pactiones approbare dignaretur.

§. 1. Si quid unquam accidit in quo Regia Majestas tua praeclaram alioquin erga Catholicam Fidem voluntatem suam possit adhuc facere insigniorem illud profecto est, de quo superiore mense Decembris ad Nos scripsisti; initas a Majestate tua cum Republica trium Rhetiae Foederum pactiones quasdam proxime elapso anno, et subinde mutuo partium consensu firmatas: inter earum Capita esse aliquot, quae Apostolicam Nostram auctoritatem postulent, et consensum: Majestatem tuam enixe a Nobis petere, ut eosdem Articulos, quo plenum ut ais robur obtineant, Apostolica indulgentia assensuque Nostro confirmemus.

Pontifex significat se contemporaneis literis vernaculo sermone conscriptis causas assignasse cur pactiones praedictae adprobari nequeant.

§. 2. Quibus Nos quantisque difficultatibus impediamur, quominus Regiae voluntati tuae obsequamur, facile tua Majestas intelliget ex alia Epistola vernacule conscripta, quam cum his literis complicatam mittimus. Nos gravati sumus prolixe in ea Epistola singula quaeque persequi, conatique sumus Regiae Majestati tuae declarare, quibus causis a consentiendo ejusmodi pactionibus deterreamur. Regiam Majestatem tuam quam maximo studio, et animi contentione rogamus, ut ipsa per te, diligenter ut soles, eam legas Epistolam. Profecto comperies, Catholicam Religionem magnum damnum ex iis Conventionibus esse jacturam, et Vallis Tellinae Incolis gravissimum durissimumque jugum imponi; ac propterea Nos, qui ex Apostolico munere Nostro, et praedecessorum Nostrorum exemplis, et rem Catholicam salvam, et incolumem conservare, eorumque libertatem tueri debeamus non posse sine animae Nostrae pernicie, et Nostri nominis probro, in eas pactiones quocumque modo convenire. Quin imo Majestatem tuam in hujus laudis partem vocamus, ut pactiones ejusmodi, nimirum quantum pactionibus a gloriosis praedecessoribus tuis superiore saeculo initis, et ab Augustae Mem. Carolo Patre tuo confirmatis adversae, in irritum cadant. Nusquam alias, Carissima in Christo Filia Nostra, tantam adepta esse laudem videbere, quantam te consequi aequum est, si omnia ad capitulati quod vocant Mediolanensis normam exacta volueris. Sic enim, et Catholicae Religioni, et Incolarum Vallis Tellinae libertati, et praeclaro praedecessorum tuorum nomini, et tuo in rem Catholicam studio apparebit Majestatem tuam voluisse consultum, cui omni cordis Nostri paterno affectu Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXXI.

Viennensem Archiepiscopum certiorem facit, Apostolicum fuisse assensum denegatum quoad extinctionem Ordinis Canonicorum Regularium S. Ruffi, eorumque bonorum applicationem militaribus Equitibus S. Lazzari.

Dat. die 22. Aug. 1764. Anno VII.

De arbitraria suppressione Canonicorum Regularium S. Ruffi, eorumque arbitraria incorporatione Equitibus S. Lazzari adsunt quamplures hujus Pontificis Epistolae, relatae in hac continuatione num. CLXXIV. CLXXV. et CLXXXV. pag. 427 *et* 428 *nec non num. CCCLIX et CCCLX pag.* 791 *et* 792.

Venerabili Fratri Gullielmo Archiepiscopo Viennensi in Delphinatu.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Exponitur Sacram Congregationem Consistorialem hanc

§. 1. Pactiones de extinguendo Ordine Canonicorum Regularium S. Ruffi ejusque bonis Militari Ordini S. Lazzari assignandis anno

Suppressionem noluisse probare, cui resolutioni Pontifex est assentitus.

1760 confectas examinari jussimus in Sacra Congregatione Consistorialibus rebus praeposita, cujus sententia fuit, pactiones illas a Nobis minime approbari oportere. Hanc certum est Nobis omnino sequi sententiam, qui majoris esse roboris, quam ut vinci possint existimamus esse rationes, quas Fraternitas tua, aliique Episcopi attulerunt ad illum Ordinem conservandum, qui Ordo si reformetur, et ad Conventualem vitam revocetur, plurimum potest Ecclesia Dei prodesse. Nimis praeterea videbatur Nobis absurdum, et a Sacrorum Canonum sanctionibus alienum, ad seculares Equites, qui etiam Uxores habeant, bona traducere, quae divino cultui religiosisque viris substentandis fidelium pietas consecravit.

Se promptum Pontifex declarat ut Canonicorum Regularium S. Ruffi Ordo ad pristinam observantiam revocetur.

§. 2. Quamobrem Ven. Fratri Petro Archiepiscopo Colossensi Nostro, et hujus Apostolicae Sedis apud Regem Xmum Nuncio mandavimus, ut Regiae illius Principis Majestati eas rationes exponat omnes, quibus a concedenda gratia, quam rogabamur deterriti statuimus, nunquam ejusmodi pactionibus assentiri neque Apostolicae auctoritatis Nostrae robur adjicere, quibus Ecclesia Dei, Divinusque cultus tantum caperet detrimenti: paratissimos vero Nos esse ad Nostram operam conferendam, ut Ordo S. Ruffi ad suum institutum revocetur; eamdemque reformationem videri Nobis posse facile perfici, si ea reformandi ejus Ordinis ratio instituatur, quam ipsius Regis, ut vocant Arresta, anno 1741 et 1759 edita exponunt, et si conspirantibus Episcopis, aliquae saltem si non omnes illius ordinis Domus ad Conventualem vitam reducantur; caeterum pietati, et constantiae tuae Ven. Frater magna debetur laus, qui tanta strenuitate causam defenderis, in qua de Spirituali tuae Dioecesis bono agebatur. Hanc laudem Fraternitati tuae speramus fore perpetuam quem in eo tuendo Ordine imposterum, non dubitamus, eamdem, quam adhuc ostendisti praestiturum esse constantiam, et Fraternitati tuae eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus omni cordis Nostri affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDXXXII.

Praevia confirmatione suarum literarum VII. Julii MDCCLXIII. super observantia Constitutionum Ordinis Fratrum Bethlemitarum in Indiis, gesta in illius contemptum proscribit, novasque praebet Ordinationes pro pace in Ordine ipso restituenda.

Dat. die 27. Aug. 1764. Anno VII.

Literae Apostolicae quae in hac Constitutione confirmantur, relatae sunt hujus Continuationis Tomo sub. Num. CCCLI. pag. 770.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Recensetur praecedens Constitutio hujus Pontificis, et quae in illius contemptum deinde evenere.

§. 1. Alias ad supplicationem bon. mem. Joannis Francisci, dum vixit, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Banchieri nuncupati, Ordinis Fratrum Bethlemitarum nuncupatorum in Indiis Occidentalibus auctoritate Apostolica instituti, tunc apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem protectoris, emanarunt a Nobis literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet (omittitur tenor hujus Constitutionis jam a Nobis relatae in hac continuatione sub Num. 351. pag. 770. .) Nuper vero exposuit Nobis dilectus Filius Noster Antonius Andreas Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Galli nuncupatus, ejusdem Ordinis Fratrum Bethlemitarum apud Nos, et hanc Apostolicam Sedem modo Protector, quod novissime allatum fuit nuntium *obitus Praefecti Generalis* dicti Ordinis *in partibus* Indiarum interea *sequuti*, hinc autem plurimas *perturbationes*, ac scandala exorta fuisse propter *officium*, ut asseritur, *Vicarii Generalis* indebite, ac *illegitime* assumptum a Priore Conventus Guatimalensis Civitatis, qui *nulliter*, utpote *non servata forma Constitutionum dicti Ordinis*, ad id munus *Prioris electus* fuisse perhibetur; quumque praefatus Prior, sicut eadem expositio subjungebat, statim post assumptum Vicarii Generalis officium hujusmodi, *innovationes*

anno MDCCLVII. adversus Ordinis Constitutiones invectas fovere, ac promovere, et nedum Convocatorias, sed etiam *Prorogatorias Literas* pro habendo *Capitulo Generali*, non servata *forma earumdem Constitutionum*, expedire attentaverit, *aliaque*, ut pariter asseritur, *peregerit*, quae maximum *detrimentum*, ac *perniciem*, et penitus *ruinam* dicto *Ordini* inferre possent, nisi prompte gravissimis malis succurratur, et prompta atque opportuna adhibeantur remedia.

Preces porrectae pro removendis dissidiis subortis, et methodus habenda in nova Capituli Generalis hujus Ordinis convocatione.

§. 2. Propterea pro parte dicti Antonii Andreae Cardinalis, et Protectoris humiliter supplicatum fuit, ut *retentis, et confirmatis praeinsertis literis Nostris, die VII. Junii* praeteriti *anni MDCCLXIII.* expeditis, *in iis omnibus, quae earumdem substantiam* respiciunt, nunc *super illarum exequutione* Apostolicae auctoritatis Nostrae partes interponere non renuamus, ut *in novo Generali Capitulo*, anno MDCCLXVI. benedicente Domino celebrando, ii dumtaxat *intersint*, qui *legitimo suffragii jure* fruuntur, et ut *observantia* Constitutionibus Ordinis *in pristinum restituatur*: Ut autem haec omnia tutius, ac facilius ad exequutionem, et complementum perduci valeant, *jus praesidendi* dicto *Capitulo*, quod in praeinsertis Nostris literis Venerabili Fratri *Emanueli Archiepiscopo Mexicano* tributum fuerat *sub conditione*, et in casu, quo *Praefectus Generalis*, vel per sui obitum *Vicarius Generalis* dicti Ordinis, *ante dictum Capitulum non docuisset de abolitione omnium perniciosarum novitatum, ac restitutione observantiae Constitutionum Ordinis in pristinum vigorem*, hac sublata conditione *propter mutatum deinde rerum statum*, nunc *libere, et absolute eidem Archiepiscopo* cum *necessariis et opportunis facultatibus* elargiri, atque alias in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere dignaremur.

Praecedens Constitutio confirmatur, et Mexicano Archiepiscopo facultates tribuuntur praesidendi futuro Capitulo Generali, et inquirendi de gestis huc usque in praefatae Constitutionis contemptum.

§. 3. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, dictas *praeallatas* Nostras *Literas, emanatas die VII. Julii anni MDCCLXIII. et in eis contenta quaecumque*, quae *praesentibus* similiter Nostris *non adversentur*, denuo *confirmamus, et approbamus*, illasque *observandas esse* volumus, et jubemus. Praeterea dicto Venerabili Fratri *Emanueli Archiepiscopo*, et quatenus, quod Deus avertat, Sedes Archiepiscopalis Mexicana tunc *vacans* extiterit, *Vicario Capitulari* ejusdem Metropolitanae Ecclesiae legitimae deputato *jus praesidendi auctoritate Nostra Apostolica dicto Generali Capitulo* proxime habendo, veris existentibus narratis, eorumque veritate per certas et legitimas probationes comperta, *concedimus*; ac insuper, *praeter alias facultates*, auctoritates *in praecedentibus* Nostris *literis* eisdem jam attributas, ut hujusmodi *Nostras* in forma Brevis expeditas *literas publicare, ac promulgare*; et suo *Decreto circumscriptis, et abrogatis omnibus novitatibus* adversus tenorem, et formam *Constitutionum* dicti Ordinis *invectis*, idipsum *Superioribus, aliisque omnibus Fratribus* ejusdem Ordinis, tam in Urbe et Provincia *Mexicana*, quam in *Peruano Regno* existentibus *significare*, ac *notum facere*; Ut etiam ante *convocationem* proximi Generalis Capituli *cognoscere, examinare, pronunciare, ac definire* de *jure ac legitima qualitate*, et potestate *Superiorum*, aliorumque *obtinentium ea* dicti *Ordinis munera, quibuscumque in Capitulo Generali jus suffragii conjunctum esse solet*, ac insuper supplere, *et sanare* omnes, et quoscumque *defectus juris*, aut *facti*, si desuper intervenerint, *quoad eos*, qui hujusmodi *jure dignos* in servandis *Constitutionibus Ordinis*, caeterisque *Christianis virtutibus* exercendis se *probaverint*, atque exhibuerint, e diverso *contumaces*, atque *inobedientes*, aliosque *indignos repellere, ac removere*, aliosque *in eorum locum, ac munera substituere*, prout eis in Domino *expedire* videbitur; ac ulterius *sanare, et revalidare* omnes, et quascumque *Professiones* a Fratribus dicti Ordinis interea temporis *emissas* in manibus *Superiorum*, quos *nulliter* ac *illegitime electos fuisse* constiterit.

Itemque facultates impertiuntur praelaudato Archiepiscopo prorogandi Capitulum Generale, aliasque provisiones capiendi.

§. 4. Ut demum *Capitulum Generale* proxime habendum in Civitate *Mexicana convocare*, et, si *necessarium*, atque *expediens* fuerit, ad aliquod breve tempus *pro prudenti ejus arbitrio, et conscientia prorogare*, non obstantibus *quibuscumque Convocatoriis literis* a Priore Conventus Civitatis Guatimalae dicti Ordinis interea *expeditis*, imo *non obstante etiam celebratione ipsius Capituli*,

quae earumdem literarum vigore *peracta fuisset*, idem *Capitulum rursus, ac de novo in eadem Civitate indicere*, *et congregare*, *ac in eo*, pro eorum prudentia, pietate, et zelo, *providere* in Domino *iis omnibus*, quae non solum respiciunt *exactam* in posterum *observantiam Constitutionum* dicti Ordinis, sed etiam *oeconomicam administrationem reddituum*, *eleemosynarum*, *ac redditionem rationis juxta in dictis Constitutionibus praescripta*, caeteraque *omnia*, ex quibus earumdem *Constitutionum observantiam* in pristinum restitui, *decus*, ac *quietem* dicto Ordini *reddi posse*, in Domino expediens esse judicabitur, *curare*, *ac providere possint*, *et valeant*, eidem Venerabili Fratri *Archiepiscopo Mexicano*, et eo non existente, et viam universae carnis ingresso, *Vicario Capitulari* praedicto, simili *Apostolica Nostra auctoritate*, tenore praesentium, ac *de plenitudine potestatis*, pro *hac vice* dumtaxat, *et ad effectum praefatum*, damus, tribuimus, et elargimur.

.lausula sublata, decre..um irritans, ..t derogatio contrario..um.

§. 5. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus iis omnibus, quae in praecedentibus Nostris praeinsertis literis non obstare volumus. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXXXIII.

Dat die 30. Aug. 1764. Anno VII.

Commissio Episcopo Abderensi Suffraganeo Sabinae, ut Caesenam se se transferat, ad compescendos tumultus excitatos ex translatione arbitraria Corporis defuncti Episcopi Caesenatensis.

Venerabili Fratri Julio Mattheo Episcopo Abderensi, Suffraganeo Sabinae Nostro, et Apostolicae Sedis Delegato.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam benedictionem.

Dolet quod Cives Caesenatenses in dissidiis irrepserint in contemptum devotionis Deo debitae, et obedientiae Sanctae Sedi.

§. 1. Dominici Gregis Nobis ex alto concrediti pro Apostolicae servitutis officio assidue excubantibus, nihil contingere potuit acerbius, nihilque, quod minus opinaremur, quam quod Civitas nostra Caesenatensis, in ambitu temporalis Nostrae ditionis posita, Nostrisque fere oculis subjecta, secum ipsa discors, in aperta dissidia prosiliret, contemptoque debitae primum Deo humilis devotionis, demissique famulatus obsequio, ac una simul excusso debitae Nobis, et Ecclesiae obedientiae fraeno, graves, ac turbulentos excitaret motus, cum damnabili quarumcumque legum injuria, bonorum offensione, et publico tam finitimarum, quam longe dissitarum Gentium scandalo. Tacti zelo honoris Dei, tuendaeque salutis animarum, et custodiendi pro viribus Ecclesiasticam Disciplinam, intimo cordis moerore ingemuimus, haec a Nostris subditis attentari; dein coacti fuimus juste subirasci, ubi certis agnovimus indiciis gliscentis intestinae discordiae causam eo magis esse execrabilem, quo eidem fucata, et inanis pietatis larva obtenditur a perditis Belial filiis, qui credulis, et incautis virus Draconis in aureo calice Babylonis propinant.

Refert dissidiorum causas, et arbitraria atque scandalosa defuncti Episcopi corporis exhumatio a Sepultura in qua reperiebatur depositus, novaque tumulatio illius in aliam Sepulturam, et Ecclesiam.

§. 2. Statis jam constat Fraternitati tuae non solum ex publico rumore, sed etiam ad Apostolicam hanc Sedem delatis, tibique opportune traditis testimoniis, quanto animorum aestu, quantaque contentione pars una, et certe major dissidentis populi Caesenatensis defuncti Episcopi sui Guidonis Orselli mores, ut ajebat, et irrepraehensibiles, exactam in Episcopatu vitam impollutam, sanctitatem demum effuso praeconio praedicaverit, non quidem in illius obitu, ut contingere solet, sed in novi Pastoris adventu, Ecclesiae sibi concreditae administrationem susci-

pientis. Novit etiam Fraternitas tua, majori longe impudentia a plerisque edita fuisse, et in publica Notariorum tabulas ex industria relata fuisse multiplicia miracula, quae a Deo ejusdem Episcopi Orselli interventione patrata ferebantur, tamquam jure dici posset « *Deus est qui justificat, quis est, qui condemnet?* Molliti videbantur sermones isti super oleum, sed revera eum in finem adhibiti, ut essent jacula alteri ejusdem populi parti, quae tantae virtuti, multoque magis Miraculis, fabulae imaginem, ut plurimum praeferentibus, adversabatur; probe intelligens, uni Judici Deo, et ejus sponsae Ecclesiae esse reservatam trutinam sanctitatis, nec datam carnali prudentiae virgam super sortem justorum. Tandem latere te non debet, impudentissimos hujus studiosae sanctitatis, et Myraculorum assertores, ad implendam mensuram scandali, eo execrabilis audaciae progressos fuisse, ut defuncti Episcopi mortales exuvias per vim, et inter frequentissimi ac tumultuantis populi clamores, eruere non dubitaverint e sepulcro aliorum Episcoporum Ecclesiae Cathedralis, et in singularem Canonicarum quarumcumque legum, et praesentis Antistitis contemptum, inferre in Regularem Ecclesiam S. Petri Martyris familiae Dominicanae, ibique sepulturae demandare, postremae huic tumulationi praecipue assistentibus Magistratu, ac dignitatibus deputatis a Capitulo praefatae Ecclesiae Cathedralis Caesenatensis, ne qua esset solemnitas, in ipsa attentata corporis repositione desideranda.

Suum animum exprimit pro hisce scandalis corripiendis, et extirpandis.

§. 3. Supervacaneum ducimus circumspectioni tuae declarare quanta in uno facinore sint crimina! Itaque cum ingruenti crescentique in dies morbo, validiora quaeque adhibenda sint remedia, ea diutius non protrahere deliberavimus, sed vindicem improbitatis gladium exerere contra eos, qui caeci esse volunt, et Duces caecorum, ut virga atque correctis tribuat sapientiam praetergressis quoscumque modestiae fines, reparentur inflicta verae pietati, et Ecclesiae vulnera, taceant rixarum et novitatum amatores, debitus Superioribus Ecclesiasticis honor restituatur, mutata fiant labia dolosa, et demum dissipentur Vulpeculae vineam Domini demolientes, specie quidem diversae, sed caudas habentes invicem collicatas, quia ex odio, et malitia conveniunt in idipsum.

Huic Co[…] missario sp[…] ciali in ma[…] datis dat […] arbitrar[…] subtractun[…] defuncti […] piscopi c[…] pus ad p[…] stinam res[…] tuatur sep[…] turam.

§. 4. Tibi itaque Ven. Frater, ad praesentiam Nostram accito, cujus in Apostolicis mandatis exequendis fidem, pastoralis officii nervosam sollicitudinem, in rebus agendis prudentiam cum laudabili Divini honoris zelo conjunctam, probatam habemus planeque compertam, per haec scripta praecipimus, et mandamus, ut quantocius ad Caesenatensem Urbem te conferas, commissionis tuae inchoans primordia a reparanda attentata illa, nulloque pacto ferenda clamorosa translatione corporis defuncti Episcopi Guidonis, ausu nefario, et enormi, facta a populo cum insigni sacrorum Canonum contemptu, et aperta jurisdictionis Ecclesiae injuria, cum piorum offensione, gravissimoque scandalo, quod in omnes Christifideles dimanavit. Volumus itaque, et expresse mandamus, ut idem corpus palam, et publice amotum e Caesenatensium Episcoporum tumulo, in illum palam, et publice denuo inferatur, ibique immutationem expectans pacifice conquiescat.

Insuperque mandat […] inquisition[…] praeeunte, inobediente[…] rixosos, scandalos[…] quoscumqu[…] poenarum coercition[…] ad commi[…] sorum poe[…] nitentiam r[…] vocet.

§. 5. Auctoritate insuper Apostolica quam tibi plenissimam impertimur, et delegamus, praecipimus, quod subditorum Nostrorum supramemoratos excessus, debita, qua par est, poenarum coercitione vindices, et audaces filios, a concordi Ecclesiae spiritu degeneres ad illius obedientiam, cultum et devotionem revoces, et in officio contineas. Porro etsi satis per se nota sit illorum temeritas, et audacia, nec ulla tergiversatione notorie gesta celari possint; volumus tamen, ut diligentem, et rigorosam super his omnibus inquisitionem adhibeas, clamorosos schismatis, rixarum, et jurgiorum auctores, eadem adhibita poenarum severitate compescas: et si tibi certis constiterit indiciis, palam in vulgus edita fuisset Myracula, vel minus probata, vel contra formam ab Ecclesiae disciplina, et Sacrorum Canonum sanctione praestitutam quodque magis dolendum esset, studiose conficta ab iis, qui carnali affectu permoti, a veritate auditum avertunt,

et ad fabulas convertuntur, eosdem fictorum Myraculorum propagatores, collectores, testes, et damnabilis falsitatis quomodolibet complices solertissime detegas, detectosque eamdem tibi tradita auctoritate rigide punias Ecclesiasticis, si opus sit, censuris, pecuniariis poenis, corporis afflictivis, privatione redditruum et officiorum, nullo habito discrimine personarum cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, etiamsi Regulares fuerint, ac speciali mentione dignae, sublato prorsus cujuscumque reclamationis, recursus, ac appellationis diffugio.

ostolicae is assientiam mmissario : promitcui caes praebet ructiones opus nearias.

§. 6. Quae omnia in Apostolicis hisce Nostris literis contenta, ut Fraternitas tua nulla interjecta mora, nolloque obstante impedimento, strenue exequi possit, necessaria non deerunt Pontificiae Nostrae auctoritatis praesidia, et adjumenta brachii secularis, quod tibi requirenti ab iis, quos spectat, incunctanter praestandum esse decrevimus. Volumus tandem, et expresse mandamus, ut cum primum ad Urbem Caesenae te contuleris, has ipsas literas Nostras, quatenus illarum ignorantia a nemine allegari possit, coram Capitulo, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae, nec non coram praedictae Urbis Magistratu, a te prius ad hunc actum interpellatis perlegantur. Deus interim pacis, qui habitare facit unius moris in Domo, saniora dissidentibus consilia inspiret, quibus redeant praevaricantes ad cor, tantoque faciliorem sibi comparent veniam per poenitentiam, quanto graviora intulerunt damna per culpam. Confidimus, Caesenatenses Cives subditos Nostros, filialis obsequii, et obedientiae non prorsus immemores, Pontificiae huic Nostrae voluntati non metu poenarum, sed ipsa suadente conscientia, ultro obsequuturos ad sibi conciliandam illam charitatem, quae nusquam excidit ab amantissimi Patris sinu, quaeve filios olim errantes, sed in gemitu ab errore redeuntes, patiens, et benigna complectitur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXX. Augusti MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXXIV.

Episcopum Basileensem hortatur, ut e sua Dioecesi eliminet librum Justini Febronii. Dat. die 12. Sept. 1764. Ann. VII.

De hac ipsa perniciosi libri extirpatione consule epistolas supra relatas Num. CDXX. pag. 879. et adnotationem ibi appositam.

Venerabili Fratri Simoni Nicolao
Episcopo Basileensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Tanta est tui, tuaeque religionis, pietatisque fiducia Nostra, ut, cum veneficus liber Justini Febronii haud ita pridem prodierit in vulgus, non putaverimus continuo tibi in primis addendos esse stimulos, quibus ad eum opprimendum, vel e Dioecesi tua eliminandum excitarere. Et nunc has Fraternitati tuae literas damus, magis ut intelligas de tua erga hanc Sacram B. Petri Sedem egregia devotione, et fide quae Nostra sit opinio, quam quod te existimemus cohortationibus Nostris egere. Satis ad eam pestem ovibus tibi commissis defendendam tua te sollicitat Episcopalis sedulitas, et vigilantia, tuusque erga Gregem flagrantissimus amor. Si quid autem tibi opus fuerit fecisse, aut facere, quo isthinc ejusmodi liber aut arceatur, aut de fidelium manibus excutiatur, certiores ea de re Nos faciat Fraternitas tua. Jucundissimum enim Nobis erit novo argumento, Nostrum de tua Religione, custodiendique Gregis studio comprobari judicium. Tibique omni nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Septembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDXXXV.

Pastoralem Instructionem Episcopi Andegaviensis repraehendit, qua reprobatus liber Dat. die 19. Sept. 1764. Anno VII.

Assertionum non sine universali scandalo laudabatur, eumque monet ut Pastoralem ipsam revocet.

Venerabili Fratri Jacobo
Episcopo Andegavensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Dolet de Pastorali Epistola ab hoc Episcopo conscripta non sine magno cunctorum bonorum scandalo, et offensione.

§. 1. Lecta Pastorali Epistola, quam ante hos septemdecim menses edidit Fraternitas tua, magnum moerorem cepimus, quod a recta via, in qua bene currebas, ad devias semitas videreris esse transgressus. Et Nostram quidem aegritudinem spes quaedam leniebat, futurum ut clamoribus Ecclesiae percussus ad rectos Episcoporum Collegarum tuorum sensus, unde digressus fueras, aliquando revertere. Sed quoniam voces illae ad aures tuas videntur non pervenisse, Fraternitati tuae tandem scribere constituimus, ut per os Nostrum intelligas, quae admiratio Epistolae tuae, atque etiam tui, in gravissima re a fallacibus hominibus fortasse decepti, et bonos omnes caeperit miseratio. Has autem literas Nostras te in bonam partem confidimus accepturum, dicente scriptura » *Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correctus* » *Et* » *qui rectus est, corrigit viam suam* » Ad hoc salutare tui commonendi officium Nos impellit tum ipsa charitas Nostra, quam tibi Episcopatus necessitudine Nobiscum praecipue conjuncto debemus eximiam, tum potissimum regendae universalis Ecclesiae munus divinitus Nobis impositum; cui putaremus magna cum animae Nostrae pernicie deesse, si te non bene incedentem taciti spectaremus.

Eo autem injuriosa habenda est Pastoralis illa, in qua Episcopus hic pernegat, quae fuerat prius solemniter professus.

§. 2. Ac primum quidem quod inter Episcopos numerabare, qui raptam ad Tribunal, quo fas non erat duci veritatem, ac pene obrutam apud Regem Xmum defenderunt, gaudebamus, te in partem ejus laudis venisse, quam praeclari illi Antistites apud Ecclesiam universam retulerunt. Nunc post editam Pastoralem illam Epistolam tuam (quod dolenter audimus) mirantur omnes, hanc tuam agendi rationem, quod idem nunc sciens, et prudens solemniter neges, quod haud ita pridem, causa cognita, sciens itidem, et prudens solemniter affirmaveras.

Famosus Assertionum liber laudandus non est quia jam publice innotuerat Sanctae Sedis improbatione, eum universo aliorum Episcoporum assensu.

§. 3. Deinde famosus Assertionum liber ab iis consarcinatus, qui Ecclesiae sunt a multo tempore infensi, adeo tibi probatur, ut bene ut egregie factum praedices, quod ad primarios Pastores fuerit transmissus. Quo tamen nibil Episcopis injuriosius, quibus quodammodo vel socordia exprobatur, vel ignorantia. Atqui non eras nescius, jam ab Apostolica sede, et a Gallicanis Episcopis, pravas in doctrina morum propositiones jamdiu fuisse proscriptas. Factum illud eo minus decuit a te laudari, tum quod Nobis, et Episcopis inconsultis, de rebus quodammodo praejudicatum fuerit, quae ad Ecclesiae tantummodo judicium pertinent, tum quod etiam contra quam iisdem Episcopis visum fuerit, et rationibus potissimum ex famoso illo Assertionum libro petitis, Clerici Regulares Soc. Jesu in isto Regno fuerunt extincti. Huc accedit, quod propositiones omnes ad immensam molem in eo libro coacervatas videris nullo delectu, nullo adhibito discrimine reprobare, eorum omnium ex improviso immemor factus es, quae in eo libro gravissime repraehendenda ab Episcopis Collegis tuis acceperas, qui in eumdem Assertionum librum conqueruntur esse conjectas nonnullas opiniones in scolis communes, quasdam etiam, quas fere innumeri sequuntur Teologi, et Juris utriusque consulti; tum quod deterrimum est, quasdam in erroribus numerari, quas inter theologos omnes constat esse verissimas. Propter hanc tuam inconstantiam, qua te ab Episcopis bene sentientibus segregasti, et ob tuam omnem in hac re agendi rationem vix credas, populo tuo quantum objeceris scandalum, quod ut quamprimum removeas, te in Domino rogamus, et obsecramus.

Hortatur Episcopum hunc ut pedem retrahat ab minus recta semita, et Divino lumine collustratus,

§. 4. Nos quidem primum Dei misericordia confisi, quem impensissime precamur, te ut divina luce sua collustret, suaeque gratiae minime permoveat; deinde certiores facti a Christianissimo Rege, perfacilem ad Episcoporum Gallicanorum animos patere aditum

...iora re... t consi...

monitionibus Nostris, nondum ex hac Sacra B. Petri Sede tollere voluimus Apostolicam vocem, cum praeterea Spiritus Sanctus Nos moneat « *Corripe proximum antequam commineris* » Quod si Nostris hisce adhortationibus, quas testis est Deus ex amore erga te Nostro unice proficisci, te, quod in Domino confidimus, commoveri contingat, non tam tui causa, quam etiam Nostri gaudebimus, quod inde pedem retuleris, quo te progressum non oportebat; nec Nobis ea capere opus erit consilia, quae a lenitate Nostra, ipsa Apostolici officii Nostri necessitas extorquebit. Tibique, Ven. Frater, Nostrae erga te benevolentiae testem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Septembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXXVI.

...at. die 26. ...pt. 1764. ...nn. VII.

Clericis Regularibus Ordinis Ministrantium infirmis conceditur, quod omnes indistincte illius Professores sustentari valeant ex eleemosynis, et redditibus perpetuis.

Hanc Clericorum Regularium Congregationem approbavit Sixtus V. Constitutione anni 1586 *Martii* 18; *itemque habitum peculiarem Clericis ipsis assignavit Pontifex idem Constitutione altera Anni ejusdem Julii* 26. *Regulas hujus Congregationis approbavit Gregorius XIV cum gratiarum, et privilegiorum concessione Constitutione anni* 1591 *Sept.* 21. *Regulas ipsas reformavit pro Clericis istis in Hospitalibus, et extra eos degentibus Clemens VIII. Constitutione anni* 1600 *Decemb.* 29. *quae omnes impressae leguntur in Bullario Mainardii.*

Clemens Episcopus.

Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

...jus Regularis Ordinis ...audes, et ...onstans S. ...edis desiderium eidem gratificandi.

§. 1. Inter plurima, et egregia Christianae charitatis opera, Regularibus specialibus attributa Ordinibus, quae Catholicam undique illustrant Ecclesiam, id nimirum fidelibus dum formidabile instat momentum, a quo pendet aeternitas, spiritualia omnia praestandi auxilia prae caeteris eximium, magisque opportunum recensetur. Ut itaque de procuranda animarum salute adeo benemerens institutio alacrius, liberiusque in proposito perseveret, ejusque Professores temporalibus, quae ipsis suppeditantur subsidiis, quovis sublato discrimine, perfruantur, auctoritatis Nostrae vim praebere non omittimus prout in Domino amplius expedire arbitramur.

Recensentur hujus Ordinis institutiones, Pontificiis Constitutionibus approbatae, vel declaratae.

§. 2. Alias siquidem fel. rec. Gregorius Papa XIV. praedecessor Noster dum Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, quorum Ordo tunc primitus erat institutus, propositam illius alumnis vivendi formulam, Apostolicae Sedis auctoritate confirmavit, in ea formula ita paupertatis observantia interpraetata fuit, ut esset Religiosorum paupertas mendicantium eorum, qui nec singuli, nec universi fructus ullos ac redditus capiunt, quae vero necessaria essent ea ex humili exercitio ostiatim mendicando, vel ex eleemosynis fidelium sponte oblatis compararentur. Praeterea Clemens Papa VIII. etiam praedecessor Noster in suis Apostolicis literis sub datum anno Incarnationis Dominicae MDC. quarto Kalendas Januarii, Pontificatus sui anno nono, quibus Ordinem dictorum Clericorum Regularium infirmis ministrantium denuo approbavit, expresse statuit, eumdem Ordinem capacem fore dominii omnium bonorum stabilium, censuum, redditum, legatorum, et aliarum subventionum tam temporalium, quam perpetuarum, quae donatione, testamento, vel quoquomodo relicta fuerint, ad effectum tamen eadem bona applicandi pro sustentatione, et manutentione Novitiatuum, et generalium Valetudinariorum, ac etiam particularium, eleemosynae nomine si necessitas flagitabit, dummodo domus professae de eleemosynis viverent. Ac demum Urbanus Papa VIII. praedecessor itidem Noster per suas quoque literas sub datum anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII. undecimo kalendas Februarii Pontificatus sui anno primo, concessit quod ejusdem Ordinis No-

vitii ad Sacerdotium destinati, post emissam ab eis solemnem professionem quousque Presbyteri ordinarentur, in Novitiatuum, aut aliis a Professorum distinctis domibus permanere, ibique non obstante paupertatis voto, ex redditibus, et proventibus perpetuis earumdem domorum ali possent, prout in singulis literis praefatis plenius respective continetur.

Exponitur methodus deinde introducta pro Novitiorum, et Professorum sustentatione.

§. 3. Cum autem sicut exhibitae Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Gabrielis Marin de Moya moderni ejusdem Ordinis Praefecti Generalis, illiusque Consultorum, et Sociorum preces se habebant, ex quadam communi alias laudabile vivendi methodo, ac rerum temporalium vicissitudine, ita cogente factum fuerit, ut domorum omnium superiores, etsi in eis Professores degerent, indiscriminatim ex eleemosynis, et Ordinis redditibus alimoniae professorum, cunctisque domorum exigentiis consuluerint. Et quamvis id bona ut dicitur fide peractum fuisse non dubitetur, sive quia nullum distinctum Valetudinarium generale hactenus erectum fuerit, sive quia in singulis domibus senes inhabiles, et valetudinarii cum habilibus valetudinariis mansere, sive quia in literis praedicti Gregorii praedecessoris, ab eodem Clemente etiam praedecessore confirmatis, Praefecto, et Sociis dicti Ordinis permissum fuit, quod bona quaecumque pro domorum, vel oratoriorum, vel personarum inibi commorantium sustentatione per Christifideles donata, relicta, et legata eo ipso Apostolica auctoritate perpetuo applicata, et appropriata censerentur, sive quia quandoque ex aliorum praedecessorum Nostrorum liberalitate, et providentia nonnullis ipsius Ordinis Professorum domibus perpetui redditus, et proventus assignati fuere, sive quia in aliquibus locis ea conditione domus erigendi datum fuit, ut futuri earum alumni a publico saltem eleemosynarum quaestu se abstinerent, adeoque ea praxis consulendi Professorum sustentationi ex eleemosynis, et redditibus perpetuis, pia fidelium largitione relictis, vel donatis a Superioribus Generalibus, et Provincialibus, nec non Visitatoribus minime improbata fuit.

Preces pro directae pro Apostolica dispensatione, quoties praecedentes Pontificiae Constitutiones male forte tasse fuerint interpretatae.

§. 4. Nihilominus ad submovendam omnem dubietatis occasionem, quae ex praedictis Clementis, et Urbani praedecessorum dispositionibus merito oriri potest, nec non consulendum eorum conscientiae tranquillitati, pro parte Gabrielis, et Consultorum, ac Sociorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praevia absolutione a quovis reatu ex praemissis contracto, Ordini praedicto, qui juxta easdem Clementis, et Urbani literas, ut praefertur, capax dignoscitur perpetuorum reddituum, concedere dignaremur, ut ex iis, et eleemosynis indistincte illius Novitii, et Professores, tum nondum promoti, quam Presbyteri, nec non Laici sustentari valerent.

Pontifex remittit, et sanat quamcumque minus rectam interpretationem hucusque factam.

§. 5. Nos igitur ejusdem Gabrielis, et Consultorum, Sociorumque praedictorum votis obsecundare nimis congruum existimantes, et ad consulendum eorum, et totius Ordinis, ejusque Professorum conscientiae tranquillitati, utque illius Professores, absque assiduo eleemosynas emendicandi onere, alacriores, magisque prompti sint in exercendis erga pauperes, et infirmos pietatis et charitatis operibus, prout eorum postulat instituti ratio, supplicationibus hujusmodi benigne inclinati, eumdem Gabrielem, et Consultores, ac Socios, omnesque, et singulos ipsius Ordinis Professores, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa, ac etiam ob praemissa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum, ac etiam a quovis reatu, et culpa praemissorum causa quomodolibet contracta, harum serie absolvimus, eisque, et eorum singulis poenas quomodolibet incursas, penitus, et omnino remittimus, et plenarie condonamus.

Insuperque indulget ut in posterum ex redditibus bonorum stabilium, et eleemosynis omnes indiscriminatim hujus Ordinis ali, et sustentari valeant.

§. 6. Porro eumdem Ordinem, qui juxta enunciatas dictorum Clementis, et Urbani praedecessorum literas pro Novitiatuum, et Valetudinariorum ac etiam Professorum usque dum ad Presbyteratum promoveantur sustentatione, et manutentione capax est omnium bonorum stabilium, censuum, reddituum,

legatorum, aliarumque subventionum tam ad tempus, quam in perpetuum quoquomodo relictorum, et donatorum eodem prorsus dominio, tam ratione ipsorum bonorum, ut praefertur relictorum et donatorum, quam deinceps relinquendorum, et donandorum pro omnium indistincte Professorum, sive Sacerdotes sint, sive Laici, nec non omnium tam praesentium, et futurarum domorum, earumque stabilium, et Ecclesiarum sustentatione, et manutentione. Ita quod omnes, et singuli Professores ipsius Ordinis ex eleemosynis eque, ac redditibus, et proventibus perpetuis bonorum Ordini ipsi quocumque modo relictorum, et donatorum, seu relinquendorum, et donandorum, servato tamen paupertatis voto, juxta Concilii Tridentini decreta, sustentari valeant, capacem esse, et fore declaramus, et quatenus opus sit capacitatem hujusmodi ad praemissum effectum perpetuis futuris temporibus de Apostolicae potestatis plenitudine plenarie concedimus, et indulgemus. Et nihilominus omnia, et singula privilegia, gratias, exemptiones, praerogativas, immunitates Ordini ipsi per dictum Gregorium, aliosque Romanos Pontifices praedecessores Nostros, praecipue communicationes omnium privilegiorum cum ordinibus mendicantibus concessa salva, et illesa esse, et fore statuimus, atque iterum Ordinis primodicti favore confirmamus, et approbamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes, praesentes Nostras literas, et in eis contenta nullo umquam tempore sub ullis similium, vel dissimilium dispositionum, et gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore emanandis compraehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties eas revocari, alterari, limitari, vel derogari contingat toties in pristinum, et eum, in quo ante praemissa erant statum restitutas, et de novo concessas esse, et fore. Et ita per quoscumque Judices tam ordinaria, quam delegata auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, ac Sedis Apostolicae de latere Legatos, et Nuncios, et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate ubique locorum, et in quavis instantia judicari, censeri, et decidi debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus praedictis Gregorii, ac Urbani, et Clementis praedecessorum praedictorum, et aliis eorumdem praedecessorum Nostrorum constitutionibus, et ordinationibus, literisque Apostolicis, primodictique Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et similibus Apostolicis literis quibusvis personis in contrarium praemissorum per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores Nostros sub quibusvis etiam insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo pro tempore existentis Praefecti Generalis Ordinis primodicti munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae absolutionis, remissionis, condonationis, declarationis, concessionis, indulti, statuti, confirmationis, approbationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei auso temerario contraíre; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLXIV. IX. Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXXXVII.

Dat. die I. Oct. 1764. Anno VII.

Lingonensis Episcopi zelum commendat, quod firma voluntate, atque constantia restiterit auctoribus aerumnarum in Gallicis Regnis, Sacramque Eucharistiam denegaverit refragantibus contra Bullam Unigenitus.

Vide supra Epistolam hoc Tomo relatam sub num. CDXXVIII. pag. 887., et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Gilberto
Episcopo Lingonensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Approbat Pontifex quae ab hoc Episcopo gesta sunt juxta praescriptum Enciclycae Benedicti XIV super observantia Constitutionis UNIGENITUS.

§. 1. Vehementer laetati sumus, cum intelleximus, Fraternitatem tuam suspicionem omnem ex animo expulisse, ac persuasisse per tuam, tuorumque Collegarum, qui bene sentiunt, agendi rationem Nobis probatam semper fuisse, et probari, qui in ministrando Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti fel. rec. Benedicti XIV. sequutus Enciclycam, quam et ipsi confirmavimus notorie refragantibus Constitutioni Unigenitus semper existimaveris divinum illud pabulum denegandum, parvumque putaveris eorum consilium, qui pacis studium praetexentes, non dubitant falsam reipublicae tranquillitatem indigna Augustissimi Corporis Christi profanatione coemere.

Laudat illius zelum, atque constantiam Episcopo vere dignam, et qua tantummodo Religionis res protueri possunt.

§. 2. Satis perspectum habemus, quanto Dei zelo flagrantem, et Apostolicae Sedis obedientiam animum geras, qui tuus sit in Ecclesiam amor: qui denique ex tot tantisque ab his annis quindecim S. Matri illatis injuriis cordi tuo haereat dolor. Novimus, Fraternitatem tuam ab iis longissime abesse, qui medios se gerendo neque Ecclesiae sibi gratiam parant, cui non eam omnem operam navant, quam eos Episcopale munus efflagitat, neque odium devitabunt hostium Ecclesiae, quibus erit semper invisus quisquis animum non inducat cum illis omnino furere: ejusmodi Episcopos, qui se ad tempora inclinant, et media incedentes via, tueri volunt Ecclesiam, vel parum firmos in fide, vel in Ecclesia turpem quaestum sibi quaerere Gregorius Theologus judicabat. Itaque simplicitatem animi tui, ab humanis saeculi artibus abhorrentem, tum impavidum pectus, et Episcopalem constantiam magnopere amamus. Ex praeclara illa Epistola, quam a Fraternitate tua in ipso Nostri Pontificatus exordio accepimus, jam tum conjecturam fecimus, inter caeteras virtutes, quibus emines Episcopo dignas, illam maxime praestare, qua fidem nullo cujusquam respectu constantissime defendendam suscepisti.

Sancta Sedes numquam omisit consilia praebere Episcopis, eisque sequendam semitam indicare.

§. 3. Quod autem ante hos tres annos scripsisse te intelleximus, interpositam esse inter Nos, et vos quamdam veluti nebulam, cujus interjectu neque vos amplius exploratum habere quid ipsi de novatorum hujus temporis sententiamus erroribus, nec Nobis satis esse cognitos sensus vestros; veritatisque hostes jactare in vulgus, Nos tandem apertis oculis animadvertisse quam sint praedecessorum Nostrorum decreta adversus Bajum, Jansenium, et Quesnellum vel Ecclesiae perniciosa, vel inutilia, satis eam nebulam disjectam putamus pluribus Nostris literis, quas superiore Nostri Pontificatus anno ad complures tui similes egregios Episcopos dedimus. In iis enim literis, et omnimodam Constitutioni Unigenitus deberi obedientiam, et qui illi notorie refragantur, ab Eucharistiae Sacramento prohibendos esse diserte declaravimus; atque ita impudentissimam Nobis, et Ecclesiae Romanae temere impactam calumniam repulimus. Interea Deo gratulamur, qui longaevam tibi prosperrimamque tribuit senectutem, ut diutius in hac vita certans in propugnanda vera fide bonum certamen, gloriosiorem, consummato cursu, recipias in futuro saeculo coronam, quam iis repromisit qui ascenderint ex adverso, murumque opposuerint, ut starent in die praelii pro Domo Domini. Æterni hujus praemii auspicem Fraternitati tuae, quam in visceribus gerimus charitatis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die

XXXI. Octobris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXXVIII.

t. die 4. v. 1764. no VII.

De eodem argumento agit cum Episcopo Sarlatensi, et Apostolicam Sedem vindicat ab injuriosa incusatione, quod ipsa neglexerit animi sensus patefacere contra injuriosas Ecclesiae novationes inductas.

Vide Epistolam praecedentem.

Venerabili Fratri Henrico Jacobo Episcopo Sarlatensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

piscopum norem fa- de recepta olixa nar- tione in- ravescen- m malo- n in Gal- ab anno que 1755.

§. 1. De misero Gallicanae Ecclesiae statu semel primo in universum, deinde iterum ac tertio singula ejus mala fere omnia recensens scripsit ad Nos literas, Fraternitas tua, quibus eo gravius commoti sumus, quod cum aliis complures Collegae tui, queribundi quidem, sed tamen plerique breviter summa miseriarum suarum capita attigerint, ipse singillatim prolixa narratione vestrarum Ecclesiarum aerumnas Nobis exposuisti. Et secunda quidem Epistola tua eorum, quae in Gallicana Ecclesia ab Anno MDCCLV. ad hanc diem gesta sunt, historiam complectitur, ac praesertim docet, quibus causis, et quo potissimum auctore perturbatae primum res sacrae apud vos, nunc denique in extremum sint deductae discrimen.

Janseni- arum insi- osis do- atibus a- t.

§. 2. De Enciclyca deinde fel. rec. praedecessoris Nostri Benedicti XIV. plura verba facis, Nostramque in hac perturbatione temporum agendi rationem non obscure Nobis innuis mollitiae quodammodo insimulari. Ad hanc partem hujus Epistolae tuae modo respondebimus. Nam tertiam Epistolam tuam nunc ne attingimus quidem. In ea enim plena manu nefaria Jansenianorum dogmata, et quae inde in totius Christianae Religionis perniciem profluxerunt, errores congessisti, omnesque impios praestigios, turpissimaque Convulsionistarum et Fanaticorum flagitia longo sermone persequeris, magis ut Nos commoveas, quam quod talium rerum quasi ignaros commonendos Nos esse arbitrere. Atrocia enim isthaec et impia et flagitiosa apud vos doceri novimus jamdudum et geri. Quas foeditates cum legeremus, in mentem Nobis venit, Jansenianorum per simulationem pietatis jactare se volentium in Ecclesia, quam graviter superbiam Deus perculerit, et pestilentissimae sectae conatus ad haec dedecora tandem rediisse permiserit, quasi dixerit Dominus » *Revelabo pudenda tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et Regnis ignominiam tuam* ».

Commemorat quae hic Episcopus perscripserat quoad contemptores Constitutionis UNIGENITUS, et Enciclycam Benedicti XIV.

§. 3. Sed ad memoratam Epistolam tuam secundam ut revertamur, de Enciclyca decessoris Nostri multa disseris, ac praeclare tandem concludis; in ea quicumque notorie Constitutioni *Unigenitus* refragentur, Sacramentis Ecclesiae indignos pronunciari; ac propterea (quae tua sunt verba) Epistolam Benedicti XIV. in se consideratam, ringentibus fidei inimicis, et amicis tolerantiae, tutelam esse Constitutionis *Unigenitus* triumphum fortium, infirmorum ignominiam, condemnationem refractariorum. » Nos idcirco eam confirmavimus; et ut omnem tolleremus dubitationem, quam veritatis hostes per summam in Nos injuriam injicere de veris animi Nostri sensibus conabantur, Catechismum Mesanguianum solemniter postea condemnavimus, quod ita aegre tulerunt, ut dolori suo non potuerint temperare, quin ea condemnatione Quesnellii librum novo ictu ab Apostolica Sede percussum, et Constitutionem *Unigenitus* novo robore munitam fuisse quiritaverint. Non est igitur, quamobrem tua Nos Fraternitas roget, quid de Jansenismo sentiamus.

Quas dederit instructiones cunctis in Gallia Antistitibus commemorat, ne videatur S. Sedem remedio vacua tot ingruentia mala reliquisse.

§. 4. Ad complures subinde Gallicanos Episcopos, qui de Ecclesiae vestrae calamitate literis suis ad Nos detulere querelas, ita dilucide et diserte quasi tuum, quod Nobis suggeris, praevertendo consilium, respondimus, ut omnis de Nostra, Romanaeque Ecclesiae in scitis suis firmitate, atque constantia, procul ab omnium animis abesse debeat

dubitatio: Constitutionem *Unigenitus* dogmaticum esse decretum cui debetur omnimoda obedientia: eidem Constitutioni notoriae refragantes, ab Augustissimo Eucharistiae Sacramento repellendos: qui temere, et impudenter affirment, Jansenismum inane esse phantasma, verumve figmentum, eos in Ecclesiam Dei esse injurios, et praedecessorum Nostrorum Apostolicis decretis petulanter illudere, quasi imaginarios errores proscripserint: in id primarios Pastores debere praecipuo studio incumbere, ut in suis Dioecesibus fideles moneantur, Nos praedecessorum Nostrorum decreta omnia tueri; ac praecipue Constitutionibus quae Baji, Jansenii, et Quesnellii errores condemnant omnem a fidelibus exigere obedientiam atque ad hunc modum in hac iniquitate temporum removendum censemus scandalum omne, quod veritatis hostes per varias adversus Nos obtrectationes, atque calumnias hactenus objecerunt, ut eos trahant ad suas partes, et Romanae Ecclesiae faciant infensos.

Quid perferendum, quid agendum ab Episcopis sit in gravi Religionis conditione memoriae revocat.

§. 5. Quid igitur ipsi sentiamus satis sciunt Gallicani Episcopi, quid sibi, suoque quisque Pastorali muneri debeant, itidem non ignorant. Si gravia sibi timeant, et atrocia, repetant animo, quid, quum Episcopalibus Mysteriis initiarentur, Deo promiserint, vitamque Pastoribus esse propositam, angorum, periculorumque plenam, paratamque ad asperrima quaeque preferenda pro Christo. Si qui eorum perpauci alio quam ad Dei gloriam, et incolumitatem Ecclesiae spectantes, quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Christi, qui in suis studiis corrupti, sequentes spiritum suum, seductionem cordis sui prophetant in Israel, populumque decipiunt et confidere faciunt in mendacio dicentes pax, et non est pax; pro iis Deum precamur, ut auferat ab eis spiritum hujus Mundi, compleatque cor eorum spiritu timoris Domini, qui per Prophetam minitabundus quondam Pastores Israel territabat » *Vae Pastoribus Israel qui pascebant semetipsos et gregem suum non pascebant. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam, ut ultra non pascant gregem meum* ».

Quant[a] Ecclesia [...] buerit c[...] mitatum [...] extincti[...] in toto G[al]liarum [Re]gno Societatis Jesu, c[um] dolore rec[or]datur.

§. 6. De Clericis Regularibus Societatis Jesu toto fere Galliarum Regno extinctis recte putas, Ven. Frater, in eorum calamitate Ecclesiam a suis hostibus accepisse gravissimam plagam. Procliviorem sibi fore viam existimarunt ad Ecclesiam Catholicam excindendam, si eam Societatem veluti munimentum suis conatibus oppositum funditus evertissent » *aperuerunt super eam os suum omnes inimici ejus: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: devorabimus: en ista dies, quam expectabamus: invenimus; vidimus;* » et tamen patitur propter peccata nostra Deus iratus hunc inimicorum suorum triumphum: vide omnem furorem et universas cogitationes eorum adversus eam: labia illi insurgentium et meditationes eorum adversus eam tota die: sessionem eorum, et resurrectionem eorum videt, factamque illam videt eorum Psalmum, bonis omnibus interea complorantibus. Judicia Tua Domine abyssus multa.

De nu[per] evulgato [li]bro Asse[r]tionum [a]git, quem [ab] Janse[nia]stis consar[ci]natum fu[isse] condolet.

§. 7. Haec dum scriberemus reddita est Nobis alia Epistola tua, data die XIV. elapsi Mensis Octobris, in qua fuse disseris de famoso libro Assertionum, quem plurimi Episcopi, itidem ut Fraternitas tua uno ore clamitant, ab infidelibus Jansenianorum manibus dolose consarcinatum, multas propositiones complecti, quarum partim sunt in scholis communes, partim fere innumeros sectatores habent Theologos, et utriusque Juris Consultos, partim etiam sunt apud Theologos omnes sine ulla controversia verissimae. Nos praeterea inhorruimus, perditissimam sectam, nullum ad animarum perniciem quam ille liber afferre potest, habuisse respectum; et dum suum adversus Societatem Jesu dolorem ulcisceretur, non esse veritam fidelium oculis tam foedam propositionum congeriem vernacula lingua exponere, quas oportebat in tenebris, in quibus jacebant, perpetuo delitescere. Magnum enim scandalum simplicioribus Hominibus offert notitia, fuisse in Ecclesia Doctores, qui pravas ejusmodi doctrinas tradiderint. Sed non animarum salutem Janseniani curant: id volunt quovis periculo, ut apud omnes, Clericorum Societatis Jesu obteratur existimatio.

Hunc hor[ta]tur Episcopum ut

§. 8. Reliquum est, ut te Venerabilis Frater, tuumque zelum, quod magnopere faci-

...zelo per-...at, et in ...a con-...tia ad-...us peri-...i mittan- mus, laudemus firmitudinem certe animi tui, et in tuenda veritate nullo cujusquam respectu Episcopalem libertatem maxime amamus; idque vehementer cupimus, ut omnes Episcopi esse velint similes tui, et quod polliceris nullo periculo deterritum te facturum propediem, instructionibus evulgandis, populos quisque suos de erroribus moneant, quos veritatis inimici per incredibiles fraudes, et dolos in Ecclesia Dei nunc maxime student disseminare. Et Fraternitati tuae, quam praecipua charitate complectimur, omni cordis Nostri intimo affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Decima quarta Novembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXXXIX.

...die 14. ... 1764. ...o VII.

De eodem argumento agunt praesentes literae Archiepiscopo Turonensi directae.

Vide Epistolam superiorem, et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Henrico
Archiepiscopo Turonensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Jansenia-...sectae ...estigiis, et ...idibus re-...enda sunt ...entia ma-...ontra Re-...onem in ...liis.

§. 1. Quod complures alii fecerunt Gallicani Episcopi, Fraternitas quoque tua deplorare apud Nos voluit clades, quibus per hos decem annos prolapsa Gallicana Ecclesia ne ad interitum ruat nunc maxime pertimescimus. Et omnium quidem vestrorum, culpam aerumnarum merito in Jansenianam haeresim confers. Quis enim est rerum hujus temporis tam imperitus, qui nesciat, perfidissimae sectae praestigiis, fraudibus, ac dolis corruptam apud vos esse Catholicae fidei integritatem, Ecclesiae divinam potestatem proculcatam, ac pene protritam, Episcopis servitutis jugum impositum, deleta fere omnia jura Ecclesiasticae disciplinae, sacros Ministros, qui sancta Mysteria fideliter dispensare voluerint, atrociter divexatos, Societatem Jesu in Gallia fere omni deletam, et ab ea extinguenda ad Ecclesiam, si fieri posset, et Sedem Apostolicam excindendam, Jansenianorum auspicatos esse furores, quam nefariis consiliis suis maximo esse impedimento perspexerant.

Ab ipsa Janseniana secta derivasse censendum est in Clericos Societatis Jesu nefariam proscriptionem.

§. 2. Et nunc gloriabundi sibi invicem gratulantur propositi sui tandem evasisse victores, et quod boni omnes Ecclesiae filii dolent, id illi impotenti laetitia gestiunt, eam Societatem; quae adversus quosque veritatis hostes, ac praesertim contra hujus aetatis novatores adeo strenue pugnavit pro Catholica fide, misere profligatam, sacra ejus vota impie proculcata et interdicta, ejus Instituti pietatem, sacrilegis dicteriis, et maledictis proscissam; qui illud Institutum profitebantur partim solum vertere coactos, partim in suae ipsorum Patriae sinu ad peregrinitatem redactos, a sacris functionibus amotos, et suo spoliatos propemodum sacerdotio, hac, et illac vagos, egenos, et inopes, triste omnibus Ecclesiae filiis, haereticorum vero crudelibus oculis jucundum praebere spectaculum.

Janseniani cum Calvinianis conjuncti cuncta moliuntur, adeoque Episcopali opus est firmitate ad eorum impetum comprimendum.

§. 3. Haec sunt Jansenianae haeresis palmae, bisque gloriosiores relaturas sibi blanditur, nisi Nos Deus aliquando respiciat « *Ova Aspidum ruperunt, et quod confotum est, erumpet in regulum:* » et nunc videmur perfidissimam sectam videre extenta manu Calvinianam germanam sororem suam nutu appellare, secura ut in istud redeat Regnum, quod Deus Ecclesiae suae tandem miseratus probibeat, et vero prohibebit, qui super muros Jerusalem tam egregios Episcopos tui similes, Ven. Frater, custodes constituit, qui spiritu sapientiae et fortitudinis, plene, nullisque perterrefacti periculis, tota die ac nocte non tacebitis. Quamobrem instructionem istam tuam, quam te paratam habere scribis, ne patiaris diutius ab Ecclesia desiderari. Fecere id alii VV. Fratres Collegae tui. Nec aliter in hac iniquitate temporum defendi posse existimamus Catholicam fidem, quam si in suis quisque vestrum Dioecesibus, libertate Sacerdotali, populum doceat, quanto se scelere adstringat, qui Constitutioni Unigenitus re-

fragando, Ecclesiae auctoritatem contemnit; et qui notorie eidem dogmatico decreto resistit, indignum esse quem faciatis divinorum Mysteriorum participem. Quod scribis ad tuendam in hac tanta perturbatione temporum Catholicam fidem, magna opus esse Episcoporum consensione, et firma concordia, nec quemquam melius quam Nos eam posse conglutinare, id sedulo fecimus, cum ad plurium Coepiscoporum istius Regni literas respondendo, eorum pietatem, Dei Zelo, et fidei custodiendae studium excitavimus, nec ullam occasionem praeterire patiemur, quin eos ad concordiam inter se, et cum hac Sacra B. Petri Sede conjunctionem, a qua novatores eos student avellere, adhortemur.

Hunc Archiepiscopum hortatur ut in proposito suae evulgandae Pastorali persistat ad Galliarum Episcopos in unitate, et concordia confirmandos.

§. 4. Te vero Ven. Frater, quem ea Sede, quam B. Martinus obtinuit, dignissimum esse singulares probant virtutes tuae, egregia pietas, salutis animarum tuae fidei commissarum flagrantissimum studium, et cura praecipua, tum in defendenda Catholica fide, tuendisque Ecclesiae divinis juribus invicta constantia, ut tamquam expressum Catholici Episcopi intuemur exemplar, sic omnibus te cumulabimus laudibus, si Pastorali tua evulganda, tuarum Episcopalium virtutum novum exhibueris documentum. Et Fraternitati tuae, quam in visceribus gerimus charitatis, Apostolicam benedictionem intimo Nostri cordis affectu peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIV. Novembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXL.

Dat. die 20. Nov. 1764. Ann. VII.

Confirmatio literarum Urbani VIII. et Innocentii XI. nec non Sententiae Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum, quoad Officium Procuratorum Generalium Provinciarum in Hispaniis, et Indiis, et quoad Religiosos ex Hispanicis Provinciis ad Regiam Aulam Matriti se se conferentes pro agendis Propinquorum, vel Conjunctorum negociis.

Constitutio Innocentii XI. diei 17. Junii 1679. qua confirmantur literae in forma Brevis Urbani VIII. dierum 28. Julii 1636., et 10. Decembris 1642. quoad Religiosos ex Hispanicis Provinciis ad Regiam Aulam Matriti accedentes, nec non tempus, et loca illorum immorationis, habetur impressa in Bullario Mainardi, ubi relatae pariter sunt praedictae duo literae Urbani VIII.; at literae praelaudati Urbani diei 5. Octobris 1643. quibus facultas tribuitur Ministro Generali, et Commissario Generali prorogandi tempus habitationis praedictorum exterorum Religiosorum, non reperiuntur in Mainardiana Collectione, ubi pariter desiderantur literae Innocentii XI. diei 7. Novembris 1679. quibus praecedentes Urbani VIII. confirmantur quoad dictam facultatem tributam Ministro, et Commissario Generalibus hujus Ordinis.

Clemens Papa XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Urbanus VIII. praescripserat quod Religiosi hujus Ordinis ad Aulam Regiam Matriti se se conferentes statuto tempore dumtaxat diversare possent in Conventibus Sancti Ægidii, et S. Bernardini.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Lutre Frater expresse professus, et Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum quod alias felic. record. Urbanus VIII. praedecessor Noster, per suas in simili forma Brevis expeditas literas die XXVIII. Julii anno MDCXXXVI. Motu proprio, et ex certa scientia Fratribus Discalceatis cujusvis Provinciae Hispaniarum dicti Ordinis, qui pro tempore de Superiorum suorum licentia, se conferrent ad Aulam Regiam Matriti pro rebus, et negociis suis gerendis, praecepit, ne in alia quam S. Aegidii et S. Bernardini Domibus Regularibus ejusdem Ordinis, et Instituti in Oppido Matriti, Civitate nuncupato, Toletanae Dioecesis existentibus, arbitrio Ministri Provincialis Provinciae S. Josephi eorumdem Fratrum, diversarentur. Cum vero postmodum existens Minister Generalis dicti Ordinis Frater Joannes Merinero, inter alia statuerit, ac ordinaverit, quod Religiosi Discalceati exteri aliarum Provinciarum, qui in dies pro suis, ac suorum Parentum, seu Consanguineorum negociis, ad Curiam Matritensem se conferrent, si negocia non admodum ur-

gentia fuissent, per biduum tantum in alterutra ex dictis Regularibus Domibus Matriti commorari; si vero urgentia fuissent, moram viginti dierum ibidem trahere respective valerent; si denique intra viginti dies negocia hujusmodi nullatenus expediri possent, deberent nihilominus iidem exteri Fratres e dicta Curia migrare, et ad suas regredi Provincias, relicta negociorum cura Procuratori praefato Conventus S. Aegidii.

inde i-m Urbas VIII. ario Ministri Generali, vel Commissarii Generalis relifit praefiendi tempus, quo in praefatis conventibus mmorare ssent exteri ligiosi Matriti accentes.

§. 2. Statuta, et Ordinationes hujusmodi idem Urbanus praedecessor Noster confirmavit, et approbavit, prout in aliis in dicta forma Brevis expeditis literis die X. Decembris MDCXLII. uberius continetur. Sed exortis deinde discordiis, et litibus super enunciatis Statutis, et Ordinibus inter dictam Provinciam S. Josephi ex una, caeterasque Discalceatorum ejusdem Ordinis Provincias ex altera partibus, eo quia in tam brevi temporis spatio Fratres Discalceati exteri commorantes Matriti in altera ex dictis duabus domibus, non poterant negocia expedire, pro his dirimendis litibus, et controversiis ad preces tunc existentis Ministri Generalis, idem Urbanus praedecessor Noster, per alias suas literas in simili forma Brevis datas die 5. Octobris MDCXLIII, declaravit, quod per praefatam Statutorum, et Ordinum confirmationem, sublata non fuisset nec esset facultas Ministro, et Commissario Generalibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, quominus ipsi in praefatis dispensare possent ipsorumque Ministri, et Commissarii Generalium dispositioni commisit, et reliquit, ut pro temporum varietate, rerum exigentia, bonoque regimine cum opus fuerit, super praemissis dispensarent, et prout plenius in dictis literis contineri dignoscitur.

Innocentius XI. dum Urbani VIII. literas confirmavit nullam fecit mentionem de superiori facultate Ministro Generali, et Commissario Generali indulta.

§. 3. Instantibus deinde Fratribus praefatae Provinciae S. Josephi, ac humiliter supplicantibus fel. rec. Innocentius Papa XI. itidem praedecessor Noster per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas die XVII. Decembris MDCCLXXIX, primo, et secundo super enunciatas dicti Urbani praedecessoris literas, earum tenoribus insertis, confirmavit, et approbavit, nulla penitus facta mentione ultimo dictae declarationis dictarum literarum ejusdem Urbani praedecessoris expeditarum sub die V. Octobris MDCXLIII. Quocirca ad praecavendas novas lites, ac controversias, quae sine dubio, inter Provincias praefatas exoriturae timebantur, ad supplicationem Fratris Petri Exporrin, tunc in Romana Curia existentis Procuratoris Generalis dicti Ordinis, idem Innocentius praedecessor per alias desuper in simili forma Brevis expeditas literas die VII. Nov. MDCLXXIX, declarationem, in ultimo dictis literis Urbani contentam, renovavit, eamque ab omnibus, ad quos spectaret, servari voluit, sicut in iisdem Innocentii praedecessoris posterioribus literis plenius habetur.

Dissidia subinde orta ex arbitraria destinatione Procuratoris Generalis, qui cunctarum Provinciarum in Hispaniis negocia Matriti agerent.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, non obstantibus praemissis, Fratres dictae Provinciae Sancti Josephi dicti Ordinis ausi postmodum fuerint unum ex ipsis constituere Procuratorem Generalem omnium negociorum caeterarum Provinciarum Discalceatorum in Aula Regia Matritensi, cui ab aliis Provinciis praefatis committenda esse negocia contendebant, orta idcirco fuit lis, et causa universalis inter dictam Provinciam S. Josephi ex una, caeterasque Provincias Discalceatorum ejusdem Ordinis ex altera partibus coram tunc existente Ministro Generale dicti Ordinis Fratre Joanne Vermexo, qui suam in varia capita distinctam protulit definitivam Sententiam, cujus quatuor praecipua capita sunt tenoris qui sequitur, videlicet ».

Tenor Sententiae Ministri Generalis, qua de enatis dissidiis jus dicitur in posterum servandum.

» Christi nomine invocato. In causa, et causis, quae coram Nobis versae fuerunt, et vertuntur inter Fratrem Bernardum a S. Maria Procuratorem Nostrae Provinciae S. Josephi ex una, et Procuratores diversarum Provinciarum Discalceatorum Hispaniae, et Indiarum ex altera partibus, praevia consultatione, et consilio nonnullorum Patrum graviorum in Ordine pro exacta dictae causae, et causarum definitione, per sequentia procedimus separata capita, videlicet » I. Quoad subsistentiam, et validitatem officii Procurae Generalis, seu de Aula Regia, nomine omnium Nostrarum Provinciarum Discalceatorum horum Regnorum Hispaniae, et Indiarum, quam suo officio Procuratoris Nostri Conventus S. Ægidii infixam, et consolidatam

contendit Frater Bernardinus a S. Maria, vigore literarum Patentium sibi collatarum a R. P. F. Didaco a Portuplano Ministro Provinciali hujus Nostrae Provinciae S. Josephi et ea de causa ipsum Fratrem Bernardum esse personam legitimam pro tractandis omnibus causis, et negociis dictarum Nostrarum Provinciarum, tam agendo, quam defendendo, nec ad id indigere procura speciali, declaramus hac in parte Fratrem Josephum Torrubia, et Fratrem Emanuelem a Jesu Maria successorem Fratris Bernardi a Trinitate, nomine quinque Provinciarum Discalceatorum Hispaniae, et Indiarum, pro quibus agunt, rite ac recte suam intentionem ac incumbentia probasse, et pro probatis admittimus, dictum vero Bernardum a S. Maria nomine suo, et dictae Nostrae Provinciae S. Josephi, hac in parte sibi incumbentia non probasse, proindeque absolvimus dictas Nostras Provincias in hac causa comparentes ab impetitis per dictum Fratrem Bernardum a S. Maria, cui in hac parte perpetuum silentium imponimus, declarantes, ipsum non esse personam legitimam pro tractandis causis, et negociis Nostrarum Provinciarum, earumque Superiorum, et Religiosorum, tam agendo, quam deferendo, dictasque literas Patentes supradicti R. P. Fr. Didaci a Portuplano Ministri Provincialis Provinciae S. Josephi non fuisse, nec esse titulum habilem, legitimum, et de jure requisitum, ad legitimandam dicti Procuratoris personam, minusque vota consultiva Mediolanensis nuncupata, quia leges non sunt; Mandantes praeterea dicto Fratri Bernardo a Sancta Maria, sub poena privationis officii, actisque legitimis, ne a die intimationis hujus Nostrae Sententiae se nuncupare, aut nuncupari facere audeat, quovis sub praetextu, Procuratorem Generalem dictarum Nostrarum Provinciarum Discalceatorum, neque se immisceat, aut ingerat, sine speciali illarum Procura, in tractandis earum causis, et negociis, neque inquietet, aut perturbet Procuratores dictarum Provinciarum, libero usu earum Procurae, et Commissionum, quibus suffulti ad hanc Aulam accedunt; alias praeter processum contra ipsum ad ea, quae juris fuerint, irritum declarabitur, quidquid absque Procura agi contigerit. Mandamus quoque R. P. Fr. Didaco de Portuplano moderno Provinciali dictae Nostrae Provinciae S. Josephi ejusque in Officio Successoribus, nec non Patribus Diffinitorii, et Discretorii dictae Nostrae Provinciae, prout ad quemlibet illorum spectat, quod in posterum nullimode conferant literas Patentes tituli Procuratoris in Aula Regia, ad caeteras Provincias extensas; alias ultra declarationem nullitatis adversus contrafacientes, toto juris rigore procedemus; reservato tamen jure dictae Nostrae Provinciae S. Josephi, ut in tractandis suis negociis, jure sibi competente utatur, permittimusque ut Procurator, quem ipsa Provincia habuerit, tractare valeat tam agendo, quam definiendo quaecumque negocia quae a caeteris Discalceatorum Provinciis sibi committi contigerit, quo casu Commissionis specialis, in instantiis, et supplicibus libellis nuncupare se valeat Procuratorem illius Provinciae, a qua mandatum habuerit ». II. Quo vero ad Breve Apostolicum Motu-proprio a S. Memoriae Urbano VIII. expeditum Romae die XXVIII. Julii MDCXXXVI. confirmatum, et insertum in alio Brevi felic. record. Innocentii Papae XI. die XVII. Junii MDCLXXIX., cum illud expresse disponat, de Religiosis Discalceatis Provinciae Hispaniae ad Aulam Regiam accedentibus, pro suis rebus, negociisque tractandis; declaramus, eos praecise teneri ad hospitandum in altero ex duobus Conventibus, aut nimirum S. Ægidii, aut S. Bernardini juxta seriem, ac tenorem dicti Brevis nec hospitari posse in aliquo alio Conventu, minusque in Domibus saecularium, nisi ad id specialem habeant licentiam, seu indultum Apostolicum, aut alicujus ex Sacris Congregationibus, quod antea Nobis exhibere debeant, ut de illo constet; Nobis, Nostrisque successoribus reservantes declarationem casuum, in quibus pro gravitate negociorum, Ordini, aut eorum Provinciis comunium, magis expediat, seu necessaria sit commoratio alicujus, seu aliquorum Religiosorum Discalceatorum dictarum Provinciarum in hoc Conventu S. Francisci, prout a Nostris praedecessoribus inconcusse servatum est. — III. Pariter quoad aliud Breve ejusdem Urbani VIII. da-

tum die 10. Decembris 1642. confirmatorium statutorum conditorum a Reverendissimo P. Fr. Joanne Marinero praedecessore, et supradictum Breve Innocentii XI. datum praefata die 17. Junii 1679. in quo de verbo ad verbum inserta leguntur praefata Urbani Brevia, et Statuta, quae ibi denuo confirmantur ad instantiam Nostrae Provinciae S. Josephi, mature considerantes, quod dicta statuta, et Brevia edita sunt pro provinciis Hispaniae, et pro Fratribus Discalceatis exteris in dies accedentibus ad hanc Aulam Regiam pro suis, aut suorum Parentum, et Consanguineorum negociis, neque mentio eorum Religiosorum, qui aliquando accedunt, seu accedere possunt missi a suis Provinciis cum procurae mandatis, vel instructionibus pro comunibus earumdem Provinciarum negociis, declaramus, praefatos Religiosos, qui accedere solent, et in dies accedunt ad hanc Regiam Aulam pro suis particularibus negociis, aut suorum Parentum, vel Consanguineorum, in dictis Statutis, Brevibusque re ipsa comprachendi, proindeque hospitari debere in alterutro ex Conventibus S. Aegidii, et S. Bernardini, juxta formam, et tenorem pro tempore, ac sub poenis in iisdem Statutis, et Brevibus contentis, neque moram trahere posse ultra tempus ibi praescriptum, minusque aliquem Superiorem, dictorum duorum Conventuum, aut Provincialem Nostrae Provinciae S. Josephi, et quemlibet alium eos retinere, aut ut detineantur quovis sub praetextu permittere valere, alias incurrant ipso facto in poenas inibi expressas, etiam unica vice contravenientes; Nobis, Nostrisque successoribus reservantes facultatem, Nobis tantum competentem vigore alterius Brevis ejusdem Innocentii XI. incipientis *Alias nos etc.* sub datum 7. Novembr. 1679. ut dispensare possimus quoad tempus permanentiae cum hujusmodi Religiosis hospitibus ad hanc Regiam Aulam accedentibus pro suis negociis, prout expedire visum fuerit. — IV. Quo vero ad eos Religiosos Discalceatos Provinciarum Hispaniae huc accedentes, missos a suis respective Provinciis cum eorum mandatis, vel instructionibus pro communibus ipsarum, seu earum Conventuum negociis, declaramus non esse compraehensos in dictis Statutis, et Brevibus Apostolicis, proindeque, si quando contingat, sic missos a Provincia huc accedere, posse per se ipsos incipere, prosequi, et terminare negocia, juxta sibi mandata, et instructiones quas habeant, neque teneri ad servandam formam, temporisque praefixionem in dictis Statutis, et Brevibus praescriptas, minusque ad committenda negocia, pro quibus a suis Provinciis mittentur, Procuratori Provinciae S. Josephi, seu Procuratori Conventus S. Ægidii, nisi eaedem Hispaniarum Provinciae, in decursu causarum aliter determinaverint; peractis autem negociis sibi commissis, eos quoque ex tum compraehendi inter illos de quibus in dictis Statutis, et Brevibus disponitur, proindeque ad eorum exactam observantiam tunc teneri, et subjici, sub poenis ibi contentis. Specialiter quoque declaramus, quod Religiosi Discalceati exteri nullimode eleemosynas petere in hac Regia Aula, neque illis uti valeant directe, aut indirecte in praejudicium dictorum Conventuum S. Ægidii, et S. Bernardini: quin imo in hac parte mandamus, ut observentur statuta, et laudabiles consuetudines Discalceatorum, quoad territorium, et districtum Conventuum pro exactione eleemosynarum comunium. Et ita definitive pronunciamus, judicamus, atque mandamus. Matriti ex Cella habitationis Commissariorum Indiarum die 25. Febr. 1739. — Fr. Joannes Vermexo Minister Generalis — Fr. Bonagratia ab Alexandria Testis — Fr. Franciscus Martinez Testis — Fr Ignatius Arbiel Testis — Loco ✝ Signi — Ita est Fr. Melchior Marquez Pro-Secretarius Generalis Ordinis. »

A qua relata Sententia appellatione interposita causa delata est ad S. Congregationem Episcoporum, et Regularium et ibidem deserta.

§. 5. Appellatione vero interposita per Procuratorem dictae Provinciae S. Josephi, adversus eamdem sententiam, delata fuit lis, et causa contestata in secunda instantia coram VV. FFr. Nostris S. R. E. Cardinalibus, negociis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositis; ac licet quoad alia, et peculiaria capita lis ista fuerit continuata, et definita, in iis tamen quae praeinserta capita respiciebant, interposita appellatio, ut asseritur, deserta inde remansit, dictaque sententia plenam habuit, et omnimodam exequutionem. Praedictis omnibus tamen parvi-

pensis, nuperrime existens tunc Minister Provincialis dictae Provinciae S. Josephi, nonnulla contra expressum ejusdem sententiae tenorem innovare praesumpsit; quapropter reassumpta causae cognitione a dilecto filio Fr. Petro Joannettio de Molina, hodierno dicti Ordinis Ministro Generali, praefatam sententiam sui praedecessoris, dictus Petrus Joannettius de Molina Minister Generalis, quoad dicta capita in omnibus, et per omnia, et quibuscumque non obstantibus, exequi mandavit per suum definitivum Decretum, tenoris qui sequitur, videlicet.

Tenor Sententiae confirmatoriae praecedentis.

« Visis his actis a nostro Reverendissimo P. Ministro Generali Fr. Petro Joannettio de Molina, mandavit servari sententiam per Reverendissimum P. Fr. Joannem Vermexo suum praedecessorem die 25. Februarii 1739. latam, prout hactenus servata est, et RR. PP. Provincialis S. Josephi, Guardianus Regii Conventus S. Ægidii, aut quilibet, alius Religiosus subditus, dictae sententiae nullatenus contravenire praesumant sub poena excomunicationis majoris, et privationis officio respective. Ita decrevit, atque mandavit Paternitas sua Reverendissima. In hoc Conventu S. Francisci Matritensi die 19. Augusti 1763. — Fr. Petrus Joannettius de Molina Minister Generalis — Ita est Fr. Christophorus Sanchez Secretarius Generalis Ordinis. »

Preces porrectae pro confirmatione supra relatae sententiae.

§. 6. Ad dirimendas igitur super praemissis omnes controversias, ut praefertur exortas, idem Joannes Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut sententiam, et decretum hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communire, ac alias opportune in praemissis providere dignaremur.

Pontifex previa confirmatione literarum Urbani VIII. et Innocentii XI., supradictam sententiam confirmat.

§. 7. Nos ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum in Domino possumus annuere volentes, eumque a quibuslibet excomunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium eorumdem Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negociis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti fili Nostri Aloysii Mariae S. R. E. Diaconi Cardinalis Torregiani nuncupati, apud Nos, et Sedem Apostolicam dicti Ordinis Protectoris, attenderunt, consilio, prima dumtaxat quatuor supra praeinserta capita enunciatae sententiae emanatae de anno 1739, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen in praemissis auctoritate Congregationis praefatorum Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes, ipsas praesentes literas, et omnia, et singula in eis contenta, et expressa semper firma, valida et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam causarum Palatii Nostri Auditores judicari, et definiri debere, sublata eis, et eorum cuilibet quacumque aliter judicandi, et interpetrandi facultate; quod si secus factum fuerit id omne irritum, et inane, ad pristinum statum reducere curabimus.

Derogat contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis eorum tenores, pro insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCCLXIV. Pontificatus nostri Anno septimo.

CDXLI.

Dat. die 21. Nov. 1764. Anno VII. Cum Clemente e Ducibus Saxoniae, Regioque Poloniae Principe gratulatur quod in Coadjutorem Ecclesiae Augustanae electus sit, atque electionem hanc brevi se fore confirmaturum Pontifex nunciat.

Literae Apostolicae queis dispensatio indulgebatur ad hoc ut praesens in Coadjutorem electio locum habere posset habentur hoc Tomo sub Numero CDXXVII. pag. 887.

Dilectissimo in Christo Filio Nostro Clementi e Ducibus Saxoniae Regio Poloniae Principi Electo Frisingensi, et Ratisponensi.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Cum suspenso et sollicito animo, quae Nostra est erga te benevolentia rerumque tuarum studium, scire averemus quid esset novi de Augustano Capitulo; quod ad quintam hujus Mensis diem edictum fuerat, opportune redditae sunt Nobis literae tuae, quae Nobis attulerunt, te, quod maxime volebamus Augustano Episcopo datum esse Coadjutorem: quem optatissimum nuncium ut cupide expectabamus, sic tui electionem quam primum libentissime confirmabimus. Vides, dilectissime in Christo Fili Noster, quae divinae providentiae agendi sit ratio, ut secundas res asperis misceat et adversis, ne super reflante fortuna animo concidamus, neve si omnia Nobis eveniant ex sententia, nimia rerum humanarum sublati prosperitate, ab ea cogitatione, quam debemus in aeterna beatitudine adipiscenda habere defixam avocemur. Quamobrem quicumque sit rerum status nostrarum, Deo gratulemur; ad cujus voluntatem, nostra semper accomodanda voluntas est. Interea tam laeti hoc eventu, quam cupidi ut Dilectioni tuae semper bene sit, et prosperrima quaeque contingant, Apostolicam benedictionem tibi dilectissime in Christo Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Novembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXLII.

Monasterio Monialium Sancti Angeli Custodis Civitatis Granatae indulget ut ex Massa redituum quintae partis bonorum ab intestato morentium in dicta Civitate, et Dioecesi, quaeque in suffragium defunctorum applicari solent, mille ducata aurea de Camera pro una vice applicentur eidem Monasterio pro dimittendo aere alieno, ducata autem sexcenta quotannis pro Monialium sustentatione. Dat. die 5. Dec. 1764. Ann. VII.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Granatensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Preces porrectae pro hoc indulto consequendo attenta Monasterii paupertate.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moderna Abbatissa, seu Priorissa, et Moniales Monasterii Sancti Angeli Custodis istius Civitatis Granatensis, quod licet dictum Monasterium fuerit fundatum, et erectum sub conditione non mendicandi, attamen ejus redditus sunt ita exigui, et tenues, ut dictae Moniales in summa necessitate, et angustia vivere cogantur, et ob calamitatem temporum magis magisque ejusdem Monasterii egestates augeantur, cum redditus ad ipsum spectantes non sine diuturna mora, et prolatione percipiantur ac propter communem miseriam totius populi eleemosynae, quae sponte elargiri consueverant eidem Monasterio vel diminutae fuerint, vel penitus defecerint, adeo ut dictum Monasterium jam aere alieno maxime gravatum, et in summa miseria reperiatur. Idcirco ipsae Exponentes considerantes, quod ad occurrendum earum urgentibus necessitatibus, et ad sublevandum Monasterium praedictum aere alieno gravatum, nullum aliud

remedium superest, nisi quod per Nos, et Sedem Apostolicam indulgeatur, ut ex Massa communi quintae partis bonorum personarum ab intestato morientium, quae a Judicibus Praevenientibus, seu Praesidentibus nuncupatis ipsius Civitatis, ac totius Regni Granatensis applicari solent in suffragium animarum sic defunctorum, distribui, et persolvi possit eidem Monasterio pro unica vice tantum summa mille ducatorum Auri de Camera pro extinctione debiti contracti, et pro earum manutentione annuatim summa sexcentum ducatorum auri parium. Nobis propterea dictae Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in premissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et gratiae exequutionem Archiepiscopo Granatensi committit.

§. 2. Nos igitur ipsas Exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, qui relationem tuam ad eosdem Cardinales super praemissis transmissam attenderunt, consilio, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus ut veris existentibus narratis, et accedente consensu Praesidum, ac injuncto Monialibus praedictis onere suffragandi defunctos cum aliqua oratione per te ipsum designanda, et quotidie ab ipsis recitanda, durante inopia Monasterii hujusmodi, petitam facultatem auctoritate Nostra Apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3 Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit dicti Monasterii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die V. Decem. MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXLIII.

Dat. die ... Dec. 17... Anno VI...

Archiepiscopo Aquisextiensi de Gallicanae Ecclesiae malis conquerenti respondet, eumdemque consolatur.

Vide Epistolam supra relatam sub Num. CDXXXIX. et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Jo. Baptistae Antonio Archiepiscopo Aquisextiensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

In as... Pontificis ... lore pro... versis in Ga... lia Religio... rebus, ... gnam a... runt consa... tionem E... scoporum ... terae eoru... dem const... tiam ob... stantes.

§. 1. In hac caligine temporum, cum eo se perventuros putant Catholicae Ecclesiae hostes in Gallia, ut ab alienatis fidelium animis ab hac sacra B. Petri Apostolica Sede, vera fides et pius Dei cultus ab eo Regno eliminetur, lucem aliquam respicere Nobis videmur, ubi ab Episcopis tui similibus literae ad Nos perferuntur testes eorum fortitudinis atque constantiae. Cujusmodi epistolam a Fraternitate tua modo accepimus, unde nihil eorum abesse videtur, quae asperitate rerum exulceratum in dies magis dolorem Nostrum aliqua consolatione permulceat: flagrantissimus incorruptae fidei zelus, mirifica ad defendendam Ecclesiae divinam potestatem alacritas, egregium in Apostolicam Sedem studium, et praeclara devotio, illa denique excelsitas animi et magnitudo Episcopo plane digna, qua quibuslibet objectis terroribus, obedire mavelis Deo, quam hominibus, paratus ad omnes acerbitates perferendas pro Christo, neque vero hujus zeli tui, pietatis, et altitudinis animi ex literis tantummodo tuis sumimus testimonium, quin probe cognitum habeamus, Fraternitatem tuam nullis perterrefactam periculis, ubi ageretur de bene, et fideliter Episcopale mu-

nere obeundo, ad omnem dimicationem se objecisse, multisque vexatam contumeliis, et atrociter exagitatam, nihil molestiarum non esse perpessam. Id vèro est persequutionem pati propter justitiam. Quamobrem confide Ven. Frater, in eorum te esse numero, quos Beatos Christus Dominus praedicavit. Contra veh illis, qui cum nonnisi ad fortunae motum se moveant videntur ex iis esse, qui obliti Montem Sanctum Dei, ut ait Propheta, ponunt fortunae mensam, et libant super eam, quos per difficile est canitiem denique suam pacifice deducere ad Inferos.

tirenti- Gallicis copis S. s auxi- , se jam perisse Pontifex, contra enista- doctri- instru- ibus.

§ 2. Quod autem scribis, Episcopos Fratres Nostros in his luctuosis deplorandisque temporibus Nostro egere auxilio, quam vultis nunc vobis feramus opem, cum Deus in ira sua videtur continere misericordias suas? O mucro Domini usquequo non quiesces? ingredere vaginam tuam, refrigerare, et sile. Sed nunquid in aeternum projicet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. Nos quod adhuc potuimus, tenebras illas, quas Janseniani fidelium oculis studuerunt effundere videmur penitus dispulisse, cum ad complures Coepiscopos Nostros, qui queribundas ad Nos litteras de Gallicanae Ecclesiae aerumnis dederunt, respondendo, qui sint Nostri sensus, in hac tanta calamitate diserte declaravimus: mala haec omnia inde evenisse, quod illius haeresis sectatores refectis viribus, quas ob acceptas ab Ecclesia intimas plagas, jamdiu amiserant, seculares Magistratus, in eamdem Ecclesiam incenderint, atque eorum abusi favore, et potentia fideles strenuosque Episcoporum cooperatores Regno expulerint, Sacros Ministros, qui ab Augustissima Mensa, notorie refragantes Constitutioni Unigenitus prohiberent, in vincula duxerint, in exilium ejecerint, os Episcoporum, omnibus terroribus intentatis, compresserint, Ecclesiam denique omni spoliatam potestate, quam a Christo Domino accepit in durissimam redegerint servitutem.

Pariterque peritata ervantia nstitutio- UNIGE-

§. 3. Iisdemque literis Nostris rotunde scripsimus, parendum omnino Encíclycae quam fel: rec: Praedecessor Noster Benedictus XIV. flagitantibus Gallicanis Episcopis edidit, quorum itidem rogatu ipsi quoque confirmavimus, Constitutionem Unigenitus, dogmaticum esse hujus Apostolicae Sedis decretum, cui parere qui recuset, illum a Sacra mensa removendum: errores Baji, Jansenii, et Quesnellii veros esse errores, non, ut, impudenter Janseniani jactare audent in vulgus, mera figmenta: serpere ut cancer Jansenianam haeresim in Ecclesiam, quique ea dictitent vanum esse Phantasma, intolerabili temeritate in Romanos Pontifices, qui eam haeresim tot decretis perculerint, et in universam Ecclesiam esse injurios. Decretis denique omnibus, quae praedecessores Nostri tulerunt adversus eorumdem Baji, Jansenii, et Quesnellii pestiferos errores, omnimodam deberi obedientiam: atque de his omnibus in sua quemque Dioecesi debere Episcopum, fideles suae fidei et custodiae concreditos, quam saepissime admonere; iisque testimonium perhibere hos esse Nostros, Nostrorumque praedecessorum sensus fuisse. Metuendum quidem agnoscimus, ne qui libertate Sacerdotali ad suum populum prodeat, atque haec omnia illi e superiore loco denunciet, magna sibi creet pericula, sed ab eo metuendum magis, qui habet potestatem mittere in gehennam ignis. At si Nobis quae bujusmodi sunt ministerii fideliter, et strenue obeuntibus, gravior malorum vis incubuerit, forti animo, et Christiana patientia, cujus Dominus Jesus tanta Nobis exhibuit exempla manendum in Episcopali statione et custodia, ut cum visitaverit Deus exercituum gregem suum, illudque Nos rogaverit: ubi est Grex qui datus est tibi, pecus inclytum? ne conscientiae gladio pungamur, quod bonum certamen fidei non certaverimus, gregemque Christi simus passi fieri in devorationem omnium bestiarum.

...ntis, Encíclycam Benedicti XIV.

Qua ratione ... tenendam cum Alesiensi Episcopo Pontifex duxerit, explicat.

§. 4. De Alesiensi Episcopo jure Fraternitas tua conqueritur. Apostolico Officio Nostro deesse noluimus, qui a recta semita Fratrem aberrantem, ea, quae universalis Ecclesiae Pastorem decet, charitate monuimus, ut se ad viam retrahat veritatis. Et illum quidem leniore cohortatione ad Coepiscoporum bene sentientium coetu existimavimus reduci opor-

tere, et idcirco, quod fortasse praeter voluntatem illi excidit gravius, repraehendendum dissimulare maluimus, ne severioribus verbis, ut aequum fuisset, hominem castigaremus. Nam et lingua mollis, ut ait sapiens confringit duritiem, et Fratris etiam pudori parcere docit cujus Nos coeteroquin commiseresceret, quod ab Ecclesiae hostibus tam misere fuerit deceptus. Interea tantisper expectandum putamus, dum moerorem, quem prolapsione sua Fratribus attulit, sese erigens, adspirante Dei gratia, in laetitiam convertat.

Hunc Episcopum pro sua constantia, et firmitate commendat, eumque hortatur ut in proposito perseveret.

§. 5. Te vero, Ven. Frater, qui tanta sedulitate Gregem tuum custodis et vigilantia, qui voce scriptisque tuis a venenatis pascuis retrahere nunquam desinis, omni ducimus dignum esse praeconio, et in te fuisse, et esse depraehendimus spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii, et fortitudinis, spiritum denique scientiae, et pietatis. Haec S. Spiritus dona, tuo ut animo infixa semper adhaereant, misericordissimum Deum enixe, precabimur: et e Nostrae charitatis visceribus depromptam Fraternitati tuae Apostolicam benedictionem, singularis erga te benevolentiae pignus, peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXLIV.

Dat. die 12. Dec. 1764. Anno VII

De eodem argumento Literas mittit Episcopo Apamiarum.

Vide Epistolam superiorem, et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Henrico Gastoni
Episcopo Apamiarum.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Quae sint contra Religionem grassantia ex hujus Episcopi literis recensens perseverare resumit

§. 1. De aerumnosissimo Gallicanae Ecclesiae statu queribundas literas a Fraternitate tua haud ita pridem accepimus, laicam potestatem doles ita Ecclesiae auctoritati infensam, ut manum suam tamquam hostis miserit ad omnia desiderabilia ejus, ac vehementer de illa potissimum in dignitate jure conquereris, laicos homines facultatem sibi vindicare, quid rectum, quid pravum sit in doctrina tam quae ad fidem, quam quae ad mores pertinet judicandi, quae vota Deo grata sint, quaeve aspernabilia; eo etiam venisse temeritatis, ut Institutum Societatis Jesu ab Ecclesia Catholica habitum semper ut pium, idem impium, bonis omnibus indignantibus, declaraverint. Postremo eam Societatem toto fere Galliarum Regno defles extinctam. Horum si quis consideret malorum tantam Gallicanae Ecclesiae molem tam brevi tempore incubuisse, nec quidquam in tantis tenebris caecisque procellis aliunde lucis ostendi, dubitaverit, Deum iratum opposuisse sibi nubem, ne nostra ad eum transeat oratio. Mundi sunt oculi tui, quispiam dixerit, ne videas malum Domine, et respicere ad iniquitatem non poteris: Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? « Sed tamen Deo fidendum, qui ad punctum in modico videtur vos dereliquisse, et in miserationibus magnis vos congregabit. Instandum interea orationi, nulloque ad haec humano respectu habito, sancienda Nobis oracula Dei verbo et exemplo. Propugnanda adversus Jansenianam haeresim Catholica Fides, atque eo alacriori strenuitate, quo secta illa nunc coorta est adversus Ecclesiam formidolosior.

Hujus Episcopi religionem commendat: cunctis Galliae Episcopis exemplo sit desiderat

§. 2. Utinam caeteri Episcopi Collegae tui Fidelibus quisque suis, suaeque curae commissis, quod tua Fraternitas fecit, aperiant oculos, ut videant omnium, quae seculares Magistratus moliti sunt adversus Ecclesiam, partem esse maximam Jansenianorum sectam, cujus dolis et artificiis praecipue tribuendum, quod Societas Jesu apud vos, ut Scripturas loquitur, tempestate sit convulsa absque ulla consolatione. Propterea factum est judicium et contradictio potentior, propter hoc lacerata est lex et non pervenit usque ad finem judicium; quia impius praevalet adversus justum, propterea egreditur ju-

dicium perversum. Atque ad omnem caliginem discutiendam, quam Ecclesiae hostes Fidelium oculis conantur offundere, nihil aptius novissima Instructione Ven. Fratris Christophori Archiepiscopi Parisiensis, nihil accomodatius cui tamen futurum ducimus fuisse consultius, si edita vel brevissima instructione tua adhaesisses; quod cum non feceris jure suspicamur Instructionis tuae formis imprimendae, copiam Fraternitati Tuae defuisse.

Hortatur ... Anti... ...em ut in constan... persistat, impias ...senista... ...n doctri... eradica... ...curet.

§. 3. Ceterum de flagranti hoc defendendae fidei zelo tuo te magnopere amamus, omnique laude ducimus dignum in primis, quod paratissimo animo sis omnia, quae impedeant mala Episcopali fortitudine et tolerantia pro tuenda Fide Catholica sustinere. Propterea minime dubitamus, te Jansenianis conatibus invicto animi robore restiturum, et decreta, quae adversus Baji, Jansenii, et Quesnellii errores tulit haec Apostolica Sedes, strenue defensurum. Sed vide Ven. Frater, in primis, ut Enciclycae fel. rec. praedecessoris Nostri Benedicti XIV. quam et ipsi confirmavimus sua constet auctoritas; nec propterea unquam patiare, Sacratissimum Christi Corpus per indignissimam profanationem notorie refragantibus Constitutioni Unigenitus exhiberi. Vicarios illos tuos, duosque Capituli Canonicos, qui quae in eos ingruebat, declinandae tempestatis gratia, Avenionem commigrarunt, commendatissimos semper habebimus; nec unquam patiemur, ab hominibus Dei zelo adflagrantibus, Apostolica studia Nostra et officia desiderari. Et Fraternitati tuae quam in visceribus gerimus charitatis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXLV.

...at. die 27. ...ec. 1764. ...nno VII.

Quod Senatus Lucensis legem Ecclesiae juribus adversam evulgaverit dolet cum Lucensi Archiepiscopo, quem hortatur ut omni studio Senatum ipsum ab insano proposito removeat.

Venerabili Fratri Joanni Dominico Archiepiscopo Lucensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Accepisse Nos Fraternitatis tuae literas cum ejus legis exemplo, quam superiore Mense Septembris tulit Senatus Lucensis, ejusdemque legis novitate gravissime Nostrum animum fuisse percussum, existimamus jam ex literis, quas tibi jussu Nostro scripsit dilectus Filius Noster Aloysius Maria Cardinalis Torrigianus, Noster Secretarius Status, te factum esse certiorem. Profecto inopinata Nobis ea res accidit. Quis enim suspicari potuisset apud homines Nobiles, liberaliter et ab accepto beneficio Nostro adeo recentes, tam cito fuisse intermoritura omnia Nostra et hujus Apostolicae Sedis officia, nec quidquam illis pensi futurum quam alte animum Nostrum ea lege ferenda confoderent? Ecclesiae enim legem illam adversam esse, et a justitia alienam ipsa res clamat.

Pontificis animus eo magis Legis novitate percussus fuit, quo recentiora sunt S. Sedis erga Lucensem Rempublicam beneficia.

§. 2. Nam et Ecclesiam ipsam excludit a Fidelium liberalitate, unde iniquum esset vel vilissimum quemquam excludere, et Fidelibus ipsis impedimentum objicit ne in posterum expleta mortalitate, animarum suarum quieti provideant; quique jam providerint, ii absurda lege, quae contra jus et fas ad praeterita respicit, suffragiorum auxilio fraudantur. Nec sapientiae fuit Senatus, grati animi officia deserendo, ita stimulos Apostolici erga illum amoris Nostri retundere, ut si quando, quemadmodum difficillimo Lucensis Reipublicae tempore a fel. rec. praedecessore Nostro Benedicto XIV. sic ab ejus successoribus Apostolicam opem imploret, aut si quod ab ea expetat beneficium, cujusmodi fuit illud ejusdem Benedicti XIV. de tribus Civibus ad Lucensem Archiepiscopatum a Senatu ipso proponendis, et hoc recentissimum, quod adeo libenter illi contulimus, refrigerato Nos esse animo sentiat, tumque studiis, officiisque Nostris quibus mutuum illius amorem prolicere studuerimus, se minus satisfecisse

Novissimae legis injustitiam, et asperitatem demonstrat.

poeniteat. Viderint quid a Nobis, et ab Apostolica Sede polliceri sibi possit, alienissima isthaec ab ingenita coeteroquin eorum animis humanitate, Nobiscum agendi ratio. *Qui enim sic sunt, eorum spes*, ut ait Scriptura, *tanquam hibernalis glacies tabescet et tanquam supervacua disperient* ». Neque vero tam male existimamus de Lucensi Senatu, quin multos credamus meliore praeditos mente Religionis, pietatisque studio, et justitiae amori commotos, tum grati erga Nos animi sensu denique tactos moleste tulisse, atque adhuc iniquo animo ferre, quod ea vicerit Sententia, quam ipsi improbaverint.

Lucensis Archiepiscopi fortitudinem commendat, quod injustae legis exequutioni restiterit, eumque hortatur ut Lucensem Senatum ad rectam sententiam adducat.

§. 3. Caeterum fortitudinem animi tui, et Episcopale robur omni dignum praeconio magnopere amamus, qui cohortando, flagitando, monendo nihil tibi reliquum feceris, quo intolerandae legis auctores et defensores ad saniora consilia revocares. Dolemus, flagrantissimum zelum tuum adhuc frustra fuisse, nec potuisse animorum duritiem frangere. Sed in id incumbere etiam nunc egregiam sedulitatem, dexteritatemque tuam oportet, et quid opera tua validius urgendo consequi possis diligenter, ut ad Nos scribat Fraternitas tua maxime volumus; quo perinde ut erit spes abrogandae ejus legis, aut desperatio, ita Nos aut patienter expectemus, dum illi resipiscant, aut quae ab Apostolico Officio Nostro res ipsa postulat, validiora consilia capiamus. Tibique Ven. Frater, quem propter eximiam singularemque tuam virtutem in visceribus charitatis gerimus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Decembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXLVI.

Dat. die 29. Dec. 1764 Ann. VII.

Cur causa inter Episcopum Augustanum et Premonstratenses remissa sit judicio Sacrae Congregationis Concilii ex constanti Sanctae Sedis jurisprudentia demonstrat Episcopo Spirensi.

Dilecto Filio Nostro Francisco Christophoro S. R. E. Presbytero Cardinali de Hutten Episcopo Spirensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quemadmodum haud ita pridem rescripsimus ad Ven. Fratrem Josephum Episcopum Augustanum, ad eumdem modum dilectioni tuae respondere Nos cogit justitiae amor, et studium, retinendique judicialis ordinis ratio in causa ejusdem Episcopi Augustani, et Praemonstratensium. Ac primum ideo ad Congregationem Concilii preces Praemonstratensium remisimus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, quod veriti sumus, ne si eorum preces repudiaremus, justitia ipsa laederetur. Nam. fel. rec. Praedecessor Noster Benedictus XIV. in suis Apostolicis literis « *Ad solium Justitiae* » ponit, Praemonstratenses apud Congregationem Concilii se in judicio stetisse, iisque contradicentibus eamdem Congregationem bina edidisse Responsa, quod longe abest a re ipsa et veritate: nunquam enim Praemonstratenses rationes suas exposuerunt et ut contumaces semel atque iterum causam amiserant. Quidpiam etiam in iisdem Apostolicis literis continetur, quod cum consuetudine minime convenit Apostolicae Sedis. Ea enim, si, quam in aliqua Congregatione tulerint Venerabiles Fratres Nostri Cardinales sententiam approbet, nunquam decretum irritans, et clausulam *sublata*, sed semper clausulam *auctoritate Congregationis*. Huc accedit ipsam Congregationem Concilii optasse, ut daretur sibi aperitio Oris, quo libera sibi esset facultas cognoscendae causae, et sine ullo impedimento declarandi, quod sibi aequum justumque videretur. Id vero semper in more fuit Apostolicae Sedis, Congregationibus Cardinalium aperitionem Oris concedere, aut opportunas tradere facultates, ubi meritis causae delibatis id se cupere ostendant. Haec ad te scribere habuimus, Dilecte Fili Noster paullo pressius, quam quae ad Augustanum Episcopum scripsimus; quae tamen huc tandem redeunt, in Benedicti XIV. literis vitium aliquod obreptionis inesse. Hoc autem libentius tibi significamus quid et quamobrem ita re-

scripsimus, quod pro certo babeamus esse te justitiae tenacissimum, et consuetudinum hujus S. Sedis peritissimum. Tibique singularis erga te benevolentiae Nostrae pignus, paterno Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Decembris MDCCLXIV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDXLVII.

at. die 2 an. 1765. nno VII.

Indultum favore Regis Francorum ad hoc ut juxta concordatum cum Sancta Sede, ad Commendam Beatae Mariae *de Campo Chiaro*, licet eamdem vacare contigerit per mortem moderni Commendatarii apud Sedem praedictam, nominare possit, et valeat.

Carissimo in Christo filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Preces porrectae a Christianissimo Rege pro hoc indulto obtinendo.

§. 1. Cum sicut Majestatis tuae nomine Nobis nuper expositum fuit, dilectus filius Noster Prosperus Cardinalis Diaconus Columna nuncupatus, Monasterium Beatae Mariae de Claro Campo nuncupatum Ambianensis Dioecesis Ordinis Cisterciensis, ad quod jus nominationis eidem Majestati tuae vigore concordatorum inter Sedem Apostolicam, et cl. mem. Franciscum I., dum vixit Francorum Regem initorum competit, in Commendam ex concessione Apostolica obtinet. Nos ne praedicto Prospero apud Sedem eamdem decedente, Majestas tua impediatur, quominus ad Monasterium hujusmodi, ratione dictorum concordatorum nominare possit, providere volentes, supplicationibus Majestatis tuae nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Majestati tuae ut si contingat Monasterium Beatae Mariae de Claro Campo praedictum per obitum, vel cessum memorati Prosperi, aut alias ex illius persona apud Sedem praedictam vacare, nihilominus de illo sic vacante nonnisi ad tuam nominationem, Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, et Sedi praedictae juxta concordata supradicta faciendam promoveri, et disponi possit, aut debeat Apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et in corpore juris clausis, ac beneficiorum Ecclesiasticorum apud Sedem praedictam pro tempore vacantium reservatoriis, et aliter disponentibus concordatis praedictis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Januarii Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto, Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDXLVIII.

Dat. die 12 Jan. 1765. Ann. VII.

Institutum Societatis Jesu jam a binis saeculis fundatum, multorumque Pontificum Constitutionibus approbatum; iterum Constitutione hac probatur, et confirmatur.

Institutum, et Religionem Clericorum Regularium Societatis Jesu primum approbavit Paulus III. Const. anni 1540 Nov. 27. Munus, et auctoritatem Praepositi Generalis hujus Societatis explicavit, nec non quamplures gratias concessit, et ordinationes pro ejus bono regimine firmavit Julius III Const. anni 1749. Octob. 18. Idem Institutum, regulasque melius explicatas iterum approbavit, et confirmavit Pontifex idem Const. anni 1550. Julii 21. Gratias, et privilegia Societatis Jesu ejusdemque Collegiis indulta innovavit et ampliavit Pontifex idem Const. anni 1552. Oct. 22. Religionem Clericorum Regularium Societatis Jesu esse vere de ordinibus mendicantium, eorumque gratiis,

et privilegiis, tam concessis, quam concedendis perfrui declaravit Pius V. Const. anni 1571. Julii 2. Facultatem Religiosis Societatis Jesu eligendi Conservatores in ejus causis, ac jurisdictionem ipsorum Conservatorum indulxit Pontifex idem Const. anni 1568. octavo Kal. Junii, quae quum per sequutum Pontificis obitum confecta non fuerit, confirmata postmodum extitit a Gregorio XIII. Constit. sua anni 1572. Maji 25. Collegium cum Universitate studiorum Generalium scientiarum, et artium in oppido Pontis Mansonii Dioecesis Metensis in Lotharingia, confirmavit Pontifex idem Const. anni ejusdem Decembr. 5. Ne Religiosi, et personae Societatis Jesu ad publicas processiones accedere cogantur statuit Pontifex idem Constit. altera anni 1576. Julii 16. Quod pro Religione ipsa ubique Ecclesiae, et domus edificari possint, non obstante quocumque privilegio in contrarium aliis Ordinibus concesso jussit idem Pontifex Constit. anni ejusdem Oct. 30. Exemptionem hujus Societatis a praestatione decimarum, et aliorum onerum quorumcumque a pluribus Pontificibus concessam confirmavit Pontifex idem Const. anni 1576. Jan. 1. Usum altaris portatilis non obstante contraria Concilii Tridentini dispositione, Religiosis hujus Societatis, sub opportunis declarationibus restituit idem Pontifex Const. anni 1579. Oct. 1. Ne Religiosi hujus Societatis ad alios Ordines quam ad Carthusiensem transire possint, prohibuit Pontifex idem Const. anni ejusdem Oct. 29. Universitatem studiorum in Collegio Societatis Jesu Civitatis Vilnae in Regno Poloniae, cum privilegiorum elargitione confirmavit Pontifex idem Const. ejusdem diei, et anni. Praesbyteris Societatis Jesu Confessariis, quamvis Magisterio Theologiae, et juris Canonici non insignitis, facultatem aperiendi literas Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, et absolutionis beneficium juxta illarum dispositionem impendendi, fecit Pontifex idem Const. anni 1582. Aprilis 3. Auctoritatem Praepositi Generalis hujus Societatis circa contractus censuum, alienationum, aliorumque praefinivit Pontifex idem Constit. alia anni ejusdem Augusti 12. et Decembr. 12. Personis Societatis Jesu, ut a quocumque Antistite etiam extra tempora, de licentia suorum Praelatorum ad sacros ordines promoveri possint, facultatem fecit Pontifex idem Constit. alia anni ejusdem Sept. 21. Itemque transeundi ad quoscumque alios Ordines Regulares de licentia tamen Praepositi Generalis Constit. alia anni ejusdem Sept. 22. Institutum, privilegia, et exemptiones hujus Societatis, additis nonnullis declarationibus, confirmavit Pontifex idem Constit. anni 1583. Febr. 1. Erectionem Collegii Societatis Jesu Rigae in partibus Poloniae confirmavit Pontifex idem Const. anni 1584. Martii 1. Constitutiones Collegii Germanici approbavit Pontifex idem Constit. anni ejusdem Aprilis 1. Institutum, et Constitutiones hujus Societatis, tertio approbantur, cum resolutione nonnullorum dubiorum, et privilegiorum confirmatione ab eodem Pontifice Constit. Anni ejusdem Maji 25. Erectionem Collegii in Civitate Iprensi approbavit Pontifex idem Const. ejusdem mensis, diei, et anni. Itemque alterius Collegii in oppido Montensi, Cameracensis Dioecesis Constit. alia ejusdem Mensis, diei, et anni. Nec non alterius in Civitate Brugensi Constit. alia anni ejusdem Junii 23. Pariterque alterius Collegii in Civitate Mantuana Constit. alia anni ejusdem Julii 15. Quod Religiosis hujus Societatis, etiam sacris ordinibus non initiatis, praedicandi verbum Dei facultas esset, concessit Pontifex idem Constit. anni ejusdem Novemb. 20. Institutionem Congregationis sub invocatione Annunciationis B. M. V. pro scholaribus externis Collegii Societatis Jesu de Urbe, approbavit Pontifex idem Constit. anni ejusdem Decembr. 5. Studium generale in oppido Graecensi Salisburgensis Dioecesis approbavit Sixtus V. Constit. anni 1585. Maji 1. Itemque Universitatem studiorum Generalium, et Collegii in Oppido Mussipontano Metensis Dioecesis Constit. alia ejusdem Pontificis anni 1585. Maji 1. Congregationem sub invocatione Annunciationis B. M. V. pro scholaribus externis studio Collegii Societatis Jesu de Urbe ad-

dictis approbatam, ad alios etiam non studentes extendit Pontifex idem Constit. anni 1586. Jan. 5. Privilegia, et facultates Praeposito Generali, et Praesbyteris hujus Societatis, Missiones in Indiis exercentibus jam alias concessas, confirmavit, et ad aliud tempus extendit Pontifex idem Const. anni 1587. Martii 14; easque iterum confirmavit, et extendit Gregorius XIV. Constit. anni 1591. Septemb. 2. Universitatem studiorum generalium in Collegio Graecensi prius jam erecto, approbavit Sixtus V. eique redditus assignavit, et privilegia concessit Constit. anni 1590 Jan. 1. Quae in Constitutionibus Societatis Jesu statuuntur circa Novitiorum admissiones, et Superiorum electiones, confirmavit, et quamcumque innovationem prohibuit Gregorius XIV. Constit. anni 1591. Maji 2. Institutum, et Religionem Societatis Jesu, cum aliquarum impugnationum reijectione approbavit quarto Pontifex hic Constit. Anni ejusdem Junii 28. Ut Societas haec Novitios retinere posset, non servata forma Constitutionis Sixti V. concessit Gregorius XIV. Constit. anni ejusdem Augusti 10. Facultatem Patribus hujus Societatis indultam a Julio III. absolvendi ab haeresi in Regnis Hispaniarum, in quibus officium S. Inquisitionis non existit, revocavit Clemens VIII. Constit. anni 1593. Sept. 25. Erectionem Collegii cum Universitate studiorum in Civitate Commutaviensi Diœcesis Pragensis confirmavit Pontifex idem Constit. anni 1594. Augusti 29. Itemque Collegium in oppido de Fixa alias de la Fleche erectum, approbavit Pontifex idem Const. anni 1604. Julii 10. Jesuitis Bituntinae Civitatis interdictum fuit, ne facultates in Universitate oppidi Dolae legi solitas, in dicta Civitate possent docere, nisi pro suis Religiosis. Constit. Pauli V. anni 1611. Junii 17. Studium Generale in Collegio Paderbonensi erectum, confirmavit Pontifex idem Constit. anni 1614. Aprilis 2. Statuta quaedam pro Universitate Studiorum in Gymnasio Viennensi confirmavit Pontifex idem Constit. anni 1617. Aprilis 29. Indultum recitandi officium, et Missam B. Aloysii Gonzaga die 21. Junii concessit Religiosis hujus Societatis Gregorius XV. Constit. anni 1621. Octobr. 2. Domus, et Collegia Societatis Jesu in Regnis Sinarum, et Japponiae existentia, a solutione decimarum Parochis, et aliis Ecclesiis exemit Pontifex idem Constit. Anni 1622. Novemb. 5. Collegium Societatis Jesu in oppido Castorensi Dioecesis Bituricensis approbavit Pontifex idem Constit. anni ejusdem, Decemb. 29. Itemque Collegium cum Universitate studiorum in oppido Nissae Dioecesis Wratislaviensis approbavit Urbanus VIII. Constit. anni 1626. Sept. 10. Indultum recitandi Officium et celebrandi Missam de tribus Martyribus Japponiae die 5. Febr. Religiosis hujus Societatis concessit Pontifex idem Constit. anni 1627. Sept. 15. Ne Religiosi hujus Societatis uti possent facultatibus literarum sanctae Cruciatae, vel eligere alium Confessarium, quam assignatum a suis Superioribus prohibuit Pontifex idem Constit. anni 1629. Martii 31. Vota a Professis Societatis emitti solita post professionem solemnem circa paupertatem, et acceptationem dignitatum extra Religionem, ab uno tantum Romano Pontifice dispensari posse statuit Pontifex idem. Constit. anni 1631. Jan. 25. Indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesias Societatis Jesu in Festo S. Francisci Xaverii jam a Gregorio XV. concessam, confirmavit Urbanus VIII. Constit. anni 1638. Decemb. 2. Quod Congregatio Generalis Societatis Jesu singulo Novennio celebrari debeat jussit Innocentius X. Constit. anni 1646. Jan. 1. Indulgentias, et gratias concessas Religiosis hujus Societatis Missiones exercentibus in Indiis Occidentalibus confirmavit, et facultatem dispensandi a Matrimoniis in illis regionibus illegitime contractis, de novo concessit Pontifex idem Constit. anni 1649. Martii 1. Declarationem Congregationis Generalis hujus Societatis circa jurisdictionem, et gubernationem Vicarii Generalis cum futura successione, confirmavit Alexander VII. Constit. Anni 1661. Augusti 30. Quoad regimen Superiorum Societatis Jesu plura statuit Pontifex idem Const. anni 1663. Jan. 1. Officium S. Ignatii fundatoris hujus Societatis sub ritu duplici in

posterum recitari debere jussit Clemens IX. Constit. anni 1667. Octobr. 11. Convocationem Congregationis Generalis quolibet novennio ab Innocentio X. indictam suspendit, ut proximae Generalis Congregationis votum haberet Pontifex idem Constit. anni 1668. Septem. 20. Septem Presbyteris Societatis Jesu Missionariis apud Sinas praecipitur ut accedant ad Urbem, et Missionariis omnibus formula praestandi juramenti praescribitur per Constit. Innocentii XI. anni 1678. Octobr. 10. Indulgentias quamplures Praesbyteris hujus Societatis Missionariis in Indiis concessit Alexander VIII. Constit. anni 1690 Martii 30. Facultatem conferendi nonnullos gradus in Collegiis Societatis Jesu S. Fidei, et Quiten in Indiis jam a Clemente X. indultam extendit Innocentius XII. Constitut. anni 1690. Sept. 1. Hanc vero Constitutionem declaravit, et ampliavit Pontifex idem Constit. alia anni ejusdem Sept. 28. Indulgentiam plenariam in die Comunionis generalis a PP. Gesuitis fieri solitae semel in Mense in Regnis Angliae concessit Pontifex idem Constitut. anni 1760. Martii 6. Constitutionem Gregorii XIII. prohibentem Patribus Societatis Jesu, transitum ad alios quoscumque Ordines Religiosos post emissionem votorum confirmavit Clemens XI. Constit. anni 1719. Decembr. 1. iis, qui post vota simplicia a Praeposito Generali dimittuntur ab Societate Jesu, nulla ab eadem Societate alimenta deberi sancivit Benedictus XIII. Constit. anni 1728. Junii 12. Congregationem Primariam vulgo la buona morte *in Ecclesia Domus Professae Societatis Jesu erectam approbavit, et quamplures eidem Indulgentias concessit Pontifex idem Constit. anni 1729. Sept. 23. Immunitates, et exemptiones Societati Jesu concessae, in damnum Camerae Apostolicae revocatae fuere a Clemente XII. Constit. anni 1731. Jan. 13. Privilegia a Pio IV. concessa Provincialibus Societatis Jesu in partibus Indiarum confirmavit Clemens XII. Constit. anni 1734. Sept. 9. Quoad Congregationes Generales Clericorum Regularium hujus Societatis, revocatis praedecessorum Pontificum nonnullis Apostolicis literis, plura sancivit Benedictus XIV. Constit. anni 1746. Decembr. 16. Quoad facultatem dispensandi in Matrimoniis pro Missionariis hujus Societatis in Indiis Occidentalibus plura constituit, et declaravit Pontifex idem Const. anni 1757. Jan. 17. Visitatorem, et reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jesu in Regnis Portugalliae, et Algarbiorum, nec non in Indiis Orientalibus, et Occidentalibus Regi Fidelissimo subjectis deputavit Pontifex hic Constit. anni 1758. Aprilis 1. Haec omnes Pontificiae hic relatae Constitutiones habentur in Collectione Mainardii, et in Bullario Benedictino. Universitatem studiorum in Civitate Leopoli a Regibus Poloniae erectam sub directione Societatis Jesu confirmavit Clemens XIII. Constit. anni 1759. April. 1. relat. in hac continuat. sub num. XLIX. pag. 112. Concordiam inter Clericos Regulares hujus Societatis pro Collegio Civitatis Poloki, et Archiepiscopum Ritus Graeci Ruthenorum ejusdem Civitatis approbavit Pontifex idem Constit. anni 1762. Junii 11. relat. ibidem sub num. CCLXXXIV. pag. 645. Pluries societatem Jesu commendavit Pontifex hic Episcopis in Galliis degentibus prout in quampluribus Epistolis relatis in hoc eodem Tomo.*

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Apostolicam pascendi dominici Gregis munus Beatissimo Apostolo Petro, ejusque successori Romano Pontifici delatum a Christo Domino nulla locorum, nulla temporum conditio, nullus humanarum rerum respectus, nulla denique ratio circumscribere aut suspendere potest, quominus idem Romanus Pontifex ad omnes ejusdem Officii partes nulla ex iis praetermissa, nulla neglecta, curas suas dirigere debeat, atque omnibus incurrentibus in Ecclesia necessitatibus providere. Harum partium inter praecipuas postrema non est Regularium Ordinum approbatorum ab Apostolica Sede tutelam gerere, ac forti- Proem.

bus, piisque viris, qui eisdem regularibus Ordinibus sese solemni sacramento addixerunt, suamque pro tuenda, atque amplificanda Catholica Religione, agroque Dominico excolendo strenuam operam impendunt, alacritatem addere, et animum languidos et infirmos excitare, et corroborare, jacentibus, afflictisque consolationem afferre, praecipue vero ab Ecclesia fidei suae et custodiae concredita, omnia quae in animarum ruinam in dies suboriuntur scandala summovere.

...s Instituti laudatio datur, ... ficum ... betto- nec non ... merita ... religio ... recen- r.

§. 2. Institutum Societatis Jesu ab homine conditum, cui ab universali Ecclesia idem qui Sanctis viris cultus, et honor tribuitur a fel. rec. praedecessoribus Nostris Paulo III. et Julio itidem III. Paulo IV. Gregorio XIII. et Gregorio XIV. Paulo V. diligenti examine perpensum, approbatum, saepius confirmatum et ab iisdem, pluribusque aliis ab novendecim praedecessoribus Nostris ornatum peculiaribus favoribus, et gratiis, Episcoporum non modo hujus, sed superiorum etiam aetatum praeconio commendatum, ut maxime frugiferum et fructuosum, ut ad promovendum Dei cultum, honorem, et gloriam, aeternamque animarum salutem procurandam aptissimum, potentissimorum, piissimorumque Regum, et clarissimorum in Christiana republica Principum praesidio, et tutela usque munitum, cujus ex disciplina novem prodiere viri in Sanctorum, vel Beatorum numerum relati, quorum tres Martyrii gloriam sunt consequuti, a pluribus Sanctitate claris viris, quos Beatos in Coelo novimus sempiterna perfrui gloria collaudatum, quod Ecclesia universa longo duorum saeculorum spatio in suo sinu aluit, et fovit, ejusque Professoribus praecipuam Sacri Ministerii partem semper commisit, magno cum emolumento animarum, quod ipsa denique Catholica Ecclesia in Tridentina Synodo declaravit, ut pium.

...umeran- ... injustae ... maximae ... ra pium ... Institu- , quae in ...esiae U- ...rsalis in- ...um maxi- ... ver- ..

§. 3. Hoc idem Institutum novissime fuerunt, qui per pravas interpraetationes tum privatis sermonibus, tum scriptis etiam typis in lucem editis, irreligiosum, et impium appellare, contumeliis lacerare, probro et ignominia afficere non sunt veriti, atque eo devenerunt, ut privata sua non contenti opinione, hujusmodi virus de regione in regionem nullis non adhibitis artibus derivare, atque undequaque diffundere sint aggressi, neque adhuc cessant incautis, si quos inveniant Christifidelibus, ut in proprios pertrahant sensus, subdole propinare. Quo in Ecclesiam Dei nihil injurium magis, nihil contumeliosius, quasi adeo erraverit turpiter, ut quod impium, et irreligiosum est, solemniter existimaverit Deo carum, et pium, eoque decepto sit flagitiosius, quo diuturnius ad annos scilicet amplius docentos cum maximo animarum detrimento sinui suo tantam haerere labem, et maculam sustinuerit. Huic tanto malo, quod eo longius dissimulatum tanto altius radices agit, viresque acquirit in dies diutius differre remedium justitia, quae sua cuique asserere, et fortiter tueri jubet, et Pastoralis Nostra erga Ecclesiam sollicitudo non sinit.

§. 4. Ut igitur tam gravem injuriam a sponsa Ecclesia divinitus Nobis concredita, atque etiam ab hac Apostolica Sede propulsemus, et hujusmodi injustas, irreligiosasque voces in animarum perniciem, et seductionem, et contra omnes aequi bonique rationes longe lateque diffusas, Nostra auctoritate Apostolica compescamus, ut Clericis Regularibus Societatis Jesu id a Nobis pro justitia exigentibus, suus maneat status, eadem Nostra auctoritate firmius constabilitus, eorumque nunc temporis summe afflictis rebus aliquod afferamus levamen. Ut demum Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum, qui ex omnibus regionibus catholicis eamdem Societatem Nobis per literas magnopere commendarunt, et ex ea maximas utilitates in suis quisque Dioecesibus se capere profitentur, justis desideriis obsecundemus, motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnium praedecessorum Nostrorum inhaerendo vestigiis, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, eodem modo, ratione, et forma, quibus ipsi edixerunt, et declararunt, Nos quoque edicimus, et declaramus, Institutum Societatis Jesu summopere redolere pietatem, et sanctitatem, tum ob praecipuum finem, quo maxime spectat defensionem scilicet, propagationemque Catholicae Religionis, tum ob media, quae adhibet ad ejusmodi finem consequendum, quod vel ipsa

Ad hanc injuriam propulsandam, et concorde Episcoporum suffragium obsecundandum, Pontifex hoc Institutum denuo confirmat, et approbat.

Nos hactenus docuit experientia, cum ex eadem disciplina tam multos ad hanc usque aetatem prodiisse novimus Ortodoxae fidei propugnatores, sacrosque praecones, qui invicto animi robore, terra marique subiere pericula, ut ad gentes immanitate barbaras evangelicae doctrinae lumen afferrent, et quotquot idem profitentur laudabile Institutum, partim intentos juventuti Religione, et bonis artibus erudiendae, partim operam dare spiritualibus exercitiis tradendis, partim adsidue versari in Sacramentis praecipue Poenitentiae, et Eucharistiae administrandis, et ad eorum frequentiorem usum fidelibus excitandis, tum homines in agris degentes divini verbi pabulo recreare, ac propterea idem Institutum Societatis Jesu ad haec eximia perpetranda divina providentia excitatum, ipsi quoque approbamus et praedecessorum Nostrorum approbationes ejusdem Instituti, Apostolica auctoritate Nostra confirmamus.

Vota hujusce Instituti commendantur, et piae exercitia ab iisdem Clericis Regularibus tradi solita, nec non Sodalitates institutae, a praedecessoribus Pontificibus approbatae, quae hic confirmantur.

§. 5. Vota, insuper quibus iidem Clerici Regulares Societatis Jesu juxta idem eorum Institutum se devovent Deo grata illi, et accepta esse declaramus; spiritualia exercitia, quae ab eisdem Clericis Regularibus traduntur Fidelibus a mundi strepitu semotis per dies aliquot, ut de aeterna sui ipsorum salute serio, et unice cogitent, ut maxime conducibilia ad reformandos mores, et ad Christianam pietatem hauriendam, nutriendamque, magnopere probamus, et laudamus; Congregationes praeterea, seu Sodalitia non modo adolescentium, qui ad scholas ventitant Societatis Jesu sed quaevis alia, sive scholarium tantum, sive aliorum Christifidelium tantum, sive utrorumque simul, sub invocatione Beatae Mariae, seu quovis alio titulo erecta, et quae in iis pia opera ferventi studio exercentur, probamus, praecipuamque erga Beatam Dei Genitricem semper Virginem Mariam devotionem, quae in iis Sodalitiis alitur, et promovetur, magnopere commendamus, Nostrorumque fel. rec. praedecessorum Gregorii XIII. Sixti V. Gregorii XV. et Benedicti XIV. Constitutiones, quibus ea Sodalitia approbarunt, Nos Apostolica auctoritate Nostra confirmamus, caeterasque omnes Constitutiones a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris in ejusdem Instituti Societatis Jesu functionum approbationem, et laudem conditas, quarum singulas hic haberi volumus pro insertis, auctoritate itidem Nobis a Deo tradita, Apostolicae confirmationis Nostrae robore per hanc Nostram Constitutionem munitas volumus, et si opus sit, velut a Nobis ex integro conditas, editasque censeri praecipimus, et mandamus.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae MDCCLXV. VII. Idus Januarii, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDXLIX.

Dat. die ... Jan. 17.. Anno VI...

Indulgentia plenaria conceditur cunctis Christifidelibus utriusque sexus visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium qualibet feria sexta Mensis Martii, itemque temporaria centum dierum pro iis qui easdem Ecclesias visitaverint qualibet feria sexta totius anni.

Clemens PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Ad augendam fidelium Religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae Thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac S. Comunione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, ubicumque locorum existentium in una ex sextis feriis mensis Martii per unumquemque Christifidelium pro suo libitu eligenda, ab ortu usque ad occasum solis feriae hujusmodi singulis annis de-

vote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effunderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam; et remissionem misericorditer in Domino indulgemus. Insuper eisdem Christifidelibus contritis, aliquam ex supradictis Ecclesiis in reliquis feriis sextis, totius anni, ut supra visitantibus, et orantibus, qua feria praedictarum id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus, praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium, aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Januarii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDL.

die 15. 1765. VII.

Collegium Cursorum vulgo *Pasantes* pro studiis Religiosorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum institutum in Conventu B. M. V. de Virtutibus in Provincia Castellae confirmatur, et approbatur una cum statutis pro ejusdem Collegii directione.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

emium.

§. 1. Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo Nos urget, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub arctioris vitae Regularis Instituto mancipatorum, curam peculiari charitate gerentes, ea, quae pro felici prosperoque illorum regimine, et gubernio provide constituta esse noscuntur, quo firma semper, atque stabilia permaneant, Apostolici muniminis praesidio roboremus.

Nonnulla statuta Diffinitorium Generale hujus Ordinis condidit pro erectione, et directione Collegii Studiorum erigendi in Provincia Castellae.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Fabrianus Rodriguez Minister Provincialis Provinciae Castellae Fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod per Diffinitorium ejusdem Provinciae quaedam Statuta confecta fuerunt pro erectione, et institutione Collegii Cursorum vulgo *Pasantes* nuncupatae in uno ex praedictae Provinciae Conventibus ut illo Scholastici Religiosi, qui in Collegiis Complutensi, et Salmaticensi memoratae Provinciae studiorum cursum ad tramites Constitutionum Ordinis jam expleverint, amplius expleantur, ac perficiantur, donec ad Lectorum, et Praedicatorum Officia assumantur, cum pluribus aliis, quae ad hujusmodi Cursorum Collegii stabilitatem, bonum regimen, et Religiosum decorem pertinent; ideoque eadem Statuta, et dicti Collegii Cursorum erectionem, seu institutionem pro perpetua eorum firmitate, et stabilitate, Nostrae, et Apostolicae Sedis auctoritate approbari, et confirmari maxime desiderabat. Nos vero erectionem Collegii hujusmodi, nec non statuta pro ejus gubernio confecta Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositis cum supplici libello Nobis oblato examinanda remissimus, qui referente dilecto filio Nostro Joanne Constantio Diacono Cardinale Caracciolo de Santobono nuncupato, ac praedicti Ordinis apud Nos, et hanc Sanctam Sedem Protectore, tum erectionem dicti Collegii Cursorum, tum statuta praedicta approbanda censuerunt. Tenor autem statutorum est, qui sequitur.

Refertur Statutorum tenor.

« Nonis Augusti Anno MDCCLXIII. congregatum Rev. Diffinitorium hujus Provinciae Castellae, Legionis, et Navarrae Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum in hoc Matritensi Conventu, ut ageret, atque tractaret de erectione Collegii Cursorum, cujus necessitatem, praeter alias gravissimas rationes, satis jam demonstrabant ab antiquo iterati totius Provinciae clamores;

postquam diu, ac serio hac de re actum est, tandem, nemine discrepante, sequentia statuit, et ordinavit. »

CAPUT I.

Collegii Institutio.

« Instituitur Collegium Cursorum vulgo *de Pasantes* in Conventu Sanctae Mariae de Virtutibus. Terra enim illa spatiosa, atque sanissima, placido, constantique aere praestat, ac insuper solitarius locus est, scientiarum studio optime conducens. Ut vero primum Cursores ibi degere incoeperint, Collegium appelletur. »

CAPUT II.

De Rectore.

« Praelatus, Rector denominandus, sit semper, aut Magisterii, aut saltem Baccalaureatus gradibus a Provincia insignitus; neque unquam ad hujusmodi assumi valeat officium, Praedicator Generalis, etiamsi Provinciae Pater existat. Si autem Magistri, aut Praesentati defuerint, qui eo fungi velint, assumi possit (omni tamen partium studio postposito) Lector emeritus; de quo fama, publica vox, et communis invaluerit opinio, quod egregie, exacteque duodecim, aut quatuordecim Lecturae annos consummaverit. Sit etiam moribus probatus, acri judicio, ac viribus par ad ea substinenda onera, quae ultra communia suo officio impendentia fuerint sibi imponenda. »

« Quoniam vero in electionibus partium studia, et sollicitudines a Religiosis viris perquam alienae, et maxime damnosae iis, qui spirituali, sublimique virtutum, literarumque exercitio penitus se se dederunt, oriri plerumque solent, Rectoris electio non ab ipsis Cursoribus, sed in Provincialibus Comitiis, ad tramites Sacrarum Ordinis Constitutionum Capite XXXIV. Libri I., et juxta formam qua eliguntur Ministri Romani Collegii, et Conventus Neapolitani, peragatur. »

« Si temporis progressu a Provincia, Sancta Sede annuente, statuatur, quod omnium Ministrorum electio in Provinciali Capitulo fiat, Rector quoque Collegii Cursorum eisdem modo, forma, ritu, ac solemnitate, quibus caeteris eligi Ministros contigerit, eligatur. »

CAPUT III.

De Regentibus.

« Duo habeantur Regentes, qui Lectores esse debeant, notae probitatis, idoneitatis, ac in studiis curae, et diligentiae. Ab iisdem exigatur, ut saltem per quadriennium in Collegiis Complutensi, aut Salmantino Lecturam prius exercuerint. Si autem inter Provinciae Lectores aliquis, vel aliqui habeantur, in quibus hujusmodi requisita praecellere constet, etiamsi quadriennalem Lecturam in iis Collegiis non expleverint, aliis praeferantur. »

« Injungitur Adm. R. P. Ministro Provinciali pro tempore existenti, ut in hujus Collegii Regentes eos tantum eligat, qui praescriptis polleant conditionibus: Prout etiam quantum fieri possit circumspiciat, ne Lectores in Regentes deputandi in Cursorum habeant Collegio, qui prius ipsorum fuerint discipuli, sic enim partium studia, quae inde derivare possent, praecaventur. »

CAPUT IV.

De Cursoribus, eorumque delectu.

« Cursores eodem modo deligantur, qui in Sacris Ordinis Constitutionibus praescriptus reperitur. Hic solum commemorasse sufficiat, quod ad earum tramites hujusmodi honorificus titulus, munusque ei adnexum iis tantum conferri valeat, qui plus profecerunt, et a quibus nostra Religio uberiores fructus colligere sperat. »

« Si de quibus haec sperare liceat, tot fuerint, ut numeratis aliis in Collegio jam degentibus, quindecim excedant, ad quem usque numerum, et non ultra, Cursores haberi possint, ex melioribus optimi seligantur ad praestitutum numerum implendum. Si autem

Collegii facultates excreverint, et aliqui adfuerint Cursoratu digni, Minister Provincialis de voto Examinatorum, supra numerum praefixum, eos admittere valeat. »

» Ad potiora adspirantium merita disquirenda, imminente jam tempore, quo quartus Theologici cursus annus in Scholis Provinciae terminatur, qui per quadriennium illi operam dederint a Provinciali Ministro admittantur ad propugnandam, nullo auxiliante, unam ex assignatis per triduum ante Theologicis thesibus, quam oppugnabunt duo Collegae, argumenta proponendo, et duo Lectores replicabunt; quod experimentum duas saltem horas durare debeat; districteque prohibeatur, ne quis hujusmodi periculum subeunti argumenta prius communicet, sub poena amotionis a Collegio adversus utrumque exequutioni demandanda. »

» Propugnanda thesis a Collegii Regentibus unicuique assignetur, scientibus, approbantibusque duobus PP. Magistris, qui nisi adfuerint, duo ex antiquioribus Lectoribus ad id adhibeantur. Caveant tamen, ne assignanda quaestio ex illis fuerit, quas periculum subiturus alias publice, aut private propugnaverit. »

» Examine terminato, quilibet ex PP. Magistris, sive Lectoribus secreto adnotet suum de acto experimento judicium. Postquam vero singulorum expletum fuerit examen, simul congregentur de re agentes proferatque unusquisque, quam tulerit censuram, eaque inter se conferant, et numerent, ac pro electo habeatur, qui plura pro se retulerit suffragia. »

» Si forte contigerit, quod collato suffragiorum numero, dubium emergat, quonam in censu aliquis haberi debeat, ab eisdem Magistris, sive Lectoribus per secreta suffragia dirimatur, et adversus eorum resolutionem Minister Provincialis nullum valeat interponere arbitrium in agendo delectu, irritum, et inane decernentes quidquid contra facere praesumpserit, ne electio aliter peracta ullo unquam tempore suffragetur electo ad Lecturas, et caetera officia capessenda. »

» Inhaerentes Ordinis Constitutionibus, quoad tempus Cursoratus, statuimus, ne ultra quadriennium, nec infra triennium exacte completum durare valeat. »

CAPUT V.

Temporis distributio.

» A festo Sancti Lucae ad Kalendas Majas surgant Cursores a somno hora quinta matutina, Excitatore eos ante horae dimidium monente. Studeant inde usque ad septimam: a septima per horae dimidium se ad Missam praeparent, aut spirituali vacent lectioni: mox, qui Sacerdotes fuerint, rem Divinam faciant. Post horam septimam cum dimidio, horas minores recitabunt, Sacrumque Conventuale decantabunt, Dominicis tamen, festisque diebus, qua hora in certis Conventibus celebrari solet, ibi quoque celebretur. Postea reficiantur, studiumque resumant, donec fiat signum ad disputationem, quae hora decima cum dimidio incipiat, et una hora duret, eamque prandium sequatur. Post illud confabulatio aliquo tempore, deinde quiescant in Cellis; et hora secunda pomeridiana Vesperas, et Completorium recitabunt: postmodum aerem excipiant, atque spatientur. A tertia ad quartam pomeridianam in ternos, seu quaternos, juxta eorum numerum divisi, de rebus ad studia pertinentibus simul conferant; unus tamen ex Regentibus curet, ut hujusmodi collationes circa ea versentur, quae intra hebdomadam discussa, aut postridie discutienda fuerint. A quarta ad quintam legant eruditionum, aut variarum lectionum libros, nec prohibetur, quod aliqui, Rectore permittente, domo exeant ad ejusmodi lectionem habendam in vicinia Collegii: nemo autem solus exeat, nec aliquis, etiamsi associatus, accedere possit ad ullum oppidum. A quinta, horae dimidio orationi meditando vacent; inde Matutinum incipiant officium, quo absoluto ad studendum recedant usque ad octavam, qua hora ad Refectorium pergant. Post cenam confabulatio, et demum cubitum successio. »

» A Kalendis Maji ad diem vigesimam Septembris, hora quarta matutina surgant; usque ad sextam cum dimidio studeant: cae-

tera vero prosequantur, ut supra sunt statuta. Disputatio quoque eadem hora fiat, et proportione servata, cuncta, quae mane agenda sunt exequantur. Vesperae vero, et Completorium hora tertia pomeridiana recitentur; a quarta ad quintam, matutinum, inde ad sextam, ut supra divisi conferant; postmodum usque ad septimam cum dimidio varia lectio; mox Oratio vespertina: hora octava cenabunt; demum confabulatio, cubitumque successio. »

» A die vigesima Septembris ad Festum S. Lucae eodem modo distribuantur horae quoad Chori functiones, ac hiberno tempore. »

» Literaria exercitia haec erunt: Quatuor saltem in hebdomada disputationes habeantur: bis vero in mense, quae Dominicales appellantur. Horis hae pomeridianis expleantur, et duas horas durent, a tertia scilicet ad quinta, a festo S. Lucae ad Kalendas Majas; inde ad Kalendas Septembris, a quarta ad sextam. Iis diebus, quibus Dominicales habeantur, Matutinum hiemali tempore a quinta ad sextam; aestivo a sexta ad septimam persolvatur: Vesperae, et Completorium horis jam praescriptis. »

» Disputationibus alternis vicibus a Cursoribus sustinendis intersint, P. Rector, Patresque Regentes; hi vero, non ille, alternis hebdomadis praesint: idemque in Dominicalibus servetur. In Ordinariis disputationibus soli Cursores argumenta ordine suo proponant; ab antiquiori incipientes: in Dominicalibus duo Cursores argumenta quidem proponant; sed Rector, et Regens, qui a praesidentia vacet, replicabunt. »

CAPUT VI.

Collegii Exercitia statuuntur.

» A festo S. Lucae ad festum Sancti Joannis Baptistae ex quatuor disputationibus in singulas hebdomadas affixis, duae ex Theologia Scholastica desumantur; bis tantum in mense quaestiones Scholastico-Dogmaticae discutiantur: aliae vero duae sint de Sacra Scriptura, videlicet super veteri, novoque Testamento. Quae Dominicales appellantur, semper ex Theologia Scolastica excerpantur. »

» A festo Praecursoris ad diem vigesimam Septembris exclusive idem disputationum numerus per hebdomadas habeatur: at vero ex illis duae sint Philosophicae, ab ipsa Dialectica incipiendo; caeterae duae de Morali Theologia ex probatis Doctoribus desumptae. Toto hoc temporis intervallo durante, cessent Dominicales, earumque loco Regentes alternatim a quarta ad quintam horam pomeridianam explicent unum ex Nostrorum Constitutionum capitibus, dubiisque a Cursoribus proponendis respondeant. »

» A vigesima die Septembris ad vigesimam octavam ejusdem inclusive spiritualibus vacent exercitationibus, norma desumpta ab iis, quas Beatissimus Ignatius de Loyola praescripsit. »

» A festo Archangeli Michaelis ad usque decimam nonam Octobris quodcumque cesset scholasticum exercitium: Cuncti tamen Cursores singillatim latino elucubrabunt sermone Orationem habendam mane S. Lucae post Missarum solemnia. Ad horae quadrantem, parum plus, minusve ejusmodi exigatur Oratio, sitque studiorum paraenetica: In ea Sacrae Scripturae, ejusque filiae, Sacrae nimirum Theologiae, laudes efferantur, neque ancillarum mentio desideretur aliarum nempe scientiarum, quarum explicetur utilitas. Ad Oratorem designandum octo dies ante festum S. Lucae afferant omnes, quas elucubraverint, Orationes ad P. Rectorem qui ipsis adstantibus Cursoribus, sorte extrahat Oratoris nomen, et cui sors obtigerit, pro rostris suam stato die dicat. Omnes hoc pacto in rem valde utilem operam conferant; licet unus sit verba facturus: atque ita cultiori latino sermoni omnes incumbent; cujus ignorantia scientiis praetium imminuit, earumque Professores ludibrio exponit. »

CAPUT VII.

De Vacationum diebus.

» A die quoque vigesima tertia Decembris ad secundam Januarii exclusive cessent

literaria exercitia: Item per octiduum ante feriam quartam paschatis exclusive, et in triduo Pentecostes. »

» Praeterea singulis hebdomadis die uno a studio quiescant, quo die si e Collegio exire valuerint, omnes simul exeant, ad Campestria tantum: hinc quatuor singulis hebdomadis affixae sunt disputationes. »

» Quatenus ob aliquam festivitatem, aut in honorem alicujus ex Caelitibus P. Rectori congruum videatur a literaria exercitatione cessari, illa hebdomada alius feriatus dies denegatur. »

» Si vacationum diebus domo exire nequiverint, provideat P. Rector, ut, quod in deambulatione insumendum fuisset, tempus, alio honestae, religiosaeque oblectationis genere compensetur. »

CAPUT VIII.

De Concursibus.

» Quum Praelatus Provincialis, convocatorias ad Scholasticos concursus habendos dederit, pro convocatis habeantur, quin et in literis ipsis id exprimatur, quotquot ex Cursoribus triennium Cursoratus absolverint in hoc, et in Romano Collegiis. »

» Accurrant igitur praestituto tempore ad Conventum in Literis designatum: opportunum tamen videtur, quod Concursus in hoc habeantur Collegio, ne nimis Cursores graventur sumptibus. »

» Si patrato Concursu, alicui Concurrenti officium conferatur, Cursoratus illico pro vacante habeatur: Sin autem officio vacuus discedat, ad absolvendum quartum Cursoratus annum regrediatur. »

» In quolibet Concursu impleantur Cathedrae Philosophiae, et Theologiae, nec non Praedicaturae, quae vacuae fuerint, aut quas ante futurum Concursum vacare contigerit. »

» His porro officiis Cursorum merita remunerentur: et quemadmodum Lectores jubilati, antiquitatis in Lectura ordine servato, Praesentati, aut Magistri gradus assequuntur, sic disponentibus Nostris Constitutionibus: ita etiam Praedicatorum generalium gradus conferantur Cursoribus, qui in Praedicatores majores instituti fuerint, postquam tamen Praedicationis duodennium a nostris Sacris Legibus praescriptum compleverint. »

» Nolumus tamen praecedenti Statuto quidquam detractum iis Praedicatoribus jubilatis, qui ad earumdem Constitutionum tramites, jus habeant ad Praedicatorum generalium gradus a Rev. Diffinitorio dignioribus conferendos: sed eorum jus salvum, et illaesum persistat, donec adfuerint Praedicatores jubilati ante haec statuta Praedicaturam assequuti. »

» Hujus quoque Statuti vigore quoad collationem graduum Praedicatorum generalium declaramus, in posterum eos Praedicatores emeritos, qui Cursoratum in hoc, aut in Romano Collegiis expleverint, eisdem frui debere exemptionibus, ac privilegiis, quibus Lectores jubilati frui solent; sola praelatione in sedendo, et praecedendo Lectoribus jubilatis praeservata. »

» Ubi ad Concursum agendum steterint Cursores, Minister Provincialis, accuratis prius receptis notitiis, praesertim a Rectore, et Regentibus, praeter ea specimina, quae ipse viderit, de uniuscujusque ingenio, moribusque, decernat, quod ex eis nonnulli experimenta subeant opportuna ad Cathedrarum, alii vero ad Suggestus exercitia. Prioribus itaque propugnandae theses assignentur juxta stylum, atque praescriptum in Sacris Constitutionibus, et in hisce Statutis: Posteriores vero praelegant super Sacris Bibliis, selecto ab unoquoque themate post trinam sortitionem, duas nempe in veteri, unam vero in novo Testamento. In caeteris eadem, quae pro Concursibus ad Cathedras stabilita sunt, quoad hos quoque servetur. »

» Si inter Cursores nemo adfuerit praescriptis, tum ad Lecturas, tum ad Praedicaturas qualitatibus pollens, arbitrio Ministri Provincialis, et Judicum earum collationes aliis dignioribus faciendae reservantur. »

CAPUT IX.

De aliis in Collegio degentibus.

» Quoniam in Cursorum Collegio, praeter hos, aliorum quoque Religiosorum opera

necessaria dignoscitur: qui in Collegio Sanctae Mariae de Virtutibus prae caeteris necessarii fuerint ad agrorum curam, eleemosynarum quaesturam, aliaque officia exercenda, quibus Regularis Communitas maxime indiget, prudentiae ac diligentiae Rectoris, cum Ministri Provincialis approbatione, destinandi reservantur, habita ratione eorum, quos conducentiores agnoverint, ut Collegium ipsum rebus omnibus sit instructum: nec in aliis officiis per quae a propriis, quibus sunt destinati, distrahantur, valeant occupari. »

« Potissimum invigilet Rector, ne Cursores ad habitaculum, in quo hospites excipiantur, aliquando pergant, et suam quoque curam in id adhibeant Regentes: volumus enim quod Praelatus nulli pareat diligentiae, ut Cursores suum munus exacte impleant. Cum eis tamen agat prout decet laborantes in obsequium, bonum nomen, et decorem totius Provinciae, quos proinde prosequi debemus, amore, et existimatione. »

CAPUT X.

De Cursorum Cellis.

« Quilibet Cursor solus in Cella degat, ut etiam Sacrae jubent Constitutiones lib. I. Cap. XV, et omnino serventur ibi disposita §. ultimo. Sin autem ob Collegii angustiam, ut bini in una degerent Cella, nec foret, id primum in caeteris Religiosis, qui de familia fuerint, servetur, et nonnisi extrema urgente necessitate ad Cursores extendatur. »

CAPUT XI.

De officio erga vicinos PP. Augustinianos.

« Parvam considerantes hujus Nostri Collegii distantiam a Madrigalii Oppido, in quo Conventum obtinent Augustiniensis Ordinis Religiosi, ibique sua cogunt Provincialia Comitia; quatenus P. Rector Cursorum decori, nostraeque Provinciae, et Ordinis splendori id conducere putaverit, nec ullum inde oriturum praeviderit obstaculum, potestatem ei facimus tres, aut quatuor ex Cursoribus ipsis seligendi, eosque mittat ad proponenda argumenta adversus publicas theses, quas occasione hujusmodi Comitiorum inclyti illius Ordinis Alumni propugnare solent. »

CAPUT XII.

Procurae officium Cursoribus vetitum.

« Caveat Rector, ne ipse committat, aut ab alio Superiore alicui ex Cursoribus committi sinat titulum munusve Procuratoris. Quapropter si aliquando Collegio expediendum occurrat negotium in Civitate, Oppido, Loco, Pago, Ruri, ut alibi, Cursores ut ad illum expediendum pergant, omnino vetantur; praeterquam ubi res urgeat, dilationemve non patiatur, nec copia habeatur alterius Religiosi, aut Familiaris, sive etiam Amici, cui committi possit. »

CAPUT XIII.

De Annualibus informationibus.

« Quotannis Mense Januario ineunte Rector, atque Regentes Ministrum Provincialem accuratissime, et per quam exacte instructum reddant de Collegii statu, profectu, et Collegarum moribus, studiis, ac disciplina. Quilibet autem ex ipsis sejunctim, ac altero prorsus inscio id exsequatur, proprio firmans juramento, atque subscribens clausula quam exaraverit relatione. »

« Si inde Minister Provincialis dignoscat, aliquos in Collegio adesse, aut nimium desides, aut pravis moribus inquinatos, pacisque, aut studiorum perturbatores, pervicaces, et in Superiorem refractarios, atque rebelles, Collegio statim amoveat, inhabilesque perpetuo declaret ad Cathedras, et Praedicationem exercendas. »

CAPUT XIV.

De Concionibus habendis.

« In Collegio Praedicatorem Majorem adesse nolumus. Sermones autem in festis San-

ctissimae Trinitatis Beatissimorum Proto-Parentum, ac Sanctae Mariae de virtutibus Rector a Regentibus habendos praescribat quibus justo stipendio laboris mercedem rependat ex Collegii facultatibus. »

« Ut vero Cursores Collegio simul inserviant, et in Sancta Prædicatione instruantur, designentur ad sermones habendos in majori hebdomada, caeterosque qui haberi solent in proximis Pagis, aut Oppidis, a quorum eleemosynis magna ex parte ejusdem Collegii alimonia pendet et in futurum magis pendere speratur. »

« Quum aliquis Cursor e Collegio ad Oppidum sermonem ibi habiturus porrexerit, teneatur omnino postera die a Concione habita ad Collegium reverti: pridie autem, et non ante e Collegio discedat. »

CAPUT XV.

De familiari conversatione inter Cursores.

« Summam pariter adhibeat curam, ac diligentiam P. Rector, ut Cursores seipsum interrogent, et invicem colloquantur urbane, ac honeste, praesertim, ut evitent contumelias, satyricos sales, atque inurbana dicteria, quae discordiarum esse solent saeminaria. Nequaquam tamen prohibemus lepida dicta, jocosque innocuos, et urbanos, quos Eutrapelliae virtus regit, nec repraehendi ullo modo possunt, eisque cum moderamine tamen, inter se agere valeant, si quando vana credulitate, aut vulgi opinione se decipi quis passus fuerit, aut si exoticas, ineptas plebejasque voces usurpaverit, aut in pronunciatione, scriptione, vel similibus barbarum quid resonaverit, aut exoraverit. »

CAPUT XVI.

Comica vetantur.

« Si in feriis Natalitiis, aut aliis, Cursoribus libuerit eruditum aliquod aut ingeniosum certamen, Academico, ut ajunt, more instituere, P. Rector annuat, illudque moderetur. Nulla tamen de causa, etiamsi aliorum intercesserint officia, comicas agi fabulas permittat, multoque minus faemineo personatos habitu incedere: praeter enim eas, quae in Sacris Canonibus hac de re extant prohibitiones, aliena prorsus sunt a nostra Regulari professione, aeque ac literarum studiis. »

« Quatenus vero ex gravissima causa tollerandam putaverit idem Rector comicam aliquam actionem, nullus ex sibi subditis actoris partes ineat, sed solum spectatores esse permittatur. »

CAPUT XVII.

De Subsidiis.

« Inviolabiliter observetur, quod omnes Conventuum Ministri quorum Alumni inter Collegii Cursores recenseantur, eorum singulis, ac etiam Regentibus unoquoque triennio re vestiaria ita provideant, ut etiamsi in aliquo Conventu degentibus Religiosis singulis triennis eam suppeditari solitum non fuerit, teneantur tamen suis Alumnis in Collegio degentibus illam praebere. »

« Ut Collegii subsistentiae, et Regentium, Cursorumque subsidiis consulamus, annuus redditus trium mille quadrigentorum, et octo Regalium de Vellione pro Dote hanc in causam assignatur, tali ratione distribuendos: cuique ex Regentibus annua trecenta Regalia; cuique vero ex Cursoribus oleum lucernae, papyrus, et alia ad subscribendum necessaria, calceorum saltem paria duo, internarum, externarumque vestium mundicies, nec non in pecunia, Regalia triginta ad certas indigentias, quotannis respective suppeditentur. »

« Quidquid inde superest, primo triennio insumatur in providendis de re vestiaria interna, tum Regentibus, tum Cursoribus, et in restaurandis eorum habitationibus, acceptique, et insumpti rationem Rector separato calculo reddat Provinciali Ministro, ac Definitorio in Capitulo: transacto autem primo triennio quidquid supersit in necessarios Collegii usus erogetur. »

« Ne quod, tum Regentibus, tum Cursoribus praebendum esse hic praescribitur, subministrari negligatur P. Procuratori qui curam habuerit exigendi hujusmodi redditus, in mandatis dare valeant, ut penes se retineat quidquid ipsis suppeditandum fuerint, donec de eo sint satisfacti. »

CAPUT XVIII.

De Bibliotheca.

« Ad Collegii Bibliothecam, quae proprie communis est toti Provinciae, Codicibus locupletandam, suam symbolam conferant omnes Conventus in illius usum aliquot libros, ex iis praesertim, quos duplices habeant, concedendo: idemque faciendum optamus a Patribus Capitularibus pro cujusque viribus. Neque hac in re alienatio subesse judicetur, sed potius laudabilis usura; quod enim lucrum ex librorum studio percipimus, tali eorum concessione universa sentiat Provincia. »

« Hinc etiam Mortuorum libri, qui in eorum Conventibus non desiderentur, et Collegio utiles fuerint, eidem applicentur Bibliothecae. »

« Curet quoque P. Minister Provincialis, ut modis opportunis elenchum a singulis recipiat Conventibus eorum librorum, quorum duplicia retineant exemplaria, suaque satagat prudentia, et vigilantia, ut ad ditandam novi Collegii Bibliothecam inferantur. »

CAPUT XIX.

De horum Statutorum interpretatione.

« Quaecumque circa haec statuta occurrerint dubia, praeter explorationem Sententiae eorum, a quibus subscripta fuerint, donec in humanis egerint, dirimantur quoque ad Sacrarum Constitutionum, legumque municipalium tramites, spiritum potius, quam verborum corticem scrutando. Si inde decisio hauriri nequeat, ad jus commune res redeat, et viri de eo periti consulantur. »

CAPUT XX.

De eorumdem observatione.

« Qua die Rectoris officium quis administrandum susceperit, coram tota Communitate horum Statutorum observationi juramento se obstringat, quodque ea, tum a Regentibus cum a Cursoribus viriliter observari faciet. Regentes item pro eo, quod sua interest, juramentum in manibus Rectoris perhibeant prima die sui exercitii; et hi omnes quotannis kalendis Januarii illud iterent. »

CAPUT XXI.

De Conservatore eligendo.

« Studiosorum virorum coetus prae aliis Protectore indigent: proinde, ut primum Collegium formatum fuerit, illius congregetur Communitas, maturaque deliberatione, ac juxta formam a jure praescriptam Conservator Judex eligatur, ut ubi is defecerit, alter subrogetur. »

CAPUT XXII.

Facultates Ministri Provincialis.

« Amplissimae tandem a Rev. Diffinitorio R. P. Provinciali Ministro tribuuntur facultates, ut haec Statuta his, aliisve verborum formulis, et concinnius, si opus fuerit, ornentur, et Provinciae sumptu typis edantur, ac publicentur. »

« Ita decreverunt, ac statuerunt congregati Rev. Diffinitorii Patres. Magister Fr. Fabrianus Rodriguez Provincialis Minister » Fr. Didacus a Cruce primus Diffinitor » Fr. Franciscus Fernandez de Quevedo secundus Diffinitor » Fr. Josephus Valdenebro, et Tapia tertius Diffinitor » Fr. Joannes de Turre quartus Diffinitor » Ita est, et de eo fidem perhibeo Fr. Emmanuel Colina a Secretis. »

§. 3. Quare praedictus Minister Provincialis Nobis humiliter supplicari fecit, ut pro perenni dicti Collegii Cursorum stabilitate, ejus erectionem, tum etiam Statuta, quae pro ejus

Preces p... rectae ... supra rel... rum Sta... torum ... probatione

bono regimine, et directione per Diffinitorium Provinciale, ut praefertur, confecta sunt et a praedicta Congregatione Cardinalium probata, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae praesidio, ac patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur.

...ex pre... annuit, Statuta firmat, probat. §. 4. Nos igitur ipsius Ministri Provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de memoratorum Cardinalium consilio, erectionem, et institutionem Collegii Cursorum, vulgo *Pasantes*, nec non statuta, et decreta praeinserta, ac omnia, et singula in eis contenta, ea tamen lege, ut Cursores illi, qui hic, et nunc sunt in propriis Conventibus, libertatem habeant ad Collegium concurrendi, et ad altiora studia se se accingendi, firmis autem remanentibus privilegiis, de quibus loquuntur Constitutiones Ordinis libro II. Cap. V. Tit. de Cursoribus favore non concurrentium, et in propriis Conventibus remanere volentium, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur, adjicimus, ac omnes et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

...usula su... , et de... ...um irri... §. 5. Decernentes, ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis ac quatenus opus sit, quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quinta Januarii Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto, Pontificatus Nostri anno Septimo. Derogatio contrariorum.

CDLI.

Confirmatio Ordinationum factarum in actu Visitationis a Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum pro Conventu Cadicensi, et pro reformatione Cappellae Ecclesiae ejusdem Conventus adnexae pro Tertiariis secularibus utriusque sexus. Dat. die 24. Jan. 1765. Anno VII.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae sapientiae, atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti, ea, quae pro salubri Religiosorum virorum sub suavi Christi jugo, arctiorisque disciplinae instituto mancipatorum administratione, regimine, atque gubernio provide, atque sapienter constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata serventur, nec teme- Proemium

rario cujusquam ausu violentur, Apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter roboramus.

Exponuntur abusus derivantes ex nimio ornatu Cappellae Tertiariorum Ecclesiae hujus Conventus adnexae.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus a Colindres Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupati, quod cum ipse perageret visitationem Conventuum sui Ordinis in Provinciis Hispaniarum, in Conventu Civitatis Cadicensis reperit quamdam Cappellam, seu Oratorium publicum pro usu Tertiariorum saecularium utriusque sexus in atrio Ecclesiae ipsius Conventus aedificatam, in qua cum comperisset quosdam abusus, tum quoad ornatum ejusdem Cappellae, tum quoad personas Tertiariorum, atque etiam Religiosorum sui Ordinis, ad restituendam congruam, et rectam disciplinam, bonumque rerum ordinem, et ad removendos omnes, et quoscumque abusus, unde processu temporis gravia mala oriri possent, quasdam condidit constitutiones, quae deinde fuerunt approbatae, et confirmatae a Ven. Fratre Lazaro Archiepiscopo Naupactino apud carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum Regem Catholicum, Nostro, et Apostolicae Sedis Nuncio, quarum tenor est, qui sequitur.

Tenor Ordinationum factarum a Ministro Generali hujus Ordinis, in actu visitationis.

« Nos Fr. Paulus a Colindres totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum Minister Generalis. Cum visitaverimus Cappellam Nostrae Ecclesiae contiguam, in suo territorio erectam ad usum, et exercitia Fratrum Tertii Ordinis Nostri Seraphici Patris, sub directione spirituali Nostrorum Commissariorum, quibus ad hunc effectum opportunas, et necessarias facultates communicavimus; cumque observaverimus, quod ibi in Altaribus sculptura nimis perpolita, et aurata appareant extra modum, et contra simplicitatem, et paupertatem, quas Seraphicus Pater adeo diligebat, et quas in Ordinis sui Ecclesiis observari volebat, uti revera fit in omnibus Ecclesiis sub directione Nostra positis. Considerantes insuper, quod ii veri Filii Seraphici Patris haberi non possint, qui nisi ex voto, et obligatione, saltem ex talium filiorum devotione, et affectu, ad ipsius spiritum nullatenus, se conformant, coacti sumus facere, sicuti de facto facimus, ordinationes sequentes. »

» I. Ut singula exercitia dicti Tertii Ordinis in Nostra Ecclesia fiant, minime vero in praefata Cappella, quamdiu auratura, non erit Vernigine, aut aliquo honesto colore induta, et altaria quamdam non exhibebunt modestiam, quae nusquam vanitatem, curiositatem, oculorumve sensualitatem redoleat, sed compunctionis, et poenitentiae spiritum excitet, ad quem finem principalem Seraphicus Pater hunc Tertium Ordinem in favorem saecularium instituit. »

» II. Qua de causa aufertur pulpitum, quod in praedicta Cappella reperitur, ex eo, quod omnes conciones in Nostra Ecclesia fieri debeant, amovebitur pariter quaelibet poenitentiae sedes in supradicta Cappella pro Fratribus Tertiariis erecta, prohibemusque ne in dicta Cappella confessiones audiantur, donec reformetur, uti dictum fuit. »

» III. Mandamus itidem, ut omnia exercitia dicti Tertii Ordinis, quae post prandium fieri solent, vel fiunt, terminentur ante quintam horam post meridiem, ne completorium, quod hac hora a Religiosis familiae cantari debet, aut oratio mentalis, quae sequitur, aliquod impedimentum patiantur; attendant porro Domini Tertiarii illud ipsis plurimum proficuum pro Coelo fore, si terminatis solitis exercitiis, Religiosos in spiritu comitentur, dum cantant Completorium, et vacant meditationi. »

» IV. Ut autem haec Cappella, et Sancti, quibus dedicatur aliquem accipiant cultum, (quem quidem majorem, post praescriptam reformationem, accipient) praescribimus, et mandamus, ut singulis diebus festivis R. P. Guardianus aliquem Sacerdotem ibi celebraturum mittat, cum Socio, qui missae inserviat, et hoc per illud intermedium tempus, quod superest ex horis Canonicis, idest a prima et tertia, ad sextam, et nonam. »

» V. Audivimus, quod praefatae Cappellae clavem habeat unus saecularis, qui titulum Sacrestani assumens in dicta Cappella dormit, diu noctuque, ad suum libitum ingreditur, et egreditur: quod absque dubio plurimis incommodis, et confusionibus obno-

xium est; nostri muneris est haec mala praevenire, et amovere, proindeque mandamus, ut unica sit clavis, quam apud se retineat R. P. Guardianus, qui eam consignabit toties, quoties opus erit dicere Missam, everrere Cappellam, praeparare lampadem ec. ita, ut his functionibus, et similibus peractis, clavis restituatur R. P. Guardiano, qui nunquam illam dabit, nisi in iis dictis occasionibus. »

» VI. Atque ut cuilibet alio malo occurramus, praescribimus, et mandamus, ut nec R. P. Guardianus, nec alius qualiscumque gradus, aut dignitatis Religiosus possit recipere, aut permittere, ut recipiantur in dicta Cappella visitationes, et salutationes particulares, et multo minus, ut ibi ministrentur refrigerationes, chocolatum, jentaculum, merenda, sive in Sacrestia, sive in ejus area, vel in alia parte ipsius ambitus, qui his rebus semper occludatur, sub poena suspensionis ab officio ad quatuor menses in Superiorem, qui talia permittet, infligenda. »

» VII. Nobis porro locus est sperandi, Nostros Fratres Tertiarios cum obsequio, et cordis affectu has recepturos esse ordinationes, quas ipsis Nos, uti Minister Seraphici Patris peramanter facimus, desiderantes, ut sicuti tam sancti Patris filii esse jure merito gloriantur, ita se exhibeant ipsius imitatores in spiritu humilitatis, patientiae, devotionis, puritatis, paupertatis, simplicitatis; hac spe adducti illos uti fratres amplectimur, nostramque benedictionem paternam ipsis impertimur. Verum si e contra insistant (quod non credimus) in retinendo vanitatis, et curiositatis spiritu, qui in praedicta Cappella apparet, et qui vere opponitur spiritui Seraphici Patris, ipsis nunc declaramus, nos non posse illos, uti ipsius filios, nostrosque fratres agnoscere, nec illis communicare has gratias, et indulgentias; a Summis Pontificibus ipsis concessas, in quantum Nobis erunt obedientes, et subjecti nostrae directioni spirituali. Ita praescribimus, ordinamus, praesentesque ordinationes manu propria subscriptas sigillo officii Nostri muniri mandavimus. Datum in hoc Conventu Nostro Cadicensi 21. Decembris 1763. » Fr. Paulus Minister Generalis. »

§. 3. Ut autem hujusmodi constitutiones, statuta, et decreta firmius subsistant, et non solum a viris Religiosis sui Ordinis, sed etiam a saecularibus Tertiariis, utriusque sexus in futurum serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderat. Nos igitur ipsum Paulum Ministrum Generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinserta decreta, et ordinationes a praedicto Paulo Ministro Generali in visitatione Conventus hujusmodi facta, ut praefertur, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Inhibentes propterea omnibus, et singulis Superioribus, et Fratribus dicti Conventus, quacumque auctoritate, vel superioritate fungentibus, et functuris sub privationis officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, nec non privationis vocis activae, et passivae, poenis ipso facto absque alia declaratione incurrendis, nec ullo unquam tempore in quibusvis, et generalibus dicti Ordinis Capitulis praemissorum omnium derogationem, inconsulta Sede Apostolica petere possint.

Pontifex ad preces praelaudati Ministri Generalis, Ordinationes supra relatas confirmat, et approbat.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et Vice-Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et

Clausula sublata, et decretum irritans.

auctoritate judicari, et definiri debere: ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §. 5. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non Conventus, et Ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Januarii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDLII.

Dat. die 25. Jan. 1765. Anno VII.

Indulgentia plenaria pro Religiosis, et Monialibus Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum conceditur qualibet die trium Anniversariorum qui in eodem Ordine statis diebus celebrari solent, tum pro Fratribus, et Monialibus defunctis, tum pro eorum Parentibus, et Consanguineis, tum denique pro benefactoribus.

Clemens Papa. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum modernorum Procuratorum, Congregationis Italiae, Germaniae, Hispaniae, Indiarum, et Portugalliae Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Nobis nuper expositum fuit, in singulis Ecclesiis Fratrum, et Monialium dictarum Congregationum, tria quotannis Anniversaria, unum pro omnium, et singulorum Fratrum, et Monialium Congregationum hujusmodi Defunctorum die XIV. Novembris immediate post Festum Omnium Sanctorum dicti Ordinis, et alterum pro eorumdem Fratrum, et Monialium Parentum, et Consanguineorum, seu Affinium defunctorum animarum refrigerio die prima post festum S. Agathae Virginis, et Martyris non impedita, et reliquum in suffragium animarum benefactorum dictarum Congregationum die post festum SS. Petri, et Pauli Apostolorum pariter non impedita celebrari consueverint. Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam eorumdem Fratrum, et Monialium devotionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus praedictorum Procuratorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis Fratribus Congregationum hujusmodi, in sacro Presbyteratus Ordine constitutis, qui missam in diebus, quibus Anniversaria praedicta celebrabuntur in Ecclesiis dictarum Congregationum respective celebraverit, plenariam; aliis vero Fratribus Congregationum hujusmodi non celebrantibus, nec non Monialibus praedictis, vere poenitentibus, et confessis, ac sacra comunione refectis, qui Missae, seu Officio Defunctorum in Ecclesiis praedictis, diebus Anniversariorum hujusmodi celebrandis devote interfuerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium quae Deo in charitate conjunctae, ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad quindecim annos tamen valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione præsentium, aliquid vel minimum detur, aut

sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium Literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, seu Procuratorum dictarum Congregationum obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Januarii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno VII.

CDLIII.

die 6. ...arii ... Ann

Laudat Herbipolensem Episcopum quod librum Justini Febronii improbaverit, eumque hortatur ut Edicto suo in Dioecesi praescribat observantiam proscriptionis hujus libri jam a Sancta Sede indictam.

Vide Epistolam supra relatam hoc Tomo sub num. CDXXXIV. pag. 895. et adnotationem ibi appositam.

Venerabili Fratri Adamo Federico
Episcopo Herbipolensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Luculentum observantiae erga Nos tuae, tuique in Apostolicam Sedem officium Fraternitas tua humanissime exhibuit cum per occasionem redeuntis Dominici Natalis diei, et ad sua initia recurrentis anni, laetissimis auspiciis rerum omnium secundarum cursum Nobis ominaris, Deumque te orasse scribis, ut bonum ejusmodi abs te susceptum omen suo nomine et voluntate confirmet. Caeterum omni ex parte litterarum tuarum se ostendit praeclara devotio tua in Apostolicam Sedem, cujus auctoritatis, et dignitatis te caeteroquin fuisse et esse studiosissimum, plurimis indiciis antea declarasti: Et nunc nova se occasio obtulit, qua potes novum praebere argumentum egregiae tuae voluntatis et alacritatis ad Romanam Cathedram defendendam ab hostibus Catholicae Ecclesiae, qui temerariis impiisque conatibus eam evertere sunt agressi. Nosti Ven. Frater quo imbutus veneno prodierit liber Justini Febronii et quid ipse feceris ut idem liber ejusque doctrina opprimatur ex aliis tuis literis intelleximus. Sed a Fraternitate tua merito petimus, qui zelo Dei, et in Apostolicam Sedem observantia sis nulli secundus, immo singularibus quibusdam significationibus quacumque, data occasione tuam in eamdem Apostolicam Sedem pietatem et devotionem insignem feceris, nunc cum caeteri omnes Germaniae Episcopi publicaverint Decretum Nostrum, quo eum librum indignum declaravimus, qui ab homine Catholico legatur, ne patiaris id a tuis laudibus abesse, quod in illis Episcopis laudavimus. Itaque te in Domino obsecramus, ut solemni, quemadmodum illi fecere, Edicto tuo memoratum decretum populo tuo notum facias, eumque jubeas eidem decreto debitam exhibere obedientiam. Id si feceris, quod quidem te facturum non dubitamus, arctiori quodam vinculo Apostolicum animum Nostrum tibi devinxeris; Et Fraternitati tuae, quam in sinu gerimus charitatis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die sexta Februarii MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDLIV.

Officium, et Missa Sanctissimi Cordis Jesu, pro Regnis Poloniae, nec non pro Archiconfraternitate Urbis sub ejusdem invocatione conceditur a S. Rituum Congregatione, Decreto quod Pontifex plene approbavit. Dat. die 6. Februarii 1765. Ann. VII.

POLONA

Instantibus pro concessione Officii, et Missae Sanctissimi Cordis Jesu plerisque Reverendissimis Episcopis Regni Poloniae, nec non Archiconfraternitate Urbis sub hoc titulo erecta; Congregatio Sacrorum Rituum habita die XXVI. Januarii hujus Anni probe noscens,

cultum Cordis Jesu jam hodie esse per omnes fere Catholici Orbis partes, foventibus earum Episcopis, propagatum, saepe etiam a Sede Apostolica decoratum millies Indulgentiarum Brevibus, datis ad innumeras propemodum Confraternitates sub titulo Cordis Jesu canonice erectas; simulque intelligens hujus Officii, et Missae celebratione, non aliud agi, quam ampliari cultum jam institutum, et simbolice renovari memoriam illius Divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius, humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quo esset mitis, et humilis corde; his de causis, referente Eminentissimo, et Reverendissimo D. Cardinali Episcopo Sabinensi; audito Rev. P. D. Cajetano Forti Promotori Fidei, praevio recessu a decisis die XXX. Julii MDCCXXIX, annuendum precibus censuit Episcoporum Regni Poloniae, et dictae Archiconfraternitatis Urbis, deliberatura deinceps de officio, et Missa rite approbandis. Quod quidem Congregationis votum, per me Secretarium relatum Sanctissimo D. N. Clementi Papa XIII, Sanctitas Sua, hujus etiam Decreti tenore perlecto, in omnibus approbavit. Hac die VI. Februarii MDCCLXV.

Joseph Maria Cardinalis Ferom Praefectus — S. Burghesius S. R. C. Secretarius.

CDLV.

Dat. die 12. Martii 1765. Anno VII.

Indulget ut in Cappella Ædium Universitatis studiorum Civitatis Cerverae quotidie celebrari possit unum Missae sacrificium, nonnullis solemnioribus diebus exceptis.

Venerabili Fratri Episcopo Celsonensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Exponitur in Aedibus hujus Universitatis studiorum constructam fuisse Cappellam decenter ornatam, et necessariis instructam suppellectilibus.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Universitatis Studii Generalis Oppidi Civitatis nuncupatae di Cervera Celsonensis Dioecesis, quod in aedibus Universitatis hujusmodi splendide, ac magnifice extructis a Cancellario Universitatis praedictae cui pro tempore existenti jurisdictio tam Civilis, quam Criminalis in Scholares, Professores, aliosque Ministros dictae Universitatis per fel. rec. Clementem PP. XII. praedecessorem Nostrum tradita reperitur, destinatis, Cappella decenter constructa, numerisque omnibus ad Sacrosanctum Missae Sacrificium ibidem celebrandum absoluta existit: proindeque Exponentes praedicti pro ejusdem Cancellarii pro tempore existentis, ipsiusque familiae spirituali consolatione in ea praedictum Missae Sacrificium celebrari facere posse plurimum desiderant. Nobis propterea eorumdem Exponentium nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex indulget ut supra re Cappella quotidie Missae Sacrificium celebrari liceat.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac praedictam Universitatem optimis praesertim Ecclesiasticarum aliarumque Scientiarum, et ingenuarum Artium studiis maxime florentem auctoritatis Nostrae muneribus decorare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuae, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, moderno et pro tempore existenti Cancellario Universitatis hujusmodi, in dicta Cappella aedium praedictarum ad hoc decenter extructa, et ornata, seu extruenda, ac ornanda, ab omnibus domesticis usibus libera per te prius visitanda, et approbanda, deque tui licentia arbitrio tuo duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem aedibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem a te approbatum Saecularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium, praejudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque

solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, ac familiae suae praesentia celebrari facere libere, et licite possit, ac valeat, licentiam auctoritate Nostra Apostolica arbitrio tuo concedas, et indulgeas.

...gatio ...ario... §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod alii praeter supradictas personas ibidem Missae hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto, minime liberi censeantur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDLVI.

...die 12. ...i 1765. ...VII.

Instrumentum, et pacta, quibus novum in Faventina Civitate Hospitale Religiosis Ordinis S. Joannis de Deo administrandum traditur confirmatur, et approbatur.

Venerabili Fratri Episcopo Faventino.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

...rtur te- ...praece- ...uum li- ...um su- ...rectione ...s novi ...italis. §. 1. Pro parte tua Nobis nuper expositum fuit, quod aliae pro erectione novi Hospitalis, seu Nosocomii in Civitate ista Nostra, et Apostolicae Sedis Faventina a Nobis ad tui supplicationem literae in forma Brevis emanarunt, quarum tenor est qui sequitur (*omittitur harum literarum tenor quum relatae a Nobis sint in hac continuatione sub Num. CCII. pag. 474. ubi consulendae sunt*) Et quoniam in iisdem Nostris literis tibi commissum, et demandatum fuerat, ut cum primum comode fieri potuisset, de praefati novi Hospitalis, ejusque regiminis, curae, et administrationis, nec non omnium bonorum, ac reddituum, proventuum, jurium, et supellectilium quarumcumque, sive sacrarum, sive prophanarum, actualem, realem, et omnimodam possessionem, dilectos filios Fratres Ordinis S. Joannis Dei auctoritate Nostra Apostolica immitteres, induceres, atque in illa, seu illis constitueres, sub quibusdam tamen certis, et determinatis modis, legibus, et conditionibus, quae rebus omnibus mature pensatis, inter te, et eosdem Fratres per publicum instrumentum inde conficiendum, ipsius Hospitalis, rectae administrationi, manutentioni, curae, ac utilitati infirmorum, atque concordiae, et unioni inter ministros, et inservientes eidem Hospitali servandae, accomodandae, atque opportunae viderentur.

§. 2. Cum autem, ut eadem expositio subjungebat, id a te ea cura, et diligentia, qua opus erat, probe curatum, atque adimpletum fuerit, et plures etiam regulae, ordinationes, conventiones, leges, pacta, et statuta in bonum, comodum, et incrementum, atque utilitatem, tam praedicti Hospitalis, tum pauperum infirmorum inita, conventa, ac stabilita fuerint per publicum, et authenticum Instrumentum, quod est tenoris sequentis videlicet. Faventinus Episcopus Hospitale consignat Fratribus S. Joannis de Deo.

« In Nomine Domini Amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, notumque sit, quod anno a salutifera Domini nostri Jesu Christi Nativitate millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, indictione XIII. die vero vigesima sexta Februarii, Pontificatus autem SS. in eodem Christo Patris, et Domini Nostri Clementis Divina providentia Papae XIII. anno ejus Pontificatus VII » Essendosi degnata la Santità di N. S. Papa Clemente XIII. felicemente regnante di conferire l'amministrazione dell'Ospedale nuovamente eretto dalla Città di Faenza per li poveri infermi, ai Religiosi di S. Giovanni di Dio, sotto que' patti, e condizioni, che sarebbero stati concordati, e stabiliti con Monsig. Illus. e Rev. Antonio Cantoni odierno Vescovo della stessa Città di Faenza, come da Breve della Santità Sua in data 21 Aprile 1761, essendosi assunto dal medesimo Monsig. Vescovo trattato sopra di questo col Rev. P. Leopoldo Banfi Generale dell'Ordine de' suddetti Padri di S. Giovanni di Dio, dopo fatte le debite riflessioni si sono stabiliti li seguenti capitoli. » Tenor Instrumenti consignationis.

« I. Si è convenuto fra Monsig. Vescovo di Faenza, e li Religiosi di S. Giovanni di Dio Amministratori dell' Ospedale nuovamente eretto nella stessa Città per gl' infermi, ed inferme, che li medesimi Padri con le presenti entrate, e con l' accrescimento fatto dalla beneficenza di Sua Santità alle stesse, delle rendite della Parrocchia di S. Maria degl' Ughi, abbiano a mantenere trenta letti d' infermi comuni, compresi otto letti per li pazzi: in tutto ottanta letti fra infermi, ed inferme, secondo una equitativa distribuzione da concordarsi con Monsig. Vescovo. »

« II. Che con le suddette rendite abbiano a sostenere il peso della manutenzione delle fabbriche, biancherie, utensili, et tutto altro, che possa occorrere all' Ospedale, oltre il mantenimento de' Religiosi. »

« III. Che siano obbligati di ricevere tutti gl' infermi, e le inferme non solo della Città, ma anche della Diocesi di Faenza dentro il numero prescritto, eccettuati que' luoghi che hanno il proprio Ospedale, ed anche di questi quando la qualità del male lo richiedesse. »

« IV. Che abbiano da stipendiare un Chirurgo secolare pel servizio degl' infermi in annui scudi venticinque, sciegliendo uno delli più abili. »

« V. Che abbiano da stipendiare il Medico secolare, fra li più abili della Città pel servizio de' medesimi infermi. »

« VI. Che abbiano a pagare il debito de' risarcimenti de' Fiumi, e terminare completamente l' Infermeria per i tisici, col prendere anche il denaro a censo, se occorrerà e fintanto che un tal debito non verrà estinto, si permetterà che tengano due letti di meno d' infermi comuni. »

« VII. Che applicando Monsig. Vescovo, come sopra, di fare due altri capi di rendita di scudi venti l' uno, siano obbligati li Padri di mantenere due altri letti d' infermi comuni. »

« VIII. Che facendosi per l'avvenire altre lascite libere all' Ospedale, o altre applicazioni, si abbiano a crescere li letti alla ragione non meno di sc. 30. per ciascheduno degli infermi comuni, e di sc. 36 per gli invalidi, per dare qualche maggior sollievo alle rendite dello stesso Ospedale. »

« IX. Che gl' infermi tanto comuni, che invalidi, non potranno riceversi, se non con la destinazione, ed ordine de' Vescovi pro tempore: o di chi eserciterà la loro giurisdizione. »

« X. Che per invalidi s' intendano gli idropici, o accidentati, o che siano notabilmente impediti, o travagliati da altri mali cronici per cui abbiano bisogno di una particolare assistenza, o anche infermi di piaghe incurabili, che abbisognino di essere trattenuti a letto, non però persone incomodate soltanto dalla vecchiaja, o da cecità, e le qualità delle indisposizioni dovranno dichiararsi da Vescovi pro tempore, sempre però dentro il numero stabilito. »

« XI. Che debbano dare agli infermi quel vitto, e medicamenti, che verranno prescritti dal Medico, che debbano mantenerli in convalescenza per quel tempo che verrà ordinato dal medesimo Medico. »

« XII. Che debbano tenere un quartiere totalmente separato per li tisici con tutto il suo corredo di biancherie, e forniture di letti ed altri utensili necessarii, che onninamente non si adoperino mai pel servizio degli infermi, ed inservienti. »

« XIII. Che debbano mantenere tredici Religiosi, compreso il Priore, pel servizio degli infermi oltre i novizi, essendo necessario il suddetto numero per diversi offizii, che esige l' assistenza, e governo dell' Ospedale. »

« XIV. Che mantengano nell' Ospedale delle Donne numero cinque, o sei Donne servienti, compresa la Priora. »

« XV. Che mantengano tre servienti secolari, oltre il cuoco, e sotto cuoco. »

« XVI. Che non possano ammettere, e licenziare Donne servienti, senza l' espresso assenso di Monsig. Vescovo, e de' suoi successori. »

« XVII. Che Monsig. Vescovo, o suoi successori, oltre quella giurisdizione, che di ragione loro competesse, ne abbiano una particolare per quello riguarda la clausura, e custodia del quartiere delle Donne infer-

me, e loro servienti, e li Padri dovranno ricevere, ed eseguire le regole, ed ordini, che sopra questo dal Vescovo verranno loro prescritti. »

« XVIII. Che abbiano ad esercitare l'opera pia di distribuire li medicamenti alli poveri della città, secondo l'istituto della Compagnia della Morte, la quale opera pia si è trasferita nell' Ospedale insieme con tutte le sue rendite, nella quantità però di soli Sc. 600. l'anno a ragione di tassa, non comportando di più le medesime rendite, si farà la distribuzione regolarmente a ragione di scudi cinquanta per Mese, e non più; la distribuzione poi de' medicamenti debba farsi secondo la ricetta del Medico, con l'attestato del Parroco della povertà e con l'approvazione del deputato da Monsig. Vescovo; si riserva però l'arbitrio a Monsig. Vescovo odierno, di trasferire in altri l'amministrazione, ed esercizio della medesima opera pia, se così giudicherà opportuno: nel qual caso li Padri non saranno tenuti a restituire altro che li puri fondi, e non li utensili della Spezieria di già applicati per uso dell' Ospedale; derogando in questa parte le antecedenti disposizioni. »

« Ed essendo il tutto rimasto col Divino ajuto concluso, e stabilito in questa guisa tra li predetti Monsignore Illustrissimo, e Reverendissimo Antonio Cantoni Vescovo della detta Città di Faenza, e Reverendissimo Padre Leopoldo Banfi Generale dell' Ordine de' suddetti Padri di S. Giovanni di Dio, quindi volendosi tutto ciò, e quanto è stato come sopra concordato, e stabilito ridurre alla stipulazione di pubblico istromento, acciocchè sempre, e perpetuamente apparisca la verità, e non abbia mai a trascurarsi l'osservanza de' precitati capitoli, laonde avanti di me Notaro pubblico infrascritto, e delli infrascritti testimoni, presente, e personalmente costituito il menzionato Reverendissimo Padre Leopoldo Banfi Generale suddetto a me pienamente cognito, stipulante anche in vigore di special consenso, ed approvazione a maggior cautela, e validità del presente atto riportato dal Diffinitoriato della sua Religione per pubblico Istromento da me Notaro rogato sotto il giorno 25. del corrente mese, al quale ec. asserendo, ed affermando, tutte, e singole cose di sopra espresse e narrate essere state, ed essere vere e verissime, e quelle come tali ratificando, ed approvando. In esecuzione di esse, di sua spontanea, e deliberata volontà, ed in ogni altro miglior modo ec. a nome della sua Religione di S. Giovanni di Dio, alla presenza del lodato Monsig. Illustrissimo, e Reverendissimo Antonio Cantoni odierno Vescovo della predetta Città di Faenza stipulante, ed accettante a nome di tutti gl' infermi, ed inferme, de poveri, ed altre persone espresse, e comprese ne' precitati capitoli, ed in ogni altro miglior modo ec. ha dichiarato, e dichiara, che l'Amministrazione del divisato Ospedale nuovamente eretto nella detta Città di Faenza, e respettivamente l'applicazione, incorporazione, e translazione di tutte le rendite, come sopra, è stata conferita a Religiosi del suo Ordine di S. Giovanni di Dio dalla Santità del Sommo Regnante Pontefice Clemente XIII. e respettivamente gli è stata dal predetto Monsig. Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo accordata con tutti, e singoli obblighi, pesi, capitoli, e condizioni di sopra espressi, e specificati, non altrimenti ec. Che però il medesimo Reverendissimo Padre Generale, a nome come sopra della sua Religione, e del suo Ordine, ha promesso, e si è obbligato, e promette, e si obbliga tutti li precitati capitoli, obblighi, pesi, e condizioni sempre intieramente, e perpetuamente adempire, eseguire, ed osservare, e far quelli da suoi Religiosi, e da suoi Generali successori, in ogni futuro tempo, esattamente, e pienamente eseguire, ed i medesimi Capitoli aver sempre, e perpetuamente rati, grati, validi, e fermi, e contro quelli mai fare, dire, e venire, sotto qualsivoglia pretesto, causa, titolo, o ricercato colore ec. Giacchè senza tutti li di sopra espressi pesi, obblighi, e condizioni non sarebbe stata ai Religiosi suddetti conferita l'amministrazione del detto Ospedale, e molto meno gli sarebbe stata accordata l'applicazione, incorporazione, e traslazione delle divisate rendite. E per l'osservanza di tutto ciò, e quan-

to è stato come sopra convenuto, e concordato, il mentovato Reverendissimo Padre Leopoldo Banfi Generale suddetto, ha obbligato, ed obbliga la sua Religione, ed il suo Ordine, li di lui beni, e ragioni qualsivoglia nella più ampla forma della Reverenda Camera Apostolica, colle solite clausole ec. rinunciando ec. unica ec., e così toccato il petto more ec. ha giurato ec., super quibus omnibus, et singulis praemissis, tamquam rite, recte, valide, et legitime gestis, et factis, petitum fuit a me Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, aut publica Instrumentum, seu Instrumenta conficerem atque traderem, prout opus fuerit, et requisitus ero — Actum Romae in Palatio solitae residentiae Eminentissimi, et Reverendissimi Cardinalis Josephi Mariae Castelli, praesentibus Illustrissimo D. Philippo Cenci filio bonae memoriae Bernardini Perusino et Reverendo Domino Antonio Bullani bonae memoriae Dominici Brictoriensis Dioecesis, Testibus ad peracta omnia, et singula vocatis, habitis, specialiter atque rogatis —.

Preces porrectae pro approbatione supra relati Instrumenti, et pactorum in eo contentorum.

§. 3. Praeterea Nobis humiliter supplicari fecisti, quo praeinserta pacta, conventiones, regulae, et statuta firmius subsistant, et serventur exactius, et erectio Hospitalis hujusmodi suum firmum, et stabilem sortiatur effectum et sublatis omnibus impedimentis, dubiis, quaerelis, controversiis, illisque omnino deletis, atque extinctis, in bonum, et commoditatem publicam, Apostolica auctoritate, ultimo, et optimo fine perficiatur, et penitus compleatur, ut Apostolicae confirmationis, atque approbationis Nostrae patrocinio, et robore communire, et in praemissis omnibus et opportunis, si in Domino videbitur, de benignitate Apostolica providere dignaremur.

Pontifex approbat suppressionem veterum Officialium, et contradictoribus perpetuum silentium imponit.

§. 4. Nos igitur supplicationibus tuis inclinati, volentes etiam Civitatem Nostram Faventinam specialibus gratiis ac favoribus prosequi, propterea summopere cupientes, ut tam laudabile, tam utile, tam decorum, tam pium, et Deo gratum opus debitum finem, et plenum obtineat complementum, motu etiam proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione, de Apostolicae potestatis plenitudine, quibuscumque contradictionibus, et controversiis, per quoscumque, sive ejusdem Civitatis Nostrae Faventinae Magistratum sive Consilium, aut Comunitatem, et Homines, aliosque Officiales, et Deputatos, Ministros, et Inservientes, quocumque modo, quibuscumque ex causis, juribus, et rationibus motis, et movendis perpetuo suppressis, atque omnino extinctis, nullis ac irritis declaratis, perpetuoque, super illis contradictoribus quibuscumque, silentio imposito, extinguimus, annullamus, et irritamus perpetuumque silentium imponimus.

Insuperq singulas veterum Hospitalium suppressiones, noviq erectionem et dotationem confirmat.

§. 5. Novi insuper hujusmodi, et ampli Nosocomii, seu Hospitalis pro pauperibus infirmis utriusque sexus, tam ex Civitate Faventina praedicta, quam ex ejus Dioecesi excipiendis, ut petitur erectionem, fundationem, constructionem, eique adnexionem, seu unionem, et incorporationem aliorum duorum antiquiorum Nosocomiorum, seu Hospitalium factam, nempe unius sub invocatione S. Antonii Abbatis, alias S. Jacobi Incurabilium, et alterius Sancti Nevolonis, alias, S. Mariae de Misericordia respective nuncupatorum, una cum eorum fructibus, redditibus, proventibus, fundis, bonis stabilibus, juribus, et pertinentiis universis, ejusdemque Novi Hospitalis, in illorum locum subrogationem, nec non ipsius novi Hospitalis, seu Nosocomii, illiusque infirmorum, et bonorum omnium illi quomodocumque connexorum regimen, curam, et administrationem tam in spiritualibus, quam in temporalibus, praedicto Ordini S. Joannis de Deo, et pro eo illius modernis, et pro tempore existentibus Fratribus, jussu, et auctoritate Nostra, nuper commissam, et demandatam, tum etiam Aromatariam ad Confraternitatem S. Joannis Decollati, seu Mortis nuncupatam, alias spectantem, et pertinentem una cum ipsa Domo, et Apotheca, aliisque omnibus fundis, et capitalibus, illorumque annuis fructibus, et proventibus, juribus et actionibus, per te similiter jussu, et voluntate Nostra, sub certis modis, legibus, et conditionibus ejusdem Ordinis Fratribus traditam, et consignatam approbamus, et confirmamus.

...dem, ... et in re... istru... con... ppro... t ob... mau...

§. 6. Propterea praeinsertum Instrumentum, et in eo contentas regulas, ordinationes, conventiones, leges, pacta, et statuta inter te, et promemoratos Fratres S. Joannis Dei inita, conventa, et stabilita, et demum superiores Nostras literas, nec non Benedicti XIV. praedecessoris Nostri, in ea parte, et partibus, in quibus praesentibus hisce, et superioribus Nostris literis non adversantur, pro erectione fundatione, commodo, et utilitate novi Hospitalis, ut petitur, emanatas, expeditas, et in eis contenta quaecumque, et insuper omnia, et qualiacumque in illarum exequutionem, et implementum per te jussu, et voluntate Nostra, seu per alios quoscumque mandato, consensu, et directione tua acta, gesta, facta, inita, et conventa, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illaque omnia, et singula rata, et grata habemus, illisque omnibus inviolabilis, et perpetuae ac irrefragabilis approbationis Nostrae, et Apostolicae firmitatis, vim, robur, et efficaciam adjungimus, ac omnes itidem, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, et Apostolicarum Constitutionum, seu Statutorum, et Decretorum quorumcumque, etiam Cameralium, et Consistorialium praescripto, quas alias quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandas, aliosve quoslibet etiam quantumvis magnos, et substantiales, et incogitatos, et inexcogitatos, seu inexcogitabiles defectus, si qui in praemissis, seu eorum aliquo principaliter, vel accessorie, aut antecedenter, vel consequenter, seu concomitanter vel alias quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi possint, penitus, et omnino tollimus, et sanamus, ac plenissime supplemus, et abolemus.

...ula su... et de... in irri...

§. 7. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta, tanquam pro bono, utilitate, decore, et splendore publico totius Civitatis Faentinae praedictae, ejusque universae Dioecesis, in subsidium, et sublevamen miserabilium personarum, jussa, volita, atque praescripta, etiam ex eo quod aliqui ex ipsis interesse habentes, seu habere praetendentes, etiamsi specifica, et individua mentione, et expressione digni eisdem non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, et restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu-proprio concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, et extra illud uti, seu se se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quascumque Sacrae Romanae Ecclesiae Congregationes, sublata eis, et eorum cuilibet, qualibet alias judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus erit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non quorumcumque Testatorum, et piorum Benefactorum etiam ultima voluntate, quam quod praemissa, sufficienter, et expresse commutamus, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, Derogatio contrariorum.

et Civitatis, dictorumque Hospitalium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima secunda Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDLVII.

Dat. die 12. Martii 1765. Anno VII.

Approbatio Decreti Capituli Provincialis Ordinis B. M. de Monte Carmelo Provinciae Romanae, quo statuitur alternativa electio Provincialis, caeterorumque Officialium praefatae Provinciae inter exteros, et eos qui temporali Pontificio dominio subjecti sunt.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium. §. 1. Suprema Apostolicae charitatis, providentiaeque Nostrae erga omnes Christifideles, atque eos potissimum qui e fluctibus saeculi erepti, ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibendam a Nobis cura maximopere postulat, atque exigit, ut omnem Pontificiae benignitatis, auctoritatisque operam, consiliumque in hoc studiosissime collocemus, ut dissidiis, partiumque studiis procul amotis, atque eliminatis, ubi opus esse constiterit, omnia inter Viros praesertim Religiosos in pace fiant, et omnia ad Divinum cultum adaugendum, Regularem disciplinam confirmandam, procurandamque aeternam animarum salutem conponantur, constabilianturque.

Jam alias ex remota consuetudine vigente hac alternativa, eam Capitulum Provinciale confirmavit.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, et Diffinitores Provinciales, et Exprovinciales Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo Provinciae Romanae nuncupatae, quod cum eorum Provincia composita sit partim ex iis, qui in Statu Nostro, et hujus Apostolicae Sedis temporali dominio subjecto nati sunt, partim vero ex iis, qui ex exteris Nationibus oriundi, ad Religiosum habitum suscipiendum admissi in eamdem Romanam Provinciam aggregati sunt, pro retinenda pace, et concordia inter diversos hujusmodi homines sub suavi Dominicae servitutis jugo, in uno Sanctae Religionis coetu adunatos, a longissimo tempore usque in praesens in electione Ministri Provincialis semper stabili more alternativa servata est; ad perpetuum autem, et commune ejusdem Provinciae bonum, ad conservandam etiam in futurum pacem, et tranquillitatem, et retinendum spiritum unitatis in vinculo charitatis, in novissimo Capitulo Provinciali, quod sub praesidentia dilecti filii moderni Ministri Generalis in Conventu SS. Silvestri, et Martini de Urbe nuncupato habitum est Mense Junii superioris anni MDCCLXIV, hujusmodi alternativa, ejusque modus, ac forma perpetuis futuris temporibus servanda unanimi omnium suffragantium consensu firmata est, et solemne, rebus omnibus mature perpensis, super ea confectum est decretum, quod est tenoris, qui sequitur.

Tenor Decreti Capituli Provincialis.

« Feria II. quae fuit XVIII. praefati Mensis ad triplicem Campanulae sonum, Gremiales omnes jussu Praesidis pridie admoniti convenerunt in aula Capituli, et implorata Sancti Spiritus ope, primo proposita fuit secretis suffragiis discutienda alternativa Provincialatus in posterum tenenda. Lecta igitur est per Secretarium legis hujusmodi formula. »

« Alternativa aequalis hinc inde, et perfecta pro hac Romana Provincia erit hujusmodi; primo, duo corporis universi veluti membra constituentur: hinc Romani omnes, et quicumque alii quorumcumque locorum Romani Pontificis temporali Dominio subditorum; inde vero caeteri omnes cujuscumque tandem Nationis illi fuerint sive intra, sive extra Italiam. »

» Provincialatus successive erit alterutrius Membrorum: et quia pro hac vice electus Provincialis est ex parte exterorum; erit immediate futurus Provincialis ex parte Romanorum. In casu assumptionis ad altius Ministerium, vel mortis, Vicarius Provincialis instituetur ex parte ipsius assumpti, vel demortui ad complementum Gubernii. »

» Socius Sacrae Visitationis semper erit ex parte altera: hinc si Provincialis fuerit ex Alienigenis, Socius erit ex parte Romanorum; et viceversa. »

» Diffinitores erunt semper duo hinc, et duo inde ex alterutra partium. Juxta numerum suffragiorum, qui plura habuerit, erit primus; et caeteri de more subsequentur. »

» Socii Provincialis ad Generale Capitulum ituri, unus ex parte una, alter vero erit ex altera. Juxta numerum suffragiorum qui plura habuerit erit primus. »

» Custos Provinciae semper ex ea parte, qua Provincialis eligitur. Provincialis pro casibus fortuitis erit ad libitum Provincialis electi, et ex ea parte, quam maluerit. »

» Ad Prioratus tandem indifferenter eligentur idonei, quicumque ex alterutra partium videbuntur. Nec ullum infert praejudicium, quod plures sint ex una parte, quam ex altera; non enim quantum ad hoc attendenda est Nationis ratio, sed potius eligendorum probitas, et prudentia. »

» Lecta igitur, et publicata lex primo acclamationes recepit per voces; tum vero per suffragia secreta ad trutinam revocata, quum sexaginta numero essent Vocales, omnium affirmativo calculo probata est. Et tertio, petente Praeside, num foret canonice resoluta? tertio iterum vocibus est confirmata. »

...es por- ...e pro su- relati ...eti ap- ...tione, ...ontificis ...de re as- ...as, atque ...rmatio.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes praeinsertum decretum, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praedictum decretum cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis auctoritate Apostolica, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciae, et Ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decima se-

cunda Martii millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDLVIII.

Dat. die 13 Martii 1765. Anno VII.

Episcopo Barchinonensi cum Pontifice gratulante pro nuper edita constitutione *Apostolicum* » super confirmatione Instituti Societatis Jesu, causas promulgationis hujus Constitutionis designat Pontifex idem.

Venerabili Fratri Assentio Episcopo Barchinonensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Qui ex Hispaniarum Episcopis queribundus Nobis scripsisti primus de Clericorum Regularium Soc. Jesu calamitate, eamdemque Societatem Nobis commendasti majorem in modum, aequum erat ex Nostra Constitutione, qua nuper pium eorum Institutum confirmavimus, praecipuam ad te pervenire laetitiam. Nos illud Institutum approbare denuo et confirmare necesse fuit, ne profanorum vocibus Fidelium aures diutius obtunderentur, neve simpliciores aliquid vitii in eo Nos comperisse ex silentio Nostro fortasse suspicarentur, et hujus S. Sedis in approbandis sacris Regularium Ordinibus judicio diffiderent. Istam autem laetitiam, quam ex ea Costitutione se coepisse scribit Fraternitas tua tibi gratulamur, magnamque te vicissim attulisse Nobis profitemur consolationem, cum in tuis literis testaris » in corpore Societatis Jesu usque te esse expertum vigere, quae tua verba sunt, robustum Orthodoxae fidei zelum atque oculis cernere ejus Ordinis viros, Christianae pietatis, per totam Dioecesim tuam sedulo incumbere. » Ut Apostolicum de illius Instituti sanctitate judicium zelo tuo scribis fuisse gratissimum, ita libentissimo animo ex tuis literis intelleximus, qui ex ea Societate isthic apud Vos sunt, vitam quam ad ejusdem Instituti normam profitentur, morum innocentia et pietatis studio exhibere. Sic eos nunc maxime se gerere oportet, ut cum modestia et timore, ut ait Beatissimus Petrus, conscientiam habeant bonam, et quod detrahunt illis, confundantur, qui calumniantur eorum bonam in Christo conversationem. Tibi vero Ven. Frater eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDLIX.

Dat. die 1[3] Martii 176[5]. Anno VII.

De eodem argumento prolixius agit cum Archiepiscopo Tarraconensi, et Instituti Societatis Jesu laudes, et merita designat.

Venerabili Fratri Joanni Archiepiscopo Tarraconensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Confirm[atio] Societatis J[esu] ... necess[aria] fuit, gr[a]santibus co[n]tra ip[sam] persequut[io]nibus, ne ... deretur A[po]stolicam S[e]dem, de ej[us]dem p[rae]stantia for[te] fuisse te[m]pore d[e]ceptam.

§. 1. Jucundissimae Nobis fuerunt literae Fraternitatis tuae, zelum Dei plane spirantes, et Episcopalium tuarum virtutum testes locupletissimae, quae Nobis afferunt, magnum te, et, qui isthic apud Vos sunt, Clericos Regulares Societatis Jesu coepisse consolationem, ex nupera Constitutione Nostra ineunte hoc Anno edita, qua pium eorum Institutum solemniter confirmamus. Ejus condendae Constitutionis illa sane primario loco causa Nobis fuit, ut gravissimum scandalum amoveretur, quod veritatis inimici, Ecclesiae aeque ac Societate Jesu infensi, Fidelibus qui simpliciore sunt ingenio ab his quatuor annis objecerant. Verendum enim erat ne si diutius tacuissemus, silentium Nostrum in argumentum verterent deceptae a multo tempore hujus Apostolicae Sedis, quae Institutum, ut calumniantur gravitatibus vitiorum cum laudaverit, et tanquam Ecclesiae frugiferum duorum seculorum spatio foverit, nunc muta et elinguis veritatis vi propemodum victa videretur.

§. 2. Sed inter alias causas quae ad illud Institutum laudandum confirmandumque Nos impulerunt non ultima certe fuit quod moerentem, jacentemque Societatem erigere, et consolari voluimus. Quamobrem et illi cui maxime interest, et Fraternitati tuae quae ex ejus infortunio non mediocrem dolorem videtur accipere, consolationem istam, quam vobis attulit Nostra Constitutio, ex animo gratulamur. Et Nos quidem ob ejus Societatis aerumnas perquam graviter angimur; sed nunc qui consolatur humiles consolatus est Nos Deus in literis tuis, Venerabilis Frater, qui Nobis refers Religiosorum hominum desiderium tuum, eorumque fletum dum memorata legeretur Constitutio, eorumque aemulationem pro Nobis et pro hac Beatissimi Petri Apostolica Sede, ita ut magis gaudeamus. Reliquum est ut ipsi inter hanc suam ipsorum calamitatem recogitent, eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigentur suis deficientes. Nec obliviscantur consolationis, quae illis tamquam filiis loquitur dicens: *Fili mi noli negligere disciplinam Domini neque fatigeris, dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* In disciplina perseverent. Illis tamquam filiis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corrigit Pater?

§. 3. Denique Venerabilis Frater eam Societatem magnopere tibi commendatam volumus: quamquam commendatione Nostra non indiges, qui eam, et maximi facere, et tuo patrocinio jamdiu suscepisse videaris. Nec mirum si Ecclesiae tuae amantissimus singulari eos complectere benevolentia, qui ad eamdem Ecclesiam tuam aedificandam tibi strenuam et assiduam operam navare possint, et velint. Et Fraternitati tuae intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima tertia Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDLX.

Idem Argumentum agit cum Episcopo Mutinensi, pro evulgata Constitutione *Apostolicum* cum Pontifice gratulante. Dat. die 16 Martii 1765. Anno VII.

Venerabili Fratri Josepho Mariae
Episcopo Mutinensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Constitutionem, qua nuper Institutum Societatis Jesu confirmavimus, et ab ejus obtrectatoribus defendimus, gratam Fraternitati tuae accidisse, bonisque omnibus, quibus est cordi Romanae Ecclesiae honor et existimatio, jucunditatem attulisse ex literis Fraternitatis tuae libentissimo animo accepimus. Maculam illam, quam S. huic Sedi infensi homines studentur inurere quasi Institutum, ut ipsi dictitare audent, impium, probaverit ut sanctum et pium, omnino delere oportuit. Si qui simpliciore ingenio, aut leviore animo Ecclesiae Romanae inimicorum clamoribus nonnihil commoti, dubitare coeperant, quid de eo Instituto sibi sentiendum esset, eorum in animis opinionem illam, quam in Ecclesia boni omnes semper habuerunt firmam et stabilem nunc permanere gaudemus. Reliquum est Venerabilis Frater, ut eam Societatem, quam tu jampridem Nobis commendasti, tuo patrocinio tueare, et homines, in quibus plerique Episcoporum testantur se comperisse, Fidei zelum pietatisque studia flagrare, ad sanctificandas animas tuae commissas adhibeas; Tibique benevolentiae erga te Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDLXI.

Ut in Murciensi S. Paschalis Custodia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceato- Dat. die 26 Martii 1765 Anno VII.

rum si Religiosorum numerus duodenario minor fuerit, ad Diffinitorii officia eligantur tres, vel saltem duo, qui officiis iisdem, jam sint perfuncti, licet de corpore non sint Capituli.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Suprema Apostolicae charitatis, providentiaeque Nostrae erga omnes Christifideles, atque eos potissimum, qui e fluctibus saeculi erepti ad tranquillum Religionis portum confugerunt adhibenda a Nobis cura, maximopere postulat, atque exigit, ut omnem Pontificiae benignitatis, auctoritatisque operam, consiliumque in hoc studiosissime collocemus, ut omnia ad Divinum cultum adaugendum, Regularem disciplinam confirmandam, procurandamque aeternam animarum salutem, componantur, constabilianturque.

Quae Regulari disciplinae incommoda derivent huic Custodiae ex actuali Diffinitorum numero.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Custos, et Diffinitorium Custodiae S. Paschalis Baylon Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, quod licet dicta Custodia, novem tantum Conventibus constet, et Fratrum numero nequaquam abundet, nihilominus Diffinitorium quinque Patribus componitur; uno scilicet Custode, et quatuor Diffinitoribus, qui, expletis hujusmodi officiis, certis quibusdam juxta ipsius Ordinis Constitutionibus gaudent exemptionibus, et nonnisi post elapsum sexennium rursus in Custodes, seu Diffinitores eligi possunt, ex quo fit ut praefata Custodia nimio exemptorum numero, non sine Regularis disciplinae detrimento praegravetur, et ob Ex-Custodum, et Ex-Diffinitorum multitudinem, nimium Electorum libertas coarctetur in seligendis iis, qui ad hujusmodi munera, ut opus est, gerenda apti destinati sunt.

Ad quae removenda, peculiaris resolutio habita fuit pro tali Diffinitorum numero imminuendo.

§. 3. Quare ut hujusmodi malo, atque incommodo, aliquod opportunum remedium adhiberetur, in particulari congressu habito die XXVIII. Januarii MDCCLXV. approbante etiam moderno Ministro Generali totius Ordinis, capta fuit resolutio, seu decretum editum, tenoris qui sequitur, videlicet « Considerato excessivo numero Patrum Custodiae, et Ex-Diffinitorum in hac Custodia, quae novem tantum ex Conventibus constat, et considerata pariter majori in Capitularibus electionibus libertate, visisque informationibus, et votis in scriptis praestitis, a quinque hujus Custodiae S. Paschalis Patribus, decernimus impetrandam esse Apostolicam facultatem, ut in quolibet Custodiali Capitulo, ad Diffinitorii Officia, non nisi duo, aut ad summum tres ex iis, qui antea de Diffinitorio non fuerint, eligi valeant; reliqui vero eligi debeant ex iis qui jam de Diffinitorio extiterint, sive sint de corpore Capituli, sive non, dummodo per sex annos, juxta praescriptum in statutis a Gregorio XV. confirmatis ab hujusmodi vacaverint officiis: si vero ex supradictis, qui per sex Annos ab officio vacaverint, decem saltem non extiterint, hujusmodi numerus ad praefatum reelectionis effectum ab aliis expleatur, qui per tres annos tantum a dictis vacaverint officiis, horum antiquitatis ordine servato: atque hujusmodi facultas, eatenus durare intelligatur, quatenus haec Custodia ex duodecim non coalueri Conventibus ».

Preces rectae supra re[...] resolutio[...] approba[...] Apostol[...]

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praeinsertae resolutioni, seu decreto, Generalia Ordinis Statuta, Apostolica auctoritate confirmata obstent, quominus exequutioni demandari possit, propterea iidem exponentes, ut firmiter in futurum subsistat, et exacte servetur, Apostolicae approbationis Nostrae robore, et confirmationis patrocinio communiri summopere desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex [...]ctam res[...] tionem [...] probat, [...] firmat, exequi [...] dat.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, petitam facultatem quam a Nobis impetrandam,

ut praefertur decreverint, Apostolica auctoritate concedimus, et impertimur: et insuper praemissum decretum, seu resolutionem, cum omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis, eadem auctoritate, tenore praesentium confirmamus, et approbamus; illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adijcimus; omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

§. 6. Decernentes, praesentes literas, et omnia, et singula in eis contenta, et expressa semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quacumque aliter judicandi, et intepretandi facultate; quod si secus factum fuerit, id omne irritum, et inane, ad pristinum statum reducere curabimus.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et fel. rec. Gregorii XV. praedecessoris Nostri, nec non Custodiae, et Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores pro insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDLXII.

Literae Processus in die Coenae Domini publicatae.

Quoad publicationem harum literarum, vide superius sub num. CDXV. pagin. 872. cum adnotatione ibidem apposita.

§. 1. Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo (*Omittitur tenor harum literarum perlegendus in praesente continuatione sub Num. LII. pag. 128, qui est praesentibus omnino similis*).

CDLXIII.

Facultas perpetua indulgetur asservandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Cappella Accademiae Nobilium Civitatis Venetiarum sub regimine Clericorum Regularium Congregationis Somaschae.

Dat. die 19. Apr. 1765. Anno VII.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces porrectae pro hoc indulto obtinendo.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somaschae, quod cum in Accademia Nobilium nuncupatorum Civitatis Venetiarum, a Clericis Regularibus Congregationis praedictae dirigi solita, propria privata Cappella decenter ornata ab omnibus ejusdem Accademiae mansionibus separata reperiatur, in ea tamen Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non asservatur. Ac propterea facultatem asservandi in Cappella hujusmodi praedictum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro commoditate Adolescentium in Accademia hujusmodi pro tempore commorantium, eisque inservientium per Nos concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, datis nonnullis salutaribus praescriptionibus.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus

ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in dicta Cappella privata Accademiae hujusmodi, dummodo decenter ornata, sacrisque suppellectilibus instructa sit, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, cum manutentione lampadis semper accensae, asservari possit, facultatem, auctoritate Apostolica, concedimus, et impertimur. Ita tamen, ut clavis Cyborii custodiatur per aliquem Presbyterum ipsorum Clericorum Regularium, a Rectore, vel Superiore dictae Accademiae pro tempore existenti deputandum, ut juxta Apostolica indulta dictae Congregationi impertita, omnibus, et singulis, sive Clericis Regularibus Congregationis praedictae, sive Adolescentibus in eadem Accademia commorantibus, sive Accademiae hujusmodi actu inservientibus, praedictum Eucharistiae Sacramentum, etiam per modum Viatici quocumque tempore absque aliquo censurarum, vel poenarum incursu et impune, citra tamen praejudicium jurium Parochialium, ministrari libere, et licite possit, et valeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, et Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima nona Aprilis MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDLXIV.

Confirmatio erectionis Coenobii Yeclensis, in Domum Professorum Custodiae Sancti Paschalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Excalceatorum, et approbatio legum in eodem Coenobio servandarum.

Dat. die ... Apr 17.. Anno VI...

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. In Supremae dignitatis Solio, Divina disponente gratia, meritis licet imparibus constituti, inter multiplices curas ex debito Pastoralis Officii, ad ea etiam sollicite invigilare non omittimus, per quae Religiosa loca, illorumque personae, Divinis mancipatae obsequiis, in pacis, et quietis tranquillitate, ac Regularis vitae, et Ecclesiasticae disciplinae norma, coadjuvante Domino, perpetuo valeant conservari.

In Custodia S. Paschalis Baylon ... lus sta... Conventu... pro Profe... sorio, a... Choristat... quam pro... de Congr... gatio ej... dem Cust... diae destit... vit, et pec... liaria stat... condidit.

§. 2. Nuper siquidem dilecti filii Custos, et Diffinitorium Custodiae Sancti Paschalis Baylon, in Regno Murciae existentis, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum nuncupatorum, exponi Nobis fecerunt, quod licet dicta Custodia, a Ministro Generali totius Ordinis qui tunc existebat erecta, et a recolendae memoriae Benedicti XIV. praedecessore Nostro per literas suas in simili forma Brevis sub die XXIII. Novembris Anni MDCCXLIV. expeditas, prout in dictis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur, Apostolica auctoritate confirmata fuerit: nihilominus a dicto tempore, usque ad praesens Professorium, seu Choristarum Domus, in qua scilicet ii, qui post Probationis, seu Novitiatus annum, Regularem emiserunt professionem, educari, instrui, ac edoceri in via Domini pergunt, et in Religionis proposito, ac Regulari observantia magis confirmantur, nondum constituta, et destinata reperiebatur. Propterea in

Congregatione, novissime per supradictam Custodiam celebrata, habito, per Custodem, et Diffinitores praefatos, particulari super hac re tractatu, non solum designatus, et destinatus fuit in Domum Choristarum, seu Professorum, Conventus S. Francisci in Oppido de Yecla nuncupato, verum etiam quaedam conditae fuerunt Ordinationes, Provisiones, Statuta, quibus Choristarum Domus praedicta, ipsique Choristae, seu Fratres professi, spirituali, et temporali, juxta Regularem disciplinam, praedictique Ordinis Constitutiones, regimine, provide in Domino gubernentur, quorum tenor est, qui sequitur videlicet.

r Sta- am.

« I. In exequutionem Decretorum S. M. Clementis VIII. statuimus, quod in hac Custodia una pro Choristatu domus habeatur, ubi in Regulari disciplina, et via spiritus magis magisque confirmentur Choristae. Hinc in hujusmodi Domum, Conventum S. P. N. Francisci Yeclensem destinamus. »

« II. Choristatus itaque habitatio distincta sit, neque alicubi reliquis Conventus habitationibus communicet. Janua clavi observanda, horis silentii claudatur, retenta a Magistro clavi. Ad Januam tintinnabulum adsit; ab eo pulsandum, qui fores pulset ibique responsionem expectet. Proinde N. C. Fr. Custos praeceptum imponat S. obedientiae, ne ullus Religiosus, aut Oblatus, absque expressa Magistri licentia, in Choristatum ingredi audeat. »

« III. Habeatur quoque Tegula, ut in Novitiatu, et ad eumdem usum; quotidie vero in comuni recitentur Orationes a S. Bonaventura traditae, ac in Festis Beatae Mariae Virginis recitetur Oratio, quae incipit, *omni die, die Mariae etc.* »

« IV. Fiat omnium Choristatus utensilium exacta descriptio, ad cujus formam ratio reddenda, et facienda traditio ab eo, qui Magisterium absolverit, in manibus suffecti, hujusmodi actu scripturam redacto, quem uterque subscribat. »

« V. Provideatur Choristatus de artificiali Horologio, quo a somno suscitari valeat Chorista, media nocte alios ad Matutinum excitaturus: Magister vero ad hujusmodi munus ex Choristis unum designet, neque proinde ad id designatus, ab interessendo Matutinis excusetur. »

« VI. Habitatio in qua degere debent Choristae, Choristatus ipse sit, neque inde exeant, nisi ex causa necessaria, et ad ea ob quae Novitii ab Novitiatu exire solent; semper autem egressus praevia Magistri licentia, et cum Socio fiat. Nunquam tamen exire permittantur, nisi ut ad Ecclesiam se conferant inserviendi causa Missis diebus Festis; coeteris vero diebus in casu tantum, quo res valde urgeat, ad Ecclesiam pergat destinandus a Magistro, qui eum destinare curet, de quo majorem habeat fiduciam. Oratio quae fit ante Eucharistiae Sacramentum post mediam noctem, quae ad Feriam V. in Parasceve tendit, alternis ita dividatur, ut Choristarum pars simul cum Magistro, reliqua vero pars cum ejus vigilet Adjutore; idemque in similibus casibus servetur, seduloque curent Magister, et Adjutor, ne, quod fieri possit Choristis desit alterutris ipsorum custodia. »

« VII. Ne in caeteris Conventibus Choristarum desiderentur officia a N. C. Fr. Custode Religiosi Laici aut Oblati deputentur, qui curam gerant Hospitii, Tonstrinae, Valetudinarii, aliaque munera extra Chorum exerceant. Porro Choristae patinas lavent, Conventum verrant, ac caetera praestent, quae a Novitiis explentur a Magistro, seu Adjutore sociati. »

« VIII. In iis Conventibus, in quibus, nec Studentes, nec Choristae degunt, Janitor Fratres excitet ad Matutinum, et N. C. Fr. Custos Religiosum destinet, qui faciat signum ad secessum in meridie noctuque, et Dormitorium lustrali aspergat aqua. »

« IX. Nullus Chorista cuicumque Religioso etiam ex gravioribus sit ab obsequiis. At vero incumbat Magister, ut in Choristatu Tunicas mundent, consuantque, ac caetera praestent pro Religiosis gravibus, aut hisce obsequiis indigentibus. »

« X. Quo tempore per hortum Conventus Choristae spatiantur, nec caeteri Religiosi, nec Seculares illuc accedant, clausaque proinde maneat horti Janua. Semel in mense cum Magistro, et Adjutore ad Campestria, aut

Oppidi suburbana pergere valeant: at vero in iis deambulationibus curetur sedulo, ne adjungantur, aut confabulentur cum Secularibus. In Feriis Natalitiis vetitum sit Choristis recreationibus interesse cum caeteris de Comunitate, sed ipsis permittuntur in Choristatu tantum, eadem servata forma, quae a Novitiis haberi solent. »

« XI. Choristae ne exeant a Conventu, praeterquam ad supplicationes, et Funera generalia, quibus Comunitas intersit, minime vero quacumque de causa ad caetera ducenda funera. »

« XII. Pariter ullam ne scribant, dent, recipiantur Epistolam absque Magistri venia, a quo eam petant pro quibuscumque aliis casibus, in quibus a Novitiis peti soleat; qui vero aliter egerit, pro modo culpae a Magistro puniatur. »

« XIII. In Choristatum, Secularibus, Religiosis, et Oblatis non permittatur ingressus, praeter quam ex justa causa arbitrio Magistri, et praevia ejus licentia, et non alias, Choristas alloqui valeant, non tamen in eorum Cellis, sed palam, et Magistro, aut Adjutore recipiente. »

« XIV. Choristae vero non confabulentur cum Religiosis, aut Oblatis, minusque cum Secularibus; interrogati autem brevissime, nullaque interjecta mora, respondeant. Religiosus, sive Oblatus cum Choristis confabulans, aut eis Epistolas, et exculenta tradens, a Praelato castigetur poena delationis lignei in ore fraeni ad Refectorium, ubi certio fiat N. C. Fr. Custos, ut efficax adhibeat remedium. »

« XV. Nullus Chorista aegrotans, in Valetudinarium secedat, nisi cognoscatur graviter aegrotare, quo casu, qui eum inviserint, perinde cum illo agant, ac si cum Novitio aegroto agendum foret; si a quopiam aliter gestum fuerit, a Praelato puniatur. »

« XVI. Si quis Chorista inobediens fuerit, et Cellas, aut Officinas ingrediatur aut quod alii ingrediantur permiserit, acriter puniatur; atque in id sedulo invigilent Praelatus, Magister, et Adjutor. »

« XVII. Nulla de causa permittatur, duos Choristas in eadem Cella degere, aut cubare. »

« XVIII. Non intersint Choristae Collationibus, quae intra hebdomadam a Comunitate habeantur, sed generalibus tantum: in Choristatu vero habeant, et ipsi, quas Comunitas habere soleat, exceptis moralibus, quarum loco de Grammatica, et Rhetorica suas habere poterunt. »

« XIX. In Choristatu perpetuum servetur silentium, neque Choristae intense sermones serant, sine expressa Magistri licentia, qui attente invigilet, ut eorum sermones religiosi sint, ad aedificationem, atque modesti, ac serio, rigideque transgressores castiget. »

« XX. Visu, gestuque, doctrinam sibi in Novitiatu traditam observent Choristae, praesertim in publicis, et comunibus functionibus; si quis in his deficiat, a Praelato, et Magistro puniatur. »

« XXI. Choristae in Choristatu, dum in suis Cellis manent, aut orent, aut lectioni, vel studiis dent operam nisi a Magistro aliae honestae occupationes ipsis injungantur. »

« XXII. Post coenam ad Ecclesiam pergant altaria visitaturi, et benedictionem a Domino recepturi, inde in Professorio coronam recitent; temporis residuo, usque ad secessum, interrogentur a Magistro de Regula, Oratione, et Mystica. »

« XXIII. Spiritualibus, quae quotannis in omnibus Conventibus fiunt exercitationibus, in Choristatu vacet Choristarum pars cum Magistro, alia vero cum Adjutore. »

« XXIV. Quotidie Missam audiant Choristae a Magistro, aut Adjutore in Choristatu celebrandam, curentque ne quis Chorista desit, Festis praesertim diebus. »

« XXV. Injungimus Magistro, ejusque Adjutori, quod unanimes in instruendis, educandisque Choristis procedant, eosque edoceant Doctrinam Christianam, Regulam, et alia, quae in Novitiatu docentur, prosequentes quantum fieri possit, ejusdem Novitiatus exercitationes; satagant, ut leges Choristis, Fratribusque de benedictione incumbentes, simul cum his Ordinationibus observent; eos hortentur, et erudiant, potissimum de modo habendi Orationem, quae per meditationem fit, quo pacto passiones vincere,

virtutesque acquirere possint, et quod sint Religiosi non tam habitu, quam corde, et spiritu, quamobrem frequenter in Choristatu legantur libri ad id opportuni. »

» XXVI. Ultra Magistrum, et Adjutorem, alii duo Religiosi Sacerdotes, ad confessiones excipiendas approbati, et arbitrio Praelati Conventus eligendi in Confessarios Ordinarios Choristarum in Choristatu degentium deputentur, cum facultate etiam illos a reservatis casibus absolvendi. Praeter eos Praelatus conventus aliquando intra annum alios duos, pluresve destinet Religiosos, de quibus habeat fiduciam, hisce facultatem impertiatur, Choristarum, qui voluerint Confessiones excipiendi, eosque a casibus reservatis absolvendi: Confessiones autem hujusmodi, post coenam recipiantur. »

» XXVII. Choristae biennio in Choristatu permaneant, aut saltem anno uno; si numero multi fuerint, qui recentius Professionem emiserint, in Novitiatu remaneant; si autem Novitiatus eos non capiat, degant in S. Annae Conventu, non vero in aliis praeterquam in casu, quo aliquo Conventu, Laicorum, aut Oblatorum, qui de Valetudinario, Hospitio, aliisque extra-Choralibus officiis curent, copia desit: hisce enim casibus ad hujusmodi Conventus unum, aut duo ex antiquioribus Choristis, quorum relaxatio non adeo facile futura praenoscitur super quo N. C. Fr. Custos a Magistro certior fiat, mittere valeat. »

» XXVIII. Dum in Choristatu degunt, Choristis licentia denegetur ad suas Patrias se conferendi, nisi eorum Genitores morti proximos esse contigerit. »

» XXIX. Choristatus tempore absoluto, Conventus ad quod per obedientiam mittuntur, petant; hinc curet Magister de eorum repartitione, ac binos, aut ternos mittat, eosque aut ipse, aut Adjutor associet, donec in via, procul a Conventu *a quo* fuerint constituti. »

» XXX. Ad rectam novorum Religiosorum educationem consequendam, Magister, et Adjutor quoad fieri possit, invigilet eos a Secularium aspectu arcere, et a caeterorum Religiosorum conversatione abstrahere, e suo conspectu eos nunquam dimittant, sed associent, et sollicite caveant, praesertim cum tonderi, Ecclesiam verrere, et similia agere solent, et opportunas adhibeant, ad quodcumque absurdum vitandum, cautelas. »

» XXXI. Denique statuimus, quod in Domo Choristatus, ad actus Comunitatis deficiente Guardiano, aut Praeside, praesit Choristarum Magister; quod hae Ordinationes in Comunitate legantur, quandocumque nostrae Constitutiones legi solent. »

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut preinsertae Constitutiones, Provisiones, Statuta firmius subsistant et exactius serventur, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, ac poenis, si quomodolibet innodatae existunt, harum tenore absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negociis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae consilio, praeinsertas Ordinationes, Leges, Statuta, et Stabilimenta, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Preces porrectae pro relatarum Ordinationum approbatione, et successiva Pontificis approbatio.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas, semper validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctae Sedis Nuncios, et Cardinales a Latere Legatos judicari, ac definiri debere, sublata eis, et

Clausula sublata, et decretum irritans.

eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretrandi facultate, alias quae in contrarium gesta sunt, id omne irritum et inane repu-tabimus, nulliusque ponderis, et efficaciae, et ad pristinum statum reducere curabimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Custodiae, et Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, specialibus indultis, et literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; Quibus omnibus et singulis eorum tenores hic pro insertis habentes, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Aprilis MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDLXV.

Dat. die 30. Apr. 1765. Anno VII.

Pseudo-Synodus Provinciae Ultrajectensis habita die 13. Septembris 1763. proscribitur, et annullatur, nec non damnatur liber Ultrajecti aeditum anno 1764. quo acta, et decreta dictae Synodi referuntur.

Electionem Petri Joannis Meindarts in Pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem irritavit, nec non eumdem, atque Electores excommunicavit, aut quominus se in Archiepiscopum consecrari facere auderet prohibuit Clemens XII. Constit. anni 1739. Octob. 6. perlegenda in Bullario Mainardii: Consecrationem supradicti intrusi Ultrajectensis Archiepiscopi damnavit, eumdemque iterum excommunicavit Benedictus XIV. Constit. anni 1741. Junii 24. Electionem Hieronymi de Boch in Pseudo-Episcopum Harlemensem damnavit pariter, eumque excommunicatum vitandum declaravit Pontifex idem Const. anni 1752. Septembr. 1. Consecrationem hujus Pseudo-Episcopi, deinde damnavit, et excommunicationem jam prius indictam confirmavit Pontifex idem Constit. alia anni ejusdem Decembr. 20. Electionem Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem, post praedecessoris funus, nulliter factam declaravit, cum censurarum indictione Pontifex idem Constit. anni 1745 Junii 26. Appellationem ad futurum Concilium interpositam ab Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectensi, et Episcopo Harlemensi, nec non librum eamdem appellationem continentem, damnavit atque prohibuit Pontifex idem Constitutione ejusdem diei, mensis, et anni, ut videre est in Benedictino Bullario.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur actus nulliter gesti Excomunicatis tribus Episcopis Provinciae Ultrajectensis et eorum nullitas;

§. 1. Non sine acerbo animi sensu, atque dolore jampridem accepimus, perditos homines, et pervicaces iniquitatis filios Petrum Joannem Meindarts, Joannem Van-Stiphout, et Bartholomaeum Byeveld, quos a fel. recor. praedecessoribus Nostris Clemente XII., et Benedicto XIV, semel, atque iterum Apostolico majoris excommunicationis mucrone fuisse confixos, atque ita ab Ecclesiae gremio exturbatos etiam Schismaticos vitandos declaratos fuisse, et ab omnibus Episcopalis jurisdictionis; et dignitatis muneribus interdictos, ipsa jamdudum novit Catholica Ecclesia, nonnullis suae factionis Ecclesiasticis viris in criminis societatem adscitis, clancularium quemdam habuisse Conventum, atque in eo de fide, de moribus, de disciplina tamquam Judices in Ecclesia constitutos, ausos esse plura statuere, et decernere; canones condere, atque ea demum omnia Episcopalis muneris officia usurpare, quae constat inter omnes, qui quidem sint Catholici nominis, ad Episcopos cum Catholica Ecclesia communionem habentes, dum in legitimis Synodis congregantur tantummodo, pertinere.

Insidiosa methodus habita pro evulgatione rum hujus Pseudo-Synodi.

§. 2. Indignum ejusmodi facinus plane detestati, supplices, usque adhuc ad Deum preces Nostras prosternere non cessavimus, ut ambulantes in pravitate cordis sui, divina luce collustratos, et coelestis gratiae numine permotos, super semitas justitiae deduceret. Sed, ut ait sapiens *perversi difficile corriguntur, et os impiorum devorat iniquitatem.* Nam de irrequietis hominibus, quos supra memo-

ravimus, gravior ad Nos perlatus est nuncius, eos tumentes in peccato suo, et ipsis sibi delictis placentes, illegitimi hujus, nefariique conventus non modo acta typis impressa in publicam lucem edidisse, atque in omnes partes, per nefarii sui Schismatis fautores latissime disseminasse, sed eo etiam prorupisse temeritatis, ut contemptis incredibili audacia, et ludibrio habitis tot Apostolicis Nostrorum praedecessorum decretis, quibus segregati sunt a Catholica Ecclesia, compluribus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, qui Nobiscum sunt christiana charitate conjuncti, eadem acta callide submiserint, eo fortasse consilio, ut ab iis probarentur, aut per eam occasionem saltem epistolam, quam veluti catholicae communionis signum deinde ostentarent, consuetis, fraudulentissimae suae factionis artibus, et quasi per insidias surriperent.

i Pon- offi- bus ..es, et ..tio- ..holi- ..esiae ..ce, resi-

§. 3. Qui igitur indesinenter Apostolico Nostro officio admonemur, Nostras esse partes, animarum pericula avertere, motus, et perturbationes in Ecclesia sedare, schismata vel coorta statim opprimere, vel si latius serpant, iis acerrime obsistere, ne seditiosorum hominum, quos videmus esse in felle amaritudinis, et in obligatione iniquitatis, temerariis, venenatisque conatibus silentio Nostro connivere, atque consensum adhibere videamur, unde gehennae poenas possimus incurrere, detestandam eorum machinam, per manifestum Apostolicae Sedis, et canonicae disciplinae contemptum ad evertendam Ecclesiasticam Hierarchiam, unitatem, communionemque Catholicam dissolvendam, ad decipiendos, seducendosque simplices homines, et incautos, et in perniciem trahendas in universum Dominici gregis oves novissime admotam, censemus Apostolica virtute, et auctoritate, quantum in Domino possumus, dirui oportere.

Sy- pro- et ., nec ..mnat ejus- erens

§. 4. Auditis itaque nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque pietate, et doctrina praestantibus viris, de eorum sententia, et consilio, eam Pseudo-Synodum, quo convenerunt memorati Petrus Joannes Meindarts, Joannes Van-Stiphout, et Bartholomaeus Joannes Byeveld, aliique, qui extra Ecclesiam collecti secum esse Christum, cum fuissent collecti, falso sunt opinati, sine legitima jurisdictione, atque auctoritate coactam, et celebratam, nullam, illegitimam, et attentatam pronunciamus, atque omnia ejus acta rescindimus, cassamus, et irritamus, nulliusque esse roboris, et momenti edicimus, et declaramus. Librum vero, quo eadem acta evulgata fuerunt, cujus titulus: *Acta, et Decreta secundae Synodi Provinciae Ultrajectensis in sacello Ecclesiae Parochialis S. Gertrudis Ultrajecti celebratae die* 13. *Septemb. MDCCLXIII. Ultrajecti sumptibus Societatis MDCCLXIV.* tamquam continentem in infandi Schismatis patrocinium propositiones falsas, calumniosas, scandalosas, Ecclesiasticae Hierarchiae eversivas, ac Apostolicae Sedi injuriosas, damnamus, et reprobamus, ipsiusque libri quocumque idiomate editi, vel edendi lectionem, usum, retentionem, multoque magis distributionem, et distractionem omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena excommunicationis latae sententiae, ipso facto absque alia declaratione incurrendae, Apostolica auctoritate praesentium tenore omnino interdicimus, et prohibemus.

§. 5. Praeterea quaecumque alia scripta, vel manu exarata, vel typis excusa, aut excudenda in hujus funesti schismatis defensionem, eadem auctoritate, et tenore praefatis, itidem sub eadem poena damnamus, et reprobamus; ac legi, aut retineri, aut distribui, et distrahi pariter interdicimus, et prohibemus.

Nec non scripta quæcumque in defensionem hujus schismatis.

§. 6. Noverint praeterea Fideles omnes, idque eos sedulo admonemus, sibi vetitum esse, sub poenis a jure latis, cum suprememoratis hominibus, utpote qui declarati sint excommunicati vitandi, ullam praesertim in spiritualibus, comunionem habere, multoque magis eorumdem acta schismatica tamquam legitima, ac rata probare, et huic deplorando schismati fomentum ullum praebere. Exierunt ex Nobis, sed non erant ex Nobis; nam si fuissent ex Nobis, permansissent utique Nobiscum.

Prohibet ne cum hisce excommunicatis vitandis ullam spiritualem communicationem Fideles habeant.

§. 7. Faxit Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi Pater misericordiarum, et Deus

Preces Deo porrigit pro horum per-

versorum conversione, et reditum ad Catholicam communionem.

totius consolationis, ut hoc a Nobis aliquando removeatur amaritudinis offendiculum, et ea spina dolorem inferens e Nostro animo evellatur. Illum in humilitate cordis Nostri rogamus, et obsecramus, impensissima prece, ut qui ea, quae diu in multa patientia sustinuit vasa irae, eadem ipsa aliquando efficit vasa in honorem, caecos homines miseratus, iis aperiat oculos, quo tandem videant, et ex animo fateantur, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram eam esse, quae sola aperit, et nemo claudit, nemo aperit; qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est; deserit, et resistit, illum, in Ecclesia se esse, male confidere: neve amore jactantiae, quae superbiae semper est proxima, diutius in obstinatione permaneant, sed abjecto privato sensu errori semper obnoxio, Ecclesiae judicio quae est columna, et firmamentum veritatis, se dociles praebeant, Apostolicis mandatis sincero animo pareant, et in viscera S. Matris Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae, tota mentis intentione aliquando properent regredi.

Publicatio indicitur praesentium literarum, et fidem habendam esse earum transumptis mandatum.

§. 8. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in acie campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic vero publicatas, omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent: ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XXX. Aprilis MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno Septimo.

CDLXVI.

Archiepiscopos, et Episcopos Lutetiae ad Generalia Comitia congregatos hortatur ut de medendis Ecclesiae Gallicanae malis serio cogitent, Regiamque in primis opem implorent.

Dat. die ... Maji ... Anno VI...

Pluries Gallicanum Clerum in Comitiis coadunatum hortatus est Pontifex, ad hoc ut Religionis causae in Galliis prospiceret, qua de re videndae sunt hujus Pontificis Epistolae relatae hac nostra Continuatione num. CXXVI. pag. 326., aliaque sub num. CXLVIII. pag. 362. pariterque Tom. II. sub num. CCLXXXIII. pag. 643.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Lutetiae ad Generalia Comitia Congregatis.

Clemens Papa XIII.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

In affl... Religion... statu, ma... mum a... bum es... clandum... Pastora... conjunct... studius, e... de.

§. 1. Quanta auxilii vestri sit et in vestra virtute fiducia, solicitudinem usque adhuc sustinuit suam Gallicana Ecclesia, expectans dum solemnis iste vester haberetur conventus, tanto nunc studio, cum ad Generalia Comitia convenistis, vestram Religionem, vestram pietatem, vestram denique requirit fidem, et flagitat. Et jure quidem nihil sibi non pollicetur a Sacris Pastoribus, qui singulari sapientia, judicio, sacrarumque rerum gerendarum usu et prudentia praediti, omnibusque Episcopalibus virtutibus instructi et ornati, tum ardentissimo erga Christum Dominum ejusque Sponsam Ecclesiam amore flagrantes, se, suasque fortunas omnes Jesu Christo et S. Ecclesiae parati sunt devovere. Cessasse vos adhuc aliquibus fortasse videbitur: sed magnam vobis tribuendam esse laudem existimabunt, qui illud cogitaverint, quod ait Salomon.

Opport... salutaris sibi oc... videtur

§. 2. Quae vero potest esse opportunitas major, aut quodnam sibi tempus quisquam possit aptius fingere aut commisci, quam cum

suae quisque vestrum Provinciae persona sustinentes, et quid in quacumque de istius Regni Ecclesia postulet auxilii probe conscii, in unum congregati, collatis studiis ea capere possitis consilia, quae Episcopale vestro munere rite obeundo, et aegrotantis Ecclesiae vestrae rebus sanandis, ac praesertim nefariae adversus omnem Religionem nunc maxime flagranti impiorum hominum conjurationi restinguendae, tum publicae tranquillitati conservandae, uno verbo praestandae animarum aeternae saluti convenire maxime et conducere videbantur. Hanc igitur rei bene gerendae praeclaram occasionem jamdiu a Vobis ut opinamur, expectatam, teneatis oportet, V. V. Fratres. Quo in loco res vestrae sint ex pluribus Coepiscoporum literis jamdiu cognovimus, et de omni statu, in quo vestra est Ecclesia, qui sint animi Nostri sensus, iisdem Coepiscopis respondendo, satis aperte declaravimus. Quid vero vobis opus facto sit, vos, qui estis in re praesenti melius nosse, quam quisquam alius, oportet; nec quidquam ad Fraternitates vestras scribere habemus, quo eorum, quae isthic gesta sunt majore vos notitia possimus instruere, vel aptiora, et utiliora Ecclesiae vestrae dare consilia, quam quae potestis ex ipsa prudentia vestra depromere.

§. 3. Caeterum Apostolico Nostro officio deesse Nobis ipsi videremur, si laborantes Fratres Nostros taciti, et velut omisso animo tantummodo spectaremus, nec saltem his literis, quae de vobis rebusque vestris Nostra sit cura et solicitudo, argumentum aliquod praeberemus. Nos quidem, interea dum communiter agitis, et ad Ecclesiae incolumitatem vestra consilia confertis, preces Nostras Deo prosternimus, ut gressus dirigat vestros, atque ita cum magnanimitate et fortitudine in animis vestris componat humilitatem, ut, quod ait B. Praedecessor Noster Gregorius Magnus « *nec in vobis humilitas timida, nec erectio sit superba* » Retinenda quidem sacris Pastoribus excelsitas animi, ea tamen *quae non arrogantes faciat*, quod idem B. Gregorius monet; *et sic servanda est humilitas, ut non solvantur jura regiminis:* « Ubi enim agatur de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate fortis ad eam tuendam Episcopis praestandus est animus « *nec unquam cedendum est, neque enim adversarius ideo major est Christo;* (B. Cypriani Martyris Nos verbis uti satis animadvertitis): « *quia tantum sibi vendicat et assumit in saeculo; sed stabilis atque inconcussa Episcopalis virtus contra omnes incursus oblatrantium fluctuum, velut petrae objacentes, fortitudine et mole debet obsistere.* » In omnibus vero quaecumque acciderint, illud omnium Nostrum animis esto defixum: « *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum et argentum.* »

§. 4. Sed bono Vos esse animo oportet: sacrarum enim rerum Ecclesiaeque praesertim habetis tutelam Carissimum in Christo Filium Nostrum Christianissimum Regem. Non ille ut est Optimus Princeps et Catholicae Religionis tenacissimus, ac propterea in S. Ecclesiam ejusque sacratissimas res praeclare animatus, preces vestras et obsecrationes aspernabitur, vestrarumque querelarum causis amotis, SS. Matri suae, cujus se gloriatur esse primogenitum filium, omnem eximet solicitudinem, et Regia, qua pollet auctoritate et potestate, in suum locum, unde dejecta videtur esse, restitutam Ecclesiam ad pristinam revocabit hilaritatem. Sed in illud diligenter incumbite, Venerabiles Fratres, ne Religiosum Principem quidquam celetur eorum, quae usque adhuc Ecclesia pertulit, quaeque illi si tantummodo esponantur, non dubitamus, quin illico sit daturus indicia, minime placere sibi, Carissimam Matrem suam, superiorum temporum, quam olim florebat, felicitatem desiderare.

Maxima Episcopis fiducia habenda est in Christianissimi Regis religione, et pietate.

§. 5. De duobus Episcopis Alesiensi, et Andegaviensi lenitatem Nostram, qua Fratres illos, ad rectam caeterorum Collegarum suorum semitam retrahere studuimus, vobis probatam existimamus; nec idcirco usque adhuc voluimus ultra progredi, quod vestra sapientia, vestroque zelo confisi speramus, eos divino primum lumine collustratos, tum vestris salutaribus monitis, adjutrice Dei gratia, permotos in Nostrae vestraeque charitatis sinum aliquando redituros. Hanc vobis lau-

Ut Episcopos Alesiensem, et Andegaviensem ad rectam viam revocent hortatur Pontifex.

dem praereptam noluimus, vobisque etiam censuimus integram relinquendam, si de illis Fratribus vestra opera, sapientia, et consilio ad veram viam reductis, laetabundi omnes Deo, misericordiarum patri, gratias agere debeamus. Denique confortamini et estote robusti in Domino. Quod ad Nos attinet omnibus officiis, et quanta maxima possumus ope, et Apostolicae auctoritatis Nostrae auxilio pios egregiae virtutis vestrae conatus non cessabimus adjuvare. Et Fraternitatibus vestris, quas in sinu gerimus charitatis, intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Maji MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno septimo.

CDLXVII.

Dat. die 17. Maji 1765. Anno VII.

Causas Coloniensi Archiepiscopo patefacit cur postulatis ejus de conferendis Beneficiis vacantibus, in Dioecesi Osnabrugensi, mensibus Sanctae Sedi reservatis, obsecundare nequiverit.

Venerabili Fratri Maximiliano Friderico Archiepiscopo Coloniensi S. R. I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Pietatem tuam, et in hanc Sacram B. Petri Sedem religiosum obsequium, devotionemque praecipuam in eo recognovimus, quod Catechismi Romani commendatio, quam Encyclica Nostra novissimae Romanae editioni prefixa renovavimus, tantum ponderis apud Fraternitatem tuam habuerit, ut perquam elegantibus typis eumdem Catechismum denuo excudendum curaveris, ideoque istbic apud vos vulgatiorem feceris, et parabiliorem. De indulto, quod a Nobis postulas conferendi beneficia in Osnabrugensi Dioecesi, mensibus huic S. Sedi reservatis in posterum vacatura, parcere aequo animo Ven. Frater, si in hac re morem gerere tibi non possumus. Quanti te tuaque merita faciamus non obscura dedisse putamus argumenta, cum indultum quod nunc postulas in Osnabrugensi, idem in duabus Dioecesibus Coloniensi, et Monasteriensi tibi concessimus. Quam multi huc confugiant ad Apostolicam Sedem merito suo digni, quorum rationibus consulamus, non ignorat profecto Fraternitas tua. Contra quantis premamur angustiis quotidie, non sine magna molestia experimur, cum ex omnibus qui Apostolicam opem Nostram implorant, vix centesimum quemque voti sui compotem dimittamus. Si qui te adeunt, quos commendat morum integritas et doctrinae praestantia, vel saltem praeclara spes ex eorum ingenio concepta, iis ut prospicias per multa ex duabus amplissimis Dioecesibus tibi suppetunt Beneficia. Nobis itidem aequum est non deesse facultatem eos adjuvandi, qui ex Dioecesi Osnabrugensi studio suo in hanc S. Sedem, sese dignos praebeant Apostolica Nostra beneficientia. Praeterea exemplum esset plane inusitatum ac novum, si cui Apostolica Sedes Episcopo indulgeret, ut in tribus Dioecesibus Beneficia omnia conferret; cui nixi alii complures exemplo, idem, quod ipsa nunc Fraternitas tua postulat a Nobis instantissime flagitarent. Coeterum persuasum tibi esse volumus Ven. Frater Nos gratificandi tibi esse percupidos, et si quos Nobis commendaveris cum aliquod in Dioecesi Osnabrugensi vacaverit beneficium, eorum rationem habebimus, tum ut tibi palam fiat qui sit animus erga te Noster, tum ut conjunctio voluntatibus, uterque Nostrum ad largienda dignis hominibus praemia conspiremus. Et eximiae erga te benevolentiae pignus praecipuo Nostri cordis affectu, Fraternitati tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Maji MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDLXVIII.

Dat. die 17. Maji 17[illegible] Anno V[illegible]

Se nondum assensum praebere posse suppressioni Monasterii Monachorum S. Vincentii, nisi audita prius Congregatione Consistoria-

li, Pontifex nunciat Episcopo Metensi, cui de infelici Gallicanae Ecclesiae statu conquerenti, consolationem praebet.

Venerabili Fratri Ludovico Josepho Episcopo Metensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Literas tuas accepimus, quibus de Metensi Monasterii S. Vincentii redditibus ad Collegium Canonissarum Sancti Ludovici adjungendis copiose disseris. Qua in re nondum constitutum quid facturi simus, habemus. Nam Monachi S. Vincentii Monasterium suum minime extinguendum esse contendunt et hanc sibi adeundam esse existimarunt Apostolicam Sedem, apud quam tueri causam suam volunt. Rejiciendi non fuerunt homines, quorum ea res maxime interest, ac propterea id omne quidquid est, Congregationi Consistorialibus rebus praepositae, dijudicandum mandavimus.

§. 2. Quod postrema literarum tuarum parte miserandum Religionis statum in Gallia vehementer doles, flagrantissimum in Religionem amorem zelumque tuum, Nobis, et omni Gallicanae Ecclesiae satis cognitum, in hac querimonia tua recognovimus. Diu est cum boni omnes de honore Dei et gloria, aeternaque salute animarum solliciti tantam istbic sacrarum rerum vastitatem metuebant; postquam enim Ecclesia, illam apud vos propemodum amisit potestatem, quam a Christo Domino accepit: ut jam religionem tueri vix possit, quod aliud est expectandum, quam ut istbic omnis religio funditus pereat? Coercendi fuerant impii, qui flagitiosis, execrandisque scriptis regnum istud compleverunt, et in homines omnis religionis expertes, divinamque Majestatis osores severe animadvertendum; quorum tamen interea licentiam et impunitatem alit eorum lenitas, qui non nisi tacendo conservandam esse arbitrantur publicam pacem; atqui hoc silentio, quantum non Ecclesia modo, sed ipsa Respublica detrimentum capiat, et in dies acceptura sit gravius, nemo non videt. Clericos Regulares Societatis Jesu e Dioecesi tua, ut ex omni Regno pulsos vehementer doles, et qui in Lotharingia ad tuam pertinent Dioecesim conquereris diu superesse non posse. Retineri profecto nunc maxime oportebat strenuos Christianae Religionis, et Catholicae Fidei propugnatores; qui praeterea studiosis literarum adolescentibus, impietatis pestem defenderent, juvaniles animos religiosis sensibus docendo perfunderent, ac suae virtutis odore et exemplo ad studium pietatis excitarent. Sed Deo aliter visum. Illum (neque enim quidquid aliud Nobis est reliquum) in humilitate cordis Nostri enixe rogemus, ut Ecclesiam suam nunc temporis gravissime laborantem praesentissima ope sua quam celerrime adjuvet. Et Fraternitati tuae, quam in Nostrae charitatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Maji Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto, Pontificatus Nostri anno Septimo.

CDLXIX.

Gratulatur cum Sarlatensi Episcopo quod grate acceperit Constitutionem *Apostolicum* confirmatoriam Instituti Societatis Jesu, quodque Pastoralem Instructionem pro sua Dioecesi ea de re typis mandari curaverit.

Dat. die 29 Maji 1765. Anno VII.

Venerabili Fratri Henrico Jacobo Episcopo Sarlatensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Binas a Fraternitate tua Epistolas accepimus, alteram gratulabundam quod Constitutione Nostra Societatis Jesu Institutum confirmavimus, quod quidem officium tuum perquam Nobis fuit gratum ac perjucundum, alteram cum pastorali instructione tua, quam hoc tempore periculorum pleno typis excu-

sam te edidisse, documento est, Ecclesiae res ut par est fortunis tuis tibi esse potiores. Profecto dubitare non possumus, Fraternitatem tuam Deo ejusque Filio Jesu Christo se caputque suum devovisse. Deum Ven. Frater in humilitate cordis Nostri precemur, ut his tenebris caecisque procellis, quibus nunc ut cum maxime jactatur Ecclesia, divinae aliquid lucis Nobis ostendat, vereque Nobis vobisque addat, et animos, quo eamdem Ecclesiam, e tot tantisque periculis aliquando possimus eripere. Et Fraternitati tuae, quam in vinculo charitatis gerimus, intimo animi affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima nona Maji MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDLXX.

Dat. die 8. Junii 1765. Anno VII.

Mexicano Archiepiscopo, vel eo defuncto Vicario Capitulari facultates speciales impertitur pro proxime convocando Capitulo Generali Ordinis Fratrum Bethlemitarum.

Omnimodam observantiam Constitutionum hujus Ordinis, opportunasque conditas declarationes continet hujus Pontificis Constit. Anni 1763 Julii 7. relata in hac Continuat. sub num. CCCLII. pag. 771. Constitutionem ipsam confirmavit, atque gesta in illius contemptum proscripsit Pontifex idem Constit. alia anni 1764. Augusti 27. relata hoc Tomo sub Num. CDXXXII. pag. 891.

Venerabili Fratri Emmanueli
Archiepiscopo Mexicano,
seu Vicario Capitulari,
Metropolitana Ecclesia vacante,
quod Deus avertat, legitime deputato.

Clemens PP. XIII.
Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Recensetur precedens Constitutio

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus a Resurrectione, et Nicolaus a Sancto Francisco de Paula Fratres expresse professi Ordinis Fratrum Bethlemitarum nuncupatorum, ejusdemque Ordinis, ut ipsi asserunt, Procuratores Generales ad hanc Apostolicam Sedem deputati, nunc autem in Hispaniis commorantes, quod superiori anno emanarunt a Nobis literae in simili forma Brevis, quibus Fraternitati tuae, seu Vicario Capitulari, Metropolitana Ecclesia vacante, quod Deus avertat, legitime deputato, ut Capitulum Generale dicti Ordinis proxime habendum in Civitate Mexicana convocare, eique auctoritate Nostra praesidere, atque in eo pro tua pietate, prudentia, et zelo consulere iis omnibus, quae non solum respiciunt exactam in posterum observantiam Constitutionum dicti Ordinis, sed etiam oeconomicam administrationem redditum, eleemosynarum, ac redditionem rationis juxta in dictis Constitutionibus praescripta, caeteraque omnia, ex quibus earumdem Constitutionum observantiam in pristinum restitui decus, ac quietem dicto Ordini reddi posse expediens esse judicabitur, curare, ac providere, et insuper ante convocationem ejusdem Capituli cognoscere, examinare, pronunciare, ac definire de jure, ac legitima qualitate, et potestate Superiorum aliorumque obtinentium ea dicti Ordinis munera, quibuscum in Capitulo Generali jus suffragii conjunctum esse solet ac insuper supplere, et sanare omnes, et quoscumque defectus juris, aut facti, si qui desuper intervenerint, quoad eos, qui hujusmodi jure dignos in servandis Constitutionibus Ordinis, caeterisque Christianis virtutibus exercendis se probaverint, atque exhibuerint, e diverso contumaces, atque inobedientes aliosque indignos repellere, ac removere, aliosque in eorum locum, ac munera substituere possis, et valeas, auctoritate Nostra Apostolica de plenitudine potestatis concessimus, et elargiti sumus, prout latius in dictis Nostris literis die XXVIII. Augusti expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, noscitur contineri.

edita pro futura convocatione Capituli Generalis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio continebat, summopere utile, imo etiam necessarium foret, si eidem Capitulo proxime

Exponi... quanta ... Ordinis ... litate C...

celebrando interessent dilecti filii Joannes Angelus a Sancto Ignatio, Sebastianus a Matre Dei, Joachimus a Sancto Josepho, Joannes a Jesu, et Ascentius a Doloribus, qui pro reparanda Regulari disciplina, extirpandisque abusibus et corruptelis, plures labores ac molestias pertulerunt, et se tamquam murum pro Domo Israel opposuerunt, et ideo de omnibus, quae ad statum, et regimen praedicti Ordinis spectant probe instructi, ac periti ad omnia recte constituenda, et bene in futurum disponenda plurimum opera, et consilio suo juvari possent; propterea Nos humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis providere, et ut infra de benignitate Apostolica indulgere dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui prospero, ac felici praedicti Ordinis gubernio, ejusque decori, atque utilitati, et in pristinum statum restitutioni, quantum in Domino possumus, magis magisque consulere, ac prospicere in paternae charitatis visceribus maxime desideramus, praedictos Joannem Angelum a Sancto Ignatio, Sebastianum a Matre Dei, Joachimum a Sancto Josepho, Joannem a Jesu, et Ascentium a Doloribus specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, arbitrio Fraternitatis tuae, seu Vicarii Capitularis, quod Deus avertat, Sede Metropolitana vacante, legitime deputati, dummodo superius exposita veritati nitantur, quod prius per te diligenter indagari, et constatare volumus, ut eisdem Joanni Angelo, Sebastiano, Joachimo, Joanni, et Ascentio jus suffragii, vel voti, intra, aut etiam extra Suffragantium, aut Vocalium a Constitutionibus Ordinis praedicti praefinitum numerum, in proximo futuro Generali Capitulo, si, cum ad te hujusmodi Nostrae pervenerint, ipsi vel eorum aliquis, eamdem suffragii seu voti praerogativam per alicujus muneris assequutionem, vel alio aliquo legitimo modo adepti non sint, arbitrio, et prudentia tua, vel praedicti Vicarii, prout in Domino magis expedire existimabis, concedas, et elargiaris, auctoritate Apostolica committimus, et demandamus.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis praefati etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Junii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Derogatio contrariorum.

CDLXXI.

Confirmatio, et approbatio erectionis Monasterii Monialium Ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis sub regula, et instituto S. Francisci Salesii in Civitate Genuae.

Dat. die 8. Julii 1765. Anno VII.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sanctimoniales Virgines, tamquam lilia, in horto concluso plantatas, odorem suavitatis Christo Domino, qui pascitur inter lilia, juxta laudabilia Instituta, quae noviter susceperunt, reddere satagentes, Nostri muneris, est in earum pio proposito confovere, et sacras aedes a Christifidelium pietate, munifice largitis opibus constructas, et in regularia coenobia, delegata Sedis Apostolicae auctoritate erectas, pro firmiori erectionis hujusmodi validitate, Apostolico munimine roborare, ut exinde illa proveniant

Proemium.

eximia charitatis opera, per quae incessanter divina collaudetur majestas, et aeternae salutis promereatur securitas.

Recensetur origo hujus novi Monasterii.

§. 2. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum modernarum Priorissae, et Monialium Monasterii Ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis sub regula Sancti Francisci Salesii nuncupati Civitatis Januensis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias antiquissima, et satis ampla Universitas artium Merciariorum, et Corregiariorum praefatae Civitatis, Ecclesiam sub titulo Sanctorum Bernardini, et Alexii una cum eidem Ecclesiae conjuncta domo optime absoluta pro educandis inibi in Dei timore filiabus artium hujusmodi professorum propriis sumptibus aedificavit, in qua quidem domo viginti ex dictis filiabus una cum tribus personis illis inservientibus propriis ejusdem Universitatis expensis manuteneri consuevit.

Supplices preces pro veteri conservatorio in Monasterium erigendo, et approbatio Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium.

§. 3. De anno vero Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo, tunc existentes Deputati ipsius Universitatis, domum praefatam ad usum Conservatorii successive redactam, et sufficientibus redditibus ditatam, in formale Monasterium dicti Ordinis cum clausura, sub eisdem tamen regula, et Instituto praefati Sancti Francisci Salesii pro filiabus eorumdem Professorum, et mulieribus ex Professorum hujusmodi viduis dumtaxat erigi facere desiderantes, supplices ad hujusmodi effectum Nobis porrexerunt preces, quibus precibus a Nobis ad Congregationem tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae remissis, Congregatio ipsa, post maturum desuper habitum examen, per ejus Rescriptum sub die decima quinta mensis Septembris praefati anni emanatum, et a Nobis sub die vigesima ejusdem mensis, et anni approbatum commisit Venerabili Fratri Nostro moderno Archiepiscopo Januensi, ut ipse Archiepiscopus, veris existentibus narratis, et postquam sibi constitisset, fabricam dicti Conservatorii cum Ecclesia, Campanile, Choro, Sacristia, Refectorio, Dormitorio, locis separatis tum pro Novitiis, tum pro educandis, Hortis, et Spatiis, numeris omnibus esse absolutum, et suppellectili tam sacra, quam profana sufficienter instructam, nec non eidem Conservatorio in Monasterium, ut infra, erigendo, annuum redditum pro congrua substentatione viginti Monialium, et ipsius Monasterii, postquam illud etiam, ut infra, erectum fuisset, manutentione, sufficientem vere, et cum effectu fuisse assignatum, ad petitam erectionem enunciati Conservatorii in Monasterium formale sub regula, et instituto ejusdem Sancti Francisci Salesii, et clausurae declarationem pro suo arbitrio, et conscientia deveniret.

Archiep... pus Ge... sis Mon... rium er... redditu... lius, et ... giosaru... merum ... finivit, non pr... gia conc...

§. 4. Qui Archiepiscopus facultatibus per ipsum Rescriptum, ac etiam per peculiarem praefatae Congregationis Epistolam sibi tributis utendo, verificatisque prius omnibus, et singulis in eodem Rescripto sibi verificari injunctis, dictum Conservatorium in verum, et formale Monasterium cum clausura, sub regula, Instituto, et Ordine praefatis, Apostolica sibi delegata auctoritate, perpetuo erexit, et instituit. Eidemque Monasterio, sic ut praefertur, erecto, et instituto, ac praefatis modernis Priorissae, et Monialibus, ut idem Monasterium, ac ipsae modernae, et pro tempore existentes dicti Monasterii Priorissa, et Moniales, nec non personae in eo pro tempore degentes, omnibus, et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, indulgentiis, favoribus, aliisque gratiis universis, tam Spiritualibus, quam Temporalibus, aliis Monasteriis dicti Ordinis, eorumque Priorissis, ac Monialibus, aliisque personis in eis, ut praefertur, commorantibus, et Christifidelibus illarum Ecclesias visitantibus quomodolibet concessis, dummodo tamen illa essent in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliqua revocatione comprae hensa, et Sacris Canonibus, ac praecipue Concilii Tridentini decretis, regularibusque dicti Ordinis Institutis non adversarentur, et in posterum concedendis, et quibus illa, vel de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possent quomodolibet in futurum, similiter uti, frui, potiri, et gaudere, libere, et licite va-

lerent, ac si eisdem modernis, et pro tempore existentibus Priorissae, et Monialibus dicti Monasterii, sic, ut praefertur, erecti, et instituti expresse concessa fuissent, plenam, liberam, et omnimodam facultatem eadem Apostolica sibi delegata auctoritate concessit, et impartitus fuit, prout in uno sub die vigesima sexta Mensis Junii anni ejusdem Domini millesimi septingentesimi quinquagesimi noni, nec non pro felici gubernio, et prospera directione dicti Monasterii, sic ut praefertur, erecti, et instituti, ubi ad praesens sexdecim Moniales professae Capituli Vocales nuncupatae, ac duae Puellae in statu probationis, et quatuor Sorores inservientes, quas dictus Franciscus Sorores domesticas appellari voluit, reperiuntur, et in quo, benedicente Domino, plures Puellae praefatum Institutum profiteri exoptant, Priorissam, aliasque Officiales ad triennium elegit, prout in altero sub die vigesima octava mensis Decembris, praefati anni Domini millesimi septingentesimi quinquagesimi noni ab eodem Archiepiscopo respective emanatis decretis plenius contineri dicitur.

Pon- rre- esta que ica ate are

§. 5. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, ea, quae Sedis Apostolicae munimine roborantur, firmius subsistant, et ab omnibus exactius observari soleant; propereaque praefatae modernae Priorissa, et Moniales, ne adversus erectionem, institutionem, concessionem, facultatis impartitionem, electionem, nec non unum, et alterum ab eodem Archiepiscopo desuper, ut praefertur, emanata decreta hujusmodi quidquid umquam sub quovis praetextu, colore, vel ingenio, aut ex quavis causa, vel occasione a quibuslibet personis cujuscumque gradus, conditionis, et auctoritatis illae existant, opponi, seu illa impugnari, aut eis contradici queat, plurimum cupiant electionem, institutionem, concessionem, facultatis impartitionem, electionem, nec non unum, et alterum desuper, ut praefertur, emanata decreta hujusmodi pro validiori omnium, et singulorum praemissorum firmitate, subsistentia, et stabilitate, ac inviolabili observantia per Nos, et Sedem Apostolicam perpetuo, ut infra, approbari, et confirmari; quare pro parte dictarum modernarum Priorissae, et Monialium Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 6. Nos igitur, qui desideria justa petentium ad exauditionis gratiam libenter admittimus, easdem modernas Priorissam, et Moniales specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, easque, et earum quamlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, ac unius, et alterius decretorum praefatorum respective tenores, praesentibus pro expressis habeantur, hujusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, institutionem, et electionem praefatas, ac unum, et alterum desuper, ut praefertur, ab eodem Archiepiscopo Apostolica sibi delegata auctoritate praefata emanata decreta hujusmodi, cum omnibus, et singulis in ipsis decretis contentis, et expressis, privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, indulgentiis, favoribus, et gratiis universis, tam spiritualibus, quam temporalibus, eidem Monasterio sic, ut praefertur, erecto, et instituto, ac praefatis modernis, et pro tempore existentibus dicti Monasterii sic, ut praefertur, erecti, et instituti, Priorissae, et Monialibus, aliisque personis in eo, ut praefertur, pro tempore degentibus, ac Christifidelibus praefatam Ecclesiam dicti Monasterii sic, ut praefertur, erecti, et instituti pro tempore visitantibus ab eodem Archiepiscopo, dicta Apostolica sibi delegata auctoritate, ut praefertur, concessis, et impartitis, eisdem modo, et forma, quibus illa concessa, et impartita sunt, dummodo tamen illa sint in usu, et nullatenus in aliquo revocata, nec sub aliqua revocatione compraehensa, ac eisdem Sacris Canonibus, praefatisque Concilii Tridentini hujusmodi decretis, regularibusque dicti Ordinis Institutis minime adversentur, cum omnibus inde legitime sequutis quibus- Pontifex erectionem supradicti Monasterii, et omnia gesta approbavit, et confirmavit.

cumque, Apostolica auctoritate praefata, tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus; omnesque, et singulos, tam juris, quam facti, et solemnitatum, aliosque, quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possit, in eisdem, quatenus opus sit, supplemus.

Insuperque mandat ut Institutum, et Constitutiones Ordinis in hoc Monasterio perpetuo observentur.

§. 7. Et ad hoc in dicto Monasterio sic, ut praefertur, erecto, et instituto susceptum dicti Sancti Francisci Salesii Institutum semper in suo robore permaneat, idemque Institutum in eodem Monasterio sic, ut praefertur, erecto, et instituto numquam immutari, relaxari, aut deformari, vel alterari possit, quod idem Monasterium sic, ut praefertur erectum, et institutum, vere praefati Ordinis Visitationis ejusdem Beatae Mariae Virginis existit, et uti tale ab omnibus habeatur, et reputetur; ideoque in eo a praefatis modernis et pro tempore existentibus Priorissa, et Monialibus ejusdem Monasterii sic, ut praefertur, erecti, et instituti, aliisque personis inibi pro tempore degentibus Constitutiones, et Regulae a praefato Sancto Francisco Salesio praescriptae, semper, et omni tempore inviolabiliter observari, et adimpleri debeant, nec praefatae modernae, et pro tempore existentes dicti Monasterii sic, ut praefertur, erecti, et instituti Priorissa, et Moniales, aliaeque personae inibi pro tempore degentes ab illarum omnimoda observantia, et totali adimplemento ullo unquam tempore resilire, aut recedere valeant, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo statuimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Praesentes quoque semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, ac nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in jus, vel controversiam vocari, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per Nos, et Sedem Apostolicam praefatam, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam Motu Proprio, et ex certa scientia pro tempore factis, et faciendis compraehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per modernas, et pro tempore existentes Priorissam, et Moniales dicti Monasterii sic, ut praefertur, erecti, et instituti quandocumque eligenda, concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque, et non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-legatos, dictaeque Sedis Nuncios, et quovis alios quavis auctoritate fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, judicari, et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane etiam decernimus.

Derog[atio] contr[ario]rum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de Gratiis, et Indulgentiis non concedendis ad instar, ac recolendae memoriae Clementis Papae Octavi praedecessoris Nostri super modo, et forma communicandi Indulgentias per Monasteria, Congregationes, et Confraternitates de anno pariter Domini millesimo sexcentesimo quarto, seu alio veriori tempore edita Constitutione, quae incipit Quaecumque a Sede Apostolica etc. aliisque quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, et Universalibus Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis quibuslibet Superioribus, et personis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet forsan conces-

sis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, et inserti forent, iisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad praemissorum omnium validissimum effectum, hac vice dumtaxat, harum quoque serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, declarationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, octavo Idus Julii Pontificatus Nostri Anno septimo.

Relatis singulis Pontificiis Constitutionibus hujus Anni Septimi Ecclesiasticam materiam spectantibus, gradum facimus ad eas, quo hoc eodem Anno temporalem respiciunt Pontificiam auctoritatem.

CDLXXII.

...e 11. 1764. ...VII.

Praevia confirmatione, et respectiva moderatione Literarum Gregorii XIII. diei 22. Martii 1581. nonnulla de novo statuit quoad electionem Notariorum Curiae nuncupatae *Turroni* in Civitate Bononiae a Praesidibus Montis Pietatis illius Civitatis faciendam.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur antiqua methodus a Gregorio XIII. statuta pro horum Notariorum electione.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Praesidentes Montis Pietatis dudum instituti in Nostra Civitate Bononiae, quod praeter alia a Summis Pontificibus praedecessoribus Nostris disposita, quoad electionem praecipue Notariorum Curiae *Turroni* ejusdem Civitatis, fel. rec. Gregorius PP. XIII. in suis literis in simili forma Brevis desuper expeditis die XXII. Martii anni MDLXXXI. inter caetera mandavit, ut Praesidentes, seu Officiales praedicti Montis Pietatis pro tempore existentes, eligerent octo Notarios ab ipsius Civitatis Gubernatore pro tempore approbandos, aliumque, qui caput Notariorum dicitur, dictorumque Notariorum officium ad biennium tantum, et cum prorogatione ad summum alterius biennii, illius vero, qui caput Notariorum dicitur, pro eo temporis spatio, quod praedictae Curiae *Turroni*, causisque ibidem gerendis expedire videbitur, arbitrio dictorum Praesidentium duraret, ea tamen adjecta lege, ut denuo eligi nequiret in Notarium is, qui semel officium hujusmodi exercuisset, nisi elapso postmodum decennio, et constito nullam ipsum cum Civibus, et personis dictae Civitatis necessitudinem, dependentiam, aut quodvis aliud interesse habere, haecque omnia sub excommunicationis sententia per quemlibet contravenientem eo ipso incurrendae inviolabiliter observari praescripsit, et alias prout in praefatis literis, quarum tenor est, ut sequitur videlicet. »

Tenor literarum Gregorii XIII.

Gregorius XIII. « Ad perpetuam rei memoriam — Superna providentia, quae cunctos Fideles statuit in rectitudine gubernandos, Supremam Pontificalem ad hoc Nobis, meritis, licet imparibus, contulit dignitatem, ut prae caeteris provisionis Nostrae ministerio quorumlibet Tribunalium, praesertim in Civitatibus, Terris, et Locis Sedi Apostolicae immediate subjectis ad justitiae cultum institutorum officia salubriter dirigantur, et sublatis abusibus, qui ex nimia praeteritorum temporum licentia, et seu No-

tariorum, et Scribarum malitia, ac impunitate invaluerunt, reformationem suscipiant atque ad debitam normam reducantur. Alias siquidem, cum Nos Reformationi Curiae *Turroni* Civitatis Nostrae Bononiae solerti studio, et vigilantia intenderemus, animadverteremusque ibidem multos abusus irrepsisse, ut non modica emendatione, et correctione opus esset, dilectis Filiis Praesidentibus Montis Pietatis in dicta Civitate dudum instituti, inter alia significari fecimus Nostrae mentis, et intentionis esse, ut ea reddituum Curiae *Turroni* hujusmodi pars quae ad ipsum Montem legitimo emptionis titulo pertinere dignoscitur, eidem Monti absque ulla diminutione integra, atque illaesa praeservaretur, et praestaretur. Quodque omnes Notarii ejusdem Curiae *Turroni*, ac ille, qui caput Notariorum dicitur, mutarentur, ac illorum loco octo dumtaxat alii Notarii forenses quidem, et legales, rerumque ad officium Notariatus spectantium, praesertim criminalium periti, qui per pro tempore existentes Praesidentes, seu Officiales dicti Montis eligi, et ab ipsius Civitatis Gubernatore pro tempore existente approbari, officiumque Notariatus hujusmodi per seipsos, non autem per Substitutum, vel Substitutos, fideliter, servata inter eos aequalitate, et paritate exercere deberent, quorumque octo Notariorum officium ad biennium cum prorogatione ad summum alterius biennii tantum, illius vero, qui caput Notariorum dicitur, pro eo temporis spatio, prout Curiae praefatae *Turroni*, negociisque et causis ibidem gerendis expedire videbitur, arbitrio ipsorum Praesidentium duraret, assignato eis competenti salario, ex quo se commode sustentare possent, institueretur, et quod illi, qui semel praeteritis forsan temporibus, aut alias quandocumque aliquod ex officiis Notariatuum Curiae *Turroni* hujusmodi exercuissent, si compertum foret eos in rebus gerendis diligentiam, fidem, integritatem, et legalitatem adhibuisse, et bonae famae odorem de se reliquisse, nec ullam cum Civibus, et personis dictae Civitatis necessitudinem, dependentiam, aut quodvis aliud interesse habere, eo casu non alias post lapsum decem annorum a die dimissionis sui cujusque officii Notariatus hujusmodi computandorum, et non antea in Notarios ejusdem *Turroni* iterum eligi possent. Cum autem sicut accepimus, praefati Praesidentes, menti, et intentioni Nostris praedictis inhaerentes, ad electionem, et deputationem Notariorum hujusmodi, et illius, qui caput Notariorum nuncupatur, processerint, aliaque circa praemissa, et in illorum exequutionem statuerint, et ordinaverint, Nos, ne de mente, et intentione Nostris praedictis, ac inde sequutis quibuscumque, ullo umquam tempore dubitari, et praemissa sic per Nos publicae utilitatis procurandae, et justitiae conservandae zelo, exquisita negligi contingant, providere volentes, electionumque, et deputationum hujusmodi, ac inde sequutorum quorumcumque tenoribus praesentibus pro expressis habentes, Motu proprio non dictorum Praesidentium, vel aliorum pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, et certa scientia Nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnia, et singula superius expressa, ac electiones, deputationesque hujusmodi, Apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac illis perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui interverint in eisdem supplemus, illaque valida, et efficacia fore, et esse, ac suos plenarios, et integros effectus sortiri, atque ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ipsasque ad id quibusvis sententiis, censuris, et poenis aliisque juris et facti remediis cogi, et compelli, neque ab eis quovis praetextu resilire posse, sicque mentis, et intentionis Nostrae fuisse, et esse, ac ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, et Curiae *Turroni* hujusmodi, causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non ipsius Civitatis Gubernatores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpraetandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, nec non si secus super his a quo-

quam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, et declaramus. Et nihilominus pro potiori cautela harum serie perpetuo statuimus, et ordinamus, eam partem reddituum Curiae *Turroni* hujusmodi, quae ad montem praefatum tam vigore emptionis alias ad commodum ejusdem Montis factae, quam indulti Apostolici super inde ad illius favorem concessi, pertinet, integram, atque salvam pro eodem Monte omnino praeservandam esse, nec a quoquam aliqua ex parte diminui posse, aut deberi, supportatis tamen per dictum Montem, debitis, et consuetis oneribus; Insuper Notarios Curiae *Turroni* hujusmodi dictis qualitatibus praeditos, et octo numero dumtaxat esse, ac ultra illos eum, qui caput Notariorum dicitur, modo, et forma praemissis eligi, et approbari, atque per se ipsos, non autem per Substitutos, suum cujusque officium exercere, et inter eos aequalitatem, et paritatem servare, illisque de competenti salario provideri, ipsorumque octo Notariorum officium ad biennium cum prorogatione alterius biennii ad summum: ejus vero, qui caput Notariorum dicitur, pro eo temporis spatio, prout praedictae Curiae *Turroni*, causisque ibidem gerendis videbitur expediri, arbitrio dictorum Praesidentium dumtaxat durare debere, et nonnisi in casibus praedictis, et elapso decennio, ut praefertur, computando, rursus in Notarios ejusdem Curiae *Turroni* eligi posse, haecque omnia, et alia supradicta, sub excommunicationis sententia, per quemlibet contravenientem, eo ipso incurrendae, inviolabiliter observari debere. Quo circa Ven. Fratri Episcopo Bononiensi, et dilectis Filiis Gubernatori Civitatis Nostrae Bononiensis nunc, et pro tempore existentibus, ac causarum Curiae Apostolicae Generali Auditori, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis, contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Praesidentium praedictorum, vel quorumcumque aliorum interesse habentium, aut alicujus eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, ac ipsis in praemissis opportunae defensionis praesidio assistentes, faciant authoritate Nostra praesentes literas, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ipsosque illis pacifice frui, et gaudere. Non permittentes, eosdem Praesidentes, vel alios interesse habentes, aut eorum aliquos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus Nostra de non tollendo jure quaesito, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis et Curiae praedictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum die XXII. Martii MDLXXXI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Preces porrectae pro absolutione ob inobservantiam praecedentium literarum Gregorii XIII., et amplioribus facultatibus in futuris Notariorum electionibus.

§. 2. Verum quia sicuti eadem expositio subjungebat, licet dicti Praesidentes omnia in eisdem literis praescripta exequutioni commiserint, et adhuc curent, tamen propter exiguum numerum Notariorum, qui officia hujusmodi petant, vel ad illa exercenda apti sint, jamdiu evenit, quod semel electi Notarii, etiam ultra biennium in hujusmodi officio perrexerint, valdeque insuper timendum sit, quod aliquando necessitate ducti iidem Praesidentes denuo eligant aliquem Notarium, qui antea officium hujusmodi exercuit, non elapso postmodum decennio, et quamvis aliquam ipse necessitudinem, dependentiam, aut quodvis aliud interesse cum Civibus, aliisque personis dictae Civitatis habeat. Quo circa pro parte eorumdem Praesidentium Nobis humiliter supplicatum fuit, ut quatenus occasione praemissorum, in excommunicationis sententiam ipsi incidissent, ad cautelam eos absolvere, simulque facultatem imposte-

rum quoties nullus sit, vel minus idoneus sit, qui officium Notariatus hujusmodi petat, prorogandi ultra biennium exercitium eorum, qui actu inserviunt, simulque eligendi, non adhuc elapso decennio illos, qui alias officia hujusmodi exercuerunt, et quamvis aliquam cum Civibus, et personis dictae Civitatis necessitudinem, dependentiam haberent, eisdem Praesidentibus concedere, ac in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et utrasque facultates indulget, praevia praecedentium literarum partiali reformatione, et derogatione.

» Quantunque in ogni contratto siamo persuasi, che la nostra Università sia per cercare l' utile, ed il vantaggio, non ostante ordiniamo, che qualunque volta sia necessario farsi qualche contratto di compra, e di vendita, di commutazione, o altro qualunque in qualsivoglia modo, sia bene esaminato dagli Officiali della nostra Università. Che però quando il tempo, e la circostanza del contratto lo permetterà, vogliamo, che li contratti da farsi si propongano da una Congregazione ad un' altra acciò sia in libertà di ognuno il potere esaminare comodamente il negozio, che si tratterà, proibendo alli Consoli, Camerlengo, ed altri Officiali espressamente di poter fare qualunque sorte di contratto, ancorchè sia in evidente utilità della nostra Chiesa, ed Università, se prima non sarà in dette Congregazioni proposto, ed esaminato, e da quelle stabilito con la maggior parte de' voti favorevoli, anzi ordiniamo, che nelli contratti di alienazione, proposti, e stabiliti, che saranno delle suddette Congregazioni, non debba restare risoluta cosa alcuna, se posteriormente non si sarà riportato il Beneplacito Apostolico, e non altrimenti ec. »

» Non osservandosi perfettamente dalli suddetti Officiali, e Ministri le sopraddette ciscostanze oltre la pena, che incorreranno di scudi venticinque per ciascheduno, ogni, e qualunque contratto sia nullo, e di niun valore, e come fatto non fosse, perchè così ec. e non altrimenti ec. »

CAPITOLO XL.

Della celebrazione delle messe in suffragio delle anime de Fratelli defonti.

» Ogni legge di carità perscrive, che non solo da noi si pensi al bene, ed utile de' nostri Congregati, ma ancora si procuri ogni loro sollievo, quando saranno trapassati, santa, e salutevol cosa essendo di pregare per i defonti. Che perciò ordiniamo, che per qualunque Credenziere, Acquafrescaro, Caffettiere, Spacciatore di spirito di vino, e Confetturiere, il quale sia passato a miglior vita, avuta, che si sarà la notizia della sua morte, e rincontrato, che il medesimo abbia soddisfatto alla tassa ingiuntagli nel Cap. XXXII. dovranno li nostri Consoli, subito fargli celebrare a spese della Università numero 12. Messe basse all' altare privilegiato esistente nella nostra Chiesa di S. Elena. »

» Succedendo poi la morte di qualcuno

degli Acquavitari de' postifermi, Cassettanti, come pure Spacciatori di confezioni e dolci, Ajutanti di credenza, Ministri, Giovani, e Garzoni d'Acquafrescari, Caffettieri, Spacciatori di spirito di vino, e Confetturieri, giunta, che sarà la notizia a detti Consoli, e rincontrato il pagamento della tassa in conformità del Capitolo XXXII., subito siano obbligati li medesimi Consoli fargli celebrare a spese come sopra numero sei messe basse al detto altare privilegiato; e l'adempimento di tali messe dovranno fare registrare in un libro a parte dal nostro Rettore, con porvi nome, e professione del fratello defonto, la giornata della morte, e consecutivamente sotto tale intestazione dovrà apparire il nome di quelli tali Sacerdoti, che avranno celebrato. »

» E mancando detti Consoli di dare esecuzione ad un tale preciso loro obbligo, dovrà soccombere ciascuno di loro alla pena di scudi tre a beneficio della Chiesa; la quale sarà tenuta far celebrare le messe ordinate nel presente Capitolo per suffragio di quello o quelli Fratelli della Università defonti, ed il di più di detta pena resterà a beneficio della nostra Chiesa. »

CAPITOLO XLI.

Delli Roversi da darsi a quelle persone della nostra Università, che in fine dell' anno avranno pagato la stabilita tassa, e saranno intervenute alle Congregazioni.

» Essendo molto a cuore alla nostra Università per utile, e vantaggio della medesima, che le tasse ordinate nel Capitolo XXXII. vengano con ogni puntualità, e senza remora alcuna pagate, tanto dalli Credenzieri che dalli Acquafrescari, Caffettieri, Spacciatori di spirito di vino, e Confetturieri, come pure a motivo, che le Congregazioni siano sempre numerose, perciò col presente Capitolo ordiniamo, che li suddetti quando infine dell' anno risulti dalle note da darsi dal nostro Esattore, che abbiano pagate le dette stabilite tasse, come pure assistito alle Congregazioni, il che dovrà apparire dalli libri delle Congregazioni medesime, debbano essere imbussolati, e per la prima Congregazione generale se ne debbano estrarre quattro delli detti imbussolati, alli quali otto giorni prima della Festa della nostra Santa, dalli nostri Consoli, a spese dell' Università si dovrà dare un Roverso per ciascheduno del valore di giulj 30. »

» E mancando detti Consoli di dare esecuzione ad un tal Capitolo, dovranno la pena di scudi dieci per ciascheduno a vantaggio della nostra Chiesa. »

CAPITOLO XLII.

Della Festa solita farsi il giorno della gloriosa S. Elena.

» Siccome egli è pur troppo vero che devesi invigilare per il buon governo, e regolamento della nostra Università; così altrettanto è vero, che con ogni maggior zelo si deve procurare il Divin culto, e l'onore de Santi, e specialmente di S. Elena nostra protettrice, ed avvocata; e perciò con il presente Capitolo ordiniamo, che in ciascun' anno nella prima Congregazione generale si debbano dalli Consoli, e Camerlengo nominare sei Fratelli della nostra Università, li quali dovranno soccombere alle spese occorrenti per detta Festa, e per minorar loro una tale spesa, e dare un qualche compenso, vogliamo, che la nostra Università abbia a somministrare alli medesimi scudi dieci e non più. »

» Se poi detti eletti Festaroli rinunciassero, saranno soggetti alla pena di scudo uno per ciascheduno, e li Consoli, e Camerlengo a spese della Università dovranno fare la detta Festa, per la quale non potranno impiegare più della detta somma di scudi dieci e quando da' medesimi si aggravasse la detta Università per qualunque benchè minima somma sopra li detti scudi dieci, debbano soccombere distributivamente col proprio per la reintegrazione. »

CAPITOLO XLIII.

Della distribuzione delle Candele da farsi il giorno della Purificazione della Beatissima Vergine.

» Si ordina, e stabilisce, che nel giorno della Purificazione della Beatissima Vergine si faccia la distribuzione delle Candele come segue: cioè un Cereo di libbre tre per l'Eminentissimo Protettore, che si presenterà dalli Consoli. Una Candela di una Libbra all'Uditore di detto Eminentissimo. Una Candela di mezza libbra per ciascheduno de' detti Consoli, e Camerlengo. Agli altri Officiali, e Ministri una candela di once tre, e ciò a riflesso de' molti incomodi; che soffrono per l'esercizio delle loro cariche, e ministerj; e a tutti gli altri della nostra Università una candela di oncie due, ed al Mandatario una Candela di un' oncia. »

» Vogliamo inoltre, che il peso delle Candele possa accrescersi, o diminuirsi, sempre che la nostra Università, fatto il bilancio delle rendite, si trovi in istato di poterlo fare; onde accrescendosi, si accresca a proporzione, e così dovendosi diminuire, si diminuisca distributivamente. »

CAPITOLO XLIV.

Della facoltà di procedere colla mano regia.

» Per rendere più facili li pagamenti, e respettivamente l' esigenze delle pene, e di ogni altro, che nel presente Statuto si ordina a beneficio, e vantaggio della nostra Chiesa, ed Università, si dichiara, che contro i trasgressori dei presenti Statuti, e particolari Capitoli, non ostante qualsivoglia Patente, e privilegio, li Consoli, e Camerlengo *pro tempore* potranno procedere con la mano regia, facendola eseguire contro qualunque persona della Università tanto per la clausura della bottega, o botteghe, quando non abbia presa la necessaria Patente, con pagarne l' emolumento, quanto per non avere osservata la già detta distanza di canne cinquanta, come pure per il pagamento delli già detti emolumenti, tasse, pene, ed ogni altro, che si prescrive nelli presenti Statuti, senza essere obbligati li medesimi ad alcuna spedizione di mandato, mandati, ossia *exequatur.* »

CAPITOLO XLV.

Obbligo, che corre a ciascuno della nostra Università di ubbidire alli presenti Statuti, ed a qualunque decreto, che si farà tanto dalle Congregazioni segrete, che generali.

» E' pur troppo vero, ed innegabile, che per il buon ordine della nostra Università, e Chiesa sia necessario, che tutte, e singole le persone unite, ed incorporate all' Università de' Credenzieri; come pure tutti gli altri compresi nel presente Statuto siano soggetti, ed esattamente ubbidiscano, ed osservino quelle leggi, che sono loro prescritte, ed ordinate; poichè colla perfetta osservanza delle medesime si può loro proporre uno specchio, in cui riguardando, sappiano quello, che a ciascuno conviensi, togliendo con ciò quella confusione, che è la ruina d' ogni spirituale edificio; che perciò vogliamo che ciascun Fratello della nostra Università tanto Officiale, che particolare, non solo sia tenuto, ed obbligato sempre, ed in qualunque occasione ubbidire, ed osservare li presenti Statuti, e Capitoli; ma di più ordiniamo, che con ogni puntualità ubbidisca a quelle risoluzioni, e decreti, che coll' andare del tempo, e col variarsi delle circostanze, dovranno necessariamente farsi dalle Congregazioni o generali, o segrete; e quantunque taluno, o non sia intervenuto alle medesime o pure stato sia di sentimento contrario, non ostante quando siano state fatte col voto della maggior parte de' Congregati, vogliamo in ogni conto, che obblighino tutti universalmente. »

CAPITOLO XLVI.

Del modo di accrescere, diminuire, derogare, e moderare li presenti Statuti, Costituzioni e Capitoli.

» La varietà de' tempi, e delle circostanze seco porta alle volte la precisa necessità

di dover dichiarare, innovare, derogare, e moderare talvolta le leggi, acciocchè non rovini per le leggi quella unione, che nelle leggi è fondata. Quindi è che pensando noi a quei casi, che possono ne' futuri tempi accadere, quando vi sia legittima necessità di fare qualche innovazione, o dichiarazione circa gli ordini espressi ne' Capitoli di questo Statuto, la quale peraltro ridondi in evidente beneficio, e vantaggio della nostra Chiesa, ed Università, concediamo la facoltà alla Congregazione segreta delli Officiali, che saranno presenti, di potere esaminare detta innovazione, o dichiarazione, e poi di risolvere se debba, o nò proporsi alla Congregazione generale, volendo però, che il partito passi per voti, e di quattro parti vi concorrano almeno tre favorevoli. Se resterà concluso dunque con tre parti de' voti, che si proponga l' innovazione alla Congregazione generale, verrà a questa proposta, e si stabilirà dalla medesima pure per voti con tre parti favorevoli delle quattro, che saranno presenti, se debba farsi, o nò tale mutazione, e stabilitasi di fare, vogliamo, che venga subito registrato l' atto, e la decisione per rogito del nostro Notaro, il quale stenderà qualunque innovazione, moderazione, ampliazione, dichiarazione colle precise parole, colle quali fu ordinata, e stabilita; anzi per togliere qualunque equivoco, che potesse nascere vogliamo, che la proposizione, la quale dovrà fare, come abbiamo ordinato in altro Capitolo, il primo de' Consoli, o altri in sua vece, si registri per esteso, acciocchè ognuno sia chiaramente informato di quanto si vuole determinare. »

» Se si farà alcuna innovazione contro la legge, anche sotto pretesto di consuetudine, o di abuso introdotto, e in qualsivoglia maniera, dichiariamo sin da questo punto, che la medesima non abbia alcuna forza, e vigore di obbligare chiunque si sia; volendo ad ogni costo, che la facoltà di mutare, accrescere, diminuire, estendere, dichiarare, o fare altro, sotto qualsivoglia nome compreso, rapporto alle nostre leggi, ed ordini espressi, l' abbia la sola Congregazione generale, alla quale però dovrà sempre unirsi il consenso dell' Eminentissimo Protettore pro tempore; altrimenti lo stabilito non abbia il suo effetto, e la plenaria sua esecuzione. »

» E finalmente vogliamo, che le pene prescritte nel presente Statuto, dall' Eminentissimo Protettore possino graziarsi, o diminuirsi, e non altrimenti ec. »

Pontifex s[tatuta huc]usque relata approbat, confirmat, exequi ma[n]dat.

§. 3. Ut autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti Statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, praeinserta Statuta, seu Ordinationes, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula [su]blata, decr[e]tum irrita[ns] et derogat[io] contrariorum.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari, illisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus, super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Februarii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CDLXXVI.

Statuta Collegii Patronorum causarum S. Palatii Apostolici confirmantur, novaque privilegia eidem Collegio elargiuntur.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Superni dispositione consilii, quo coelestia pariter, ac terrena omnia providentissime gubernantur, in sublimi Apostolicae dignitatis fastigio, meritis, licet imparibus, collocati, inter multiplices Pastoralis Nostrae vigilantiae curas, illam praecipue in mente gerimus, ut praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, Almae Nostrae Urbis officia a viris fide, et idoneitate conspicuis exerceantur, eosque pro meritis singulos remunerando, liberalibus gratiarum, et privilegiorum muneribus confovemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 2. Collegium quidem Patronorum causarum Palatii Nostri Apostolici compositum ex claris virtute, ac doctrina viris ex universo Procuratorum hujus Almae Urbis coetu selectis, quibus non solum coram majoribus Judicibus litigantium jura, praesertim miserabilium personarum exponere, ac tueri, sed etiam coram Nobis, et Venerabilibus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus majores causas perorare concessum est, illustria suae institutionis exordia ab antiquissimis temporibus repetere videtur. Nam rec. mem. Innocentius II., qui in hanc Apostolicam Sedem Anno Domini MCXXX. invitus assumptus est, annuum stipendium, sive honorarium Judicibus Advocatis, vel Patronis Romanae Urbis, de Camera sua constituisse traditur eorum fide solemni juramento adstricta in haec verba » Ego etc. placita, vel negotia Romanorum, in quibus Advocatus ero, vel Patronus, Romanos maliliose non impugnabo, vel defendam, sed pro conscientia a Deo mihi praestita secundum Constitutiones, et leges, ac bonos mores ea tractabo, et postquam justitia de iisdem causis a me cognita fuerit, si requisitus fuero, Judicibus patefactam, et eis in ipso judicio assensum meum adhibebo, pretium exinde non accipiam, nec per me, nec per interpositam personam suscipi permittam; et si susceptum fuerit, postquam scivero, infra quindecim dies illud reddi faciam; et patrocinium meum alicui habenti causam, si ab eo rogatus fuero, malo studio non negabo. »

Paulus III. coucessit Patronis de Collegio, locum in Pontificia Cappella, atque in Publicis Processionibus post Advocatos Concistoriales.

§. 3. Postea autem longo temporis spatio elapso, ut asseritur, recol. memoriae Paulus Papa III. similiter praedecessor Noster, animum suum attendens ad eorumdem Patronorum merita, qualitates, et labores, quos tam pro publicis, quam pro privatis negotiis impendere solent, per literas suas in forma motus proprii Anno MDXXXVIII. expeditas, iisdem Collegio, et Procuratoribus, ut in Cappella Pontificia dicti Collegii deputati tantum, in quolibet vero actu publico, ac processionibus publicis totum Collegium, et Procuratores omnes dicti Collegii matriculati tantum, post Advocatos Consistoriales locum habere possent, concessit, et impertivit.

Paulus V. caetum Patronorum qui antea receptitius erat, in numeratum convertit, ex vigintiquatuor selectioribus Patronis compositum et illius Statuta approbavit.

§. 4. Subinde vero hujusmodi Patronorum coetum, qui antea receptitius erat, ad solos tantum vigintiquatuor causarum Patronos redactum, in justum, ac legitimum Collegium cum insigniis, ac omnibus juribus Collegialibus fel. record. Paulus Papa V. itidem praedecessor Noster Apostolica auctoritate erexit erectumque declaravit, et illius insuper statuta, stylos, usus, et consuetudines, quae pro temporum, ac negotiorum qualitate, reformatione, et mutatione indigebant, a bonae memoriae Joanne Baptista Coccino ejusdem Palatii tunc Auditore, et Decano correcta, atque emendata eadem auctoritate confirmavit, et approbavit; eos vero, qui in hujusmodi Collegium jam adscripti essent, et in futurum adscriberentur, quampluribus gratiis, favoribus, et privilegiis idem Paulus praedecessor cumulare voluit, atque idcirco illos habiles, et idoneos ad patrocinium suum exhibendum, tam in causis Rotalibus, quam in coeteris quibusvis negotiis absque alio examine, et approbatione declaravit; Mantelli, ac Bireti usum in signum emeritae praerogativae concessit, aliaque nonnulla indulsit, et elargitus est.

Recensentur officia, et privilegia, quibus Collegium idem dotarunt Romani Pontifices.

§. 5. Nuper autem idem Collegium, et dilecti filii Patroni causarum Palatii Nostri illud componentes exponi Nobis fecerunt, quod jam pridem etiam ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris Collegium hujusmodi Patronorum speciali Apostolicae beneficientiae, et benignitatis intuitu, et consideratione dignum habitum est, eorumque opera adhibita in gravioribus etiam negotiis, illis insuper multoties commissa fuit tutela, ac patrocinium in causis plerumque pauperum, eorumque defensio sine ullo emolumento, atque ulla spe lucri juxta laudabile institutum ejusdem Collegii ab ipsis suscepta est, et quod semper anteactis temporibus ex eorum numero, qui adscripti in eo reperiebantur, selectus fuit a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris tum Commissarius Camerae Apostolicae, et Praefectus vacationibus per obitum Datariae Apostolicae, tum Locumtenens Civilis Tribunalis Gubernii hujus Almae Nostrae Urbis, praeter alia quoque officia plerumque in ipsos collata.

Antiqua hujus Collegii statuta reformata fuere, novaque condita.

§. 6. Verum quum propter nonnullarum circumstantiarum mutationem, mutandum quoque, ac necessario reformandum esse dicti exponentes, rebus omnibus diligenter perpensis, et consideratis, putaverint eorum Statutum, praesertim in iis Capitibus, quae executioni nunc demandari non possunt eo modo, quo in illis praescriptum reperitur; propterea ordinationes, provisiones, constitutiones, usus, consuetudines, praecepta, statuta in eo contenta, consilio, et assensu Venerabilis Fratris Urbani tunc temporis Palatii Apostolici Auditoris, et Decani, ac modo Firmani Praesulis reformata, mutata, correcta fuerint in hunc, qui sequitur, modum, videlicet.

CAPUT I.

De concernentibus Religionem.

Tenor statutorum reformatorum.

« Quoniam quae attinet ad fidem, et Religionem Christianam, ea omnia, quae Sancta Mater Ecclesia docet, et mandat, profiteri intendimus. Nos Sacri Apostolici Palatii causarum Patroni de Collegio, quod tamquam justitiae ministrum institutum est sub auspicio Beati Michaelis Archangeli, coelestis etiam justitiae ministri, statuimus, et ordinamus, ut annis singulis die festo dedicationis ejusdem, Sacrum solemne in Ecclesia Archigymnasii Sapientiae de more celebretur, ad quod convocentur Sacri Palatii Apostolici Reverendi Patres Domini Auditores, nec non Domini Concistorialis Aulae, ac coeteri Romanae Curiae Advocati. Item, quod in funere cujuscumque Collegae debeant per Cappellanum omnes de Collegio convocari, iisque debeant distribui Candelae cereae, prout hactenus est consuetum, et quod uno die infra mensem tunc proximum debeant collegialiter celebrari exequiae particulares pro tali defuncto in nostri Collegii Cappella, et singulis annis infra hebdomadam diei, quo per Sanctam Matrem Ecclesiam celebratur generalis commemoratio Defunctorum, sicuti ante hac est observatum. Qui vero sine legitima causa praedictis Functionibus non adfuerit, aureum unum dictae Cappellae ipsius Collegii applicandum, in singulas vices pendat, et si in eo solvendo fuerit contumax, mulctetur ulterius arbitrio Dominorum Deputatorum. »

CAPUT II.

De requisitis pro ingressu.

« Nemo in nostrum Collegium recipiatur nisi sequentibus polleat requisitis. Primum omnium optimam famam, integrum nomen, fidem incorruptam, atque honestatem, maxime in exercitio muneris, praeseferat. Sit insuper puris, honestisque natalibus ortus; tum in utroque jure graduatus in aliqua publica Universitate juxta Constitutionem S. M. Benedicti XIV. Praeterea in albo Procuratorum Rotalium descriptus, saltem a quinquennio, et in officio laudabiliter versatus, abstinendo se a cujuscumque apud acta Procuratoris exercitio, quod est proprium sollicitatoris. Postremo Domum instructam habeat, sese, et Familiam honorifice exhibeat; atque constet, quod Congregationi Sancti Ivo-

nis nomen dederit, et defensioni causarum miserabilium personarum juxta illius pium institutum prae viribus operam praestiterit.»

CAPUT III.

De forma admissionis.

« Quotiescumque ad implendum numerum XXIV. Patronorum nostri Collegii a S. Me. Paulo V. praefinitum, opus fuerit ad novam admissionem devenire, Decanus speciale in id Collegium cogat in solita Archigymnasii Sapientiae Aula, initaque ex pluralitate suffragiorum deliberatione de facienda nova admissione, statim mandabitur Secretario, ut supplices concurrentium libellos cum necessariis requisitis recipiat. Qui enim prius non supplicaverit, suaeque idoneitatis documenta non exhibuerit, eum inter Collegiales adlegi, cooptarique posse, tum laudabilis huc usque servata consuetudo, tum vetustiora etiam prohibent statuta. Mox in eodem Collegio, nulla interposita mora, duo Scrutatores deputentur, quorum officium sit de vita, moribus, honestate, coeterisque qualitatibus omnium concurrentium secretas, veridicasque informationes conquirere, et eas omnibus Collegis fideliter pandere in sequenti Congregatione specialiter intimanda, in qua, post eorum relationem, fiat electio. In hac autem peragenda, liberum sit Collegio ubi praesertim supplicantium multitudo affluit, alios negligere, ac praeterire, qui pro ea vice, vel ratione aetatis, vel aliis de causis posthabendi videantur, et ad certos quodammodo Candidatos electionem cohibere. Hi vero seriatim juxta Doctoratus antiquioritatem, ne ulli fiat injuria, secreto scrutinio subjiciantur, distributisque pillulis diversicoloribus, quarum alba includat, nigra vero excludat, Decanus, et Secretarius vota, quae unusquisque secreto in Pixidem retulerit, coram omnibus luce palam enumerent, et idem Secretarius in folio resolutionum Collegii accurate describat, absolutoque scrutinio, et facta collatione numeri ad numerum, et personae ad personam, dummodo suffragia favorabilia sint supra medietatem interveníentium, illi erunt renunciandi legitime electi, et in Collegium cooptati, quibus votorum pluralitas suffragabitur. His peractis, deputentur in eodem Collegio ex senioribus duo examinatores; munusque erit Secretarii, primum omnium, Illustrissimum, et Reverendissimum dominum Sacrae Rotae Decanum certiorem facere de sequuta jam electione, eumque deprecari, ut certam diem praestituat examinis admittendorum: inde per Capellanum admonere curabit noviter electos, ut die proxime sequenti coram Collegii Decano sese praesentent, a quo sequutam ipsorum electionem, seu destinationem melius rescient, mandatum recipient de agenda singulis Collegis gratiarum actione, et simul admonebuntur, qua die, et hora comparere debebunt coram Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Sacrae Rotae Decano, ubi praesentibus examinatoribus deputatis, et Secretario nostri Collegii, assignabitur unicuique explicanda, more magistrali, intra vigintiquatuor horarum spatium, una ex decretalibus, quae aperto libro, forte se obtulerit. Hinc in sequente die, eadem hora adesse teneantur admittendi coram praedictis Illustrissimo, et Reverendissimo Domino Sacrae Rotae Decano, examinatoribus, et Secretario, assignatamque sibi decretalem magistraliter explanare, et argumentis demum, tum in jure, tum in praxi respondere, quae singulis examinatoribus, et ab ipso etiam Sacrae Rotae Decano, si ei libuerit, proponentur. Facta explicatione, et examine, compertaque idoneitate admittendorum, formalis tamdem subsequatur admissio altera die per Illustrissimum, et Reverendissimum Sacrae Rotae Decanum praescribenda, in qua apud eumdem universum Collegium cogetur, ibique a Secretario Collegii introducti iis, qui de novo admitti debent, genuflexi, Fidei professionem emittant, jurentque in verba infrascriptae formae, praestitoque Juramento, recipiantur a Dominis Collegis ad osculum pacis, sintque deinceps de Collegio, et describatur in matricula eorum nomen, cognomen, et patria, ut sese probare Collegiales, haberique tales ab omnibus possint, et valeant. »

CAPUT IV.

Formula juramenti.

« Ego N. juro, quod ab hac hora in antea, partes, quarum patrocinium suscepero, fideliter, ac sine tergiversatione aliqua pro justitia adjuvare conabor, quidquid verum, justumque existimavero clientibus meis consulere studebo, causas improbas scienter non recipiam, et si quas recepero, quae mihi justae in principio visae fuerint, in progressu autem apparuerint injustae, ut ab illarum prosequutione desistant, clientibus meis persuadere curabo, sin minus ab eorum patrocinio in causis hujusmodi me ipsum absolute removebo: monitis, et praeceptis Collegii, et Officialium ejus in his, quae ad ipsum Collegium spectant, bona fide parere studebo, ipsiusque Collegii statuta hujusmodi observabo, et secreta non revelabo, sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia. »

CAPUT V.

De numero Officialium.

« Et quoniam necessarium est, ut sint aliqui certi, qui res ipsius Collegii particulariter intelligant, procurent, et ministrent, idcirco statuimus, quod continue juxta formam inferius adnotatam deputentur, et sint infrascripti Officiales, videlicet duo Deputati, duo Defensores, Thesaurarius unus, et Cappellanus unus, qui tamen non sit de numero Collegialium. »

CAPUT VI.

De Congregatione, illiusque intimatione.

« Quod ordinaria Congregatio de mandato Decani praedicti Collegii, seu praefatorum Deputatorum, vel eis absentibus, aut impeditis, de mandato antiquioris Collegae in Urbe praesentis, fiat singulis mensibus, et diebus ex uno primae hebdomadae mensis. Fiant etiam Congregationes extraordinariae secundum necessitatis urgentiam, et Cappellanus pro die, hora, et loco per alterum praefatorum statuendis, omnibus Collegialibus, quos intra moenia Urbis habitare sciverit, personaliter, aut domi dimissa cedula intimet horam, diem, et locum futurae Congregationis; in Congregatione autem mensis Januarii sorte extrahantur ex Pixide Officiales pro anno futuro: Neque absentium ulla habeatur ratio, deputatusque extractus ad unum officium, pro illo anno non admittatur ad aliud, exceptis muneribus Thesaurarii, et Secretarii, quae uni, eidemque Collegiali conferri volumus. In ferendis autem suffragiis, nisi omnes viva voce concordes fuerint, praestentur vota per pillulas, excepta Officialium creatione, quam sorte omnino fieri volumus, quae, ut sine contentione fiant mandamus, tres Pixides confici, in quarum unaquaque scribantur nomina omnium Collegarum, et inscribantur una pro Deputatis, altera pro Defensoribus, et reliqua pro Thesaurario: et adveniente necessitate (postquam omnes extracti fuerint) refectionis Pixidum, eligantur duo ex Collegio, qui una cum Deputatis ipsas Pixides fideliter innovent, et conficiant, sicque refectae apud Thesaurarium asserventur; si quispiam vero ex Collegiis impeditus fuerit aliquo impedimento per Collegium approbando, quominus ad praefatas Congregationes accedat, teneatur excusatorem transmittere, et de tali impedimento Collegium certius reddere, antequam hora Congregationis adveniat, sin minus pro qualibet vice, poenae nomine scutum unum auri, Cappellae usui applicandum in manibus Thesaurarii omnino, et irremissibiliter solvere teneatur. »

CAPUT VII.

De Deputatis.

« Deputati sint duo, qui teneantur jura, et prae caeteris decus, et honorem Collegii tueri, et contra Collegas de aliquo delicto, praesertim (quod absit) contra formam supradicti juramenti, a defensoribus delatos, seu alias diffamatos extrajudicialiter procedere, et tamdem pro utilitate, vel necessitate Collegii possint cuique de eodem Collegio, ac etiam ipsi Cappellano sub poenis si-

bi bene visis, et Cappellae applicandis praecipere, et poenas ipsas omnibus juris, et facti remediis exigere. »

CAPUT VIII.

De Defensoribus.

« Defensores similiter sint duo, et extrahantur, sicut est supra dictum, teneanturque et debeant res, et negotia Collegii, prout eorum officii nomen sonat, defendere, praesertim in judicio, et per alios defendi, patrocinarique curare, et facere, ac de vita, et moribus Collegarum, maxime circa legalitatem, et fidelitatem patrocinii diligenter perquirere: Et si quem contra formam praestiti juramenti aliquid fecisse compererint, id sedulo Deputatis (ad hoc, ut quidquid circa hoc fieri expediat, deliberare possint) deferant, assistantque ipsis Deputatis in negociis Collegii, procurentque, exequantur, et faciant, quae sibi a Deputatis pro interesse Collegii fuerint injuncta. »

CAPUT IX.

De Thesaurario, et Secretario.

« Thesaurarius sit unus, et creetur, sicut est supradictum, teneatque unum librum, in quo adnotet omnia emolumenta, redditus, et proventus, nec non sumptus, et expensas Collegii, conservetque privilegia, sigillum, pecunias, et alia mobilia ipsius Collegii: nec non, et quascumque alias scripturas, arcamque, seu capsam ipsius Collegii cum mobilibus, et scripturis hujusmodi in inventario publico describendas, et in fine officii de introitibus, et exitibus novis Deputatis reddere rationem, librosque rationum cum reliquis, ac etiam mobilia, et scripturas juxta inventarium praedictum, et capsam, seu arcam praedictam, et illius clavem restituere teneatur, sumptus autem, per se ipsum nullos facere possit, sed tantummodo quoties, et quanto id sibi Deputati mandabunt per mandatum in scriptis factum, et per praefatos Deputatos subscriptum: itidem Thesaurarius munere quoque Secretarii fungatur, quocirca habeat ulterius alium librum, in quo singula decreta, quae in Congregationibus fient, manu propria adnotet, nec cuiquam pandat, aut revelet, nisi de mandato ipsius Collegii. »

CAPUT X.

De Cappellano.

« Cappellanus sit unus extra Collegium, Sacerdotali caractere insignitus, et creetur in Congregatione generali per suffragia, teneaturque Dominis Deputatis, et aliis Officialibus assistere, Congregationes generales, vel particulares, et alias concurrentias Collegii, prout sibi impositum fuerit, omnibus Collegialibus in Urbe existentibus personaliter, si potuerit, sin minus domi dimissa copia cedulae intimare, et habeat pro suo salario, quod sibi fuerit ex conventione promissum. »

CAPUT XI.

De Patrocinio pauperibus exhibendo.

« Quotiescumque habebitur generalis Congregatio, sive ordinaria, sive extraordinaria, non discedent e loco Collegae, quin prius Cappellanus diligenter perquirat, an prae foribus stent Pauperes aliqui, patrocinio in propriis causis egentes, et si stare compererit, illos introducat, vel eorum preces exponat, et si Pauper sibi aliquem ex Collegis delegerit, sive, ut pro eo scribat in facto, sive in jure, ille sic delectus, sin minus, quem Collegium per turnum deputaverit, omnino (cessante legitima excusatione per Collegium expresse approbanda) onus patrocinandi pro eo suscipiat, et gratis pro amore Dei usque ad finem causae praestet: nec minimum quidpiam ab eo etiam sponte dante, seu etiam, finita causa dare volente, accipiat. »

CAPUT XII.

De Patronis in jure scribentibus.

« Si quispiam ex Collegis, aut simul, aut seorsim voluerit pure, et simpliciter ex

jure respondere, et super alienis facti informationibus scribere, quod in Romana Curia peculiari nomine Advocatum agere nuncupatur) id aeque possit pro sui libito. »

CAPUT XIII.

De iis, qui quod in aliquo deliquerint delati, aut diffamati fuerint.

» Si quis Collegarum (quod absit) circa unum quodlibet ex compraehensis in supradicta juramenti formula, secus ac spoponderit, egisse, ac propterea dejurasse, aut de aliquo alio quocumque crimine infamiam irrogante culpabilis esse, sive per Defensores (ad quorum praecipue officium hoc spectare volumus) sive per alium quemcumque, non tamen malevolum, sed fide dignum delatus, aut praeviis legitimis indiciis diffamatus, repertus fuerit, Domini Deputati, quorum conscientia de hoc onerata existat, illico, postquam ad eos, seu eorum alterum delatio, vel diffamatio hujusmodi pervenerit, eumdem sic delatum, vel diffamatum ad se vocatum debita cum modestia moneant, ut in tunc proxima Congregatione sub poena cancellationis de matricula, ac perpetuae exclusionis ab ipso Collegio compareat personaliter, et de ascripto sibi delicto claris probationibus se purget. Quod si ille in eadem Congregatione comparere contumaciter cessaverit, vel comparens, ut praefertur, non se purgaverit, et innocentiam suam non probaverit, illico in conspectu totius Collegii tamquam morbida pecus de matricula cancelletur, et de Collegio penitus, et in perpetuum excludatur, sitque quoad ipsos Collegas de coetero alienus, et extra commercium. Et si quis ex Collegis postea umquam pro illo recipiendo verba fecerit, ille similiter ipso facto sit Collegii commercio privatus, et ab ipso Collegio in perpetuum exclusus, et si contingat, Deputatus, vel Defensores, aut utrosque, fore circa praemissa negligentes si quidem negligentia fuerit in solis Deputatis, tunc liceat Defensoribus, ut supra referre; si vero utrique negligentes fuerint, liceat, subque juramenti religione teneatur unusquisque ex Collegis in proxima Congregatione referre, ut Congregatio ipsa, objurgatis (ut par erit) de negligentia sua Deputatis, et Defensoribus, prout expedire videbitur, provideat. »

CAPUT XIV.

De stylis privatim non subscribendis.

« Nullus de Collegio post hac attestationi, seu fidei per quemcumque, aut quoscumque super stylo Palatii, aut Romanae Curiae factae subscribere audeat; quando vero contigerit Collegium super stylo hujusmodi in concernentibus eorum officium consuli, illud consueto more congregetur, et omnium suffragia excipiantur, nec aliter attestationes aliquae super stylo formentur, et concedantur, quae ulterius registrari debeant per Dominum Thesaurarium in libro Decretorum Collegii ad perpetuam memoriam, ne amplius ea de re postea dubitetur. »

CAPUT XV.

De inventario rerum, et scripturarum Collegii, et illarum custodia.

« Omnes, et singulae res, jura, et scripturae Collegii, vel ad illud quoquo modo pertinentes in consueto Archivio, seu capsa custodiantur, una cum inventario illarum. Archivium autem, seu capsa praedicta duabus clavibus claudatur, quarum altera penes antiquiorem ex Deputatis, et alia penes Thesaurarium cum libro supradicto, et sigilla asservetur, et quandocumque contigerit inde extrahi scripturas aliquas, adnotabitur in postremo ejusdem Inventarii folio, curabitque Thesaurarius quamprimum illas reportari, similiterque repositionem in eodem folio adnotabit, et horum praecipue Thesaurarius in fine sui officii successori suo rationem exponet. »

§. 7. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes, quo reformationes, mutationes, ordinationes, provisiones, praecepta, et statuta hujusmodi firmius

Preces p... rectae ... confirmati... ne relator... statutorum novoru...

subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent, ac praeterea Nobis humiliter supplicari fecerint, ut in posterum non solum munera Commissarii Camerae Apostolicae, et praefecti vacationibus per obitum Datariae Apostolicae, ac Locumtenentis civilis Tribunalis Gubernii Urbis usque adhuc demandata, et commissa in praefatum Patronorum Collegium adscriptis, sed etiam ut alia Nostrae Romanae Curiae officia arbitrio, et paterna providentia Nostra designanda semper iisdem conferre, et aliam aliquam praerogativam, et habitus distinctionem, privilegiorumque jam obtentorum confirmationem concedere, et in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 8. Nos igitur, qui dictum Collegium in bonum, et utilitatem publicam magis magisque florere propensis desideramus affectibus, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinserta statuta, leges, provisiones, usus, consuetudines, mutationes, et reformationes, omniaque, et singula in eis contenta, et expressa, auctoritate Apostolica, tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, amplissime supplemus, ac sanamus.

§. 9. Insuper, ut munera tum Commissarii Generalis Camerae Apostolicae, tum Praefecti vacationibus per obitum Datariae Apostolicae, tum Locumtenentis Civilis Tribunalis Gubernii, tum Secretarii, seu Administratoris Locorum Montium, tum trium Procuratorum dictae Camerae Apostolicae, tum denique Fiscalis Fabricae Sancti Petri, nulli alii, praeterquam alicui ex dicto Collegio Patronorum Palatii Apostolici perpetuis futuris temporibus concedi, demandari, et committi umquam debere, eadem Apostolica auctoritate, tenore praesentium decernimus, constituimus, praecipimus, et jubemus.

§. 10. Praeterea specialis favore gratiae praefatum Collegium, atque eos, qui in illud relati sunt, eorumque successores decorare volentes, non modo insignia, habitusque formam, quibus ante hac usi sunt, verum quoque Biretum, quod alias eisdem a san. me. Paulo V. praedecessore Nostro concessum fuerat perpetuo eos habere, et retinere, ac insuper honoris gratia fasciam quoque nigri coloris imposterum deferre, et gestare posse, pari auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Nec non habitum, et insignia conceditur hisce Patronis perfruenda.

§. 11. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis existant, sive alias specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causas, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas, aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces Clausula sublata, et decretum irritans.

existere, et fore, ac dicto Collegio, et Patronis pro tempore existentibus in omnibus, et per omnia etiam perpetuo suffragari, ipsumque Collegium ad verificationem, seu justificationem praemissorum, vel partis eorum minime teneri, aut ullo modo quacumque auctoritate compelli debere, sed easdem et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse servari; sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis praefatae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Peculiares dispositiones pro praesentium literarum exequutione.

§. 12. Quocirca Venerabili Fratri Nostro Henrico Episcopo Tusculano Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Vice-Cancellario, et dilecto Filio Nostro Carolo Nostro secundum carnem ex Fratre germano Nepoti, ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Camerario, nec non Venerabili Fratri Nicolao Archiepiscopo Mitilensi causarum Curiae Camerae Nostrae Apostolicae Auditori Generali, eorumque pro tempore in officiis hujusmodi successoribus, per haec Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alios, seu alium auctoritate Nostra praefatis Palatii Apostolici causarum Patronis, eorumque Collegio in praemissis omnibus, et singulis efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque eos, et eorum singulos, quoties pro ipsorum parte super hoc fuerint requisiti, omnibus, et singulis praefatis pacifice frui, et gaudere, non permittentes eos, et eorum aliquem per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, inquietari, aut impediri. Contradictores quoslibet cujuscumque status, gradus, et ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae fuerint, per censuras Ecclesiasticas, et pecuniarias poenas, aliqua opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus Nostrae, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non praemissis omnibus, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quibusvis Almae Urbis Nostrae, Collegiorum quorumcumque, Tribunalium, Universitatum, nec non praedicti Palatii Apostolici causarum Patronorum Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et Consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis etiam in corpore juris clausis, aut literis Apostolicis quibusvis personis specifica, et individua mentione dignis, et sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, et decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, et innovatis, Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, et occasiones praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad praemissorum effectum plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Martii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CDLXXVII.

Dat. di[...] Apr. [...] Anno V[...]

Numerus Consiliariorum Civitatis Velitri ex sexaginta ad quadraginta reducitur, nec

non tempus exercitii Magistraturae de trimestre, ad quadrimestre prorogatur.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Sincerae fidei, et devotionis affectus, quem dilecti filii Communitas, et homines Civitatis Nostrae Veliternensis erga Nos, et hanc Sanctam Sedem gerere comprobantur, Nos inducit, ut eos specialis favore gratiae prosequamur. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Consilium, et Priores, sive Conservatores, et Consiliarii ejusdem Civitatis Nostrae Veliternae, quod eorum publicum Consilium sexaginta viris constat ortis e Patriciis familiis, ex quibus plures, et praesentibus, et superioribus temporibus Fratres Milites Nobilium Equestrium Ordinum, atque etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani prodierunt. Anno autem MDCCXLVI. ob aliquarum dictarum Familiarum extinctionem eorumdem Consiliariorum numerus adeo diminutus est, ut cl. me. Thomas S. R. E. Cardinalis Rufus nuncupatus, et per id tempus Episcopus, et Gubernator praedictae Veliternae Civitatis animadvertens, quod publicis negotiis in ipsius Civitatis Consilio tractandis, et peragendis ob imminutum Consiliariorum numerum aliquod praejudicium, vel detrimentum creari posset, per suas literas Consiliariis dictae Civitatis praecepit, ac mandavit, ut intra duorum mensium spatium tot in idem Consilium Familias ejusdem Civitatis, etsi minime Nobiles, Civiles tamen, et debitis requisitis, ac qualitatibus praeditas adscriberent, et cooptarent quot inde Consiliarii eligi possent, qui necessarii essent ad complendum sexaginta Consiliariorum numerum, qui per leges municipales, sive consuetudinem, sive per ordinationes a suis praedecessoribus Gubernatoribus factas, sive alias constitutus, ac definitus reperiebatur.

§. 2. Quod subinde praeceptum seu statutum hujusmodi, ac omnia deinceps illius vigore facta, et confecta, aut facienda et conficienda ad ejusdem Episcopi, et Cardinalis supplicationem rec. mem. Benedictus XIV. Praedecessor Noster per suas literas in simili forma Brevis sub die V. Julii Anno MDCCXLVI. expeditas, approbavit, et confirmavit, ac insuper eidem Thomae Episcopo, et Cardinali commisit, ut suo Pontificio nomine, et Apostolica auctoritate mandaret, ac statueret, ut de cetero Consiliarii Civitatis praefatae semper sexaginta esse deberent, et eveniente alicujus ex sexaginta Consiliariis hujusmodi obitu, vel alias praescripto sexaginta Consiliariorum numero quomodocumque deficiente, intra terminum trium mensium aliquis alius Civis omnibus necessariis requisitis praeditus in locum Consiliarii praedefuncti, seu deficientis substitueretur, et subrogaretur; sin minus adscriptio, seu subrogatio hujusmodi ad Cardinalem Episcopum, et Gubernatorem pro tempore existentem ipso jure devolveretur; prout uberius in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressos, et insertos haberi volumus, continetur.

Rum semper sexaginta esse debere, novarum etiam Familiarum aggregatione, si opus fuerit.

§. 3. Sed quoniam, ut eadem expositio subjungebat, postquam praememoratae literae Benedicti Pontificis, et praedecessoris Nostri emanarunt, tresdecim Familiae Patriciae extinctae sunt, et prope adest, ut viginti aliae, ob defectum prolis masculinae, quam primum deficiant, atque extinguantur, nec fieri possit, ut aliis Familiis in illarum locum adscriptis, et cooptatis, ex illis Cives juxta praescriptum, seu legem in praedictis literis contentam, in locum defunctorum ad retinendum sexaginta Consiliariorum constitutum numerum, necessariis requisitis ornati sufficiantur, ac subrogentur, cum hujusmodi civiles Familiae in dicta Civitate in praesens omnino desint; adeo ut necesse foret populares, ac viles adscribere, et aggregare, non sine maxima Nobilitatis, ac splendoris Civitatis praedictae damno, et detrimento: propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt ut praescriptum numerum sexaginta Consiliariorum, ad quadraginta Consiliarios tantum redigere, et officium Priorum, seu Conservatorum, quod nunc a Consiliariis ad illud munus electis per trimestre geri, et administrari solet, alio mense addito ad quadrimestre tempus protrahere, atque alias in praemissis provi-

Sed extinctis postmodum quampluribus Patriciis Familiis, preces porrectae pro reductione Consiliariorum ad numerum quadraginta, et prorogatione exercitii Magistraturae de trimestre ad quadrimestre.

dere, et ut infra de benignitate Apostolica indulgere dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et praevia moderatione literarum Benedicti XIV. Consiliariorum numerum reducit, et exercitii Magistraturae tempus prorogat.

§. 4. Nos igitur, qui omnes Christifideles in visceribus charitatis complectimur, sed praecipue eos, qui temporali Nostro, et hujus Apostolicae Sedis dominio subditi sunt, speciali benevolentiae, ac providentiae intuitu respicimus, prospero Civitatis, hominumque praedictorum regimini, et gubernio quantum cum Domino possumus, providere ejusque antiquo splendori, ac decori etiam in futurum servando consulere cupientes, ac Consiliarios, homines que praedictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilis fratris Nostri Karoli-Alberti Guidoboni S. R. E. Cardinalis Cavalchini nuncupati Episcopi Ostiensis, et Veliternensis, et Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii Decani, et ejusdem Civitatis Nostrae Veliternae Gubernatoris, ad quem supplicem libellum hujusmodi, et preces in eo contentas expendendas, atque examinandas remisimus, consilio, ut publicum dictae Veliternae Civitatis Consilium, sive Senatus, quod juxta ejusdem Civitatis municipales leges, sive consuetudines, aut Ordinationes a Cardinalibus Episcopis, et Gubernatoribus pro tempore factas, et juxta praenominatas literas Benedicti Praedecessoris Nostri in numero sexaginta Consiliariorum nunc constitutum, ac praefinitum reperitur, in posterum ad quadraginta Consiliarios dumtaxat reducatur, et ex quadraginta viris Consiliariis compositum, et constitutum in posterum esse debeat: hujusmodi autem Consiliariorum numero quadragenario fixo, et stabilito, qui numerus etiam in aliis Nostri, et hujus Apostolicae Sedis temporalis Status Civitatibus servatus, et retentus publicis negotiis tractandis, expediendisque sufficiens esse censetur, Priores, seu Conservatores de more, et juxta leges municipales, aut publica statuta, aut consuetudinem deinceps electi, et in futurum eligendi, non per tres menses tantum, ut hactenus observatum est, sed per quatuor menses continuos munere suo fungantur, atque in eo gerendo perseverent atque permaneant.

Insup manda deficien aliquil quadra intra stre, subrog et adm dae in Patrici sint.

§. 5. Quotiescumque autem obeunte, vel deficiente aliquo ex dictis Consiliariis, vel alia quacumque de causa contigerit, ut numerus ita constitutus, ac praefinitus quadraginta Consiliariorum diminuatur, intra spatium trium mensium aliquis alius Civis omnibus per leges statutarias dictae Civitatis, vel aliter praescriptis requisitis, et qualitatibus praeditus in locum praedefuncti, seu deficientis subrogari debeat, et reipsa subrogetur, seu inter Consiliarios praefatae Civitatis adscribatur, et cooptetur; alioquin dicto trium mensium tempore elapso, et adscriptione, sive cooptatione hujusmodi pro locis vacantibus de aliis personis a Consilio ejusque Consiliariis facienda minime sequuta, cooptatio, vel adscriptio novorum Consiliariorum in locum deficientium, seu mortuorum ad S. R. E. Cardinalem ejusdem Civitatis Episcopum, et Gubernatorem pro tempore existentem, ipso jure pro ea tantum qualibet vice, et quoties id evenire contigerit, spectet, et spectare dignoscatur. Praeterea, ut omnes, et singulae personae sic, ut praefertur, jam adscriptae, et in futurum adscribendae omnibus privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, gratiis, et honoribus, quibus veteres Consiliarii Consilio hujusmodi tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia, uti, frui, et gaudere, nec non quaecumque munera, et officia publica Civitatis praedictae consequi, et exercere, et ad ea assumi possint, et debeant, iisdem modo, et forma, quibus veteres Consiliarii, seu Familiae Patritiae illa consequuntur, atque exercent.

Declar novas a ptiones aggre nes In praejud illat in seri Nobi antiqu Famil

§. 6. Demum, ut per adscriptiones, seu cooptationes novorum Civium Consiliariorum in Consilium hujusmodi factas, seu pro tempore faciendas, nullum praejudicium, vel minimum inferri, aut illatum unquam intelligatur Nobilitati earum Familiarum, quae de praesenti adscriptae reperiuntur, seu quae

...otio- ...lita- ...rdi-

Consilium hujusmodi constituunt, et ab antiquo tempore constituere pergunt, pro obtinenda earum receptione, et admissione inter Fratres Milites Ordinum, sive Militiarum Equestrium, auctoritate Apostolica tenore praesentium volumus, declaramus, praecipimus, et constituimus.

...n su- ...t de- ...irri-

§. 7. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet etiam speciali nota, et expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea citati, vocati, et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt sufficienter adductae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis juridica, legitima, et privilegiata causa, colore, et praetextu, etiam enormis, et enormissimae laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac substantiali defectu notari, impugnari, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium, intentari, vel impetrari, seu impetrato, et obtento quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullatenus posse; sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, praesertim supramemoratis literis Benedicti XIV, praedecessoris Nostri, nec non dictae Civitatis, illiusque Consilii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Aprilis MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo. Derogatio contrariorum.

FINIS ANNI SEPTIMI.

ANNO OCTAVO

CDLXXVIII.

Dat. die 10. Julii 1765. Anno VIII.

Rectori, et Decanis quatuor facultatum Universitatis Coloniensis renovatur indultum nominandi ad Canonicatus et Praebendas, additis specialibus declarationibus, et reservationibus.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Consulibus, et Senatui Civitatis, et Reipublicae Coloniensis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Fili Nobiles Viri salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Refertur origo hujus indulti, ejusque progressus.

§. 1. Alias piae mem. Paulo Papa V. praedecessori Nostro pro parte Vestra exposito, quod pridem fel. rec. Clemens Papa VIII. similiter praedecessor Noster, cum accepisset, quod antea rec. mem. Paulus Papa IV. etiam praedecessor Noster certis tunc expressis causis adductus Rectori, et Decanis quatuor facultatum, videlicet Theologiae, Juridicae, Medicinae, et Artium, quae consistit in tribus Gymnasiis, Montano, Laurentiano, et trium Coronarum Universitatis studii generalis Coloniensis, consiliique illius facultatis, ex qua persona nominanda esset, Apostolica auctoritate indulserat, ut cum provisoribus ejusdem Universitatis personas assumere possent in eadem Universitate promotas, ac in publicis Scholis Regentes, et lecturas, quas ipsi Rector, et Decani, ac provisores praestito juramento unanimi consilio illius facultatis, in qua legerent, vel legere deberent, ad id more solito congregati idoneas, et Catholicas esse, ac ad laudem, et fructum studiosorum profiteri posse cognosceret, easque dilectis filiis majoris, et aliarum Ecclesiarum dictae Civitatis Capitulis, ad quae Canonicatuum, et Praebendarum, in eisdem Ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio communiter, vel divisim, aut alias quomodolibet pertineret, dictae videlicet majoris, ac S. Gereonis Coloniensis ad Presbyterales tantum, ad reliquos vero aliarum Ecclesiarum Canonicatus, et Praebendas, qui inde ad triennium tunc venturum in singulis Martii, Julii, et Novembris mensibus Sedi Apostolicae per concordata Germaniae cum ipsa Sede inita reservatis vacassent, nominare valerent eos, ad quos illorum collatio, provisio, praesentatio, electio, et dispositio hujusmodi spectaret.

Quamplures Romani Pontifices indultum prorogarunt, ampliarunt.

§. 2. Et deinde dictum triennium semel atque iterum piae mem. Pius Papa IV., et Pius V. etiam praedecessores Nostri ad simile triennium prorogarunt, et Indultum praedictum etiam ad majorem post Pontificalem, et principales, aliasque dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, nec non Vicarias, et Cappellanias perpetuas majoris Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum Coloniensis, quae in praedictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, et successive rec. mem. Gregorius Papa XIII. similiter praedecessor Noster terminum a praedicto Pio V. praedecessore prorogatum, vel concessum ad aliud triennium primo, et subinde ad quinquennium alias juxta formam literarum Indulti Pauli IV. praedecessoris praedicti dumtaxat extenderat, vel etiam concesserat, et deinde idem quinquennium ab eo prorogatum, vel concessum, ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum extenderat, et ampliaverat; si vero lapsum esset novum quinquennium hu-

jusmodi, ad hoc, ut praedicto novo quinquennio durante Rector, Decani, et Provisores praedicti, ab Presbyterales majoris, et S. Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum Ecclesiarum Coloniensis Canonicatus, et Praebendas dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat.

§. 3. Et successive similis mem. Sixtus Papa V. et praedecessor Noster quinquennium ab eodem Gregorio ultimo prorogatum, seu concessum ad quadriennium a fine ultimo prorogati, seu concessi quinquennii hujusmodi inchoandum extenderat, et ampliaverat; si vero lapsum esset novum quadriennium hujusmodi, ad hoc ut, ipso durante, Rector, Decani, et Provisores ad Presbyterales majoris, et S. Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum Ecclesiarum Colonienses Canonicatus, et Praebendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus praedictis extra Romanam Curiam vacarent, et alias juxta formam, et tenorem literarum Pauli praedecessoris praedicti tantum personas, ut praefertur, qualificatas nominare, et alias prout in literis dicti Pauli IV. praedecessoris contenta facere possent, indulserat, ita tamen, ut personae sic nominatae intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cujusvis dispositionis de dictis Canonicatibus, et Praebendis in vim nominationis hujusmodi factae numerandos novas provisiones de eisdem Canonicatibus, et Praebendis a dicta Sede petere, et literas Apostolicas sub plumbo in totum expedire, ac jura Camerae Apostolicae, et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, et nisi praemissa adimplerent, ipso semestre elapso iidem Canonicatus, et Praebendae vacarent eo ipso, et sic vacantes per Sedem Apostolicam dumtaxat aliis quibusvis personis conferri libere possent.

§. 4. Volens, ut Rector, et alii hujusmodi jus nominandi habentes sive Ecclesiastici, sive laici forent, fidem Catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in manibus Archiepiscopi, seu officialis Coloniensis pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendae, et inde sequuta omnia, nullius essent roboris, vel momenti, ipse etiam Clemens praedecessor, certis tum expressis de causis, tempus quadriennii per dictum Sixtum praedecessorem prorogati, seu de novo concessi, de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium Congregationis Germanicae bis ad aliud quinquennium extenderat, et prorogaverat, et quatenus lapsum esset, idem indultum de novo concesserat, juxta formam literarum Pauli IV. praedecessoris praedicti, ita tamen, ut prioris Indulti hujusmodi prorogatio, seu concessio non extenderetur ad Canonicatus, et Praebendas Ecclesiae Metropolitanae, quam aliarum Ecclesiarum omnium dictae Civitatis etiam ad alios, qui in alia, quam Coloniensi Accademia gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat, ac extenderat, et ampliaverat, volens, et inhibens, si aliquis nominatus, beneficium, ad quod nominatus fuisset, resignare vellet, ne ullo modo nisi in manibus Romani Pontificis, aut Nuncii Apostolici in dicta Civitate Coloniensi pro tempore degentis hujusmodi beneficium ad favorem alterius a Rectore, et Decanis praedictis nominandi, nec per resignationem illud, nec per permutationem dimittere posset, quodque nonnisi servato inter competitores concursu a Sacro Concilio Tridentino in collationibus Parochialium Ecclesiarum praescripto, ad Canonicatus, et Praebendas rescriptas nominare, et conferre deberent, ac nominantes jurare se digniorem, et ad profitendi munus magis aptum praelaturos, et vicissim eum, quem praeferri contigisset, jurare se injunctum profitendi officium diligenter praestiturum.

§. 5. Deinde vero ex causis praedictis dictus Clemens praedecessor indultum hujusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, ac extenderat, seu concesserat, decreveratque hujusmodi Canonicatus, et Praebendas nonnisi personis ex aliqua ex dictis Universitatibus idoneis, quae jurejurando ad profitendum munus diligenter se se adstringerent, dumtaxat conferri, ac Canonicatus, et Praebendas praedictas per eos hujusmodi nominationis vigore obtinendos, nonnisi in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis cum specifica mentione, quod illos

Clemens VIII. indultum nominationis prorogavit, peculiaresque superaddidit sanctiones, quae omnia confirmavit Paulus V.

vigore nominationis hujusmodi consequuti essent, resignare, vel alias dimitti nullatenus possent, alioquin Canonicatus, et Praebendae hujusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi posset, idem Paulus praedecessor supplicationibus vestro nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, indultum vobis a praedicto Clemente praedecessore concessum, et desuper expeditas literas praedictas, ad aliud quinquennium a fine quinquennii ultimo dicti a Clemente praedecessore concessi computandum, auctoritate Apostolica extendit, et prorogavit, et nihilominus sine praejudicio tunc, et pro tempore existentis Archiepiscopi Coloniensis dilectis filiis Rectori, et Decanis praedictarum quatuor facultatum in dicta Universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus hujusmodi, cujus persona juxta formam literarum Pauli IV. praedecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus una cum dilectis filiis provisoribus ipsius Universitatis, ac personas in eadem Universitate promotas, ac legentes, et lecturas, quas ipsi Rector, et Decani, ac Provisores medio eorum juramento una cum consilio facultatis hujusmodi, in qua personae ipsae legerent, vel legere deberent, ad hoc more solito convocato, idoneas, et Catholicas esse, ac cum laude, et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent; ita ut si controversia in nominando inter Rectorem, et Decanos, nec non Provisores, et Consilium hujusmodi exorta fuisset, ille, quem major pars votis suis praeferendum putasset, praeferretur, dilectis filiis Majoris, et S. Gereonis, et aliarum Ecclesiarum Capitulis, ad quae Canonicatuum, et Praebendarum in eisdem Ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, et quaevis alia dispositio conjunctim, vel separatim, aut alias quomodolibet cessantibus reservationibus, et affectionibus Apostolicis, pertinebat, videlicet ad Presbyterales tantum Majoris, et S. Gereonis, ita ut nominandae personae, secundum eorum statuta, et privilegia eorum Capitulis concessa, ut praefertur, qualificatae essent; ad omnes vero, et singulos alios Canonicatus, et singulas Praebendas reliquarum Ecclesiarum hujusmodi, quae ex tunc ad quinquennium tunc proxime futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem praedecessorem prorogati, seu concessi computandum in singulis Martii, Julii, et Novembris mensibus pro tempore vacassent, et vacare contigeret, nominare libere, et licite valerent, dicta auctoritate concessit, et indulsit.

§. 6. Ac statuit, et ordinavit quod si, ad quos collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, vel quaevis alia dispositio Canonicatuum, et Praebendarum hujusmodi pro tempore spectaret, Canonicatus, et Praebendas, quos personae sic ad illos nominatae per se, vel Procuratorem suum ab eis specialiter constitutum infra unius Mensis spatium postquam eis, vel Procuratori suo illorum vacatio innotuisset, duxissent acceptandos cum omnibus juribus, et pertinentiis suis eisdem nominatis personis conferre, et de eis etiam providere, seu ad eos illas praesentare, aut eligere, vel in iis instituere, aut alias de illis in earumdem personarum nominatarum favore disponere tenerentur, quodque iis praemissa facere recusantibus, vel negligentibus, aut differentibus etiam pro tempore Abbas S. Martini Coloniensis, et Decanus Ecclesiae Sancti Pauli Leodiensis; et qui haereticae pravitatis Inquisitor in illis partibus auctoritate Apostolica deputatus existeret, Prior domus Ordinis Fratrum Praedicatorum etiam Coloniensis et eorum quilibet Canonicatus, et Praebendas sic vacantes personis ad illos, ut praefertur, nominatis pro ea vice tantum eadem auctoritate conferre, et de illis etiam providere pariter libere, et licite possent; et quod ab eisdem personis sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factae in qua facultate, in quo Gymnasio, et qua hora illa docere, seu legere deberent, exprimeretur, et si a praemissis defecissent, post primam, et secundam nominationes eis desuper factas, a perceptione fructuum, redditiuum, et proventuum Praebendarum, quas vigore nominationum, et collationum hujusmodi tunc assequuti fuissent, per Abbates, et Deca- Novas ditiones … cit Paulu… tam q… nominan… quam q… nominat…

num Ecclesiae S. Pauli Leodiensis, ac Priorem praedictos, aut aliquem ex iis ad requisitionem illis per Rectorem, et Decanos facultatum, ac Provisores Universitatis hujusmodi faciendam suspenderentur, et si suspensionem hujusmodi per Mensem animo substinuissent indurato, iisdem Praebendis ipso facto, et cum effectu privarentur, et pro privatis haberentur, et statim de illis aliis personis modo, et forma praemissis providerentur. Verum si personae nominatae praedictae in aliquam suspicionem haeresis incidissent, in eas per Inquisitores haereticae pravitatis in illis partibus eadem auctoritate deputatos absque ulla mora inquireretur, et si illae compertae fuissent haeresis hujusmodi infectae, alii Catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, et subinde quinquennium hujusmodi aliud quinquennium a fine ultimo dicti quinquennii computandum, semel, atque iterum extendit, et prorogavit, seu concessit, et indulsit.

§. 7. Postmodum autem postquam fel. rec. Gregorius Papa XV. similiter praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas, Indultum praedictum, Vobis, ut praefertur, prorogatum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen, ut hujusmodi Indultum Canonicatus, et Praebendas Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis minime comprachenderet, neque ad eos se extenderet, ac sine praejudicio dicti tunc, et pro tempore existentis Archiepiscopi Coloniensis, ac alias sub certis modo, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium de novo concesserat, et subinde rec. mem. Urbanus VIII. pariter praedecessor Noster, attendens, quod Indultum hujusmodi per Cancellariae Apostolicae regulas revocatum fuerat, et sicuti eidem Urbano praedecessori tunc exponi feceratis, Causae propter quas idem Indultum a praedicto Paulo IV primo loco concessum, et ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris praedictis ut supra prorogatum, et expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum Catholicae Religionis in ista Civitate Coloniensi eo usque vigebat, vosque cupiebatis ad Catholicorum virorum studia in istis partibus alenda, ac allicienda hujusmodi Indulto diutius frui posse, idem Urbanus praedecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas, Indultum praedictum vobis per dictum Gregorium praedecessorem ad quinquennium ut praefertur, de novo concessum, ac desuper confectas literas praedictas, et in eis contenta ad aliud quinquennium Apostolica auctoritate sub certis modo, et forma tunc expressis, de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium et deinde secundo dictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit, et prorogavit, ac deinceps eidem Urbano praedecessori per vos exposito, seu subjuncto, quod quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum, seu concessum brevi erat expiraturum, et Causae, propter quas Indultum hujusmodi tam a praedictis Romanis Pontificibus, quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus praedecessor Indultum praedictum per eum ultimo locó ad quinquennium, ut praefertur extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta ita tamen, ut provisiones hujusmodi, servata dictarum literarum forma fierent, ipsumque Indultum Canonicatus, et Praebendas Ecclesiae Metropolitanae Coloniensis minime compraehenderet, nec ad eos se extenderet, ac alias sub certis modo, et forma etiam tunc expressis ad aliud quinquennium extendit, et prorogavit.

§. 8. Et postmodum similis rec. mem. Innocentio Papae X. praedecessori etiam Nostro per vos exposito, quod causae, propter quas Indultum hujusmodi tam ab eodem Urbano tunc novissime, quam ab aliis praedecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipse Innocentius praedecessor Indultum praedictum vobis per eumdem Urbanum praedecessorem ultimo loco ad quinquennium, ut praefertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta sub certis pariter conditionibus, modoque et forma tunc expressis ad aliud quinquennium pariter concessit, quinquenniumque hujusmodi postmodum, ad

Itemque Innocentius X. Alexander VIII, Clemens IX, Clemens X, Innocentius XI, Innocentius XII.

aliud etiam quinquennium a die XX. Februarii MDCL computandum extendit, et prorogavit; ac successive similis rec. mem. Alexander Papa VII. etiam praedecessor Noster supplicationibus vestro nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus per ternas suas in simili forma Brevis literas, unas die XXIII. Augusti MDCLV, et alteras die VIII. Januarii MDCLXI, et reliquas die XIV. Martii MDCLXIV. expeditas, Indultum praedictum vobis concessum, et prorogatum, ut praefertur, sub certis modo, et forma tunc expressis, primo quidem ad quinquennium, subinde vero ad triennium, et novissime ad quadriennium; et postmodum similis rec. mem. Clemens Papa IX. itidem praedecessor Noster per suas pariter in forma Brevis die IX. Septembris MDCLXVIII. expeditas literas idem Indultum ad quinquennium; illudque successive similis rec. mem. Clemens Papa X. etiam praedecessor Noster per literas suas similiter in forma Brevis die XVIII. Julii MDCLXX, et die XXVII. Junii MDCLXXV. emanatas literas bis pariter ad quinquennium et similis rec. mem. Innocentius Papa XI. itidem praedecessor Noster per ternas suas etiam in forma Brevis, unas die secunda Decembris MDCLXXVIII, alteras die XXVII. Januarii MDCLXXXIV, et reliquas die XXVII. Jan. MDCLXXXIX. expeditas literas ter itidem ad quinquennium, ac similis rec. mem. Innocentius Papa XII. etiam praedecessor Noster per suas itidem in forma Brevis die XXIX. Octobris MDCXCVIII. expeditas literas itidem ad quinquennium.

Prorogationem indulserunt etiam Clemens XI. Innocentius XIII. Benedictus XIII, Clemens XII, et Benedictus XIV.

§. 9. Et similis rec. mem. Clemens Papa XI. etiam praedecessor Noster per binas suas pariter in forma Brevis die XIX. Augusti MDCCV, et die II. Septembris MDCCXVII. emanatas literas bis quoque ad quinquennium; ac recolendae mem. Innocentius Papa XIII. praedecessor similiter Noster per suas itidem in forma Brevis die V. Septembris MDCCXXII. expeditas literas pariter ad quinquennium; ac piae mem. Benedictus Papa XIII praedecessor etiam Noster per suas quoque in eadem forma Brevis die XVIII. Junii MDCCXXVIII. editas literas Indultum hujusmodi ad septennium concessit; et rec. itidem mem. Clemens Papa XII. pariter praedecessor Noster per suas quoque in simili forma Brevis die XXVIII. Septembris MDCCXXXV. editas literas Indultum hujusmodi ad quinquennium de novo concessit; ac subinde fel. rec. Benedictus XIV. similiter praedecessor Noster ad septennium nempe die XXX. Septembris MDCCXLI, die XXII. Maji MDCCLI, et die X. Aprilis MDCCLVIII. per suas Apostolicas literas Indultum praedictum concessit, et prorogavit, et alias prout in dicti Benedicti, et singulis memoratorum praedecessorum literis in praedicta forma Brevis desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Huic P... fici p... porrigun... pro nova... rogation... que ben... indulge... ad aliud... ptenniu...

§. 10. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis septennium ultimo loco a praedicto Benedicto, ut praefertur, concessum brevi expiraturum sit, causae vero, propter quas idem Indultum per praedictos Romanos Pontifices praedecessores Nostros pluries concessum, et prorogatum respective etiam nunc vigeant, vosque propterea Indultum hujusmodi ad effectum supradictum per Nos vobis de novo concedi desideretis; Nos specialem vobis gratiam facere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Indultum praedictum vobis, sicut praemittitur, pluries concessum, et prorogatum, cum omnibus, et singulis contentis in literis praedictis, ita tamen ut Provisiones hujusmodi, servata dictarum literarum forma fiant, quacumque praetensa praxi, consuetudine, seu tollerantia contraria non obstante, quam potius abusum esse, et proinde praesens Indultum in omnibus, et per omnia juxta ejus tenorem, et proprietatem, prout verba illius sonat, e non aliter, nec alio modo servari debere decernimus; et cum hoc quod Indultum hujusmodi Canonicatus, et Praebendas Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis minime compraehendat, nec ad eos se extendat, ac sine praejudicio Vene-

rabilis Fratris moderni, et pro tempore existentis Archiepiscopi Coloniensis, nec non cum omnibus, et singulis aliis facultatibus, concessionibus, et ordinationibus, clausulis, et decretis appositis in dictis literis, ac servata in omnibus, et per omnia earumdem literarum forma ad aliud septennium a fine ultimi dicti septennii, sicut praemittitur, prorogati, seu concessi computandum auctoritate Apostolica, tenore praesentium, de novo concedimus.

§. 11. Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Decernentes etiam vos septennio praedicto per Nos concesso durante, hujusmodi indulto, ac desuper confectis literis praedictis libere, et licite uti posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 12. Volumus autem, et earumdem tenore praesentium ordinamus, ne Ecclesiae, in quibus personae nominatae hujusmodi vigore vacationum, aut collationum praedictarum eosdem Canonicatus, et Praebendas obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo debitis non fraudentur obsequiis, aut cultus Divinus in illis minuatur, et eaedem personae, si illis ea hora, qua ipsa divina Officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deservire facere possint, et ita deserviendo pro residentibus, et inservientibus habeantur, et distributiones quotidianas lucrentur, in omnibus, et per omnia perinde ac si personaliter deservirent, diebus Dominicis, et Festis principalioribus, videlicet Domini Nostri Jesu Christi, ac Gloriosissimae Virginis, et Beatorum Apostolorum, et in quorum honore dedicatae sunt Ecclesiae praedictae, aliorumque Sanctorum, quorum dies in singulis eisdem Ecclesiis solemnes, et celebres habentur, exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur: quodque hujusmodi Canonicatus, et Praebendae personis ad profitendum in aliqua ex dictis Universitatibus idoneis repertis, quae jurejurando ad profitendi munus diligenter, ac immediate post Canonicatus, et Praebendae adeptionem exercendum se adstringant, dumtaxat conferantur, illorumque singulis assignentur Cathedrae, in quibus actu legere possint in ea facultate, quae eis in actu eorum nominationis hujusmodi per Rectorem, Decanos, et Provisorem supradictos destinatae fuerint, ita ut si aliqua ex dictis personis per tres menses continuos absque legitima causa a Rectore, et Provisoribus praedictis approbanda a legendo cessaverit, poenam privationis Canonicatus, et Praebendae per eam vigore nominationis praedictae obtentorum alteri personae idoneae modo praemisso conferendorum, eo ipso absque ulla declaratione incurrat; caeterum eaedem personae praedictos Canonicatus, et Praebendas nonnisi in manibus Nostris, et pro tempore existentis Romani Pontificis cum specifica mentione, quod illos vigore memoratae nominationis consecutae fuerint, nec nisi ad favorem personarum juxta Statuta, et Indulta dictae Universitatis Coloniensis qualificatarum, et alias bonum testimonium a Rectore, et Provisoribus supradictis habentium resignare, aut alias dimittere nullatenus possint, alioquin Canonicatus, et Praebendae hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit, ipsaeque personae sic nominatae intra sex menses a die collationis, et provisionis, aut cujusvis alterius dispositionis de Canonicatibus, et Praebendis, ad quos illos nominare contigerit, sibi faciendum, ut praefertur, novas provisiones super illis a Sede praedicta impetrare, ac literas Apostolicas desuper in totum expedire, ac jura Camerae Apostolicae, et aliis propterea debita omnino persolvere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis, provisi eorumdem Canonicatuum, et Praebendarum fructus interea suos non faciant, sed illi ad Metropolitanam Ecclesiam

Coloniensem, ejusque Capitulum pertineant, ac in commodum, et utilitatem ipsius Metropolitanae Ecclesiae applicari debeant; Canonicatus vero, et Praebendae hujusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque per alios ab eadem Sede dumtaxat libere impetrari, et impetrantibus suffragetur, ac competat via executiva, ejusque robur, et effectus, perinde ac si Canonicatus, et Praebendae praedictae per obitum apud Sedem praedictam vacavissent, et de illis sic per obitum vacantibus ab eadem Sede eisdem impetrantibus provisum fuisset.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum praedictarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, et Capitulis sub quibuscumque tenoribus, formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio facta fuisset, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Julii MDCCLXV. Pontificatus Nostro Anno septimo.

CDLXXIX.

Dat. die 10. Julii 1765. Anno VIII.

Dolet quod in Hispania paretur lex, qua interdicitur Ecclesiis, futuris facultatibus ditari.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quantum justitia a... num sit monstrat ... clesiastic... largitioni prohibere

§. 1. Magnam Nobis molestiam gravis quaedam attulit fama, nunc apud Majestatem tuam id agi, ut legem feras, ne cui liceat in posterum Regiae ditioni tuae subjecti bonorum suorum quovis titulo ad Ecclesiam transferre. Qua lege novissime in quibusdam Regionibus lata, non modo vehementer dolemus, Ecclesiae miseram conditionem quae in tantam venerit contemptionem, ut contra omne jus et fas a Fidelium liberalitate excludatur, unde iniquum esset vel vilissimum quemquam excludi, sed etiam de spirituali eorum pernicie gravissime angimur, tum qui ejus legis suasores fuerunt, tum qui conditores.

Adeoq... hortatur ... hujus ... condend... proposito ... sistat, ... quam o... damnu... nullam ... utilitate... est co... quuturu...

§. 2. Itaque pro Apostolico munere divinitus Nobis imposito, ac pro paterna Nostra, qua Regiam Majestatem tuam complectimur charitate id velimus consideres, quam tibi tuaeque animae saluti male consulant ii, qui te ad ejusmodi injustam et Ecclesiae injuriosam legem impellunt; nam quod Majestati tuae in hac re aliorum deteriora proponunt exempla non putamus te quid hic vel ille fecerit, sed quid facere debuisset, respicere. Quovis enim exemplo non dubitamus normam illam justitiae et aequitatis fore tibi potiorem, ad quam in timore Domini usque ad hanc diem magna Religionis ac pietatis tuae laude actiones tuas exegisti. Vides carissime in Christo Fili Noster ea lege cum Ecclesia pejus agi, quam cum nullius muneris hominibus, quorum neminem quantumvis vilissimum lex ulla prohibet amplioribus facultatibus augeri. Vides ea lege, fidelibus objici impedimentum, quo minus in posterum cum mortalitatem expleverint, animarum suarum quieti provideant. Vides etiam eamdem legem non eum quo tendit consequi finem; et ea lata non plus ad Ærarium tuum argenti perventurum.

Praece... tes pacti... inter ... ctam Se...

§. 3. Nam in pactionibus cum gloriosae memoriae Rege Philippo patre tuo confectis, quae bona ad Ecclesiae dominium in poste-

et Regem Catholicum commemorat. rum transferri contingat convenit inter illum Principem, et hanc Apostolicam Sedem, ut aeque ac si essent in manu Laicorum Regi esse debeant vectigalia. Nulla igitur inest huic legi aequitas, nullum inde laicis vectigalium aut tributorum levamentum; nec quidquam aliud ex ea efficitur, quam ut Ecclesiae minus fuisse benevolens videare, cui tamen usque adhuc fuisse te benevolentissimum tua omnia erga eam studia, et officia declarant. Has aliasque plures rationes non dubitamus prae oculis habituros Consiliarios tuos, quibus hanc rem examinandam commisisti. Religioni, pietati et egregio aequissimorum virorum in justitiam studio et amore freti, multo vero maxime tua, carissime in Christo Fili Noster, sapientia, et virtute praeclaraque voluntate, qua certum semper tibi fuit, omnia aeternae saluti tuae posthabere, confisi, futurum speramus, et ejus legis condendae Regia Majestas tua consilium omne denique abjiciat tibique carissime in Christo Fili Noster, Regiaeque Familiae tuae universae, intimo nostri Cordis affectu Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Julii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXX.

Dat. die 10. Junii 1765. Anno VIII. Pampilonensi Episcopo pro confirmato Instituto Societatis Jesu gratulanti, ejusdem Societatis laudes exprimit, et utilitatem Catholicae Religioni derivantem.

De hac ipsa Societatis Jesu confirmatione videnda est Epistola relata hoc Tomo sub. Num. CDLXIX. pagina 955.

Venerabili fratri Gaspari Episcopo Pampilonensi.

Clemens PP. XIII.
Venerabilis Frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Scribis, Constitutionem Nostram, qua pium Societatis Jesu confirmavimus institutum, sanasse vulnera, quae per tot annos ab haereticis, et haeresis fautoribus Ordo ille Religiosus accepit. Id vero est quod maxime cupimus, et a Deo enixe precamur. Gratam autem Constitutionem illam accidisse Fraternitati tuae et bonis omnibus, qui satis cognoscunt, quantas Ecclesia e suo illo Instituto utilitates capiat, magnopere laetamur. Multas quidem illi Societati, quas ex vero traxisti, laudes in tuis litteris tribuis: sed illud laudandum in primis quod Religiosi Viri ita tulerint contumelias, et maledicta, quae in eos inimicorum, seu potius Apostolicae Sedis hostium malevolentia congessit, ut singulare Christianae patientiae omnibus praebuerint exemplum, optandumque, ut quo robore animi has sustinuerunt injurias, eadem firmitudine atque constantia ea munera in sanctificandis fidelibus perpetuo exequantur, quae pium ejusdem Societatis Institutum praescribit. Ea implevisse hactenus, et implere testimonium Nobis literae Fraternitatis tuae, futurumque speramus in Domino, ut numquam eorum studia in excolenda vinea Domini relanguescant. Tibique Venerabilis Frater, eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die X. Julii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXXI.

De eodem argumento agit cum Episcopo Oscensi. Dat. die 10. Julii 1765. Anno VIII.

Vide Epistolam superiori numero relatam, et adnotationem in eo appositam.

Venerabili Fratri Antonio
Episcopo Oscensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Quod Institutum Societatis Jesu Constitutione edita confirmavimus, ita Nobis gra-

tias agis, ut id in privati erga te propemodum beneficii loco posuisse videaris. Quidquid enim ad Ecclesiae rem pertinent, id arbitraris tua maxime interesse. E Clericis autem Regularibus Societatis Jesu magnas Ecclesiam capere utilitates, tecum boni omnes, ac fere omnes Episcopi existimant. Itaque non mediocriter Nos delectaverunt, literae tuae, quae Nobis denunciant tuam omniumque, qui isthic veritatis, et justitiae amore tanguntur, ex ea Constitutione consolationem atque laetitiam. Optamus, ut memorati Clerici Regulares, Apostolico testimonio Nostro, et judicio adjuti, quiete et tranquille vacare possint in posterum iis muneribus quae ad sanctificandas Fidelium animas cuique pium illud Institutum profitenti injunguntur; supervacaneum ducimus Fraternitati tuae illos commendare, quos ex tuis literis cognoscimus tibi esse commendatissimos. Tibique Venerabilis Frater eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem die X. Julii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDLXXXII.

Dat. die 2. Sept. 1765. Anno VIII.

Facultatem impertitur Catholico Regi nominandi ad Prioratum Castellae et Legionis Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum Regi Catholico.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem

Preces porrectae ab Catholico Rege pro collatione hujus Prioratus alicui ex Regiis Infantibus.

§. 1. Egregia, et toto orbi diu spectata in Nos, et hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque Catholici cognomine optimo jure insigniti Regis praeclara merita, quibus personam tuam Altissimus multipliciter insignivit, plane exigunt, ut illi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque sicut Majestatis tuae nomine Nobis nuper expositum fuit, Prioratus Castellae, et Legionis Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani per obitum bo: me: Philippi Infantis Hispaniarum vacaverit, et adhuc vacet de praesenti. Tu vero ad Prioratum praefatum praemisso, vel alio quovis modo, ex cujuscumque alterius persona vacantem, unum ex tuis Principibus Infantibus legitimis, et naturalibus nominare posse plurimum desideras.

Petitam facultatem Pontifex indulget, nonnullas impertitur derogationes.

§. 2. Nos votis tuis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Majestati tuae, ut unum ex tuis Principibus Infantibus legitimis, et naturalibus, tametsi ipse, nec in legitima aetate constitutus, nec in Fratrem Militem Prioratus, et Hospitalis praefatorum receptus sit, nec habitum per Fratres Milites ejusdem Hospitalis gestari solitum susceperit, neque professionem per eosdem emitti consuetam emiserit regularem, nec residentiam conventualem, ac caravanas in Triremibus Hospitalis hujusmodi ad id praescriptas fecerit, minusque antianitate, benemerentia, aliisque ullis per statuta, seu stabilimenta, et ordinationes Capitulares dicti Hospitalis Apostolica auctoritate confirmata, requisitis qualitatibus praeditus existat, nec non habitum aurei velleris, et Sancti Januarii Militiarum ex indulto Sedis Apostolicae gestet, nihilominus ad Prioratum Castellae, et Legionis, sicut praemittitur, vacantem, dummodo dilecti filii Magni Magistri et Conventus dicti Hospitalis ad id accedat consensus nominare, libere, et licite possis, et valeas; ipsique Infanti sic nominando ex tunc, prout postquam nominatus fuerit, ut habitum praedicti Hospitalis una cum magna Cruce ab aliquo ejusdem Hospitalis Praeceptore, seu Commendatario, aut Priore, vel Bajulivo suscipere, et professionem per ejusdem Hospitalis Fratres Milites emitti consuetam suo tempore expresse emittere regulares, dictoque, seu alio Praeceptori, seu Commendatario, aut Priori, vel Bajulivo, ut Infanti nominando hujusmodi habitum praedictum exhibere, et ab eo professionem Magni Magistri dicti Hospitalis nomine debito tempore recipere libere, et licite respective possint, et valeant, plenam,

et amplam facultatem auctoritate Apostolica concedimus, et impertimur.

Infanti ad Prioratum nominando facultatem facit capiendi possessionem bonorum, et percipiendi redditus.

§. 3. Praeterea eidem Infanti, sicut praefertur nominando postquam nominatus fuerit, ut caeteris omnibus antianis, aut aliis etiam similem, vel dissimilem gratiam etiam per Sedem Apostolicam confirmatam, et aliarum subsequentium quarumcumque hujusmodi gratiarum revocatoriam a dicto Magno Magistro: ac etiam Consilio, et Capitulo generali dicti Hospitalis, aut alias quomodocumque obtinentibus prorsus exclusis, corporalem possessionem dicti Prioratus, ejusque membrorum, et annexorum, nec non bonorum, jurisdictionum, et actionum omnium, et quorumcumque per se vel alium, seu alios propria auctoritate libere appraehendere, et retinere, eorumque elapso tamen tempore mortuarii, et vacantis, fructus, redditus, et proventus salvis tamen, et reservatis omnibus, et quibusvis juribus communi Ærario dicti Hospitalis quomodocumque debitis, et debendis, ac quovis modo impositis, et imponendis, etiamsi specialiter et nominatim exprimendi essent, percipere, exigere, et levare libere, et licite possit, et valeat, auctoritate praefata, earumdem tenore praesentium, dummodo expressus dictorum Magni Magistri, et Conventus ad id accedat assensus concedimus, et indulgemus.

Nec non concedit ut per Locumtenentem a Catholico Rege deputandum, Prioratus administrationem exercere possit.

§. 4. Praeterea eidem Majestati tuae quod tu aliquem dicti Hospitalis Fratrem Militem tibi benevisum, qui donec Infans hujusmodi ad aetatem legitimam pervenerit loco, et nomine Infantis hujusmodi nominandi jurisdictionem ad dictum Prioratum spectantem exerceat, et administret, ac tamquam Prioris dicti Prioratus Locumtenens capitula, et assembleas teneat, et Ministros, aliosque necessarios pro administratione rerum, ac redditum ejusdem Prioratus eliget, nominare libere similiter, et licite possis, et valeas auctoritate, et tenore praesentium concedimus pariter, et indulgemus, omnibusque antianis, et aliis praedictis, ac caeteris in praemissis praetendentibus et futuris, ne praemissorum, aut alio quocumque praetextu Infantem praedictum molestare, aut impedire audeant quoquo modo inhibemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ita per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, dictique Hospitalis Magnum Magistrum, ac Conventum, et Fratres, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis ac Apostolicis Constitutionibus, nec non de electionibus, et quibusvis aliis dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, et ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, illi ac praedicto Magno Magistro Conventui, Prioribus, Bajulivis, Praeceptoribus, seu personis quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, etiam illis, quibus cavere dicitur expresse, quod hujusmodi gratia nonnisi in Capitulo Generali dicti Hospitalis, ac magis antianis Fratribus Militibus, aliisque certo modo qualificatis concedi possint, et alias quomodocumque disponentibus; quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis specialis mentio facta fuisset, seu quaevis alia expressio, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Mojorem sub Annulo Piscatoris die II. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno Octavo.

CDLXXXIII.

Dat. die 4. Sept. 1763. Ann. VIII.

Confraternitatem sub titulo Adorationis perpetuae, et orationis Sanctissimi Sacramenti ab Episcopo Laodiensi erectam confirmatur, eidemque quamplures Indulgentiae elargiuntur.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces porrectae pro novae institutae Confraternitatis approbatione.

§. 1. Dudum exponi fecit Nobis Ven. Frater Carolus Episcopus Laodiensis non sua modo pietate se impulsum, sed Cleri etiam et populi totiusque suae Dioecesis in Augustissimum Eucharistiae Sacramentum eximio cultu, et praeclara devotione excitatum, novam quamdam utriusque sexus Christifidelium Confraternitatem sub titulo Adorationis perpetuae, et Orationis Sanctissimi Sacramenti canonice erexisse; supplicesque Nobis praeces exhibuit, ut quo foveatur in suo populo, et amplificetur ejusmodi perpetuae adorationis et Orationis Sanctissimae Eucharistiae non satis laudanda devotio, promoveaturque hoc etiam adjumento salus animarum, auctoritate Nostra Confraternitatem praedictam pro Civitate, Patria, et Dioecesi Laodiensi omnibusque in ea adscribi volentibus confirmari, atque eamdem alteri Confraternitati Sanctissimi Sacramenti in Collegiata insigni S. Martini Civitatis Laodiensis, quae Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti Urbis est aggregata unire, ipsiusque Confratribus et Consororibus easdem indulgentias, quibus eaedem illae Confraternitates Sanctissimi Sacramenti fruuntur elargiri Apostolica benignitate dignaremur.

Pontifex de novo erectam Confraternitatem confirmat, illamque alteri jam erectae in Collegiata Ecclesia S. Martini Civitatis Laodiensis unit, indulgentiasque huic concessas participat.

§. 2. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri, et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, Confraternitatem a praedicto Ven. Fratre Carolo Episcopo Laodiensi erectam pro Oratione perpetua in qualibet diei hora ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro Civitate, Patria et Dioecesi Laodiensi, omnibusque in ea abscribi volentibus confirmamus, eamque motu proprio alteri Confraternitati Sanctissimi Sacramenti in Collegiata insigni Sancti Martini ejusdem Civitatis Laodiensis ab anno MDLXXV. erectae, et Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti Urbis aggregatae unimus, et omnes et singulas indulgentias, quibus Archiconfraternitas praedicta Urbis gaudet communicamus. Ac insuper easdem omnes et singulas Indulgentias quibus aliae Confraternitates pro perpetua Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti adoratione institutae fruuntur, clementer elargimur; omnibus vero dictae Confraternitatis, ut supra erectae, Confratribus et Consororibus per integram horam ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum pie orantibus Indulgentiam Plenariam semel in mense concedimus.

Insuper novas speciales indulgentias concedit.

§. 3. Item ex speciali gratia eisdem Confratribus et Consororibus vere poenitentibus, confessis ac Sacra Communione refectis, et juxta mentem Nostram per aliquod temporis spatium orantibus, Indulgentiam plenariam in Dominica infra octavam Sanctissimi Corporis Christi, in Dominica infra octavam omnium Sanctorum, et in Festo Epiphaniae, in prima Dominica Quadragesimae, et prima Dominica Maji, et in quatuor Festivitatibus infra annum ab eodem Fratre Episcopo Laodiensi designandis impertimur, atque omnes et singulas Indulgentias, quas valere volumus perpetuis futuris temporibus, animabus fidelium defunctorum applicari posse concedimus et indulgemus. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Nostrae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno octavo.

CDLXXXIV.

Dat. di[e] Sept. 1[...] Anno V[...]

De confirmato Instituto Societatis Jesu agit cum Episcopo Civitatensi, causas hujus confirmationis indigitat, et sequutas utilitates cum gaudio exprimit.

Vide Epistolam supra relatam sub Num. CDLXXXI, et adnotationem eidem appositam.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Perquam grata Nobis fuit ex tuis literis perjucunda laetitia tua tuique gratulatio de Constitutione Nostra sub initium hujus anni edita, qua pium Societatis Jesu Institutum, complurium recolendae memoriae Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum sequuti judicium, laudavimus, ac denuo confirmavimus. Retundenda omnino fuerunt tela illa, quibus Ecclesiae hostes per latus Societatis Jesu sauciare conati sunt Apostolicam Sedem. Deoque gratulandum Constitutione illa in dies fieri labetiora, siquidem, quos simpliciore ingenio praeditos maledicorum hominum improbitas a recta, cui adhaerebant Apostolicae hujus Sedis, et Ecclesiae de Instituto Societatis Jesu sententia dimoverat, eos ex plurimorum Venerabilium Fratrum literis intelleximus, ubi primum ea de re Apostolicam Nostram emisimus vocem, sensisse tandem se fuisse deceptas. Magnae itidem Deo agendae sunt gratiae, quod Clerici Regulares Societatis Jesu, Majorum suorum etiam nunc premendo vestigia, non tam Constitutione Nostra quam vitae integritate flagrantique Christianae pietatis studio, et Instituti sui muneribus, et officiis fideliter exequendis se, famamque suam tueantur. Et Fraternitati tuae, Apostolicam benedictionem, eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Septem. MDCCLXV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CDLXXXV.

Dat. die 4. Sept. 1765. Anno VIII.

Episcopo Santonensi facultatem concedit dispensandi in Matrimoniis super impedimentis criminis, et publicae honestatis, nec non in quibusdam gradibus consanguinitatis, et affinitatis.

Venerabili Fratri Germano Episcopo Santonensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Facultatem a Nobis postulat Fraternitas tua dispensandi super impedimento criminis itidemque super impedimento publicae honestatis, pariterque dispensandi in secundo et tertio gradu mixto, et tertio simplici consanguinitatis et affinitatis in matrimoniis cum Haereticis postea ad Catholicam fidem conversis dispensandi in secundo simplici. Nos hanc rem cognoscendam dedimus Congregationi S. Officii cujus consilio Fraternitati tuae mittimus formulam decimam, quae omnibus Gallicanis Episcopis mitti solet. Eamdem jam ab anno MDCCXLVII. ad triennium bo. me. Simon Petrus Santonensis Episcopus praedecessor tuus, obtinuit, ac subinde eaedem illi facultates sunt prorogatae. Ea formula, ut vides Ven. Frater facultates continet, quas requiris dispensandi super impedimento criminis et publicae honestatis. Dispensationes vero, quae ad matrimonium pertinent, intra fines continentur tertii et quarti gradus, simplicis et mixti consanguinitatis et affinitatis. Quod autem scribis ex antiqua Sedis Santonensis consuetudine licere tibi in tertio et quarto, et quarto simplici dispensare, veremur ne hac quam habere putas usus sis facultate. Idcirco, si quae matrimonia cum ea dispensatione contracta fuerint, ea in radice sanamus; quod tamen ad avertenda quae oriri possent scandala, si ad notitiam hominum perveniret, jubemus altissimo premi silentio. Et eximiae benevolentiae in te Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem Fraternitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die IV. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXXVI.

Dat. die 4. Sept. 1765. Ann. VIII.

Capitulo Cathedralis Osnabrugensis, gratulatur, quod absolutum fuerit ab incursis censuris ob postulatum Acatholicum hominem in Episcopum Osnabrugensem.

Dilectis Filiis Praeposito, Decano, Seniori caeterisque Capitularibus Ecclesiae Cathedralis Osnabrugensis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii Nostri salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Venerabilem fratrem Caesarem Albericum Archiepiscopum Nicaenum, facultate a Nobis accepta, ademisse vobis vinculum censurarum, quibus a die XXVII. Februarii superioris anni propter postulationem vestram Acatholici hominis in Episcopum Osnabrugensem, adstringebamini, e literis vestris die elapsi Julii trigesima datis perlibenter accepimus. Nunc vero sic unusquisque vestrum oportet se ita in posterum gerat, ut in omnibus actionibus vestris summa Catholicae Religionis cura vestra et zelus appareat. Sic enim dilecti filii Sancta Mater Ecclesia non exiguam consolationem capiet, cum vos viderit Christianae pietatis studio flagrantes id studere, ut illius dolor ex Westphalicis pactionibus susceptus vitae vestrae sanctimonia et exemplo aliqua ex parte leniatur; Nostramque demerebimini majorem in dies Apostolicam gratiam, quam reipsa vobis praestare magnopere cupimus. Vobis interea dilecti filii in ejusdem Ecclesiae gratiam magna animi Nostri jucunditate redactis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die IV. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXXVII.

Dat. die 9. Sept. 1765. Anno VIII.

De confirmato nuper Instituto Societatis Jesu agit cum Episcopo Orthonensi, et Caplensi.

Vide Epistolam supra relatam sub num. CDLXXXIV. et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri M. Antonio Episcopo Orthonensi, et Caplensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Accepimus literas Fraternitatis tuae, in quibus mirifice amavimus egregium erga Nos animum tuum, et in hanc Sacram B. Petri Sedem obsequium et studium: intelleximus enim quanta te laetitia perfuderet Nostra Constitutio qua laudando confirmandoque Societatis Jesu Instituto, non tam ipsam Societatem, quam Apostolicae Sedis in Ecclesiae universae judicium defendimus. Deum oremus Venerabilis Frater, ut os eorum occludat, qui toti ex impudentia mendaciisque compositi excusso omni timore Dei, et maledicentiae suae muniti praesidio, effrenatae denique linguae suae tantummodo praesidentes nunc dominari videntur in populo: qui dixerunt: linguam nostram magnificavimus, labia nostra a Nobis sunt; quis noster est Dominus? Illud autem interea non mediocrem Nobis affert consolationem, quod tuae plurimorumque Venerabilium Fratrum Episcoporum literae Nobis attulerunt in Apostolicis laboribus perferendis alacritatem Clericorum Regularium memoratae Societatis Jesu non relanguescere, neque excitandae in populis Christianae pietatis flagrantia in eamdem Societatem studia refrigerari. Pro qua sanctificandarum animarum cupidissima eorum voluntate, futurum speramus, ut Deus aliquando illos abscondat in abscondito faciei suae a conturbatione hominum, protegatque in Tabernaculo suo a contradictione linguarum. Et fraternitati tuae non vulgaris erga te benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae sub annulo piscatoris apud Sanctam Mariam Majorem. Die IX. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXXVIII.

Dat. die 9 Sept. 1765 Anno VIII. De eodem argumento scribit Episcopo Massae Lubrensis.

Vide Epistolam superiorem.

Venerabili Fratri Josepho Episcopo Massae Lubrensis.

Clemens PP. XIII.

§. 1. Gratulatio tua de Constitutione Nostra, qua Institutum Societatis Jesu denuo confirmavimus, eo fuit Nobis jucundior, quod testimonium habet adjunctum de egregia in Nos, et hanc Sacram B. Petri Sedem voluntate plurimorum Venerabilium Fratrum Regni istius Episcoporum, et ex inferiori ordine rectorum Christiani populi, quos Constitutionem illam scribis libentissime excepisse, atque ea de re gratiam erga Nos animum gerere; quidquid vero distincte et particulatim narras isthic apud vos praestare Clericos Regulares memoratae Societatis, magno cum Christianae rei emolumento, gratum Nobis fuit majorem in modum: id enim omne ex eodem fonte virtutis veraeque pietatis proficisci cognoscimus, quibus adducti eamdem Societatem defendendam suscepimus. Quod ex isto Societatis Collegio superiori anno ad alendos non modo pauperes et egenos, sed etiam Cives in summa Annonae difficultate reique frumentariae omniumque frugum inopia; tantum panis et obsonii scribis esse depromptum, ut iisdem Clericis Regularibus ista Civitas ferat acceptum quod magna vis hominum fame non interierit, id palam facit, eos vere Christi esse amantes. Qui enim habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo! sane ita factum oportuit. Sic enim est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam. Interea cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, boni esse pergant ac cumulatores, ut in eo, quod illis detrahunt, confundantur eorum bonam in Christo conversationem. Eos denique Fraternitati tuae volumus esse commendatissimos. Tibique Venerabilis Frater eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDLXXXIX.

Ignatius Gioar Patriarchatus Antiocheni invasor excommunicationis poena plectitur. Dat. die 11 Sept. 1765 Anno VIII.

Electionem hujus Patriarchae intrusi alias nulliter ab Antistitibus Nationis Graeco-Melchitae factam cassavit, et annullavit Pontifex hic per literas Anni 1760. *Augusti* 1. *relatas in hac continuatione sub Num. CLVII. pag.* 384. *Archiepiscopos, et Episcopos hujus Nationis ad concordiam, et pacem, nec non observantiam erga legitimum Patriarcham a S. Sede institutum hortatus est Pontifex idem per literas anni* 1764. *Julii* 23. *relatas sub praecedenti Numer. CDXXI. pag.* 879.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, nec non dilectis Filiis et Clero Saeculari, et Regulari, et Populo Catholico Nationis Graeco-Melchitae.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres, et dilecti filii salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Inter plurimas, quibus distringimur curas in hoc supremi Apostolatus officio divinitus Nobis, licet immerentibus, demandato, non mediocre quidem ex eo solatium capiebamus, quod Natio vestra Catholica, gravissimis perfuncta discordiis, in pacem denique, et spiritus unitatem coaluisset, ac legitimo suo Patriarchae Theodosio a Nobis confirmato debitum filialis obedientiae obsequium, nemine prorsus repugnante, tribuisset. Suum gaudium patefacit Pontifex pro restituta tranquillitate nationis Graeco-Melchitae.

Quod sane gaudium intermissum fuit arbitraria Ignatii Gioar Patriarchalis Antiochenae dignitatis occupatione.

§. 2. Verum Ignatius Gioar Ecclesiae Sidoniensis Episcopus, qui et antea Patriarchatum Antiochenum illicite, et contra Canonicas sanctiones occupaverat, hanc Nobis inopinato consolationem eripuit, et vos iterum in saevas et deplorabiles dissentionum procellas conjecit. Siquidem homo subdolus, et vana arrogantia tumidus, non judicium veritus Sedis Apostolicae, aut sententiam a Nobismetipsis praevio maturo examine solemniter pronunciatam; neque benignitate Nostra delinitus, qua tamquam filius prodigus, et humaniter fuit acceptus, et nova stola coopertus, fidem verbis et scripto praestitam, ac bis etiam juramento firmatam de Patriarchale dignitate non ulterius ambienda, et Venerabili Fratre Theodosio in suum et Nationis caput agnoscendo per summum scelus perfidissime violavit et fregit; vaesanaque stimulante ambitione et effrenata dominandi libidine, nihil animae suae, nihil Gregis universum interitum pertimescens, nullum non lapidem movit, ut Cathedram Patriarchalem contra omne jus fasque denuo invaderet, et sacrilegam de se renovari electionem curaret quemadmodum per nonnullos, quos habet sceleris sui socios et adjutores jam factum intelligimus, ac vobis omnibus luce clarius est manifestum.

Pontifex Ignatii electionem proscribit, eumdemque, et illius electores excommunicatos vitandos declarat.

§. 3. Quo tam diro ac nefario scelere in publicam vulgi famam deducto, ac Nobis renunciato, haud potuimus ex intima cordis Nostri amaritudine non ingemiscere cernentes hoc ausu temerario non solum leges humanas, et divinas proculcari, sed in domum Dei etiam induci gravissimum scandalum cum ingenti animarum et fidei Orthodoxae periculo. Ut igitur ingravescenti huic malo validis opportunisque remediis occurramus, primum tenore praesentium decernimus, et declaramus, novam electionem Ignatii Gioar Episcopi Sidoniensis sub die V. Februarii vertentis anni, seu alio veriori tempore factam, notorie esse nullam, illicitam, sacrilegam, schismaticam, et contra Sedis Apostolicae, et sacrorum Canonum sanctiones nefarie attentatam; deinde ipsum Ignatium, nec non Episcopos, et caeteros omnes, qui operam, consilium, auxilium, incitamentum huic execrando, atque undique notorio facinori quomodocumque praebuerunt, in majorem excommunicationem latae sententiae huic Sedi Apostolicae reservatam manifesto incidisse, statuimus, et pronunciamus; et proinde pro excommunicatis anathematizatis, et ab Ecclesiae Catholicae sinu separatis, et solemniter segregatis eosdem ab omnibus haberi volumus, et jubemus.

Ignatio, e[...] que faut[...] bus Epi[...] palis, et [...]cerdotali[...] gnitatis e[...] citium in[...] dicit, quamlil[...] cum illis [...] ritualem [...] commun[...] tionem [...] libet.

§. 4. Mandantes praeterea, districteque prohibentes tam praedicto Ignatio, quam Episcopis illi adhaerentibus, ne ullo pacto aut Chrisma conficere, aut Clericos ordinare, aut Virgines consecrare, aut alia quaelibet Episcopalis, et Sacerdotalis Ordinis munera exercere audeant, donec sincera poenitentia ducti resipiscant, et necessariam absolutionem a praefatis censuris Nobis tantummodo reservatam obtineant. Vobis autem Ven. Fratres, et dilecti filii quotquot Clerum et populum Graeco-Melchitam constituitis, et Fidem Catholicam profitemini, serio injungimus et vetamus sub poena majoris excommunicationis ipso facto incurrendae, et Nobis, ac S. Sedi reservatae, ne unquam Ignatium pro Ecclesiae vestrae Antiochenae Patriarcha habeatis, neve cum eodem, sive cum ejus fautoribus, et nefariae electionis complicibus ullo modo, et praesertim in Divinis communicetis, aut ab ipsis, cujuscumque sint gradus et dignitatis, Sacramenta et Ordines accipiatis.

Obedi[...] Episcop[...] obsecrat[...] in fide [...] observa[...] erga S. [...] dem p[...] stant.

§. 5. Noverint quippe omnes, qui deinceps Ordinibus vel ab ipso Ignatio, vel ab aliis quibuscumque, uti superius declaravimus, anathemate percussis initiati fuerint, suspensionis se vinculo adstrictos, atque irregularitati praeterea obnoxios fore, si contra jus fasque susceptos Ordines exercere praesumpserint. Reliquum est, ut sollicitudini et curae, qua pro paterno erga vos singulos et universam gentem vestram flagrantissimo amore Nostro, de aeterna omnium vestrum salute suscepimus, omnia quoque fidei vestrae et obedientiae studia et officia respondeant, ita ut unquam a recto tramite declinetis, neque eorum vocibus aurem praebeatis, qui in Ovile Dominicum non per ostium quod Christus est, sed aliunde per vim et scelus irrumpere conantur. Miserae

namque, ac prope incredibilis esset caecitatis, si propter insana molimina unius hominis ambitione aestuantis, et Dei Ecclesiam lacerare haud timentis, spem vestrae felicitatis aeternae in discrimen vocare et animarum jacturam facere preoptaretis, ac vobis tandem Venerabiles Fratres, et dilecti Filii Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXC.

Dat. die 11 Sept. 1765. Ann. VIII.

Temporali in Graeco-Melchitas Principi excommunicationem Patriarchae intrusi participat, ejusque requirit auxilium favore legitimi Patriarchae a Sancta Sede instituti.

Vide literas excommunicationis superiori numero relatas.

Nobili, ac Potenti Viro Ali Gemblat.

Clemens Papa XIII.

Nobilis, et Potens Vir
salutem, et lumen Divinae gratiae.

Quae contra intrusum Patriarcham a S. Sede gesta sunt exponit.

§. 1. Compositis rebus Patriarchatus Antiocheni, atque omni e medio controversia sublata, quae populum Greco-Melchitam huic Sedi Apostolicae unitum in partes distraxerat, nullum amplius dissentionibus, et concertationibus locum relictum esse putavimus. Verum opinionem hanc Nostram statim ex improviso fefellit Ignatius Gioar Episcopus Sidoniensis, qui nefaria percitus ambitione in Pseudo-Patriarcham se rursus et erigere, flagitiosissimum schisma renovare non dubitavit, nihil veritus perfidiae culpam, qui de Patriarchale dignitate non amplius ambienda fidem verbo datam et scripto, atque etiam juramento sancte firmatam impudentissime frangeret. Itaque audito detestabili ejusmodi scelere vehementer commoti sumus, eamque rationem ineundam existimavimus, qua hominis amentis retundatur audacia iique omnes coerceantur, quos sui furoris socios habet et adjutores. Quamobrem anathematis poena districtos, et a caetu fidelium separatos tum memoratum Ignatium, tum ejus socios, fautores, atque electionis complices pro auctoritate Nostra declaravimus; mandantes insuper omnibus et singulis Graeco-Melchitis, qui Romanae Ecclesiae fidem Orthodoxam sectantur, ut ab eorumdem consortio abstineant, et vero legitimoque Patriarchae Ven. Fratri Theodosio solummodo adhaereant.

Potentis hujus Principis auxilium requirit contra intrusum Patriarcham, et favore alterius a S. Sede instituti.

§. 2. Sed cum ejusmodi mandatis implendis auctoritas tua, Nobilis et Potens Vir, maximum momentum possit afferre, propterea enixe rogamus, ut legitimo Patriarchae Theodosio praepotenti ope tua adesse velis, atque omni studio prohibere, ne pseudo-Patriarcha Ignatius vel ejus juribus noceat, vel populi tranquillitatem, et pacem perturbare praesumat. Quod ut confidimus te libenter facturum pro tua summa humanitate, studioque justitiae, quam te novimus colere magna tui cum laude, ita operam Nostram pollicemur in rebus omnibus, quas tibi gratas acceptasque fore sciemus. Atque interim tibi a Coelesti Patre luminum verae felicitatis agnitionem adeptionemque precamur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Septembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCI.

Dat. die 21. Sept. 1765. Anno VIII.

Super observantia Jejunii peculiares declarationes praebentur pro Christifidelibus in Indiis commorantibus, et quae hac de re alias evulgatae fuere Apostolicae Constitutiones memoriae revocantur, illarumque observantia praescribitur.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Universalis Ecclesiae cura ab Omnipotenti Deo, qui mirabili dispositione infir-

ma eligit, humilitati Nostrae commissa, inter coetera Officii Nostri munera exigit praecipue, ut ad remotissimas Catholici Orbis regiones, earumque Praesules in partem sollicitudinis Nostrae vocatos aliquando conversi, eos in exequendo pastorali debito confirmaremus, animumque illic addamus, et robur, ut ipsi subditos fideles omni doctrina, qua eos ad aeternam salutem informari oportet, plene instruant, et ea quae ab Apostolica Sede circa Ecclesiasticorum praeceptorum observantiam prodiere judicia, illis annuntiari sedulo studeant.

Preces porrectae ad hoc ut praecedenter evulgatae Constitutiones super jejunii observantia, etiam in Indiarum Regionibus ex Sanctae Sedis jussu publici juris fiant.

§. 2. Nuper siquidem dilectus filius Magister Thomas Azpuru unus ex Auditorii Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditoribus, et Cappellanus Familiarisque Noster, carissimi in Christo Filii Nostri Karoli Hispaniarum Indiarumque Regis Catholici nomine Nobis exposuit, eas canonicas sanctiones, et declarationes adversus abusus, qui circa jejunii Quadragesimalis observantiam irrepserant, ac insuper ipsius jejunii disciplina conservanda, et dispensationibus concedendis, earumque usu ab Apostolica Sede hactenus editas in amplissimis Indiarum illi subjectarum partibus minime fuisse publicatas, valdeque optabile fore, ut illas in ordinem redactas, novis Nostris complecteremur literis, quaeque alias ex urgentibus causis ab Apostolica Sede elargita fuit, parem dispensandi facultatem in Regione itidem sibi subjecta concederemus, atque instauraremus pariter, ut quemadmodum a praedecessoribus Nostris demandatum fuit verbi Dei Concionatores, Animarumque Rectores palam in Ecclesiis Christianam Doctrinam edoceant, et Evangelicae veritatis institutiones explicent.

Pontifex praecedentes Apostolicas Constitutiones, praesentibus inseri jubet, ut una cum hisce legem faciant.

§. 3. Quare Nos, qui Religiosi, piique Regis admirabilem erga subditas sibi gentes vigilantiam, et zelum summum, laudibus merito prosequi non desistimus, nulla interposita mora, et illius petitioni, et supremi Nostri Pontificatus muneri plene, cumulateque ducimus satisfaciendum. Et quoniam felicis Record. Benedictus Papa XIV. immediatus praedecessor Noster ab sui Pontificatus primordio, et subinde juxta opportunitates, tribus suis literis, quarum duae encyclicae sunt, nedum abusibus adversus jejunii quadragesimalis observationem invectis providere sategit, verum etiam aliqua dubia tum circa unicam diebus jejunii comestionem ab omnibus iis etiam, quibus ob justas causas esus carnium, et ovorum permissus foret, servandam, tum super debito non commiscendi epulas declaravit, Nosque pariter per similes Nostras literas alias obortas praevaricationes eliminare curavimus. Cum in eis abunde proscriptis abusibus Catholicae Ecclesiae tradatur disciplina, dubitationesque sublatae comperiantur, satius esse arbitramur literas easdem hisce novis inserere » Tenor priorum literarum Benedicti XIV. talis est videlicet » Venerabilibus Fratribus, Patriarchis Primatibus Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis Universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem » Non ambigimus Venerabiles Fratres quin universis Catholicae Religionis cultoribus notum sit, a tota per Christianum orbem Ecclesia inter praecipua Orthodoxae disciplinae capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale jejunium, quod olim in lege, et Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus ubique praescriptum, et ab Universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres Nobis quotidie peccantibus comunis poenitentiae constituto remedio per consortium Crucis Christi, Nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter Nos praestitit, agimus, simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis Nostra Mysteria, quae per Dominicae Passionis, ac Resurrectionis memoriam quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur purificatis jejunio corporibus, et animis, dignius paramur; hac veluti Nostrae Militiae tessera ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella Divinae ultionis avertimur, et Coelesti praesidio in dies adversus Principes tenebrarum munimur; hoc despectui habito non contemnendum Divinae gloriae detrimentum, non laeve Catholicae Re-

Tenor [...] rum B[...] dicti X[...] diei 30. [...] 1741.

ligioni dedecus, nec dubium animabus Christifidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis et privatis cladem, exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita, inherentique in omnium Catholicorum hominum animis, de sacratissima quadragesima, aliisque diebus jejunio consecratis, persuasione, et reverentia, quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa jejuniorum institutione, et servata semper ubique, et ab omnibus disciplina, quam longissime distet, vos Venerabiles Fratres qui Populorum curae vestrae commissorum mores, et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra prae caeteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicae procurationis specula constitutis, undique gentium nuncii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam Quadragesimalis jejunii observantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse, itaut Orthodoxae quidem Religionis cultores merito quaerantur, haeresum vero sectatores illudant, et exultent. Perniciosae huic corruptelae plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus, quae usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti, sacratissimique praecepti habita ratione, jejuniorum tempore palam, et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur cum Fraternitatibus vestris communicamus, ita facere non possumus quin pro injuncto Nobis supremo Sacrosancti Apostolatus officio, et ardentissimum Fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes, hujusmodi abusibus penitus extirpandis, leges praescribendas meditemur. Interea Venerabiles Fratres, gaudium, et corona Nostra, Nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio Nostro dignius, nihil gregibus curae Nostrae commissis utilius, quam ut verbo, et exemplo praeeuntes Christifideles ad tam salutarem Christianae poenitentiae, et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, constantissime retinendam, et ea, qua instituta fuit disciplina peragendam vehementius inflammemus omni opera, atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est, inveniri. Debitum igitur paternae uniuscujusque vestrum sedulitatis, et charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annunciatis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque Medici consilio, multitudini vero veluti populo, aut Civitati, aut genti, discriminatim integre nonnisi gravissima, et urgente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta praescriptis, cum debita Apostolicae hujus Sanctae Sedis reverentia, a quadragesimali jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbe, et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero, urgentemque necessitatem etsi non est cur vobis explicemus, nolumus tamen, vel ignorare cum hujusmodi necessitate, et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romae, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes expresse praescripsimus, et licitas, atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus districtam Supremo Divino Judici redditum iri rationem ita conscientiam uniuscujusque vestrum onerandam esse ducimus; insimulque Fraternitates vestras rogamus, et in Domino exhorantes obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christifidelium poenitentiam, ac disciplinam servare nequeant commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret peccata sua expiare et Deo satisfacere negligant, quinimo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, ora-

tionum suffragia, et eleemosynae munera redimant. Interim solatium, et levamen non laeve moerori Nostro a pastorali vigilantia, et charitate vestra praestolantes, ac certo Nobis pollicentes, Apostolicam benedictionem cum ubere coelestium charismatum copia conjunctam in eosdem populos vestros redundaturam vobis, Venerabiles Fratres peramanter impertimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Mensis Maji Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Primo, Pontificatus Nostri anno primo. » *Sequuntur secundae literae.* »

Tenor aliarum literarum Benedicti XIV. die 22 Augusti 1741.

» Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus » Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem » In suprema Universalis Ecclesiae procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, ut Orthodoxae fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticae disciplinae custodes, ac vindices constituti, quadragesimale praesertim jejunium quod inter praecipua Orthodoxae disciplinae capita semper et ubique ab ipso Ecclesiae exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, et in pristinam quantum benedicente Domino fieri possit observantiam revocare, cupientes per alias Nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates vestras die XXX. proxime elapsi mensis Maji currentis Anni datas, eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne in hac parte, et optatum Apostolicae Nostrae sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendae sacratissimi jejunii corruptelae remedium deesset. Quoniam autem paternae Pontificiae charitatis, qua novit imbecillitates infirmorum substinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores quemadmodum a jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima, urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus, ita inter caetera praescripsimus unicam, comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint, qui per humanas, et hominibus a Christiana poenitentia dumtaxat abhorrentibus, dumtaxat dignas illationes sibi, aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, et interdictas minime apponi debere, quum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque Medici consilio dispensatur, quam sane persuasionem a sententia Nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa, et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in quadragesimae aliisque anni temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus dispensari contigerit ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et illicitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus, et edicimus; quemadmodum per singulas Nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur in sacratissima Quadragesima, aliisque jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis, licentiam dantes unicuique expresse praescribimus, atque praecipimus, eapropter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestrae curae commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi jejunii remedium

alacriter adhibendum cohortantes, sedulo, ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando, substinendoque jejunio, purificandis animis, corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite coelestium praemiorum quibus assequendis non sunt condignae passiones hujus temporis, imo leve, ac momentaneum non tribulationis, sed modicae abstinentiae nostrae incommodum, magnum gloriae pondus operatur in Coelis, ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant, pudeat tam imbelles, ac delicatos Christianae Militiae Milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui Coronam legitime certantibus propositam sperare praecepit incorruptam: ad cujus auspicium, et pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris Nostro nomine, impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, et adhiberi posset si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Mensis Augusti MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Secundo. » *Tertiae demum sic se habent.* »

temque a-
rum prae-
udati Be-
dicti XIV.
e 8. Julii
744.

« Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellae Benedictus Papa XIV. Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem » Si Fraternitas tua secum reputabit quot gravissimis, et maximis curis propemodum obruamur, quantumque hoc praesertim difficillimo tempore prorsus Nos teneat imposita tenuitati Nostrae sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur tam diu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas literas quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti abortas in Hispania disputationes aliquas e duabus Nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris Anni MDCCXLI. XXX. Maji, et XXII. Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari Nostro in Religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis opem Nostram praesto habet; quamquam igitur dum praeenunciatas Constitutiones edidimus non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrenare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent, nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex praeposita a Nobis jejunandi regula, tamen eximia paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanae Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestrae libenter adjecerimus animum, et Nos ipsi quaestiones a te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent » I. Utrum quae in antedictis Nostris literis in forma Brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis perscribuntur sub gravi etiam praecepto prohibeantur » Respondemus, concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum, eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur sub gravi, ad binas ipsas conditiones implendas obligari » II. An si, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur » Respondemus non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulosae conscientiae » III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comestione uti debent, horam jejunantibus praescriptam servare opus habeant » Edicimus observandam iis esse » IV. Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis conjungi » Respondemus, epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas, epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse: piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum

facultas adhibendi ova, et lacticinia. V. An praeceptum de utroque epularum non miscendo dici quoque, dominicos Quadragesimales complectatur. Affirmatur complecti. VI. Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatae edere possunt ova, et lacticinia. Rescribimus nihil in pronunciatis Nostris literis Apostolicis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatae diploma: quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte, et considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant: caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus. VII. Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Quadragesimam. Respondetur, urgere extra Quadragesimam utrumque praeceptum illud scilicet unicae comestionis cum reliquis legibus in secundo, et tertio ad haec postulata responso expressis, et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulatu definitum est. Habes, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid apud vos ex Nostris saepius nuncupatis Apostolicis literis dubitationem attulisse scribis, qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandae Supremae Romanae Sedis, ut libero, et non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam Religionem nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acceptum reputantem, qui splendidissima gloria tantum nomen, et incorruptae fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem vobis est, idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, et Inquisitoris geris praecipuum munus, ne in expendendis Apostolicae Sedis Constitutionibus, pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine, nullus fiat disserendi, ambigendique modus sedula deinde opera conferendo, ut istiusmodi dubia, quae facile pro ingeniorum varietate disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna umquam disceptatione fluctuent animi, praesertim cum Constitutiones ipsae Apostolicae, scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, et illuc prompte dirigi potest quidquid dubitando inte turbare] videatur. Id si animadvertissent, qui de praesenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exolvissent. Patebat enim nihil aliud a Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri jejunii fines praetergressi, et non parum obliti ad retinendum in officio corpus divinitus institutum hosti huic, spiritus infensissimo, blandiebantur. Statim siquidem comperiissent quid in praepositis quaestionibus constituendum esset, nec tibi molestiam, exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimae undique circumstant curae, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari Nostro in vestram gentem studio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum in posterum, simul praecaventes quomodo in hujusmodi quaestionibus firmare gressus vestros in promptu sit. Reliquum est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, praecipuae benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertiamur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Julii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri anno quarto. • *Tenor Nostrarum literarum.*

• Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis • Clemens Papa XIII. • Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem. Appetente Sacro Quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschae celebritatem praecedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, Venerabiles Fratres, ut sacratissimum jejunium sancte, religioseque a fidelibus observetur, quod legis, et Prophetarum testimonio commendatum, a Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum Ecclesia Catholica perpetuo retinuit, ut per macerationem carnis, et animae humiliationem ad Dominicae Passionis, Paschaliumque Sacramentorum mysteria paratiores accedamus, et in ejus Resurrectione resurgamus, in cujus passione deposito veteri homine simus commortui, cujus tam sanctae, tamque salubris institutionis retinendae studio felicis Recordationis praede-

Tenor rarum Pontif. 20 D. 1759.

cessor Noster Benedictus XIV. etsi binis ad Vos literis in forma Brevis eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis quadragesimalis jejunii disciplina, ad pristinam observantiam vestra opera, et studio revocaretur, ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis sacrorum vis jejuniorum infringebatur, de medio sustulit, tamen cum ab infensissimo, teterrimoque humani generis hoste tam multae et assiduae sint Gregi Dominico insidiae, verendumque propterea sit, ne subinde infirmorum animis novas reiteratas ille rationes, pravasque suggererat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur, necessarium existimavimus vobis has literas dare, quantoque in timore simus nequam vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum fidelium animarum pernicie Ecclesiasticae in hac re disciplinae inferatur Fraternitatibus vestris significare, de quo quidem timore Nostro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralem vestram vigilantiam accesserit, qua sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti praedecessoris Nostri literas fortasse reliquum fuerit, sive nova infringendis jejunii legibus, vel opinionum commenta, vel a vera jejunii vi, et natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissime sint invectae, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum quem rumor quidam ad Nos pertulit, cum nonnulli, quibus ob justas, et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quam praedecessori Nostro praedicto visum fuerit, qui censuit tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus equiparandos iis esse quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem adhibere. Verum neque commodius nec majori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam jejunii legem observandam, quam si illud populos doceatis, Christiani hominis poenitentiam praeter cessationem a peccatis, et male anteactae vitae detestationem, eorumdem peccatorum sacramentalem confessionem illud etiam postulare, ut per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia spiritualis vitae opera, Divinae Justitiae satisfaciamus; omnem enim iniquitatem parva, magnave sit, aut ab ipso poenitente, aut a Deo vindicante puniri oportere; nisi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quam si ipsi nos puniamus. Quae quidem doctrina, si constanter populorum animis inculcetur, et a fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit, ne qui profligatos mores abjecerint, ac per sacramentalem confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint atterenda carnis concupiscentia per jejunium expiare. Praeterea quibus persuasum fuerit se peccatorum minus dubie poenitere cum se impunitos esse non sinant, ii profecto poenitentiae amore capti laetabuntur, quadragesimali tempore, caeterisque certis diebus cum Sancta Mater Ecclesia edivit Fidelibus jejunandum, oblatam sibi esse occasionem, qua dignos poenitentiae fructus faciant, cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias: scriptum est enim, post concupiscentias non eas et a voluntate tua avertere facile animum inducent sacratissimo totius anni potissimum tempore corporis intemperantiam mitigare jejunio, ut anima cognitione sui recepta intelligat, qua compunctione parare se debeat ad Sanctissima Passionis, Mortis, et Resurrectionis Jesu Christi recolenda Mysteria. Itaque poenitentiae stimulis tacti minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur cupediarum delicias, quae quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas, qui mensae apponat suae, illum non immerito dixeris non tam usitatas abjecisse delicias, quam cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse, minus denique aut quibus se subducant a jejunio quaerant effugia, aut argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere. Vestrum igitur est, Venera-

biles Fratres, exemplo eque ac verbo populis praeeuntes tantum in eorum animos, poenitentiae studium, et amorem injicere, ut alacriter jejunium aggressi, et illud ad praescriptas a Catholica Ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam, atque oratione sanctificent, et id quod maxime spectat Ecclesiam, denique consequantur, ut corpore mortificati, et Christo consepulti ad novam in Paschali solemnitate, novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere, gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus Apostolicam benedictionem, benevolentiae in vos, et charitatis Nostrae pignus amantissime impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XX. Decembris Anno MDCCLIX. Pontificatus Nostri anno secundo. »

Pontifex Archiepiscopis, et Episcopis in Indiis commorantibus praescribit relatarum Literarum evulgationem, et observantiam.

§. 4. Omnia itaque, et singula in praeinsertis quatuor literis contenta novo Apostolicae Nostrae auctoritatis robore confirmantes, Venerabiles fratres Nostros Archiepiscopum Sancti Dominici in Insula Hispaniola nuncupata dicto Caroli Regi subjecta, nec non alios in illius Indiarum regnis, et dominiis Archiepiscopos et Episcopos enixe in Domino hortamur, et quatenus opus sit, eorum singulis in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et injungimus, ut ipsi ea omnia, quae in singulis praeinsertis literis continentur, solemniter publicare, et pro eorum in pastorali munere exequendo commendata sollicitudine ab ipsorum respective subditis personis observari curent, si qui vero voce, vel scripto contrarium assererent, eos auctoritate etiam Nostra compescant, satis muneri Nostro fecisse videremur, nisi eque opportunum foret eisdem Archiepiscopis, et Episcopis, quae constans sit Apostolicae Sedis disciplina in solvenda a cibis quadragesimalibus Civitate aliqua, vel Dioecesi, aut integra Regione specialiter tradere; et quamvis id in prioribus dicti Benedicti praedecessoris breviter attingatur literis, nihilominus cum in iis, quae aptae ac sufficientes ad dispensationem hujus generis impetrandam penes Apostolicae Sedis judicium censeantur causae, quique modus in illis concedendis adhibendus traditum minime fuerit, id praesentibus enunciare intendimus.

Enumerat causas, ex quibus dispensatio a Jejunio fuerit a Sancta Sede indulta, et carnium usus permissus.

§. 5. Compertum siquidem est, quod causae absolutae sufficientes habitae nunquam fuere, si forte pisces, vel ova caro pretio venderentur, vel exercitu aliquo in ea regione stationem habente, milites infra abstinentiae leges minime se se continerent. Verum duae potissimum ad generalem dispensationem ab Apostolica Sede impetrandam sufficientes visae sunt causae. Prima nimirum fuit deficentia piscium, olei, et herbarum, adeo, ut re ipsa non suppeterent ea, sine quibus quadragesima observari nequit. Itaque illius loci incolis, in quo nec pisces, nec oleum comparari potuerunt, defueruntque altera, permissum fuit, ut lacte, et ovis uterentur. Verum quatenus ea omnia deficerent; tunc carnis edendae facultas concedi censuerit, interposita semper jejunii servandi conditione. Altera censita fuit si morbus in eo loco invaleret, ut Medicorum judicio assereretur illis ipsis, qui inter cives, et incolas sani, et integri enumerabantur, perniciem imminere, plurimumque ad luem repellendam, et evitandam proficuum futurum si tum debiles, tum sani a piscibus et oleo et quandoque pariter a lacte, et ovis abstinerent. Vigente alterutra ex praemissis causis, loci Episcopus dispensationem ab Apostolica Sede expostulare, et de gravissima, urgentique necessitate suum perhibere testimonium, et si de ingruente morbo ageretur praestantiorum Medicorum judicium scripto emissum accedere debuit. Neque id hactenus tanti fuit momenti, ut carnes permitterentur, quoties lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tunc vero facultas edendi carnes tribui consuevit, cum interposito Episcopi testimonio, hoc omnino necessarium judicaretur. Certi etiam dies praescripti fuere, quibus integra abstinentia servaretur, nempe die Cinerum, diebus quatuor temporum, vigiliis de praecepto servandis, majorique hebdomada a Dominica Palmarum, aliquando itidem abstinentia praescripta fuit, singulis feriis sextis, et Sabbatis, etiamsi facultas tradita ad lactis, et ovorum usum solum extenderetur. Tandem

ea semper in hisce addita comperitur conditio ne lex unius quolibet die comestionis ullo modo violaretur, ac neque carnes, et pisces simul ederentur.

Archiepiscopos et Episcopos in Indiis hortatur, ut jejunii observantiae incumbant, et relaxatam fortasse hac de re disciplinam pro viribus corrigant.

§. 6. Reliquum nunc est, ut quoad jejunii quadragesimalis in illis Indiarum partibus observantiam ipsis Archiepiscopis, et Episcopis, quos doctrinae laude, et Ecclesiastico spiritu praestantes probe, commendemus, quod ipsi huic Institutioni servandae, et quatenus opus esset reparandae sedulam conferendas curas subjectos populos ad impositam illis disciplinam pie, religioseque observandam inclinare contendant. Nec indulgenter petendae facultatis utendi lacticiniis, vel carnibus quadragesimae tempore pro universa Civitate, et Dioecesi, vel Regione aliqua negotium suscipiant. Verum cum illi ob praemissas, vel alias eque urgentes causas eorum populos quadragesimali abstinentia solvi posse in Domino extimaverit, Nos eorum petitiones, animique sensus, habita remotarum ratione Regionum, a quibus annis singulis haberi nequit ad Apostolicam Sedem recursus, excipientes, rationumque momentis, quae Nobis significata fuerint, serio perpensis, opportunas facultates, ut populorum indigentiis consultum sit, illis addere non omittemus.

Peculiares providentiae imploratae a Catholico Rege pro Insula Hispaniolae super dispensatione a jejunio.

§. 7. Interim autem quia pro parte ipsius Caroli Regis ad impetrandam in dicta insula Hispaniola illi in temporalibus subjecta generalem ab observantia ciborum quadragesimalium dispensationem Nobis etiam expositum fuit, veneficam piscium in ea Regione vigere qualitatem, et exiguum esse Piscatorum numerum, qui longe ab Insula piscantes pisces deferunt ob nimium calorem, aut fetentes, aut corruptos, eas quoque gentes paupertate pressas ad oleum sibi ipsis comparandum impares esse, deficere demum olera, et legumina, quae illic facile putrescunt, vel a vermibus absumuntur, neque in hujusmodi necessitatis eventum ab adeo remota Regione haberi posse annis singulis ad Apostolicam Sedem recursum.

Pontifex peculiares facultates indulget Episcopo S. Dominici in Hispaniola super petita dispensatione a jejunio.

§. 8. Nos ejusdem Caroli Regis votis hac quoque in parte obsecundare volentes, dicto Archiepiscopo Sancti Dominici in eadem Insula Hispaniola dicto Carolo Regi subjecta, ejusque successoribus pro tempore existentibus facultatem concedimus per praesentes, ut quatenus in ea Insulae parte, ubi ipse ordinariam Ecclesiasticam, et spiritualem exercet jurisdictionem in casu verae, et ineluctabilis necessitatis, ac de anno in annum tantum, praefataque vera necessitate durante, et non aliter, nec alio modo possit, et valeat cum fidelibus populis ejus regimini commissis dispensare super esu ovorum, et lacticiniorum, ac etiam carnium tempore quadragesimali indicta, simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicam comestionem, onerataque istius Archiepiscopi conscientia, si adamussim juxta praescriptum concessa facultate non uteretur.

Archiepiscopis et Episcopis injungit ut sedulo curent verbi Dei praedicationem, et Evangelii populo explicationem quo firmius in Fide persistant.

§. 9. Quoniam vero bonum semen sacrae doctrinae in Agro Dominico serendum est, ut exinde uberes fructus piorum operum, et sedulae divinorum et Ecclesiae mandatorum observantiae percipiantur, propterea, si Christianae fidei mysteria, Evangelica veritas, et Catholicae Ecclesiae leges omnes assidue exponentur ab animarum Rectoribus, Fideles illos nedum Quadragesimale jejunium, sed et caetera praecepta prompto, alacrique animo sub suavi Christi jugo servaturos esse confidimus. Etenim cum humana cogitatio prona sit ad malum, ab adolescentia sua murum opponere oportet Verbi Dei. Idcirco inhaerentes quoque Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, et signanter Benedicti XIII. per ejus literas in forma Brevis sub datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCXXVIII., Pontificatus sui Anno quinto expeditas, dispositionibus, atque in id omnem sollicitudinem conferentes, ut fideles assidue divini verbi virtute excolantur, eisdem Archiepiscopis, et Episcopis etiam injungimus, ut sedulo curent, atque praecipiant, quod animarum Rectores palam, et publice in Ecclesiis singulis Dominicis, aliisque festis diebus, populo inter Missae Sacrificium Sanctum explicent Evangelium, opportunisque Quadragesimae maxime, et Adventus recurrentibus temporibus, ne messis, quam praeparavit Dominus ob operariorum defectum arescat,

in Agro concionatores abundent. Ac insuper statuant, et mandent, quod ipsi Rectores, et Concionatores omnes, etiam in Panegyricis, absoluta expositione eorum, quae sibi ipsis proponant, rursum assumpto loquendi themate, aliquem Christianae doctrinae articulum, aut Divinae Legis praeceptum, prout animarum necessitatibus opportunius esse censuerint, simplici, plano, apertoque stylo, ac juxta Catechismum ex decreto Concilii Tridentini, jussu Sancti Pii Papae V. praedecessoris, et Nostro iterum editum tradant, et explicent: inobedientes, si qui forent coerceant non modo vetita eis praedicandi, et ministrandi Verbi Dei facultate, sed uti opus esset Ecclesiasticis etiam adhibitis censuris.

Clausula sublata, et decretum irritans. Derogatio contrariorum, et fides transumptorum.

§. 10. Decernimus demum, praesentes Nostras literas semper, et perpetuo firmas, et efficaces esse, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri debere, ac irritum, et inane, si secus, super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, ac respective firmis, et salvis remanentibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et omnibus illis, quae per praesentes non obstare, ac respective firma, et salva esse, et fore declaravimus. Volumus autem, ut eaedem praesentes in locis singulis, ubi opus fuerit plene innotescant, quod ipsarum exemplis etiam impressis, a Notario publico subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si exhibitae forent, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrum infringere, vel ei quovis ausu contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXV. XIV. Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDXCII.

Dat. die 19. Oct. 1765. Ann. VIII

Coloniensem Universitatem commendat pro evulgato judicio contra librum Justini Febronii, et acta Pseudo-Synodi Ultrajectinae.

Quoad librum Justini Febronii vide Epistolam hoc Tomo relatam sub Num. CDLIII. pag. 933. *et ad notationem in ea appositam. Quoad Pseudo-Synodum, Ultrajectinam consule Constitutionem Apostolicam hujus Pontificis diei* 30. *April.* 1765. *relatam pariter superius sub Numero CDLXV. pag.* 950.

Dilectis Filiis Rectori et Magistris Universitatis Coloniensis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii Nobiles Viri salutem, et Apostolicam benedictionem.

Egregiam a Nobis de doctrina, et ingenio vestro laudem tulistis eo scripto quod ad Nos misistis, adversus exitialem Justini Febronii librum, et acta pseudo-Synodi Ultrajectinae, vobisque illud maxime gratulamur, quod oblatam ab iis libris declarandae egregiae vestrae in Ecclesiam et banc Sacram B. Petri Sedem voluntatis occasionem taciti praetermittere noluistis. Sic sunt ingenia Dei zelo flagrantia, ut si qui exoriantur ab Ecclesiae hostibus adversus veram pietatem, et Orthodoxam fidem, impetus, nulla interjecta mora eos aggrediantur extinguere. Itaque est vestrum in Sanctam Ecclesiam amorem, et in Apostolicam Sedem studium, et devotionem recognovimus et his de causis vos magnopere amamus et egregiae voluntati erga Nos vestrae magnas agimus gratias. Deum enixe precamur, ut ingenia vestra sibi devota uberiore in dies divinae lucis copia collustret, vobisque omnibus eximiae erga vos benevolentiae gratique animi Nostri pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi Albanen. Dioecesis ec. die decima nona Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CDXCIII.

Dat. die 19 Oct. 1765 Anno VIII.

Cum Episcopo Leodiensi gratulatur pro Pastorali ab illo edita, et evulgatione Apostolicae Constitutionis, qua Pseudo-Synodus Ultrajectina proscribitur.

Literae Apostolicae quibus Pseudo-Synodus Ultrajectina proscribitur retulimus supra sub numer. CDLXV. pag. 950.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastoralem Epistolam tuam libentissime legimus, qua Clerum tuum, et populum tibi commissum admones, Pseudo-Synodi Ultrajectinae acta haud ita pridem edita, Apostolico judicio Nostro fuisse damnata. In qua Epistola zelus tuus mirifice elucet, et eximia, qua Sacram hanc B. Petri Sedem praecipue colis, reverentia maxime eminet. Tuae vero ad Nos literae quammultas habent summi tui erga Sacram eamdem Sedem studii, et preclarae erga Nos pietatis significationes! Sed illud praecipuum, quod profiteris ipsum te tuasque res omnes Ecclesiae utilitati et bono, Romanaeque Cathedrae dignitati et gloriae devovisse. Voluntatem istam tuam divinae gratiae robore confirmari in dies animadvertimus, ex quo fit ut vicissim ad eam benevolentiam, qua Fraternitatem tuam semper complexi sumus, magna itidem Nostri erga te amoris in dies fiat accessio. In extrema literarum tuarum parte vehementer doluisse te scribis de valetudinis Nostrae periculo, et contra quod incolumes inde emersimus magnam te coepisse laetitiam. Faxit Deus, ut ad anteactam vitam Nostram, quidquid addiderit temporis, id omne ad Ecclesiae aedificationem, cui unice servire intendimus, et ad Dei honorem et gloriam procurandam adhibeamus. Interea optamus in eo quod superest Nobis vitae, crebras occasiones dari, quibus te tibi praestemus debitam tuis virtutibus, tuoque erga hanc Sanctam Sedem egregio studio et obsequio Apostolicam Nostram benevolentiam. Commodis enim et utilitatibus Ecclesiae parandis, Nos existimamus tum maxime operam dare cum maxime te tuique similes zelo Dei flagrantes, et haec omnia ad Dei cultum referentes Venerabiles Fratres Episcopos, auctoritate Nostra, et officiis enitemur adjuvare. Et Fraternitati tuae intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum in Arce Castri Gandulphi die decima nona Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCIV.

Reipublicae Lucernensi respondet, aequum non esse ut Ecclesiastici subveniant necessitatibus ipsius Reipublicae, ubi Laici neque primi, neque majorem partem gravaminis substinuerunt.

Dat. die 23. Oct. 1765. Ann. VIII.

Dilectis Filiis Praetori, Senatui, et Consilio Majoris Civitatis, et Reipublicae Lucernensis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem.

Rationem reddit cur in scriptis minime responsum dedit binis Epistolis de subsidio ab Ecclesiasticis praestando pertractantibus.

§. 1. Binas Epistolas superiore anno a vobis accepimus, quarum altera data est die XII. mensis Maji, altera die XIV. Septembris. Postulatis a Nobis dilecti filii, vobis ut concederemus facultatem percipiendi in perpetuum aut decimam, aut generale aliquod subsidium super bona, quae in ditione vestrae Reipublicae Ecclesiastici possident. Quibus Epistolis etsi nondum respondimus, tamen curavimus vos fieri certiores, quid de hac postulatione vestra sentiamus. Ejusmodi Nostrum silentium existimavimus vobis esse debere novum de paterna erga vos benevolentia Nostra argumentum. Nam qui precibus vestris a Canonicis sanctionibus, et ab universali Ecclesiae disciplina tantopere alienis obsecundare non poteramus, molliori via maluimus Nostri animi sensus ad vos perferri, quam postulationem vestram per literas pa-

lam, non sine magna molestia Nostra prorsus rejicere.

Saniori consilio Respublica postulavit ut loco perpetui subsidii licitum eidem foret ab Ecclesiasticis voluntarias accipere oblationes.

§. 2. Sed quam ad Nos dedistis die XXX. Julii proxime elapsi Epistola tertia, non mediocrem Nobis attulit consolationem; qui videamus silentio Nostro commotos a priore postulatione vos recessisse, et id tantummodo petere, ut ex Apostolica indulgentia Nostra nonnisi gratuitum munus possitis accipere, quod Clerus generose, et sponte, et hilari animo vobis sit oblaturus. Enimvero id quoque Nostrorum nonnihil sollicitat animum: neque enim exemplum extat ullum in universa Catholica Ecclesia, obstringi Ecclesiasticos ab Apostolica Sede, aut iis permissum, ut ex Ecclesiae bonis subveniant necessitati Reipublicae, ubi Laici neque primi, neque majorem partem contulerint. Sed tamen benigno animo rationes quas affertis, consideravimus; quarum illae Nos praecipue commoverunt; rarus in quo versamini articulus, et ipsa Reipublicae vestrae Constitutio. Sed omnium maxime in hac deliberatione Nostra rationem habuimus majorem, qui fide Catholica defendendo, et hujus Apostolicae Sedis tuenda dignitate et auctoritate maxima sibi gloriam pepererunt.

Quam postremam postulationem Pontifex judicio peculiaris Congregationis commisit.

§. 3. Itaque certa spe confisi, vos eadem majorum vestrorum pressuros esse vestigia, et in eadem qua illi erga Sacram B. Petri Sedem fide, reverentia et obsequio permansuros, novitatem hujus postulationis vestrae quibusdam Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et nonnullis Praelatis examinandam commisimus, quorum consilio duximus vobis in hac re prae caeteris Ecclesiae filiis praecipuo quodam et singulari modo gratificare, et vestrae erga Nos reverentiae et obsequii causa Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine uti, ea ratione et modo, quam vobiscum Ven. Frater Archiepiscopus Caesariensis, Noster apud vos, et Apostolicae Sedis Nuncius communicabit. Caeterum vestra Religione, vestraque, quam Ecclesiae juribus et Ecclesiasticis personis debitis, reverentia confisi nihil opus esse existimamus Parochi Murbacensis revocari memoriam, de quo in secunda Epistola vestra mentionem fecistis, nec dubitamus, si quam ejus imprudentia ferre debuit poenam, vos ad eum puniendum legitimam Ecclesiae potestatem implorasse. Id vos fecisse existimamus; et si qua similis se occasio in posterum dederit semper vos esse facturos confidimus. Vobisque omni cordis Nostri affectu, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum in Arce Castri Gandulphi Albanensis Dioecesis sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Octob. MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCV.

Dat. die ... Oct. 17... Anno VII...

Jurisdictionem in Monasterium, et Moniales S. Sebastiani Civitatis Oriolensis quam Benedictus XIV. temporanee Archiepiscopo Valentino contulerat, se Ordinario Oriolensi restituisse Pontifex Archiepiscopo praelaudato participat.

Vide Literas Apostolicas relatas sequenti numero.

Venerabili Fratri Andreae Archiepiscopo Valentino.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ubi primum intelleximus in Monasterio Sancti Sebastiani Civitatis Oriolensis turbas omnes, quae ante hos duodecimo annos exortae fuerat consiluisse, omniumque discordiarum semina ita esse extincta, ut ipse quoque existimes, nihil amplius esse causae, cur Monasterium illud in tua teneas potestate, et idcirco tibi abdicandam esse arbitreris jurisdictionem, quam fel. rec. decessor Noster Benedictus XIV. Episcopo Oriolensi tandiu ademptam quamdiu eidem Benedicto, et huic Apostolicae Sedi visum esset opportunum ad Fraternitatem tuam transtulerat; Nos rogatu carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, te Dioecesis tuae negotiis satis praegravatum illo onere levare voluimus, et per alias nostras literas hac ea-

dem die datas jurisdictionem, quam ad hanc diem in memoratum Monasterium non mediocri cum laude exercuisti, extinctam declaravimus, et jurisdictionem ordinariam Episcopo Oriolensi in idem Monasterium reviviscere fecimus, ipsumque Episcopum in integrum restitutum pronunciavimus, ita ut deinceps Monasterii ipsius Moniales, ceteraeque personae, et res, quae ad illud pertinent, in ejusdem Episcopi illiusque successorum esse debeant potestate. Denique illius regendi Monasterii onus eo libentius tibi Ven. Frater ademimus, quod vehementer id te cupere accepimus, ac propterea Nos obsecundasse desiderio tuo jucundum tibi fore non dubitamus. Et Fraternitati tuae benevolentiae erga te Nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCVI.

Dat. die 30. Oct. 1765. Anno VIII.

Jurisdictio in Monasterium, et Moniales S. Sebastiani Civitatis Oriolensis, quam Benedictus XIV, propter nonnulla obhorta dissidia, ab Ordinario Oriolensi ad Archiepiscopum Valentinum transtulerat, cessatis hujus translationis causis, iterum Episcopo Oriolensi restituitur.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur causa translatae jurisdictionis in hoc Monasterio factae a Benedicto XIV.

§. 1. Nuper Dilectus Filius Magister Thomas Azpuru Cappellanus Noster, Romanaeque Rotae Auditor carissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis exposuit, ante hos duodecim annos rec. mem. decessorem Nostrum Benedictum rogatu Ferdinandi VI. Regis Catholici, Monasterium S. Sebastiani Monialium Ordinis S. Augustini Civitatis Oriolensis tum temporis plenum discordiarum, ad componendos animi motus quibus propter Priorissae electionem Moniales extuabant, ab ordinaria jurisdictione Oriolensis Episcopi, qui, electae Priorissae fautor, non satis aptus conciliandae pacis arbiter existimabatur, tandiu exemptum voluisse, quamdiu ita esse exemptum oportere sibi et Apostolicae Sedi videretur, et jurisdictionem in idem Monasterium ad Ven. Fratrem Andream Archiepiscopum Valentinum Delegati, Apostolici facultatibus instructum transtulisse.

Cessatis dissidiorum causis Oriolensis Episcopus pro jurisdictionis recuperatione instetit.

§. 2. Nunc autem idem Monasterium, omnium, quae exarserant dissidiorum causis extinctis, summo pace florere; nec propterea oportere amplius ab memorato Archiepiscopo Valentino ejus Monasterii regendi onus sustineri, cum praesertim longe absenti opus illi sit jurisdictionem suam alteri subdelegare: Cumque Ven. Frater Petrus modernus Episcopus Oriolensis usu rerum et prudentia praestet, opportunum videri, idque optimum factu vel ipsum Archiepiscopum Valentinum existimare (quod apparet ex ejus Literis ad memoratum Regem Catholicum datis die XXXI. proxime elapsi mensis Augusti), ut eidem Episcopo sua in idem Monasterium jurisdictio restituatur.

Catholicus Hispaniarum Rex pro restitutione pristinae jurisdictionis penes Pontificem supplicavit, qui Regis precibus obsecundare duxit.

§. 3. Quapropter carissimus, quem supra diximus in Christo Filius Noster Carolus Rex Catholicus supplicem libellum Nobis exhiberi fecit, ut idem Monasterium ab jurisdictione Archiepiscopi Valentini ad ordinariam Episcopi Oriolensis jurisdictionem retrahamus. Nos igitur incliti Regis de Ecclesia et Apostolica Sede optime meriti supplicationibus libentissime inclinati, Monasterium S. Sebastiani Monialium Ordinis S. Augustini Civitatis Oriolensis ad jurisdictionem ordinariam Episcopi Oriolensis revocamus et ipsi Episcopo Ordinario subjectum, ut erat ante suspensionem ordinariae jurisdictionis, quam duximus a decessore Nostro Benedicto XIV. factam volumus et declaramus, ita ut nulla in re quacumque sive ad Moniales sive ad Monasterium quomodolibet pertineat immiscere se possit Archiepiscopus Valentinus, cui omnem jurisdictionem tam in dicti Monasterii S. Sebastiani Moniales quam in ejus Ministros, Officiales, Ecclesiae Rectores, Sacristanos, Confessarios, Clericos, et Laicos quoscumque inservientes omnino extinguimus, et

extinctam esse pronunciamus, et Episcopus Oriolensis plenam deinceps in idem Monasterium, et Moniales ejusque personas, et res ad illud quomodolibet pertinentes jurisdictionem, quae illi ut Ordinario competit, exercere possit et debeat jurisdictionem illi per has Nostras literas proprio motu, scientia, et Apostolica potestate Nostra restitutam volumus et declaramus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCVII.

Dat. die 30. Oct. 1765 Anno VIII.

Monialibus S. Sebastiani Civitatis Oriolensis participat, eorum Monasterium restitutum esse jurisdictioni Episcopi Oriolensis jam prius ad Archiepiscopi Valentini jurisdictionem translatum a Benedicto XIV.

Vide Epistolas binis superioribus numeris relatas.

Dilectis in Christo Filiabus Religiosis Mulieribus Priorissae et Monialibus S. Sebastiani Ordinis S. Augustini Civitatis Oriolensis.

Clemens PP. XIII.
Dilectae in Christo Filiae Religiosae Mulieres salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quae inter vos exortae fuerant discordiae jamdiu sublatas esse, omniumque vestrum animos olim dissidentes vera solidaque pace coaluisse, vobis ex animo gratulamur. Haec vero vestra vestrarumque rerum tranquillitas fecit, ut vos Monasteriumque vestrum ab extraordinaria, seu delegata ab Apostolica Sede jurisdictione Archiepiscopi Valentinensis, quam per alias Nostras literas hac eadem die datas extinctam declaravimus, sub ordinaria Oriolensis Episcopi vestri jurisdictionem, per easdem literas Nostras reposuerimus, cui non dubitamus ut Patri omnibus in rebus vos esse obtemperaturas. Deum pacis auctorem enixe precamur, ut omnes in posterum discordiarum causas a vobis prohibeat, quo vobis liceat in isto Sancto a Mundi vanitate recessu Deo cum animi perpetua tranquillitate servire, et perfectioris usque vitae altiores in dies gradus conscendere. Vobisque dilectae in Christo Filiae Religiosae Mulieres, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die trigesima Octobris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CDXCVIII.

Dat. die ... Nov. 17... Anno VI...

Episcopo Leucoriensi gratulanti pro edita Constitutione, qua Societatis Jesu Institutum confirmatur respondet, causas hujus confirmationis expendens, et praelaudatae Societatis Clericos enixe commendans.

Vide Epistolam relatam hoc Tomo sub Num. CDLXXXVIII. pag. 130. et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Antonio Episcopo Leucoriensi.

Clemens PP. XIII.
Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Qui in isto amplissimo Regno sunt Catholici nominis, quantus fuerit iis moeror ex Clericorum Regularium Societatis Jesu calamitate, et rursus ex Constitutione Nostra, qua Institutum ejusdem Societatis confirmando innoxiis hominibus et aerumnarum, quas adhuc perpessi sunt, immerentibus, eam quam potuimus consolationem attulimus, quanta iidem Catholici apud vos sint perfusi laetitia ex literis Fraternitatis tuae perlibenter accepimus. Sed quod ea Constitutione injuriam repulimus in Ecclesiam Dei timentibus illatam, qui Institutum illud ab Ecclesia Catholica pium appellatum, effrenata temeritate ut impium traducere, et appellare sunt ausi, id vobis laetandum magis. Ceterum homines zelo, pietate, ex doctrina praestantes, animarumque sanctificandarum studio incensos, et Regni Dei propagandi maxime cupi-

dos, ex omnibus partibus libentissime intelleximus, invicta patientia suas perpeti clades sic enim factis, nomen, quod habent, probant. » *Sequitur enim Christum*, ut ait Martyr Cyprianus, *qui ejus praeceptis insistit, qui per Dominici Magisterii graditur viam; qui vestigia ejus atque itinera sectatur; qui id quod Christus et fecit et docuit, imitatur.* » Christus autem omni vita sua persecutiones est passus et illud discipulos docuit: » *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* » De tuarum literarum officio quo memoratam Constitutionem Nostram non tam Societati Jesu quam Nobis gratulatur Fraternitas tua, noli quaerere quantopere id Nobis fuerit gratum. Coeterum homines de Ecclesia optime meritos tibi Ven. Frater summopere commendamus. Quo majore illos favore et studio fraternitas tua foverit, eo plus tibi Apostolicae voluntatis Nostrae conciliabis et gratiae. Interea eximiae erga te benevolentiae nostrae pignus Fraternitati tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majoren die XIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

ID.

Dat. die 18. Nov 1765. Anno VIII.

Indulgentia plenaria conceditur Religiosis Ordinis Praedicatorum, in diversas Christianae Reipublicae Provincias ad Missiones mitti solitis, nec non Christifidelibus utriusque sexus ad quos illi mittuntur, et pro una tantum vice qualibet missione.

Clemens PP. XIII.
Universis Christifidelibus praesentes
Literas inspecturis salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus, libenter erogamus, cum ad Religionis incrementum, et animarum salutem profuturos speramus. Cum itaque sicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Praedicatorum de Ordinariorum, et Superiorum licentia in diversas Christianae Reipublicae Provincias ad procurandam fidelium salutes mitti soleant: Nos eorumdem Fratrum pietatem, omniumque, ad quos illi mittentur, devotionem confovere, atque augere cupientes; omnibus, et singulis Fratribus praedictis, ac aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos mittendi accesserint, Nostram, et Apostolicam Benedictionem per praesentes impertimur; iisdemque vere poenitentibus, et confessis, ac Sac. Communione refectis, qui pro S. Romanae Ecclesiae exaltatione, Principum Christianorum unione, Infidelium conversione, ac haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam, una vice tantum, tempore uniuscujusque Missionis, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimumdetur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; atque praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus nostri Anno Octavo.

D.

Indulgentia plenaria conceditur cunctis utriusque sexus Christifidelibus pro una vice tantum quolibet anno, qui confessis, et sacra communione refectis, hora sibi assignata, Rosarium Beatae Mariae Virginis devote recitaverint.

Dat. die 18. Nov. 1765. Anno VIII.

Clemens PP. XIII.
Universis Christifidelibus praesentes
Literas inspecturis salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium Religionem, et animarum salutem Coelestibus Ecclesiae the-

sauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac Sac. Communione refectis, qui hora sibi assignata Rosarium B. Mariae Virginis devote recitaverint, et pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam semel dumtaxat in Anno, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, quam etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium, quoad Indias vero ad quindecim annos, tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DI.

Dat. die 18. Nov. 1765. Anno VIII.

Indulgentiae conceduntur Religiosis utriusque sexus Ordinis Fratrum Praedicatorum qui una vice singulis annis piae incubuerint exercitationi spiritualium exercitionum per quadraginta dies.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Thomas de Boxadors Magister Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, quod in multis Conventibus, et Monasteriis dicti Ordinis consuetum est, ut tam Fratres, quam Moniales, eorumdem Conventuum, et Monasteriorum quotannis in aliquod cubiculum sibi a Superioribus assignatum secedant, ubi per quadraginta dies diversis exercitiis spiritualibus alternative, nempe orationibus, mortificationibus, corporis flagellationibus, seu disciplinis, et aliis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noster JESUS CHRISTUS in deserto fuit, magna cum devotione, et silentio vacant, Nos igitur devotionem hujusmodi Coelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, confovere volentes, ac supplicationibus ejusdem Joannis Thomae Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis tam Fratribus, quam Monialibus dicti Ordinis, qui per praedictos quadraginta dies piis hujusmodi exercitiis semel quotannis operam dederint, qua vice id egerint, easdem Indulgentias peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Paulus PP. V. Praedecessor Noster Fratribus, et Monialibus praedictis, aliorumque ordinum, qui per decem dierum spatium spiritualibus exercitiis incumbunt, concessit, Apostolica auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus. Non obstante Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, coeterisque in contrarium facientibus, quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, ut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xviii. Novemb. MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno octavo.

DII.

Dat. die 18. Nov. 1765. Anno VIII.

Peculiares indulgentiae conceduntur pro Religiosis utriusque sexus Ordinis Fratrum Praedicatorum, nec non singulis aliis Christifidelibus occasione anniversariorum in Ecclesiis hujus Ordinis celebrari solitorum.

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum, sicut pro parte dilecti filii Joannis Thomae de Boxadors Magistri Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum Nobis nuper expositum fuit, in singulis Ecclesiis Fratrum, et Monialium dicti Ordinis quatuor quotannis anniversaria, unum scilicet pro omnium, et singulorum Fratrum, et Monialium dicti, ac etiam Tertii Ordinis S. Dominici defunctorum die decima mensis Novembris; secundum pro eorumdem Fratrum, et Monialium parentum, ac consanguineorum, et affinium defunctorum refrigerio die quarta mensis Februarii, et alterum in suffragium animarum familiarium, et Benefactorum ejusdem ordinis die quinta mensis Septembris, nec non reliquum in suffragium animarum Christifidelium in Ecclesiis, et Coemeteriis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis sepultorum die duodecima mensis Julii, seu aliis immediate sequentibus respective diebus non impeditis celebrari consueverint; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam Fratrum, ac Monialium devotionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ac supplicationibus dicti Joannis Thomae Magistri Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, et singulis Fratribus dicti Ordinis in Sacro presbyteratus ordine constitutis, qui celebraverint, plenariam; aliis vero Fratribus dicti Ordinis non celebrantibus, nec non Monialibus praedictis vere poenitentibus et confessis, ac Sac. Communione refectis, qui Missae seu officio defunctorum in Ecclesiis praedictis hujusmodi anniversariorum diebus celebrantibus devote interfuerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, quam etiam animabus praedictorum defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DIII.

Archiepiscopo Rhemensi gratias agit pro actis Generalis Gallicanorum Episcoporum Conventus ad Pontificem missis, et acta eadem expendit, atque commendat.

Dat. die 20. Nov. 1765 Anno VIII.

Archiepiscopos, et Episcopos Lutetiae ad Generalia Comitia congregatos hortatus fuerat Pontifex hic per Literas diei 8. Maji hujus Anni, ut de medendis Ecclesiae Gallicanae malis serio cogitarent, Regiamque in primis opem implorarent ut videre est hoc Tom. sub Num. CDLXVI. pag. 952. et in adnotatione ibidem apposita.

Venerabili Fratri Carolo Antonio
Archiepiscopo Rhemensi.

Clemens PP. XIII.
Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. De Generali isto Gallicanorum Episcoporum conventu, qui te Praeside novissime

Gaudet quod Gallicani Episcopi, tem-

poribus licet adversis plura egerint in Parisiensibus comitiis pro religionis bono.

Lutetiae Parisiorum est habitus minime Nos fefellit opinio, et Dei zelus quo piissimi antistites flagrantem animum gerunt, eorumque unanimis omnium consensus spei et exspectationi Nostrae plane respondit. Non dubitamus ex iis quae fecerunt, quin multa plura facturi fuissent atque meliora, si aequioribus temporibus uterentur. Sed tamen Deo gratulandum qui tanta gratiae suae firmitudine eorum animos sepsit, ut ubi de summa Religionis dimicaretur, rati non amplius dissimulandum tandem in memorato generali conventu omni humanarum rerum posthabito respectu, invictum omni praetulerint robur, seque exhibuerint pro tuenda Ecclesia Dei plane Sacerdotali fortitudine communitos.

Et primo quidem communem eorum declarationem quoad persistentem Gallicanae Ecclesiae vigorem et Catholicae fidei firmitatem.

§. 2. Et magna quidem Ven. Frater injuriarum mole per hos aliquot annos Nos Ecclesiam Dei vehementer ingemuimus praegravatam. Vidimus his novissimis temporibus » apud quosdam mutare lubricam Fidem, apud irreligiosos vacillare Dei timorem, aut pacificam non perseverare concordiam » Sed gratia Dei adjutrice et comite, piissimi Antistites declaraverunt, non sic Evangelicum cecidisse in Ecclesia Gallicana vigorem, aut Christianae virtutes et Catholicae Fidei robur elanguisse, ut non supersit universus Episcopalis Ordo, Ecclesiae portio praecipua, quae minime ad has rerum ruinas succumbat, sed fortis, et stabilis honorem Divinae Majestatis et Sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur.

Deinde vero proscriptionem perniciosorum librorum, et Ecclesiasticae libertatis propugnationem

§. 3. Itaque primum quod maxime opus fuit a Christiana Religione impiorum injurias repulerunt; proscriptis quae flagitiosissimis libris, ab eorum lectione fideles absterruerunt; monueruntque, nefas esse cum religionis amittendae periculo enunciatos, aliosque ejus generis perniciosissimos libros vel leviter attingere. Quod ad Ecclesiae Divinam sublimemque potestatem attinet, sacris unice Pastoribus ab ipso Christo traditam strenue eamdem potestatem ab ejus invasoribus in libertatem exemerunt, recteque docent eam absolutissimi, et plenissimi esse juris sui et arbitrii, nulli hujus mundi potestati obnoxiam a nulla prorsus seculari potestate pendentem, omni denique liberam libertate: cui libertati laicam potestatem praesidio quidem esse debere; at sub auxilii ferendi pretextu non illi jugum imponere. Subditos Ecclesiae in iis, quae ad spiritualia pertinent, esse vel ipsos terrarum rectores et Dominos, nec eorum unquam fas esse, vel in tradenda sive fidei, sive morum doctrina, sive in Sacramentis administrandis, et ad ipsorum administrationem Sacris Ministris vel adhibendis, vel amovendis, quidquam praecipere, nec per causam componendarum in Ecclesia turbarum quas veritatis inimici excitaverint, sacris Pastoribus fideique propugnatoribus silentium imponere.

Enumerat quamplures alias declarationes Gallicani Cleri pro Religionis bono fact.

§. 4. De Religiosorum Ordinum Institutis, et quae ab eorum conditoribus vota praescribuntur, de iis solius esse Ecclesiae judicare. Constitutionis denique Unigenitus, et Encyclicae fel. rec. praedecessoris Nostri Benedicti XIV. a Nobis confirmatae assertores Catholicam doctrinam, et Apostolicae Sedis dignitatem auctoritatemque ab impudente, obstinataque contumacia hominum et refractariorum audacia vindicaverunt; illud diserte declarantes conjunctionem et unitatem servare se cum eadem Beatissimi Apostoli Petri sacratissima Sede, quam Christus Dominus posuit fundamentum, cui ita universae Ecclesiae nititur aedificium, ut quidquid ab eo se removerit, illud corruisse, et jam ab Ecclesia oporteat recessisse. Qui enim Cathedram Petri, ut ait ex Cypriano Martyre praedecessor noster Pelagius II. super quam Ecclesia fundata est deserit, et resistit, quomodo in Ecclesia se esse confidit?

Gallicanae Ecclesiae constanti summopere Deo grata... titit, et Christianissimi Regis pr... ctionem p... meruit.

§. 5. Haec vero egregia eorum in Ecclesiam fides, singularisque in propugnanda incorrupta ejus doctrina, et sacratissimis juribus defendendis alacritas atque constantia, Deo quantopere fuerit grata, vel inde potest facile quisque intelligere quod Episcopos, quot in Christianissimi Regni ditione suas regunt Ecclesias ipse divino suo, sive tetigerit numine, ut fere omnes, quemadmodum accepimus, memorato Cleri vestri Generali conventui se adjunxerit, ejusque acta voluntate summa et publico testimonio comprobarint, et laudaverint; ipsa praeterea Christianissimo Regi eam dederit mentem, ut luculentissi-

mum ederet argumentum: quo animo omnium vestrum, et ipsius Ecclesiae tutelam susceperit. Etenim pro ea qua maxime praeditus est Religione, et in S. Ecclesiam, cujus gloriatur esse primogenitus Filius observantia et amore, primos, qui sese statim exeruerunt adversus vos, et eamdem Ecclesiam conatus, incunctanter, bonorum omnium, quotquot Ecclesiae Filii sunt absequentes, approbatione summa, omniumque laudum praeconio, Regio edicto suo non dubitavit infringere.

Rhemensem Antistitem Parisiensium Conventuum Praesidem speciali prosequitur laude.

§. 6. Te vero Venerabilis Frater Apostolica Nostra laude non existimamus fraudandum, qui tuam voluntatem cum religiosissimorum Antistitum voluntatibus conjunxisti. Te amamus, quod ad Nos non eorum acta modo, sed etiam tuas literas perferendas curasti, quae diserte Nobis nunciant, te ad omnia paratum esse pro Christo: te denique in Domino rogamus et obsecramus, qui praeclaro Episcoporum conventui ut praeesses disposuit divina dignatio, ne committas ut tentationibus aut avocatus aut victus, quod ait Martyr Cyprianus in medio laudis et gloriae itinere desistas nec quidquam tibi praestabilius, quam quae sanctae Nobis promittis, ut alacriter impleas; ac praecipue, qua vales plurimum apud Christianissimum Regem gratia, illam ut polliceris, ad sustentandam Christianam Religionem nunc maxime ab impiis labefactatam, defendendamque Catholicam Fidem adhibeas; sic enim quam bene gessisti, bene itidem rem gerens in posterum, eorum non modo comprimes voces, quos non obscure indicas tibi forte obtrectasse, sed etiam prudentibus humanarum actionum aestimatoribus, et qui ubi de Religione agitur jure omnia redigunt ad acerrimam normam abunde satisfaciens, omni te praedicatione dignum exhibebis; tuaeque virtuti debitas ab iis referens laudes, non humano praeconio sublatum animum gerens, sed tamquam ab eo, qui te divina virtute sua, et gratia adjuverit commendatus, jure poteris in Domino gloriari; et Fraternitati tuae intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri anno octavo.

DIV.

Confirmatur resolutio Diffinitorii Provinciae Castellae, Legionis, et Navarrae Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, qua statuitur ut in posterum Ministri eorum, qui huic resolutioni assensum praebuerunt, eligantur in Capitulo Provinciali.

Dat. die 20 Nov. 1765. Ann. VIII.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam Divinae bonitatis, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio praepositi illa, quae pro felici, prosperoque Religiosorum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutorum, ac uberes bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium gubernio, et progressu provide, sapienterque constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis praesidio libenter constabilimus.

Pro meliori bono ac felici hujus Provinciae gubernio, censuit Diffinitorium Provinciale, ut electio Ministrorum Conventuum fiat in posterum in Comitiis Provincialibus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Fabianus Rodriguez tam olim, quam nunc Minister Provincialis provinciae Castellae, et Legionis, et Navarrae, atque adnexorum, Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod ipse pro bono, ac felici ejusdem Provinciae gubernio, et decore in ea primum Collegium Cursorum instituit, mox vero, ut abusus, qui occasione electionis Ministrorum uniuscujusque Conventus Provinciae hujusmodi irrepserant, penitus avertantur, ejusdem Diffinitorio Provinciali serio considerandum, ac disquirendum proposuit, num melius, et magis expediens foret, quod electio Ministrorum localium cujusque Conventus dictae Provinciae in posterum perageretur, prout usque adhuc peracta fuerat a Fratribus singulorum Conventuum, vel potius praedicta electio fieri debeat in Capitulis Provincialibus, quippe quia

unus, vel alter eligendi modus praescribitur a Constitutionibus dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatis. Diffinitorium vero Provinciale, re mature perpensa, mandavit, ut praevio consensu praestando a Fratribus Conventuum dictae Provinciae, electio Ministrorum localium uniuscujusque Conventus in Provincialibus Comitiis peragenda esset, nonnullis additis conditionibus, ut liquet ex ipsa Diffinitorii Provincialis resolutione, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet.

Tenor resolutionis Diffinitorii Provincialis.

« Die VII. Augusti Anno MDCCLXIII. Rev. Diffinitorium congregatum in Provinciali Cella hujus Matritensis Conventus, ut de gravioribus negotiis, ad majorem Dei honorem, et gloriam, ac bonum in spiritualibus, et temporalibus hujus Provinciae Castellae, Legionis, et Navarrae Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum conducentibus ageret; et signanter, ut disquireretur, num melius, et magis expediens foret, quod Localium Ministrorum electiones a Conventibus ipsis peragantur, prout hactenus et de praesenti explentur; an vero congruentius futurum sit, quod eae futuris temporibus in Capitulis Provincialibus fiant, ad tramites Constitutionum Ordinis Lib. I. Cap. XXXIV. Postquam hac super re diu, multumque tractatum fuerat, perpensis rationibus, et absurdis, quae utrinque occurrunt, aut occurrere possunt, resolvit, ac statuit committere, et mandare Adm. Rev. P. Ministro Provinciali, ut, praevio consensu a Conventibus praestando, hujusmodi Ministrorum Localium electionibus in Provincialibus Comitiis peragendis, curet supplicari Sanctissimo Domino Nostro Summo Romano Pontifici, ut eas in posterum sic expleri, sua Apostolica auctoritate statuat, atque decernat; sequentibus tamen sub conditionibus, et non alias, aliter, nec alio modo. »

« I. Conditio ea sit, quod Electorum numero a nostris Constitutionibus Lib. I. Cap. XXXIV. §. I. stabilito adjiciantur duo ex PP. Magistris, qui Provincialibus Comitiis intersint, in Magisterii nimirum gradu antiquiores, item unus Praesentatus, ac unus Praedicator Generalis, in suis respective gradibus pariter antiquiores: ut scilicet horum in Electorum numerum adlectione, is undecim Eligentibus componatur. Et sicut ex ejusdem Ordinis Constitutionibus, septem, qui ibi assignantur, Electores, voce passiva ad Ministeriatus obtinendos privantur; ita quoque hujusmodi privatio ad alios quatuor, ut praefertur, adlegendos extendatur. »

« II. In Ministros eligendi ex undecim superius assignatis Electorum suffragiis, octo, et non minus, obtineant. »

« III. Ad confusiones, et electionum retardationes evitandas cavetur, quod si in primo scrutinio (omnia autem scrutinia per secreta suffragia indispensabiliter fiant) nemo octo habeat suffragia, in iterandis scrutiniis in duos tantum suffragia ferantur, qui in priori plura retulerint. »

« IV. Vacante per cessum, aut decessum, privationem, aut assequutionem, vel promotionem alicujus Conventus Ministerio, illius Communitas Ministrum eligat, qui regat usque ad tunc proxime futurum Provinciale Capitulum, eodem modo, qui hactenus servatus est. »

« V. A praefatis Capitularibus Electoribus reeligi valeant in Ministros, quos Conventibus utiles, ac proficuos fore judicaverint, praescripta in Decreto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Die XXX. Maji Anni MDCLIX. in Nostrarum Constitutionum Codice pag. DXLVII. excripto, exacte servantes. »

Magister Fr. Fabianus Rodriguez Minister Provincialis.

Magister Fr. Didacus a Cruce Primus Definitor.

Fr. Franciscus Fernandez de Quevedo Secundus Definitor.

Fr. Josephus Valdenebro, et Tapia Tertius Definitor.

Fr. Joannes de Turre Quartus Definitor.

Ita est Fr. Emmanuel Colina Provinciae a Secretis.

Sequitur Decretum Congregationis Episcoporum et Regularium.

« Sacra Congregatio Eminentissimorum, et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, attento Voto Emi-

Tenor Decreti S. Congregationis Episcoporum et Regularium.

Quo superior resolutio approbatur.

nentissimi Caracciolo de Sancto Bono praefati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentissimo Feroni Ponente, censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, per suas literas Apostolicas in forma Brevis, praefatam resolutionem Diffinitorii Provincialis, in qua Religiosi viginti, et unius Conventuum libere consensum praestiterunt, cum suis conditionibus approbari, et confirmari posse; Ita tamen, ut quatuor adjuncti Diffinitorio Provinciali in electione Ministrorum voce passiva careant, eodem ferme modo, qui carent alii septem Diffinitorii Provincialis; Et duo Conventus, qui consensum non praestiterunt, sibi valeant, ut prius Ministros eligere, injuncto tamen, ut in simplicitate, et puritate Regulae electiones peragant, praescripta in Cap. 35. Constitutionum rigorose observando; quod Breve publicandum, et acceptandum erit in quolibet Conventu per duas ex tribus partibus Religiosorum, etiam Conventuum, qui consensum accomodarunt ad majorem, et tranquilliorem resolutionis firmitatem. Romae 27. Septembris Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto. »

Preces porrectae pro Apostolica confirmatione superioris resolutionis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, duobus exceptis Conventibus dictae Provinciae Matritensi scilicet, et Conchensi, reliqui omnes, vel de communi consensu, vel majori suffragiorum parte, probaverint, et collaudaverint hujusmodi resolutionem Diffinitorii Provincialis, hinc, ut firma ipsa subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis robore dictus Fabianus Provincialis communiri summopere desideret.

Pontifex resolutionem Diffinitorii Provincialis, et Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium confirmat, et approbat.

§. 4. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii Nostri Joannis Constantii S. Caesarei S. R. E. Diaconi Cardinalis Caracciolo de Sancto Bono nuncupati apud Nos, et Apostolicam Sedem ejusdem Ordinis Protectoris super praemissis factam attenderunt, consilio, praedictam resolutionem Diffinitorii Provincialis, cui Fratres viginti unius Conventuum dictae Provinciae assensum libere praestiterunt, una cum additis in ea conditionibus, ita auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ut quatuor Fratres adjuncti Diffinitorio Provinciali in electione Ministrorum voce passiva careant, eodem ferme modo, quo illa careat alii septem Fratres Diffinitorii Provincialis, atque insuper, ut duo Conventus Matritensis scilicet, et Conchensis, qui consensum dictae resolutioni non praestiterunt, sibi valeant, ut prius Ministros eligere, sed electiones hujusmodi peragere ipsi debeant in simplicitate, et puritate Regulae, servata forma praescripta in Capit. XXXV. Constitutionum Ordinis hujusmodi. Demum ad majorem dictae Provinciae quietem, et tranquillitatem, ut praesentes Nostrae literae si et postquam a quolibet Conventu praefatae Provinciae, qui jam consensum suum praebuerunt, denuo assensus per duas ex tribus partibus Fratrum resolutioni Diffinitorii Provincialis hujusmodi praestitus fuerit, exequutioni demandentur, ac in futurum omnimoda observatione custodiantur, volumus, decernimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sic in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus

opus sit Provinciae, et Ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Novembris millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno octavo.

DV.

Dat. die 23. Nov. 1765. Anno VIII.

Se confirmaturum Constitutiones Congregationis Canonicorum Regularium B. M. V. de Cancellata significat Abbati praelaudatae Congregationis.

Dilecto Filio Joanni Ludovico Panchenal Abbati Congregationis B. M. V. de Cancellata.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Scripsimus Venerabili Fratri Episcopo Petragoricensi, qui te tuamque Congregationem Nobis majorem commendavit in modum, Constitutiones ejusdem Congregationis abs te missas dudum Nos accepisse, earumque examen instituisse. Illas ejusmodi esse cupimus, quae a Nobis probari possint, et confirmari. Quod ad reliquum attinet Epistolae tuae, dilecte Fili, Regularem observantiam, et disciplinam apud Vos, ut scribis, vigere gaudemus, et quod neminem umquam inter Vos ad hanc diem errorum hujus temporis infecerit labes, id universae Congregationi tuae vehementer in Domino gratulamur. Ipse quidem a Nobis quaecumque ad augendas spirituales Congregationis tuae utilitates pertinent, Apostolica officia tibi pollicere; et quo vestra in hanc S. Sedem firmior fuerit, et constatior fides et obedientia, flagrabuntque apud vos ferventiora in dies studia pietatis, eo animum Nostrum ad vos fovendos adjuvandosque promptiorem fieri comperies. Tibique benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Novembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DVI.

Dat. di[e] Dec. 1[7..] Anno V[III.]

Clementis Regii Poloniae Principis e Ducibus Saxoniae penes Bavariae Ducem officia requirit ne causa Decimarum Collegii Neoburgensis Societatis Jesu trahatur ad seculare forum.

Vide Epistolam hac super ipsa decimarum causa perscriptam Bavariae Duci, et a Nobis relatam hoc Tomo sub Num. CDXVI. pag. 872.

Dilectissimo in Christo Filio Nostro Clementi Regio Poloniae Principi e Ducibus Saxoniae electo Episcopo Frisingensi et Ratisponensi.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Pol[oniae] Princip[is] laudes.

§. 1. Sequi egregium in Ecclesiam studium voluntatemque tuam ex pluribus manifestisque indiciis subinde cognovimus, rem tibi nunc proponimus, in qua si dexteritatem, solertiam, et qua apud dilectissimum in Christo Filium Nostrum Maximilianum Josephum Bavariae Ducem plurimum vales, gratiam sic adhibeas, ut ab Ecclesia vis depellatur, quae

illi infertur in causa mere laica ab ejus Principis Administris, nihil unquam fortasse praestiteris, in quo plus tibi vel laudem tribuamur ampliorem.

Commemorat Epistolas alias perscriptas Bavariae Duci super hac ipsa decimarum causa.

§. 2. Scripsimus ante hos septemdecim menses memorato Principi, ne trahi pateretur ad Laicorum judicium causam Decimarum Collegii Noburgensis Societatis Jesu, eumque rogavimus, ut juberet, Consilium suum ad Ecclesiasticum judicem, ut aequum est, ejus causae cognitionem rejicere. Sed nihil quidquam aliud per eas Literas consequuti sumus, quam quod longo tempore Epistolam ejus accepimus, in qua complures congerebatur rationes, quamobrem judicium ejusdem causae existimabat ad Laicam pertinere potestatem. Quaedam deinde inciderunt, quamobrem ea de re non fuit opportunum a Nobis illi denuo literas dare. Ex quo Nostro silentio pars Collegio Noburgensi adversa sumpsit veluti argumentum, Nos et Apostolicam Sedem rationibus in epistola, quam supra diximus, deductis denique conquievisse. Nec defuerunt, qui Literas Nostras ad Principem dictitaverint Clericos Regulares Societatis Jesu per subreptionem, et obreptionem a Nobis abstulisse. Quod omnino longissime abest ab re ipsa et veritate.

Etiam Benedictus XIII. quoad ipsam Decimarum causam cum Ducis Bavariae Avo egerat.

§. 3. Etenim de eadem causa Apostolicae Sedi notissima jampridem felicis record. praedecessor Noster Benedictus XIII. cl. me. Maximilianum Ducis Maximiliani Josephi Avum sedulo monuit, ut illi laicali judicio cursum praecideret; quibus ejusdem Benedicti XIII. Literis Maximilianum fuisse commotum inde conjecturam facimus, quod altum ea de re silentium sit consequutum.

Officia provocat hujus Principis in hac causa eo magis, quod Ordinaria pollet jurisdictione in loco ubi decimae persolvendae sunt.

§. 4. Quamobrem te hortamur dilectissime in Christo Fili Noster in Domino et obsecramus, ut omnia studia tua apud memoratum Ducem adhibeas et officia, quo tanta haec ab Ecclesia depellatur injuria. Fecit id Dei et honoris Ecclesiae zelo flagrantissimus Venerabilis Frater Josephus Episcopus Augustanus, qui datis ad memoratum Ducem literis illi studuit persuadere, litem hanc ejusmodi esse, quae non ab alio quam ab Ecclesiastico Judice sit dirimenda. Nec tuae in hac re alienae sunt partes, qui Ordinariam habes jurisdictionem in eo loco ubi Decimae quas supra memoravimus in disceptationem vocantur et controversiam quam in tua jurisdictione ad Laicorum trahi judicium, perpeti aequo animo plane non potes, totam autem rem hanc non deerit qui sedulo te doceat diligenter ut ad hoc pertractandum negotium accedas quam paratissimus. Quidquid autem in hanc rem contuleris officii, sedulitatis, et studii, id velimus existimes in Nos et Sedem Apostolicam contulisse. Tibique dilectissime in Christo Fili Noster flagrantissimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Decembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DVII.

Poloniae Regi respondet postulanti alterius Suffraganei constitutionem in Dioecesi Uladislaviensi.

Dat. die 7. Dec. 1765. Anno VIII.

Stanislao Augusto Poloniae Regi Illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Uberiorem in dies Nobis praebet laudandi tui materiam, Nostramque erga te charitatem mirum in modum exauget ista de Catholicae Religionis incolumitate in Regno tuo assidua cura, et sollicitudo. Egregium istiusmodi studium Majestatis tuae, vel ex proximis literis tuis apparet, quibus negotium de altero suffraganeo, in Uladislaviensi Dioecesi constituendo Nobis commendasti. Nos ea de re scribi jussimus Ven. Fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino Nostro, et Apostolicae Sedis apud vos Nuncio; ut de omni hoc negotio quo recto et legitimo ordine dirigatur ut mos est diligenter cognoscat. Ceterum ejus literas interea expectantes, speramus rem tuam felicem exitum habituram. Nobisque facultatem fore declarandi tibi quanti ponderis apud Nos sit Regiae Majesta-

tis tuae in rebus omnibus commendatio. Tibique carissime in Christo Fili Noster, intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septima Decembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DVIII.

Dat. die 7. Dec 1765. Ann. VIII.

De eodem argumento agit cum Episcopo Uladislaviensi.

Venerabili Fratri Antonio Episcopo Uladislaviensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De altero Suffraganeo in tua Uladislaviensi Dioecesi constituendo rem omnem Congregationi Consistorialibus Rebus praepositae examinandam commisimus, ejusque sequuti consilium jussimus isthic Ven. Fratrem Archiepiscopum Ephesinum de causis quamobrem alter tibi Suffraganeus sit creandus, et de dilecti Filii Cypriani Wolicki moribus, doctrina, ceterisque animi dotibus legitime, ut moris est, diligenterque cognoscere, Non dubitamus quin omnia in processu quem instituet, depraehensurus sit plane cum iis convenientia, quae in supplici libello Nobis dato fuerunt exposita. Ceterum studium sollicitamque Fraternitatis tuae curam magnopere laudamus, qua Catholicis in Pomerania commorantibus cupis esse consultum, ne iis ea desint subsidia, quibus est opus ad eorum fidem et in vera Catholicae Religionis pietate sustentandam confirmandamque constantiam. Tibique Venerabilis Frater eximiae erga te benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Decembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DIX.

Episcopo Goritiensi gratulanti pro evulgata constitutione confirmatoria Instituti Societatis Jesu respondet, eique ejusdem Societatis merita commemorat. Dat. die 7 Dec. 1765 Anno VIII.

Vide supra Epistolas relatas sub n. DIII, et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Carolo Michaeli Archiepiscopo Goritiensi.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Quod plurimi fecerunt per hos aliquot menses Venerabiles Fratres Episcopi ut Nobis sint gratulati, Constitutionem, quam ad tuendum Apostolicae Sedis, atque adeo universae Ecclesiae de Instituto Soc. Jesu judicium edidimus, idem Nobis praestari voluit officium Fraternitas tua, cujus literas ea de re gratulabundas magna legimus voluptate. Illud autem Nobis est jucundissimum, quod commemoratis cladibus, quas superiori aetate in istis Regionibus concepit Catholica Religio, scribis te, cum sacram tuae Dioecesis visitationem obires volutandis Aquilejensis Ecclesiae monumentis comperisse e tribus Collegiis Soc. Jesu, quae tamquam propugnacula irruenti haeresi objecit fel. Rec. praedecessor Noster Clemens VIII, Apostolicos viros prudentes brevi temporis intervallo ab omni errorum labe omnem regionem vestram, Dei gratia adjutrice et comite abstersisse: Nunc autem eosdem Clericos Regulares majorum suorum vestigia persequendo, nihilo se illis exhibere inferiores et sanctificandis Fidelibus strenuam isthic operam dare, quod quidem incredibilem Nobis consolationem affert, magnamque tibi Ven. Frater Nos debere profitemur gratiam cum hoc tuo gratissimo literarum officio Nobis de tanto Ecclesiae tuae bono notitiam dederis, quae spirituali jucunditate Nostrum animum plane complevit. Et Fraternitati tuae eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter imperti-

mur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die septimo Decembris MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CX.

Dat. die 7. Dec. 1765. Anno VIII.

Facultatem facit Collegio, et Conventui Toletano Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo antiquae Observantiae concedendi Lauream Doctoralem Magistris dicti Ordinis.

Literae Apostolicae Urbani VIII. diei 26. Augusti 1634. quibus elargiendae Doctoralis Laureae privilegium concessum fuit Conventui Salamanticensi hujus Ordinis, adsunt in collectione Mainardii.

Dilecto Filio Mariano Ventimiglia Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo antiquae observantiae Priori Generali.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Hoc idem privilegium indultum jam fuerat ab Urbano VIII. Conventui Salamanticensi.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Regidor Sacerdos expresse professus, et Socius, ac Secretarius Generalis Hispaniarum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo antiquae Observantiae, quod juxta Constitutiones dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatas, ii qui gradum Magistri in eodem Ordine obtinent, Doctoralem Lauream in aliqua Universitate approbata assumere tenentur; verum quia Laureae hujus doctoralis assumptio non laeves secum ferebat impensas, hinc fel. rec. Urbanus Papa VIII. praedecessor Noster per alias suas in simili forma Brevis die XXVI. Augusti MDCXXXIV. expeditas literas Collegio Salamanticensi concessit, et indulsit, ut Lauream Doctoralem hujusmodi dictum Collegium conferre posset Fratribus ejusdem Ordinis tam Hispaniarum, quam Portugalliae, et prout in dicti Urbani praedecessoris literis uberius dicitur contineri.

Etiam aliis Conventibus, privilegium idem ampliatum ex decreto S. Congregationis Episcoporum, et Regularium.

§. 2. Aliae postmodum Ordinis, et Regnorum praedictorum Provinciae ad evitandas itidem majores impensas, hujusmodi facultatem ad eorum respective Collegia extendi ab Apostolica hac Sancta Sede, ut asseritur, obtinuerunt; prae caeteris vero Provincia Cataluniae dicti Ordinis propterea quia longe distat a praefato Collegio Salamanticensi ex decreto edito a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita die V. Februarii MDCCXL, praedictam facultatem sibi concedi, ut pariter asseritur, obtinuit.

Preces porrectae pro extensione Pontifici indulti ad Conventum Toletanum.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in Provincia utriusque Castellae Ordinis praedicti Magistri, qui Lauream doctoralem in eodem Collegio Salamanticensi assumere tenentur non laeve propter illius distantiam sentiant incommodum, gravesque praeterea subeant impensas, ad haec omnia avertenda idem Bernardus exponens, quemadmodum in aliis quoque Provinciis ejusdem Ordinis duo, ac etiam in illa Aragoniae tres Conventus, ut asserit, designati reperiuntur pro conferenda hujusmodi Laurea Doctorali Fratribus dicti Ordinis, ita in Provincia utriusque Castellae, praeter Collegium Salamanticense, facultatem hanc concedendi lauream doctoralem Fratribus, et Magistris ejusdem Ordinis, Collegio quoque Toletano per Nos indulgeri plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Precibus annuit Pontifex petitam extensionem concedendo.

§. 4. Nos igitur eumdem Bernardum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione Venerabilis Fratris Josephi Archiepiscopi Petrensis Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposi-

tae Secretarii, Discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam facultatem concedendi Lauream Doctoralem Fratribus, et Magistris dicti Ordinis ab illius Constitutionibus requisitam praefato Collegio, et Conventui Toletano, prò tuo arbitrio, et conscientia. Apostolica Nostra auctoritate tenore praesentium concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit Ordinis, et Provinciae praedictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima septima Decembris Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXI.

Quanta sit sedulitate curandum Pontifex significat Episcopo Praemisliensi ne Ecclesiae novis vectigalibus graventur a laica potestate.

Dat. die 4. Jan. 1766. Anno VIII.

Venerabili Fratri Valentino
Episcopo Praemisliensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

De adimendis Ecclesiae decimis, novisque illi vectigalibus imponendis scribit Fraternitas tua istbic apud vos agitari consilia; teque ea de re vehementer esse sollicitum ex literis tuis facile perspeximus. Non putamus te, et Coepiscopos collegas tuos, Nostra egere cohortatione, quo illud intentos oculos habeatis, ne quid in talibus consiliis obrepat, erroris, neve qui haec movent, dum patriae consultum volunt, inscii et imprudentes Ecclesiae et Reipublicae noceant. Iis enim minime dubitamus cordi esse incolumitatem Catholicae Religionis, vestrum autem est ut illis, quod facile est, demonstretis, quam sit pericolosum Ecclesiarum, quas quotidianae vitae necessitas postulat, divini etiam cultus vel retinendi vel propagandi necessarium instrumentum esse pecuniam. Et ipsa experientia compertum est, cum pauperes inopesque fuerint res Ecclesiarum, in Regno Dei amplificando minimum profici, ac plerumque contingere, ut in pascendo Dei grege Sacri Pastores, si quas oves vel a deviis semitis retractas, vel a venenatis pascuis amotas velint, si difficultate rei nummariae teneantur, frustra quemvis laborem sumant. Tu vero pro virili parte in id Venerabilis Frater incumbe, ne quid damni faciat Ecclesiastica res, neve quidquam oneris vobis imponatur, Sacrorum Canonum sanctionibus reclamantibus. Nos Apostolicis officiis studiisque Nostris ubi iis vo-

bis opus esse existimetis, ut in ceteris omnibus sic in hac te non deerimus adjuvare. Et Fraternitati tuae eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quarta Januarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXII.

Dat. die 4. Jan. 1766. Anno VIII.

Mariae Theresiae Cybo Estensi Massae Principissae postulanti Episcopalis Cathedrae erectionem in Civitate Massae respondet Pontifex, negocium examini prudentium virorum commisisse.

Dilectae in Christo Filiae Nobili Mulieri Mariae Theresiae Cybo Estensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecta in Christo filia Nobilis mulier salutem, et Apostolicam benedictionem.

Egregium tuum in Religionem studium singularemque de populo tuae dictioni subjecto benemerendi voluntatem ex literis Nobilitatis tuae facile perspeximus, quibus negotium urges de Episcopali Cathedrae Massae constituenda, et cum Sarzanensi et Lunensi conjungenda, in quo dilectissima in Christo Filia Nobilis Mulier, tuam istam laudamus curam, qua Massensis populi tui pietatem augere, eique parare studes ornamentum et decus, sed cum ejusmodi res sit, quae non minimam cautionem habet, eam examinandam commisimus Viris doctrina et prudentia praestantibus, quos in consilium in talibus negotiis prudentia postulat adhiberi et Nobis tuae charitatis erga te Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Januar. MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXIII.

Dat. die 10 Jan. 1766. Anno VIII.

Demandatur observantia Apostolicarum Constitutionum, ne liceat defunctorum sepulturam permittere in Caemeteriis Ecclesiarum Monialium Cappuccinarum in Civitate Guatimalae.

Venerabili Fratri Episcopo Guatimalensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Preces pro rectae observantia Constitutionum Apostolicarum quoad defunctorum sepulturas.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Moniales Ordinis Sancti Francisci Cappuccinae nuncupatae Civitatis Guatimalensis, quod nonnulli devotionis causa de licentia suorum Superiorum exoptant eorum cadavera sepeliri, non solum in Caemeteriis sitis subtus earum Ecclesiam, verum quoque sub inferiori Choro, et in proprio Caemeterio dictarum Monialium. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, haec omnia adversentur Constitutionibus Apostolicis, et praesertim Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, ac inde plura, quae non conveniunt ipsarum regulari, et strictae observantiae, et incommodum ipsis afferre solent, obveniant. Nobis propterea dictae Moniales humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex Episcopo Guatimalensi injungit observantiam Apostolicarum Constitutionum quoad sepulturam defunctorum.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut dictas Constitutiones exequi, et omnino servari auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium praecipias, nec quidquam in contrarium attentari, ac praesumi pro tua prudentia, et Ecclesiae Dei zelo, ac quiete, et bona directione earumdem Monialium permittas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus quibuscumque in contrarium generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dicti Monasterii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis denique, indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Januarii millesimo septingentesimo sexagesimo sexto Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXIV.

Dat. die 16. Jan. 1766. Anno VIII.

Quod Patriarcha Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis inter Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales assumi debeat in altero immediate sequenti Consistorio eique Titulum Cardinalium assignari mandat.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Inter praecipuas Apostolici Ministerii partes, eam esse longe gravissimam Nobis injunctam intelligimus ut Hierarchiam, Divina ordinatione in Catholica Ecclesia institutam, non solum semper stabilem custodire, ac conservare, verum etiam majoribus gloriae, ac splendoris incrementis cum hoc ad Divini honoris cultum magis adaugendum et Catholicae Ecclesiae decus maxime promovendum plane redundatura fore in Domino prospicimus, et confidimus Apostolica sollicitudine ac providentia cumulare satagamus.

Censet Patriarcam Ecclesiae Ulixbonensis occidentalis inter S. Romanae Ecclesiae Cardinales assumendum, ipso Portugalliae et Algarbiorum Rege annuente.

§. 2. Itaque cum Venerabilis Frater Patriarcha Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis iis insignibus, et praerogativis ab felicis recordationis Clemente XI. et Benedicto XIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris, primum ornatus fuerit ut profecto inter Ecclesiasticos Praesules et Antistites plurimum excellat, hinc est, quod nos etiam congruum, et consentaneum propterea fore existimamus si Patriarcha praedictus per laudabilem providentiae, et indulgentiae rationem, qua Apostolica haec Sancta Sedes quantum commode fieri potuit in assumendis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus habere consuevit erga Orthodoxas Nationes, inter eosdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam per antedictae Providentiae anticipationem in posterum adnumeretur quemadmodum ipsum quoque carissimum in Christo Filium Nostrum Joannem Portugalliae, et Algarbiorum Regem illustrem, de Catholica Religione multis nominibus, ac praesertim ob eximiam pietatem, ac constantem fidelissimamque erga Apostolicam hanc Sedem toties probatam observantiam, ac singularem sollicitudinem, studium, zelumque in protuenda propagandaque ad instar omnium Portugalliae, et Algarbiorum Regum praedecessorum suorum apud barbaras remotissimasque gentes catholica fide meritissimum ac propterea omnibus Apostolicae liberalitatis documentis dignissimum id ipsum sentientem desiderare accepimus.

Motu proprio decernit Patriarcham Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis in Consistorio electum in amplissimum S. R. E. Senatum in altero immediate sequenti Consistorio cooptandum.

§. 3. Quamobrem motu proprio Nostro, et Successorum Nostrorum, et Sedis Apostolicae nomine de nonnullorum etiam Venerabilium Fratrum, Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio concedimus, et indulgemus ut, memorata erga Catholicas Nationes Providentia suffragante in Consistorio provisus, et electus pro tempore Patriarcha Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis, qui alioquin peculiaria, juxta constitutiones Apostolicas ad Cardinalitiam dignitatem requisita habere debeat in amplissimum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Senatum, in altero immediate sequenti Consisto-

rio cooptetur, eique suo tempore, servataque, consueta forma unus ex titulis Cardinalitiis assignetur, juxta Constitutionem felicis recordationis Sixti Papae V. Quod si nulla adsit eamdem Catholicis nationibus impertiendi Apostolicae benignitatis gratia opportunitas, tamen per anticipationem etiam non semel, et quoties opus fuerit faciendam, in Sacrum Cardinalium Collegium adscisci, ea quidem lege statuimus, ut quoties vigore praesentium laudatae Apostolicae beneficentiae testimonia acceperit natio Lusitana, toties nulla eidem obsecundandi ratio habeatur cum opportuna gratificandi aliis nationibus aut Pontifici ipsi, qui Patriarcham Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem declaraverat aut sibi succedentibus pro tempore summis Pontificibus sese obtulerit occasio.

Declaratur quo casu huic Patriarchae jus est Cardinalitiam dignitatem assequendi.

§. 4. Porro huic Pontificiae Nostrae concessioni providentiaeque motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris ac de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, tantummodo tunc locum esse statuimus cum supradictam Patriarchalem Ecclesiam Ulixbonensem vacare contigerit translationibus, et dimissionibus omnino exclusis, nisi tamen ad dimissionem admittendam causa adeo urgens publica, et necessaria sit, ut serio expensa, neque etiam per Suffraganei Antistitis subsidium Patriarchalis Ecclesiae indigentiis occurri posset, atque in assueto eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Consistorio, ac ab ipsis pro tempore Romanis Pontificibus comprobetur sicque futuris perpetuo temporibus a Nobis successoribusque Nostris servandam esse decernimus, et statuimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes, pariter easdem presentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis praedictae Nuncios, aliosque quoslibet, quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et authoritate ubique judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis ac in generalibus Conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus super praemissis disponentibus, quas omnes quatenus praesenti constitutioni in aliquo adversentur derogamus; et pro plene, et sufficienter expressis habentes etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, ac individua de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset omnino abrogamus, abolemus, et annullamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Praelati vel personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Indulti, dationis, concessionis, derogationis, decreti, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae MDCCLXVI. XVI. Kalendas Januarii Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXVI.

Dat. die 24. Jan. 1766. Anno VIII.

Causas evulgationis Apostolicae Constitutionis, qua Institutum Societatis Jesu confirmatur, enumerat Archiepiscopo Sorrentino pro Constitutionis ipsius evulgatione gratulanti.

Vide Epistolam relatam supra Num. DIII. et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Silvestro
Archiepiscopo Surrentino.

Clemens PP. XIII.
Venerabilis Frater salutem
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Societatem Jesu et ante hos quinque annos a te Nobis commendatam meminimus, et nunc quod Constitutione Nostra ab injuriis, et contumeliis, quibus ab hominibus parum Deum timentibus jactata est, et jactatur, vindicatam esse laetaris, gaudemus. Quod ea de re Nobis gratias agis gratulare potius Deo, qui eam Nobis dederit mentem, ut a fidelibus amoliremur gravissimum scandalum, qui si ingenio paullo sint infirmiore de Ecclesiae sapientia, et judicio dubitare potuissent, et si diutine tacuissemus e silentio Nostro argumentum capere, praedecessores Nostros atque ipsam Ecclesiam male fidelibus consuluisse, cum tam maleficae Societati praecipuam sacri ministerii partem tribuerint. Sed eosdem praedecessores Nostros cum Institutum illud comprobaverunt rem utique gessisse probant non modo Fraternitatis tuae sed plurimorum etiam VV. Fratrum Episcoporum testimonia qui datis ad Nos literis sancte affirmant, suas Dioeceses ex ea Societate uberes fructus magnasque utilitates percipere. Ceterum in Domino confidimus, qui Ecclesiae obsequentes filii sunt, ubi agatur, quid de Societate Jesu debeant existimare, non aliis, quam summo Ecclesiae capiti, primariisque Pastoribus aures suas praebituros. Tu vero, Ven. Frater, facito ut quos fideles et impigros in excolenda vinea Domini operarios collaudas, tuo etiam patrocinio tueare. Et Fraternitati tuae intimo Nostri Cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XXIV. Januarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXVII.

Dat. die 26. Jan. 1766 Anno VIII.

Praevia confirmatione specifica praecedentium indulgentiarum concessarum Ecclesiae S. Mariae ad Martyres de Urbe, quamplurimae aliae indulgentiae elargiuntur eidem Ecclesiae.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Christianae Fidei de Idololatriae victa tyrannide triumphum, ita in Urbe Roma emicantem, ut quae olim omnium gentium serviebat erroribus, facta fuerit omnibus Magistra veritatis, et Principis Apostolorum Cathedra intuentes, dum in humilitate Nostra omnipotentem Dominum, qui solus mirabilia fecit, enixe obsecramus, ut in diebus quoque nostris expugnet impugnantes Nos, fidem omnium muniat, et in Ecclesia sua augeat pacem: ea loca primitus Diis gentium impia superstitione dicata, ubi quondam homines diabolica fraude decepti, sacrilegos persolventes honores, novis inquinabantur flagitiis; ut subinde cum juste, ac feliciter vero, aeternoque Deo fuerint consecrata, Religioso Christianorum concursu celebriora semper reddantur, ibique Fideles reatuum expiationem facilius inveniant, praedecessorum Nostrorum exemplo edocti, coelestibus Ecclesiae thesauris, per amplius ditare muneris Nostri debitum in Domino arbitramur.

Enumerantur munificentiae praedecessorum Pontificum favore hujus Ecclesiae.

§. 2. Ineunte siquidem septimo Ecclesiae seculo, cum Bonifacius PP. IV. praedecessor Noster, in Sanctorum numerum relatus, pervetustum illud, et celeberrimum Deorum omnium Fanum, quod Pantheon vocabatur, a Marco Agrippa solidissimo opere absolutum, expugnata solemni sacroque ritu veteri macula, in Ecclesiam III. Idus Mensis Maji Deo in honorem Beatae semper Virginis Mariae, et omnium Martyrum dedicaverit, plurimisque locupletavit Sanctorum Reliquiis; ab eo tempore adeo fideles a quacumque Mundi parte ad illud templum visitandum confluxerunt, recurrente praecipue Dedicationis die, ut a Gregorio PP. IV. etiam praedecessore Nostro ad occurrendum Peregrinorum commodo, aliisque Urbis opportunitatibus, illius celebritas ad kalendas Novembris translata fuerit, unde solemne Festum in hono-

rem nedum Deiparae Virginis, et Sanctorum Martyrum, sed et Beatorum omnium in Coelo cum Christo Regnantium, quod hodie Ecclesia per Orbem concelebrat, ex illius Dedicationis translatione sumpsit exordium: Cumque subinde plerique praedecessores Nostri Romani Pontifices eamdem Ecclesiam, quae Basilica Sanctae Mariae ad Martyres nuncupari caeperat, in insignem quoque Collegiatam dudum institutam, variis praerogativis, honoribus, et gratiis etiam Spiritualibus cumulaverint, illamque sartam, tectamque tueri non omiserint et ad haec usque tempora perseveret Romanorum Civium, et Peregrinorum ad Templum illud confluxus assiduus: Nos quoque eumdem foventes zelum, ad commendatam Fidelium devotionem, religiosumque ejusdem Templi cultum magis augendum, illud uberioribus etiam Spiritualibus gratiis ditare decrevimus, ut ubi superstitio in animarum perniciem effraene debaccabatur, ibi Christiana Religio, et Ecclesiae pietas erga Fideles splendidius eniteat.

Quae tamen munificentiae et gratiae temporis lapsu memoria excidere ex monumentorum deperitione.

§. 3. Verum, licet ambigendum non sit, et Fideles non ambigant, plurimis Spiritualibus Indulgentiarum gratiis eamdem Ecclesiam a praedecessoribus Nostris fuisse donatam, maxime cum monumenta non desint, quibus iidem Nostri praedecessores, dum aliquam Ecclesiam spiritualibus gratiis ditatam voluerunt, ei indulgentias concesserint ad instar Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae ad Martyres; attamen a dilectis filiis Capitulo, et Canonicis ejusdem Collegiatae Ecclesiae Nobis nuper expositum fuit, ob varias temporum in Urbe vicissitudines, et injurias, et Archivii ejusdem Ecclesiae peractas translationes, non omnes modo superesse de iisdem concessis gratiis praedecessorum literas.

Pontifex hic audita Sacra Congregatione Indulgentiis, et S. Reliquiis praeposita veterum gratiarum confirmationi, novarumque concessioni suum designat desiderium.

§. 4. Nos, ne deinceps incertus quoquomodo putari queat Indulgentiarum thesaurus, quem in Templum illud praedecessores Nostri velut effuderunt, cunctisque perspectum sit, quas Indulgentias, et remissiones Fidelium quisque inibi lucrari poterit, supplicationibus eorumdem Capituli, et Canonicorum Nobis super hoc porrectis benigne inclinati, quoque desiderio flagrantes, ut Fidelium omnium Religio, cultusque in ipsa Ecclesia augeatur, ex voto dilecti filii Nostri Nicolai Tituli Sanctorum Nerei, et Achillaei S. R. E. Praesbyteri Cardinalis Antonelli nuncupati, Congregationis ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, et Sacris Reliquiis praepositae Praefecti, per dilectum etiam filium Magistrum Stephanum Borgia Nostrum, et Sedis Apostolicae Notarium Prothonotarium nuncupatum dictae Congregationis a Secretis Nobis oblato, re accurate perpensa, supernoque implorato auxilio, auctoritate Nobis a Domino tradita, de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, eas omnes in primis indulgentias, et poenarum relaxationes, etiam Stationum, a praedecessoribus Nostris visitantibus praedictam Ecclesiam alias concessas, et signanter, quae a Paulo III, et Gregorio XIII. etiam praedecessoribus Nostris, ad instar Sepulchri Dominici, Montis Sinai, et aliorum Terrae Sanctae nuncupatae Locorum, inibi visitantibus Cappellam Sancti Josephi Sponsi B. M. V. in perpetuum concessae fuere, quas subinde Alexander Papa VIII. praedecessor quoque Noster animabus in Purgatorio existentibus per modum suffragii applicari posse indulsit, harum serie cum facultate illas, ut praefertur, applicandi, specialiter, et expresse confirmamus, et approbamus. Declarantes tamen Indulgentias, et relaxationes hujusmodi non toties, quoties eadem die quis Cappellam ipsam visitaverit, sed semel quolibet die lucrari posse.

Enumerantur peculiares, quae conceduntur indulgentiae.

§. 5. Ulterius, praeter plenariam Indulgentiam in Festo dicti Sancti Bonifacii PP. IV. eamdem Ecclesiam visitantibus a Nobis nuper concessam; auctoritate praemissa omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, et confessi, sacraque Communione refecti eamdem Ecclesiam diebus infrascriptis, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, devote visitaverint, et inibi pro Christianorum Principum concordia, Haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem, perpetuis futuris temporibus, mise-

ricorditer in Domino concedimus, videlicet » In Festo Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, et Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi, in Sacro Pentecostes die, ac Solemnitate Sanctissimi Corporis Christi » In Festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis Beatae Mariae semper virginis » Item in festis diebus Inventionis Sanctae Crucis, Sancti Josephi, omnium Sanctorum, ac primaevae Dedicationis illius Ecclesiae die decima tertia maji. » Insuper in una ex feriis sextis Quadragesimae per unumquemque Christifidelium eligenda, et in Dominica infra Octavam Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, qua de Spiritus Sancti adventu proxime recolendo memoria in eadem Ecclesia celebratur; ac in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum » Itidem, omnibus, sive peragentibus, sive comitantibus solemnem supplicationem, quae a pro tempore existentibus Capitulo, et Canonicis ipsius Ecclesiae, die octava Festivitatis corporis Christi publice deferendo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, peragi solet.

Extenditur huic Ecclesiae indulgentia Septem Altarium nec non Stationum sed pro Capitulo tantum.

§. 6. Praeter autem praemissas Indulgentias, omnibus etiam Christifidelibus, qui septem Altaria in dicta Ecclesia designanda visitaverint, et ut supra oraverint, easdem prorsus Indulgentias, quae visitantibus septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum Urbis ad id designata concessae fuere; Ita ut ipsi quoque ibidem, perinde ac si Basilicam ipsam, seu respective illius Altaria in eadem sita, personaliter visitarent, Indulgentias ipsas consequi possint, et valeant, similiter concedimus, et indulgemus. Ita quoque, ipsis Capitulo tamen, et Canonicis, aliisque ipsius Ecclesiae servitio addictis, qui in diebus Stationum in Missali Romano descriptis, quando Statio in alia, quam praemissa Ecclesia habetur, eamdem Ecclesiam visitaverint, atque ut supra oraverint, ut Indulgentias Stationales, perinde ac si Basilicam, vel Ecclesiam ubi ea die Statio habetur, personaliter visitarent, in primo dicta Ecclesia consequi valeant concedimus pariformiter, et indulgemus.

Nonnullae aliae indulgentiae enumerantur.

§. 7. Porro, cum variae per annum in primodicta Ecclesia functiones, ac publicae, communesque habeantur statis diebus preces, ut Fideles ad aliquod Festum recolendum sese praeparent ad augendam ipsorum Fidelium devotionem, et fovendam piam hanc consuetudinem; omnibus itidem utriusque sexus Christifidelibus, qui in singulis ex decem diebus antecedentibus Festum Pentecostes, ac etiam in novem diebus praeparationis ad Festum Sancti Josephi, pariterque in quolibet ex septem diebus commemorationem omnium Fidelium Defunctorum immediate subsequentibus, ac in singulis feriis sextis Quadragesimae, praeter eam, quam quis ad plenariam Indulgentiam lucrandam, ut praefertur, elegerit: ac insuper, qui in reliquis praeter praemissas Beatae Mariae Virginis Festivitatibus, ipsam Ecclesiam a primis Vesperis usque ad occasum solis Festivitatum hujusmodi devote visitaverint, atque ut supra oraverint, diebus nimirum singulis septem annos, et totidem Quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino perpetuo relaxamus. Praeterea, ut Ecclesiam ipsam amplissime, et cumulatius spiritualibus gratiis ditemus, iisdem Fidelibus ut supra vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis, eam visitantibus, atque, ut praemissum est, orantibus, auctoritate Nobis, ut praefertur, credita, plenariam quotidie indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino perpetuis itidem futuris temporibus harum serie concedimus. Omnes autem, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenarum relaxationes, tam plenarias, quam partiales a Nobis, ut praefertur confirmatas, concessas, et impertitas per quoslibet Fideles, qui eas lucraturi erunt, Animabus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, atque in Purgatorio extiterint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo generaliter concedimus.

Confirmantur quam plurima indulta Prae…

§. 8. Demum cum in ipsa primodicta Ecclesia plura quotidie celebrentur Missae Sacrificia; et, sicut accepimus, praedictus Gre-

decessorum Pontificum pro peculiaribus hujus Templi altaribus.

gorius XIII. praedecessor, Aram ejusdem Ecclesiae principem, et post novam illius elevationem, jussu fel. record. Clementis Papae XI. pariter praedecessoris Nostri factam, illam ex utroque prospectu similis memoriae Benedictus Papa XIII. praedecessor quoque Noster sub die VIII. Januarii MDCCXXVII. in perpetuum pro defunctis quotidiano privilegio insigniverit, similique prorsus praerogativa ipse Benedictus praedecessor per suas literas in forma Brevis die XXI. Junii MDCCXXVII. Pontificatus sui Anno IV. Altare Sancti Josephi decoraverit, ac alias idem Clemens XI. pariter praedecessor die VIII. Maji MDCCXVII. per speciale decretum, Altare Reliquiarum nuncupatum secus aditum inter Chori aream, et sacrarium situm; pro Missis, quae ad illud a solis ipsius Ecclesiae Canonicis celebrarentur, itidem privilegiatum declaravit; Nos easdem Gregorii, et Clementis, ac Benedicti praedictorum concessiones singulas praesentibus pro plenius expressis, et integraliter insertis habentes, eas omnes auctoritate quoque Nostra harum serie confirmamus, et approbamus, novumque robur illis adjicimus: et quatenus opus sit de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, ex integro concedimus, et indulgemus, quod quoties Sacerdos aliquis saecularis, vel de Superiorum suorum licentia Regularis, ad eamdem Aram principem ex utraque parte, vel ad Altare Sancti Josephi, aut quilibet ex Canonicis praefatis ad dictum Altare Reliquiarum, Sacrosanctum Missae Sacrificium pro Animabus Fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migrarunt, celebraverit, animae ipsae de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequantur, itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, et Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis eis suffragantibus, a Purgatorii poenis liberentur, Apostolica auctoritate praefata etiam concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Praesentes autem literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, aut annullari, nec sub quibusvis Indulgentiarum, et gratiarum revocationibus comprehendi posse, sed illas semper, et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, sublata cuilibet circa praemissa quavis aliter definiendi, declarandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, in genere, vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis specifica expressa, et individua, ac de verbo ad verbum mentio, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, potestatis Nostrae plenitudine, derogamus, contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent, vel ostensae; quodque, ut ipsae praesentes omnibus innotescant, duo exemplaria etiam typis impressa ad latera januae primodictae Ecclesiae perpetuis futuris temporibus palam exponantur, et appensa sint.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, approbationis, concessionis, indulti, impertitionis, declarationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentari praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus

se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationi Dominicae MDCCLXV. Quinto Kalendis Januarii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXVIII.

Dat. die 29. Jan. 1766. Anno VIII.

Confirmatio resolutionis Sacrae Congregationis Concilii Tridentini interpretis, super observantia onerum adnexorum Canonicatibus Theologali, et Magistrali in Cathedrali Ecclesia Pacensi.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Enumerantur onera ab erectione adnexa Canonicatui Theologali.

§. 1. Nuper Vener. Frater modernus Episcopus Pacensis et dilecti filii Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae dictae Civitatis exponi fecerunt Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quod eadem Ecclesia Cathedralis Pacensis duos praeter caeteros habet Canonicatus, Theologalem scilicet, et Magistralem, quem vocant de pulpito, quorum collatio ad Episcopum, et Capitulum pertinent; quodque pro tempore Canonicatus Theologalis ab ejus erectione sequuta anno MDLXXVI. lectiones habuit de Theologia Morali, seu de casibus Conscientiae usque ad annum MDCLXVII. quo elapso, sequenti anno Episcopus, et Capitulum decreverunt, ut Canonicus eligendus ex praescripto, et more quotidiano impenderet horam in lectione Theologiae Moralis, et juxta hanc legem, dum Canonicatus vacavit, edicta affixa fuerunt, et novi Canonici de dicta Praebenda Theologali provisi ab anno MDCLXXXVII. jurejurando promiserunt, se susceptum munus expleturos secundum morem, et praescriptum edictorum.

Quae tamen onera inobservata tractu temporis fuere.

§. 2. Verum ab eo tempore nemo ex Canonicis hujusmodi promissum munus implevit, sed anno MDCCXXXII. Canonicus Theologus contendere primum coepit, se ad hujusmodi lectionem non teneri, quam deinde usque ad sui obitum omisit, ita ut vacante Canonicatu hujusmodi Anno MDCCLXII. dictus modernus Episcopus decreverit, ut is, qui Canonicatus lecturae inserviret ad lectionem Theologiae Moralis teneretur, ac proxime eligendus ad id compelli posset; verum dilectus filius Franciscus Toleto tunc provisus de Canonicatu hujusmodi, his praescriptis obtemperare recusavit.

Enumerantur adnexa Canonicatui Magistrali.

§. 3. Haec quidem praebendam Theologalem; quoad Canonicatum vero Magistralem dicti Episcopus, et Capitulum pariter memoratae Congregationi exposuerunt, quod Canonicatus hujusmodi Anno MCCCCLXXIV. a rec. me. Sixto Papa IV. erectus, et a fel. rec. Leone Papa X. praedecessoribus Nostris confirmatus fuit, ac illius possessores praetenderunt ad solum Capitulum spectare, ut conciones habendas statueret, adeo ut triginta annorum spatio vix semel concio habita fuerit, quocirca, vacante modo Canonicatu hujusmodi, Episcopus, et Capitulum praedicti ab eadem Congregatione postularunt, ut successores per se ipsos concionare deberent, dummodo legitima causa impediti non essent, saltem quadragesimali tempore, ac in octava Festivitatis Sanctissimi Corporis Christi, et in aliqua ex festivitatibus principalibus, comprachensis illa S. Joannis Baptistae, uti Patroni ejusdem Ecclesiae Cathedralis, seu Sancti Petri Principis Apostolorum, vel Assumptionis Beatae Mariae Virginis, juxta primam tabellam, quae de more inchoatur a festivitate Corporis Christi, et desinit usque in adventum exclusive, et iterum alia vice pro secunda tabella ab adventu scilicet usque ad Festivitatem Immaculatae Conceptionis ejusdem Beatae Mariae Virginis, idest in aliquo die ejus octavae, praeter onus habendi alias conciones, quae in convocatoriis edictis ad concursum juxta morem praefinirentur.

Contra adimplementa praedictorum onerum requisita fuit auctoritas Congregationis Episcoporum, et Regularium.

§. 4. Super muneribus itaque, et obligationibus utriusque Canonicatus Theologalis, et Magistralis concordi animo tam Episcopus, quam Capitulum praedicti adiverunt eamdem Congregationem, quae prius censuit super his informationem ac votum exquirere a Venerabili Fratre Lazaro Archiepiscopo Naupactensi apud carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum Regem Catholicum Nostro, et Sedis Apostolicae Nun-

tio. Hic autem inter caetera retulit, quod a praefato Capitulo committi tantummodo soleant Canonico Magistrali aliquae panegyricae orationes in casu aut canonizationis Sanctorum, aut translationis eorum corporum, et reliquiarum, quae sane omnia ab hinc annis triginta non evenerant, quodque dictus Episcopus praescribat illas orationes, aut sermones peragendos a dicto Canonico in diebus praescriptis in praefatis tabellis, excepto quadragesimali tempore, quo Canonicus Magistralis bis conciones habere deberet absque ulla dierum assignatione, ac praeterea addidit, quod secunda tabella desinebat in Dominica quinquagesimae, non autem in die Sanctissimae Conceptionis, demumque animi sui sensum aperiendo putavit, quod, juxta expressa in edictis, provisus de dicto Canonicatu, obligationem contrahit semper concionandi quotiescumque id sibi committatur, quapropter justa videbatur supplicantium petitio.

Dubia in Sacra Congregatione proposita, et resolutiones successivae.

§. 5. Propositis deinde in eadem Congregatione infrascriptis dubiis » Primo » *An Canonicus Theologus cogi possit pro arbitrio Episcopi etiam per multas loco Sacrae Scripturae legere casus conscientiae, seu Theologiam Moralem in casu ec.* » Secundo » *An, et quibus diebus Canonicus Magistralis pro tempore teneatur per se ipsum concionari in casu ec.* Die XXVIII. Septembris praeteriti anni MDCCLXV. eadem Cardinalium Congregatio respondit: *Ad primum affirmative* » *Ad secundum affirmative ad formam tabellae, et juxta votum Nuncii Apostolici.*

Pontifex supra relatas Sacrae Congregationis resolutiones confirmat, et observari mandat.

§. 6. Ut autem decreta hujusmodi quo firmius subsistant, et serventur exactius praefatus Episcopus, Capitulum, et Canonici Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communire dignaremur, Nos igitur Episcopum, Capitulum, et Canonicos praescriptos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, et confirmamus illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis, quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXIX. Januarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXIX.

Dat. die 29. Jan. 1766. Anno VIII.

Archiepiscopum Trevirensem objurgat, quod Edictum publici juris fecerit Ecclesiasticae libertati adversum.

Venerabili Fratri Joanni Philippo Archiepiscopo Trevirensi S. R. I. Principi Electori.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Suum dolorem exprimit Pontifex pro nova lege, qua Ecclesiasticis personis fori privilegium adimitur.

§. 1. Non satis verbis exprimi possumus, quanta Nos admiratio, quamque gravis percusserit dolor, cum legimus Edictum quoddam tuum, seu, quemadmodum appellas Mandatum edictale die X. proxime elapsi mensis Decembris editum. Hac omnino nova lege tua tum Ecclesiasticis corporibus, tum singulis Ecclesiasticis personis fori privilegium adimitur, quod non modo a sacris conciliorum Canonibus, sed tuorum etiam praedecessorum expressa lege sancitum, perpetua ad hanc usque diem consuetudine viguit. Praeterire juvat quantam Nobis, et huic quam in Edicto tuo non obscure indicas, Apostolicae Sedi injuriam feceris, neque exprobrare tibi volumus, quanta Fraternitatem tuam adhuc complexi sumus benevolentia, quibusque eadem haec Apostolica Sedes, ubi tulit occasio, te affecerit beneficiis.

In qua nova lege Pontifex non injuria Ecclesiae tantum afferri, sed scandalum caeteris Antistibus praeberi.

§. 2. Illud tacere non possumus, numquam Nos suspicari potuisse, te qui primum Ecclesiae, deinde seculi constitutus es Princeps, ita Ecclesiam seculo posthabere, ut Ecclesiasticam potestatem, auctoritatemque depressam velis, secularem super Ecclesiasticae ruinas extollas. Quid igitur ad hoc tuum exemplum non designabunt Principes seculi? immo vero quid ipse facies, ubi quis eorum, qui partem aliquam ditionis suae habent in tua Dioecesi talem ibi legem ferat, qualem ipse ferre non dubitasti? Qua fronte ejusmodi conatibus, qua fortitudine, qua Sacerdotali constantia obstiteris? cumque tui verecundia facti turpiter tacere cogereris, quanta cum animae tuae pernicie Episcopalem officium desereres, et Religioni deesses illius Sacramenti, quo dum Episcopalibus mysteriis initiabaris, jurasti sacratissimorum Ecclesiae jurium te defensorem ferre?

Hortatur Pontifex Archiepiscopum ut legem ei fortasse a perfidis consiliariis insinuatam, revocet.

§. 4. Verum ea est de Fraternitate tua Nobis opinio, ut nullo modo inducere animum possimus existimare, te cogitato, deliberateque id fecisse, quod Ecclesiae et universo Ecclesiastico Ordini tibique praesertim, Ven. Fr., tantopere est injuriosum. Id potius pravis eorum consiliis tribuimus, qui intima tui familiaritate, et, qua volent plurimum gratia magno tui cum dedecore abutantur. Quamobrem magna Nobis spes est, te clamoribus justissimaeque Cleri tui querimonia excitatum, revocasse jam illud edictum, quod apud Deum gravissimo te crimine abstringit, et apud homines aeternam tuo nomini notam inurit. Quod si nondum idem edictum de medio sustulisti, ne quaesumus, vel tantillum temporis differas illud delere nec te malus absterreat pudor, quominus tuum improbes factum. Nihil enim probitate praedito Viro dignius, quam quod se male fecisse cognoverit, id confestim justitiae et veritatis amore impulsus retractet. Deum enixa prece obsecramus, ut in hac re te solutum audias, te tuamque pietatem in consilium adhibeas, tibi unice obtemperes, neminem vero eorum ad tecum deliberandum admittas, qui vel ob corruptos mores, vel ob animum opinionibus absurdis oppletum favore tuo et gratia vulgo judicantur indigni. Et Fraternitati tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Januarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DXX.

Dat. die .. Feb 17.. Ann. VII..

Eidem Archiepiscopo Trevirensi Epistolam dirigit gaudii plenam, pro revocato Edicto Ecclesiasticae libertati noxio, de quo in superiori Epistola sermo fuerat.

Venerabili Fratri Joanni Philippo Archiepiscopo Trevirensi S. R. I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Praecedentium literarum materiam resumit.

§. 1. Ex literis, quas ante hos octo dies Fraternitati tuae dedimus, jam ut opinamur intellexisti, quam graviter commoti simus edictali illo Mandato tuo, quo corporibus Ecclesiasticis singulisque Ecclesiasticis personis in tua ditione fori privilegium adimebatur. Scripsimus tamen incredibile Nobis esse; quod sciens et prudens tali condito Edicto tam gravem jurisdictioni Ecclesiasticae inflictam volueris plagam.

Archiepiscopum laudat pro edictali lege revocata, eumdemque hortatur ut pravos consiliarios ab se eliminet.

§. 2. Et recte quidem de te tuaque pietate Nos existimasse docuerunt literae istbic ad Nos novissime allatae. Denunciarunt enim, absurdum illud Edictum novo alio Edicto tuo jam fuisse deletum. Cum autem labem illam quam nomini tuo adspersam oportuit statim elueris, reliquum est ut in posterum existimationi tuae provideas; ac si cavere velis ne quid tale tibi contingat, velle autem omnino debes homines qui te fortasse circumstant, vel corruptis moribus vel novarum doctrinarum erroribus maculosos a te tuisque rebus arceas oportet, et sectatores improbos repudies, qui infenso in Ecclesiam animo nullam dignitatis et existimationis tuae rationem habent, dum eamdem Ecclesiam quoquo modo quam maxime deprimant. Removere a te os pravum ait Salomon. Et Oculi tua recta videant et palpebrae tuae praecedant gressus tuos. Quibus verbis non alienis uti, sed Nostros jubemur oculos adhibere. Interea pietatem tuam, et animi magnitudinem valde laudamus; quem non ut jejunae angustaeque mentis homines malus impedierit pudor, quo minus, quod male factum tibi excidisse cognovisti, nulla interposita mora correxeris. Et Fraternitati tuae benevolentiae erga te Nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quinta Februarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DXXI.

Praescribitur, ut in Monasterio Monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatarum Civitatis Pacensis in Indiis suppressis Monialibus illis quibus facultas erat gestandi velum album, non recipiantur in posterum quam Moniales nigrum velum deferentes.

Dat. die 15. Feb. 1766 Anno VIII.

Venerabili Fratri Episcopo Pacensi
in Indiis.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Refertur consuetudo Monasterii hujusce ut nonnullae Moniales supranumerariae admitterentur album velum deferentes, et exceptionibus quampluribus ditatae.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Priorissa, et Moniales Monasterii Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatae nuncupatae Civitatis Pacensis in Indiis, quod in fundatione, seu erectione ejusdem Monasterii statutum fuit, ut in numerum viginti unius Monialium tunc praescriptum admittendae tantummodo essent Moniales professae cum velo nigro, quodque aliae tres, aut plures Moniales cum velo albo vulgo *Legasibidae* nuncupatae, minorem dotem afferentes, a Choro, aliisque officiis onerosis Monasterii praedicti exemptae, ac immunes esse debeant, ac alias, prout in lege fundationis, seu erectionis Monasterii hujusmodi uberius dicitur contineri.

Preces porrectae pro talium Monialium supranumerum suppressione.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hujusmodi tres, vel plures Moniales, quae velum album deferunt, et a Choro, aliisque officiis praedictis exemptae sunt, inutiles evadant dicto Monasterio, a quo ipsis alimenta suppeditantur. Hinc exponentes praefatae, ut praesertim in Choro, et in casu infirmitatis aliarum, quo fieri potest, major sit Monialium numerus ibidem interessentium, non solum a tribus Monialibus, quae cum velo albo, ut praefertur, in dicto Monasterio nunc reperiuntur, sed etiam ab aliis, quae in earum locum idem Monasterium ingressurae sunt, nigrum velum assumi debere summopere desiderent. Nobis propterea

humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex praecibus annuit, et hac de re Pacensi Episcopo opportunas tribuit facultates.

§. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum consilio, Fraternitati tuae, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et dummodo Moniales de velo albo, quae nunc in dicto Monasterio reperiuntur, suum praestent consensum, eis petitam facultatem sumendi velum nigrum pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas, simulque facultatem in posterum, praevia reductione, non admittendi Moniales, nisi ad velum nigrum cum honoribus, et oneribus eisdem competentibus concedas, salva tamen in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non praedictorum Ordinis, et Monasterii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, fundationis, et erectionis legibus et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum, ac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quinta Februarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno VIII.

DXXII.

Monasterium Montis Oliveti Majoris Ordinis S. Benedicti Congregationis B. M. Virginis Montis Oliveti, praevia exemptione ab jurisdictione Ordinaria Episcopi Pientini, Nullius Dioecesis declaratur, caput totius Ordinis constituitur, et Monachi specialibus privilegiis donantur.

Dat die 16 Febr. 1766 Anno VIII.

Privilegia Congregationis Monachorum B. Mariae Montis Oliveti S. Benedicti una cum comunicatione omnium gratiarum Congregationis Cassinensis ejusdem Ordinis concessit Pius II. Constit. Anni 1462. Octobr. 5. ut videre est in Bullario Mainardii. Eadem privilegia confirmavit, et ampliavit Benedictus XIV. qui Abbatibus ejusdem Congregationis indulxit, ut in die festo S. Franciscae Romanae uti possint Pontificalibus in Missa, reliquisque officiis, intra Ecclesias tamen Conventuales regularis observantiae per Constit. Anni 1755. April. 1. perlegenda in Benedictino Bullario. Ecclesiam B. M. V. de Lonigo ubi Monasterium adnexum est hujus Ordinis, prius Aquilejensi Patriarchae subjectum, Dioecesi Vicentina univit Clemens XIII., exemptionibus, et privilegiis jam Monachis a S. Sede indultis, conservatis per Constit. Ann. 1759. Septembris 24. relatam in hac Continuatione sub Num. 95. pag. 270. Omnibus Ecclesiasticis

personis servitio addictis aut in Monasteriis habitantibus hujus Congregationis facultatem indulxit Pontifex idem recitandi officium divinum, et horas Canonicas juxta ritum dictae Congregationis, Constit, Anni 1764. *Augusti* 3. *relata hoc Tomo num. CDXXVI. pag.* 885.

Clemens Episcopus.

Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium §. 1. Credita, divinitus Romano Pontifici universi Dominici Gregis postulat cura, ut Regulares Ordines, eaque loca, ubi eorumdem Ordinum Professores sub suavi Christi jugo susceptum pie, sancteque vivendi institutum servantes, tum Coelestium rerum contemplationi, tum sacrarum literarum in Christianae Reipublicae bonum studiis incumbunt; speciali clientela, et protectione foveantur. Quare Nos praedecessorum Nostrorum exempla sectantes, dum omnium Regularium Ordinum conservationi, et ampliationi consulimus, praecipua tamen eorum loca, in quibus Ordo aliquis habuit initium, praeclarioribus privilegiis augere non detrectamus.

Exponitur origo, atque progressus hujus Congregationis. §. 2. Nuper siquidem Nobis pro parte dilecti filii Caesaris Scarselli Abbatis, et Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Sanctae Mariae Montis Oliveti, etiam totius Congregationis nomine expositum fuit, quod cum ipsa Congregatio sub initium quartidecimi Ecclesiae saeculi a Beato Bernardo Tholomei, qui in quodam ejus patrimoniali praedio tunc de Dioecesi Aretina, modo intra fines Pientinae contento, situ propemodum montano, et deserto, profundisque vallibus circumdato primum erexit Monasterium Montis Oliveti nuncupatum, feliciter, sancteque instituta fuerit, Monasterium illud in totius Congregationis benedicente Domino longe lateque propagatae, caput semper habitum absque ulla hesitatione censetur de praesenti. Etenim Abbas totius Congregationis Generalis specialiter illi Monasterio praeest, in eo Vicarius residet Generalis, et Generalia Comitia habentur, atque viget peculiariter Regularis observantia.

§. 3. Porro eidem Congregationi ob praeclara ejus Alumnorum merita nonnulli Romani Pontifices praedecessores Nostri varia privilegia, gratias, favores, et indulta tum spiritualia, tum temporalia concesserunt, et praecipue fel. rec. Pius PP. II. etiam praedecessor Noster per suas literas Apostolicas sub datum Petreoli Senensis Dioec. Anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXII. Tertio Nonas Octobris, Pontificatus sui Anno quinto, inter alias gratias dictae Congregationi elargitas, illi etiam communicationem privilegiorum omnium, exemptionum, libertatum, indultorum, et gratiarum Congregationi Sanctae Justinae Paduanae ejusdem Ordinis, ejusque Monasteriis Prioratibus, membris, ac personis et bonis, per dictos Romanos Pontifices praedecessores Nostros tunc suos quomodolibet elargitorum, ac si illa omnia, et singula Congregationi primodictae indulta fuissent, concessit pariter, et indulsit. Quamplures Romani Pontifices hanc Congregationem privilegiis, et honoribus ditarunt.

§. 4. Novissime vero fel. rec. Benedictus PP. XIV. immediatus praedecessor Noster per similes suas literas sub datum apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae MDCCLV. kalendis Aprilis Pontificatus sui Anno XV. nedum omnia, et singula privilegia a Pio praedecessore praedicto Congregationi primodictae elargita confirmavit, sed ad primodictam Congregationem alia quoque privilegia omnia, exemptiones, et gratias, quae aliis ejusdem Ordinis Sancti Benedicti, et praecipue praedictae Sanctae Justinae, seu Cassinensi Congregationibus ex post auctoritate Apostolica concessa fuerant, sub certis modo, et forma extendit, ampliavitque. Etiam Benedictus XIV. nova privilegia, et gratias eidem concessit.

§. 5. Quamvis autem Congregatio Montis Oliveti tot fuerit decorata privilegiis, Monasterium tamen primodictum Montis Oliveti Majoris modo denominatum in ejus supra caetera ejusdem Congregationis Monasteria praestantia argumentum, nullo speciali gaudet privilegio, prout aliqua Monasteria, quae Capita sunt Congregationum Sancti Benedicti, decorantur. Quare pro ejusdem Caesaris parte Nobis fuit humiliter supplicatum, ut primo- Preces porrectae ad hoc ut Monasterio Montis Oliveti Majoris peculiares gratiae indulgeantur.

dicto Monasterio praeter exemptiones Regularibus locis competentes, Territorii quoque, ut infra a Dioecesi Pientina separati, et sejuncti qualitatem addere, illiusque Abbati opportunas facultates impertiri dignaremur.

Pontifex Monasterium idem, et Monachos, sub immediata Sedis Apostolicae protectione recipit.

§. 6. Nos igitur ejusdem Caesaris nomine etiam Congregationis primodictae Nobis oblatis precibus, ac dilecti filii Nostri Aloysii Sanctae Agathae ad Suburram nuncupatae S. R. E. Cardinalis Torrigiani nuncupati Status Nostri a Secretis, ac etiam apud Nos, et Sedem Apostolicam primodictae Congregationis Protectoris suffragiis, quam libenter annuentes, firmamque spem, et fiduciam habentes magis in dies primodictam Congregationem uberes in Ecclesia Dei fructus allaturam fore, atque ad exhibendas ampliores Nostrae erga illam benevolentiae significationes, bujusmodi supplicationibus inclinati, ac eumdem Caesarem, et Monachos omnes Congregationis primodictae, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, Monasterium primodictum Beatae Mariae Virginis Montis Oliveti Majoris nuncupati cum ejus Ecclesia, et integra clausura, prout servatur de praesenti, quae licet nullo ut accepimus sit circumducta muro, ejus tamen ambitus fines ab ima cavitate profundarum vallium fere undequaque firmantur, ac pro tempore existentes Monasterii primodicti Abbatem, et Monachos, nec non Oblatos inservientes, aliosque actu ibidem commorantes, nec non res, et bona quaecumque etiam infra ambitum hujusmodi existentia sub Beati Petri, et Apostolicae Sedis, ac Nostra, successorumque Nostrorum immediata protectione recipimus.

Nec non Monasterium et Ecclesiam ab Pientinae Dioecesis Territorio segregat, et Nullius Dioecesis constituit.

§. 7. Ac proinde Monasterium primodictum, illiusque Ecclesiam, et integram clausuram a Venerabilis Fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis Episcopi Pientinae Dioecesis Territorio, atque ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, statutis etiam synodalibus, superioritate, et potestate ipsarum tenore praesentium, Apostolica auctoritate perpetuo eximimus, et liberamus; ipsumque Monasterium cum ejus Ecclesia, et integra clausura juxta designatum ambitum Nullius Dioecesis, Sedique Apostolicae, et Nobis, et successoribus Nostris immediatae subjectum existere, et fore, atque Nullius Dioecesis Provinciae Senensis nuncupari debere etiam decernimus, et statuimus. Proptereaque idem Monasterium et Ecclesiam, integram clausuram, et personas praedictas actu, et pro tempore ibidem commorantes ordinariae Abbatis Generalis praefati per se ipsum, seu per dictum Vicarium Generalem exercendae jurisdictioni, et superioritati cum declarationibus quoad infrascriptas facultates in hisce Nostris literis contentis, harum quoque serie plenarie subjicimus, et supponimus; ita ut Episcopus Pientinus nunc, et pro tempore existens nullam in idem Monasterium, Ecclesiam, et personas, integramque clausuram praefatas jurisdictionem, correctionem, visitationem, superioritatem, dominium, seu potestatem exercere, aut excommunicationis, aliasque sententias, censuras, et poenas promulgare nullatenus possit, et valeat; sed ipse Abbas Generalis praefatus intra praemissos clausurae limites Ordinarius Superior sit, et esse censeatur.

Declarationes addit sub quibusvis se[...] gregationem [...] praedictam locum habe[re] debere inte[n]dit.

§. 8. Verum concessionem hujusmodi cum infrascriptis tamen declarationibus dumtaxat, et non alias accipiendis concedere intendentes per easdem praesentes statuimus, quod Abbas Generalis pro tempore existens praefatus, ut in primodicta Ecclesia publice Fidelium adorationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponatur demandare, sed ad annunciandum populo in eadem Ecclesia congregato verbum Dei Monachos tantum Congregationis primodictae seligere possit. Porro idem Abbas Generalis Congregationis primodictae Monachos, qui tamen alias ad Confessarii munus exercendum a quocumque Episcopo gratiam, et communionem cum Apostolica Sede habente patentes literas susceperint, ad excipiendas Sacramentales Confessiones intra limites clausurae hujusmodi deputare queat: praeterea quod Monachis Con-

gregationis primodictae expresse professis ad Sacros Ordines promovendis, atque in primodicto Monasterio commorantibus ab eodem Abbate Generali Dimissoriales literae, quarum vigore ipsi Monachi, ut praefertur, commorantes rite, et legitime ad omnes Sacros Ordines promoveantur concedi possint, sed Dimissoriales literae hujusmodi vel Archiepiscopo Senensi, aut Pientinensi, seu Aretino, vel Ilcinensi Episcopis dirigi debeant, nec aliis Episcopis ex quavis causa directae suffragentur. Demum, quod illi, qui habitu in Congregatione primodicta suscepto, in primodicto Monasterio debitum peragentes Tyrocinium ante solemnis in ea professionis emissionem, renunciationem suorum bonorum emittere intendent, quae juxta Concilii Tridentini decretum nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fieri nequit, ipsi propterea Novitii non ubilibet, sed sola dicti Abbatis Generalis licentia in una ex quatuor Archiepiscopi, et Episcoporum praefatorum curiis renunciationem, quam emittere intendent, libere, et licite, nec non opportune, et valide perficere possint, et valeant.

Clausulae praeservativae.

§. 9. Praesentes autem literas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, etiam ex eo, quod de consensu interesse habentium non constat, seu praetextu illius defectus, aut quod causae, propter quas praesentes emanarunt, satis adductae, examinatae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specificam, et individuam mentionem, aut expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite a jure, statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque colore, praetextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, et quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, uti gratiae remedium, vel justitiae impetrari posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, et dispositionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem Apostolicam praedictam etiam Motu-proprio ex certa scientia, et potestatis plenitudine, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis, et concessis, ac faciendis, et concedendis compraehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi.

Decretum irritans.

§. 10. Sicque, et non alias in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, aut Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aut alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque Judicio, et quacumque instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, ac inane decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibusque Conciliis specialibus, vel Generalibus, aliisque Constitu-

tionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiae Pientinensis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis illis, earumque Superioribus, et personis ac locis quibuscumque etiam specifica, et expressa, ac individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu pari, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et clausulas etiam quantumvis amplas, pias, et privilegiatas praesentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, et specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac sufficienter, nec non specialiter, et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 12. Volumus autem, quod earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exemptionis, liberationis, statuti, subjectionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo quintodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXXIII.

Pragensem Archiepiscopum monet ne in sua Dioecesi sinat ut aliqua Ecclesia concedatur Lutheranis in qua ii libere possint publicas explere functiones.

Dat. die 19. Feb. 1766. Anno VIII.

Venerabili Fratri Antonio
Archiepiscopo Pragensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Nunciat Pontifex Archiepiscopo evulgatam famam de concedenda Lutheranis Ecclesia pro publico eorum cultus exercitio.

§. 1. De servanda Catholicae Fidei integritate pro Apostolico munere Nostro summopere solliciti vigilantiam tuam requirimus, in re, quae ad ejusdem Fidei incolumitatem pertinet, et tua maxime interest. Rumor est Viennae id nunc agi, ut Lutheranae haeresis sectatoribus Pragae concedatur Ecclesia, in qua ipsis libere liceat publico exercitio, nefariis contaminatam erroribus, suam colere Religionem. Quantum inde Res Catholica acceptura sit detrimenti si pravum ejusmodi consilium, quod Deus longissime prohibeat, perficiatur, non est cur Fraternitati tuae declarare studeamus. Per se enim ipsa res clamat, tuque pro tua prudentia satis intelligis Ven. Frater, id tibi quantum exhiberet negotii, si a venenatis pascuis prohibere velis oves tuae fidei et custodiae concreditas; quod quidem pro tuo zelo, flagrantique incorruptae Fidei studio te maxime velle non ambigimus.

Eumdem Archiepiscopum obsecrat ne [illegible] tum in sua Dioecesi

§. 2. Quamobrem videto, quaesumus, inanis ne sit ejusmodi fama, an quidquam afferat veri: et si quidem non sit otiosorum hominum commentum, sed ex certis aucto-

ommitti candalum iat. ribus comperias, tantum isthic impendere mali Catholicae Ecclesiae, ne reliqui tibi facias ad infringenda tam perniciosa, et Catholico nomini tam inimica consilia. Nos quidem certum haberemus, quod non nisi rumore nuntio accepimus, non pateremur Nostrum desiderari officium, et carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Reginae Apostolicae ea de re, qua in discrimen vocatur incolumitas Dominici Gregis et salus, nulla interposita mora, per literas Nostras pietatem excitaremus, quo minus sustineret tam grave rei Catholicae vulnus infligi. Tuum est interea id quidquid est diligenter exquirere; et si quidem opus sit, antecapto tempore, tuo consilio et industria eorum conatus eludere, qui tam male consulunt Catholicae Religioni. Tibi denique Ven. Frater eximiae erga te benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Feb. MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXXIV.

Dat. die 22. Febr. 1766. Anno VIII.

Episcopo Porti Divitis in Indiis respondet, qui gratulatus fuerat de Constitutione qua Societatis Jesu Institutum confirmatum extitit.

De hoc ipso argumento adsunt superius quam plures Epistolae, et signanter videnda illa relata sub Num. DXVI. pag. 1047. cum adnotatione ibi adnexa.

Venerabili Fratri
Mariano Episcopo Portus Divitis.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Cur fuerit Pontifex de hujus Instituti confirmatione sollicitus enunciat.

§. 1. Libentissime accepimus literas tuas, quibus ex tanto locorum intervallo gratulabundus Nobis occurris, susceptamque laetitiam tuam ex Constitutione Nostra qua Institutum Soc. Jesu denuo approbavimus et confirmavimus, Nobiscum quodammodo communicatam voluisti. Profecto magnae Nobis consolationi fuerunt plurimorum ex omni Natione, quae sub coelo est, Episcoporum literae, quibus vehementer se laetatos esse denunciant, quod ea Constitutione eamdem Soc. Jesu atroci tempestate jactatam, in tranquillo ponere studuimus et quod maxime opus erat, injuriam propulsavimus, quam homines maledicentissimi pium ejusdem Societatis Institutum, et a Nostris fel. Rec. praedecessoribus cumulatum laudis, et approbatum, traducentes ut impium, Apostolicae Sedi, atque adeo universae Ecclesiae temere obtulerunt.

Suam consolationem exprimit Pontifex pro insigni zelo quo Societas ista in remotissimas plagas Religionis propagationi incumbit.

§. 2. Nunc vero Nostrum duplicatur gaudium, cum ex remotissima ab orbe Nostro Regione, et sub alio coelo quodammodo posita literae Fraternitatis tuae praedicatione summa Nobis efferunt, quam duras laboribus, gravibusque periculis ejus Soc. Clerici Regulares depellendam isthic susceperunt immanitatem atque barbariem, et mortalium Greges ab infelicibus vepretis et saltibus laeta Domini pascua ad hanc usque diem adjuvante Domino traduxerunt. Illud praeterea addis saepe in Dioecesi tua accidisse, ut Apostolici Viri suo ipsorum sanguine Christianam sanxerint disciplinam, et inter acerbissimos cruciatus vitam amiserint. Ex his divinae gratiae triumphis habet profecto Societas Jesu, quamobrem abunde se in his consoletur malis, quae illi modo creavit inimica Catholicae Religionis factio. Deum interea precamur adsidue ut strenuos, impigrosque Operarios divina sua corroboret gratia, quorum opera impio Idolorum cultu ex istis Regionibus paullatim sublato, detersisque foedis superstitionibus, regnum Christi propagetur in dies. Nos eam Societatem unde tam uberes ad Catholicam Ecclesiam provenere fructus, et quotidie proveniunt, Apostolica auctoritate Nostra semper tutati sumus, semperque tutabimur, eamque tibi Ven. Frater commendamus majorem in modum; et Fraternitati tuae intimo Nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem

die vigesima secunda Februarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXXV.

Dat. die 4 Martii 1766. Anno VIII.

Praevia derogatione testamentariae dispositioni Gundisalvi de Campo, qui Collegium Societatis Jesu in Civitate Ispalensi erigi jussit pro viginti Juvenibus, ac pro Religiosis ipsius Societatis Theologiam repetentibus, conceditur ut totidem Missionarii Societatis ejusdem subrogentur in eodem Collegio.

Dilecto filio Nostro Francisco S. R. E. Presbytero Cardinali de Solis nuncupato, Ispalensis Ecclesiae ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesuli.

Dilecte fili salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Exponitur fundatio Ispalensis Collegii demandata a Gundisalvo del Campo.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Baena Clericus Regularis expresse professus Societatis Jesu, et Moderator Provinciae Beticae ejusdem Societatis, quod alias tunc in humanis agens Gundisalvus de Campo Archidiaconus loci de Elepla nuncupati, et Canonicus, ac Vicarius Ispalensis, solemni contractu inito anno MDCXV. voluit, et mandavit, ut ex suis bonis erigeretur Collegium dictae Societatis, vel Theologiam repetentibus, vel tertiae probationis annum agentibus, ac statuit, ut interim duo alumni, atque unus vel alter ex Religiosis hujusmodi ibi degerent, quousque multiplicatis redditibus bonorum, necessarium aedificium constructum esset, ac omnia pro Collegio sustentando suppeterent, et alias prout in dicti Gundisalvi dispositione uberius dicitur contineri.

Preces porrectae pro obtinenda testamentariae dispositionis derogatione.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tua praesertim munificentia, ejusdem Collegii aedificium omni ex parte nunc absolutum, et perfectum sit, atque omnia ad exequendam praefatam donantis dispositionem jam prompta, et parata reperiantur; Ipse vero Joseph exponens in bonum, ac utilitatem ejusdem Collegii cessurum esse putet, si vice, et loco Religiosorum Theologiam repetentium, et tertiam probationem agentium, totidem Religiosi Missionarii in dicto Collegio substituantur; nam in praesenti ob mutatam temporum, rerumque conditionem in dicta Provincia hujusmodi repetentes non extant, aliudque reperitur Collegium pro iis, qui tertiae probationis sunt. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Annuit Pontifex ut loco Religiosorum Theologiam repetentium, totidem Missionarii in Ispalensi hoc Collegio subrogentur.

§. 3. Nos igitur dictum Josephum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, circumspectioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, vice, et loco Religiosorum hujusmodi, vel Theologiam repetentium, vel tertium probationis annum agentium, totidem Religiosos, qui sacris peragendis Missionibus, incumbant, pro tuo arbitrio, et prudentia, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium gratis subrogare, et substituere possis, et valeas, firma in reliquis remanente memorati Gundisalvi dispositione, et salva semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, ad quos spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Sedisque Apostolicae Nuncios judicari,

et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus supradicti Gundisalvi donatoris voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis et quatenus opus sit dictae Societatis, et Provinciae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibus, et aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXVI.

Dat. die 12. Martii 1766. Anno VIII.

Indulgetur ut Missae a Canonicis Regularibus S. Salvatoris celebrari solitae in die obitus Presbyterorum, Clericorum, et laicorum hujus Ordinis, in defunctorum animae expiationem habeantur, ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent.

Clemens Papa. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut dilectus filius Clemens Ambrosi Abbas, ac modernus Procurator Generalis Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris Ordinis S. Augustini Nobis nuper exponi fecit, aliquas missas in cujuscumque Presbyteri, Clerici, aut Laici ex Canonicis Regularibus dicti Ordinis diebus obitus, seu alio die unusquisque Canonicus Regularis dicti Ordinis in sacro Presbyteratus Ordine constitutus celebrare debeat, aut soleat; ideoque dictus modernus Procurator Generalis missas hujusmodi coelestium munerum, quorum dispensationem fidei Nostrae credidit altissimus, elargitione a Nobis condecorari plurimum desideret. Nos piis ejusdem moderni Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque Sacerdos aliquis ex Canonicis Regularibus ejusdem Ordinis sacrosanctum missae sacrificium vel in die obitus praedictorum presbyterorum, clericorum, et laicorum Regularium Ordinis hujusmodi pro illorum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, missae sacrificium hujusmodi animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad Altare privilegiatum fuisset celebratum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXXVII.

Respondet Badensi Duci, qui nunciaverat Pontifici pacta inter se inita cum Durlacensi domo ad Catholicae Religionis statum post suam mortem retinendum, spectantia. Dat. die 22. Martii 1766. Anno VIII.

Dilecto Filio Nobili Viro Augusto Georgio Marchioni Badensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Nobilis Vir, salutem, et Apostolicam benedictionem.

De pactionibus quas cum Durlacènsi familia fecit Nobilitas tua, partem illam cum tuis literis ad Nos missam, laeto animo legimus de conservando in Ditione tua, postquam mortalitatem expleveris, Catholicae Religionis statu. In iis purus, integerque cultus verae fidei, quo te inter Principes Viros semper eximium praebuisti, tuaeque pietatis lumen elucet. Nunc Deo ingentes agimus gratias, quod tibi adfuit in consilio, eamque dedit mentem ut de retinendo in via salutis populo tibi subjecto bene sapienterque cogitaveris. Profecto quod prospiciens in posterum Catholicae Religioni perpetuo apud Vos conservandae in eo statu quo nunc est voluisti consultum, id tibi dilecte Fili Nobilis Vir praecipuum in coelo parat locum, et in terris gloriam. Idcirco et Nobis et Catholicae Ecclesiae et Nobilitati tuae factum istud pulcherrimum tuum gratulamur, quo nihil accidere Nobis jucundius, nihil Ecclesiae evenire, ut nunc res sunt, praestabilius, nihil a virtute tua proficisci potuit unquam illustrius. Tibique, dilecte fili Nobilis vir, quem in Nostro paternae charitatis gerimus sinu Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DXXVIII.

Dat. die 22. Martii 1766. Anno VIII.

De eodem Argumento agit cum Elisabetha Augusta Marchionissa Badensi, cujus pietatem, et religionem commendat.

Dilectae in Christo Filiae Nobili Mulieri Elisabethae Augustae Marchionissae Badensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecta in Christo Filia salutem, et Apostolicam benedictionem.

Magna Nos cura liberaverunt dilecti Filii Nobilis Viri patrui tui literae, quas nuper accepimus cum iis pactionibus, quas fecit piissimus Princeps cum Durlacensi Familia de Catholicae Religionis perpetuo in ejus ditione retinenda statu, in quo eam relinquet ubi (utinam serus) hinc ad aeternam vitam abierit. Haec vero pactiones non ad praesentis modo temporis, sed ad aeternam quoque piae posteritatis et exemplum et gratiam, erunt vestrae pietatis, vestraeque in rem Catholicam voluntatis et studii perenne monumentum. Te vero dilecta in Christo Filia Nobilis Mulier quibus laudibus prosequemur, quae prosequamur patrui tui sensibus tanta verae religionis cura, tamque prolixa obsecundaveris voluntate? Sed in magnis opibus, quae ex ejusdem patrui tui haereditate ad Nobilitatem tuam evenient majorem pietati tuae paratam esse prospicimus laudem et gloriam nec dubitamus quin semper in tuarum usu divitiarum prae oculis bonorum omnium largitorem Deum ejusque cultum, et honorem iis habitura. Deum interea quanta possumus prece rogamus, te Patruumque tuum diutissime ut sospitet, et conservet incolumes: tibique dilecta in Christo Filia Nobilis Mulier, quam flagrantissimo paternae charitatis studio prosequimur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DXXIX.

Dat. die [illegible] Martii 1[illegible] Anno V[illegible]

Archiepiscopo Moguntino facultatem imploranti imponendi annuum tributum ditioribus Religiosis Domibus, pro amplianda Moguntina Universitate, respondet, se ejus votis obsecundare non posse eo quia Religiosae Domus Universitate minime utuntur.

Venerabili Fratri
Emerico Archiepiscopo Moguntino
S. R. I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Enumerat querelas orituras quoties imploratum tributum Religiosis Domibus imponatur.

§. 1. Moguntinae Universitatis augendae jampridem novimus Fraternitatem tuam desiderio summo flagrantem; nec te idcirco satis possumus laudare, et quod sine cujusquam possit fieri querela, zelum in hac re tuum adjuvare maxime volumus. Quae enim ad Universitatem amplificandam cogitas, omnia videmus in utilitatem vergere Ecclesiae, et in Catholicae Fidei tutelam. Sed ut zelum in hac re tuum magnopere laudamus, sic ea quae Nobis adhuc proposuisti, veremur ut sint ad id quo tendis assequendum, satis accomodata consilia. Perpetuum expetis ut imponatur quibuscumque et cujuscumque Ordinis sint, locupletioribus Monasteriis in singulos annos tributum, quam pecuniam in aliter Cathedras constituenda, et Professores alendos insumeres. Verum magnopere considerandum est Ven. Frater, quantos in Regulari Clero querelas excitaremus, cum nihil Monachis caeterisque Regularibus Universitate opus sit, qui in suis plerique Domibus habeant Magistros quos audiant; ut parum aequum videatur, eos in rem, quae sibi nulli sit usui, sumptum facere; contra qui omnem inde Seculares utilitatem capiunt omni onere abire immunes. Verendum etiam ne si indicta causa eos adigamus ad id conferendum tributum, turbae excitentur, et Nos ejusmodi consilii demum poeniteat.

Suadet ut alia designet media pro Universitate amplianda, quae Pontifex approbare non dedignabit.

§. 2. Quamobrem Ven. Frater cogitationes tuas alio convertas oportet, et aliud quidpiam tibi est reperiendum quod exequi possimus omnium bona cum gratia, nec ulli detur de Nobis conquerendi locus. Si quid tibi in mentem veniat ejusmodi, alacres Nos experiere ad tuum consilium adjuvandum. Et tua dignitas, et tuum de Ecclesiae benemerendi studium, et Nostra ad morem tibi gerendum propensa voluntas, et ipsa denique res, quam laudabiliter molitur Fraternitas tua satis ac res stimulos Nobis addunt ad tibi navandam Apostolicam operam Nostram, qua te tandem votis tui factum esse compotem gaudeamus. Et Fraternitati tuae intimo Nostro cordis affectu Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die Vigesima Nona Martii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXX.

Super constitutione confirmatoria Instituti Societatis Jesu agit cum Episcopo Antiquerensi, et confirmationis causas enumerat.

Dat. die 9. Aprilis 1766. Anno VIII.

Vide Epistolam relatam supra num. CDXXIV. et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri
Michaeli Anselmo Episcopo
Antiquerensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Accepta Constitutione Nostra qua pium Soc. Jesu Institutum ab hominum, Deum parum timentium, maledictis vindicavimus, scribis magnam te suscepisse laetitiam, nec fuisse te existimaturum Episcopali tuo muneri satisfecisse, si non cum Nobis gratulatus esses, gratiarumque Nobis agendarum defuisses officio. Recte enim judicasti in hac causa, qua Clerici Regulares illius Societatis tantopere divexati fuerunt, non tam eorum rem agi quam universae Ecclesiae Apostolicae Sedis. Quid enim Ecclesiae magis injurium, quam Institutum illud appellare impium, quod qui sint professi plures illa in Sanctorum numerum retulerit, et ubique locorum omnes ejus Societatis ad praecipuas Sacri Ministerii partes ante hos ducentos annos ad hanc usque diem perpetuo adhibuerit? Quid Apostolicae Sedi contumeliosius, quam idem Institutum a novendecim fel. rec. Romanis Pontificibus

praedecessoribus Nostris probatum et laudatum, et ubique fere terrarum a Regibus et Principibus in eorum cujusque Ditione libentissime exceptum, et duorum saeculorum spatio loculentissimis opibus auctum, maximisque beneficiis cumulatum, atrocibus illud calumniis tamquam Ecclesiae et saeculi potestatibus adversum criminari? Sed jam constat inter omnes, ab ea secta quae veluti cancer serpit in Ecclesia, ejusque vires venerato dente depascitur, easdem artes, fallacias, et dolos ad Soc. Jesu excindendam esse adhibitas, quibus Ecclesiae, et Catholicae Fidei hostes jamdudum eamdem oppugnare sunt aggressi. Quamobrem Ven. Frater tibi eam magnopere commendamus, et quidque ad eam Soc. defendendam, augendamque contuleris, id velimus existimes in animarum salutem et Ecclesiae aedificationem te contulisse. Et Fraternitati tuae intimo nostri cordis affectu Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die Nona Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXI.

Dat. die 9. Aprilis 1766. Anno VIII.

Designato Episcopo Quebecensi qui plures postulationes Pontifici direxerat respondet, postulationesque ipsas resolvit.

Dilecto Filio Oliverio Du Briand Quebecensi Episcopo Designato.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Difficultates concrediti illi Episcopatus designat Pontifex, eumdemque hortatur, ut alacri Animo susceptum opus impleat.

§. 1. Si quantum aerumnarum sit perpessurus, cogitare illum oportet in primis, qui Episcopatum velit suscipere; tibi profecto gravissimum regendae Quebecensis Ecclesiae onus subeunte non mediocrem objicere debuit sollicitudinem illa consideratio, id tibi muneris esse gerendum in magnis asperitatibus rerum, et difficultatibus temporum; totoque tibi paratos esse labores corporis, et animi contentiones, ut plus oneris quam pars virilis postulat, impositum tibi fuisse videatur. Sed egregia tua in Deum pietas, et procurandae proximorum salutis amor, et adsiduum precandi studium illam a Dei misericordia tibi gratiam eliciat, quae opportune tuas recreet vires, et ubi intentiones tuae sint purae, ibi validiore praesto tibi fuerit Deus auxilio. Nobis quidem de eximia pietate et sapientia tua, et sanctificandarum animarum flagranti cupiditate, qua te mire incensum novimus, cogitantibus, magna spes est, Episcopales labores tuos in Quebecensi Ecclesia Christianae rei magno futuros emolumento, cujus Ecclesiae conveniendae interea Deum precamur, ut secundissima navigatione perfuncto, det tibi Deus celerem copiam.

Referunt[ur] Episcopi p[o]stulata, ... Pontificiae resolutione[s]

§. 2. De tuis postulatis, illa quidem sunt ejusmodi, ut saluti animarum, et Ecclesiasticae illius cum stabilitati, tum dignitati congruere videantur. Et quod ad primum attinet, per Congregationem VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositam ad te mitti jussimus documentum facultatis, quam ob praecipuas causas a te Nobis expositas tibi concessimus dispensandi in secundo consanguinitatis et affinitatis gradu. Deinde jubilei Bullam, sub Nostri Pontificatus initium a Nobis editam jussu Nostro memorata Congregatio curabit ad te perferri, ut Jubileum, cui nullus in Canadensi Regione proximo jactata bello esse potuit locus, in Ecclesia et Dioecesi Quebecensi denuo publicetur. Perplacuere tertium postulatum tuum, et ultimum, et tertio quidem declarari Nobis aequissimo rogas jure, Capitulum, quod vectigalibus et redditibus, quibus antea fruebatur, eversum sit, idcirco non censendum esse deletum. Disertis igitur verbis edicimus et declaramus, Capitulum Quebecense statum suum non amisisse, sed nihilo firmum minus quam antea etiam nunc retinere semperque in posterum retenturum: adeoque Canonicos ejusdem Capituli in Domino adhortamur ut eosdem habeant, quos antea soliti erant habere conventus, et saltem in solemnibus festis diebus adsint sacris functionibus quae vel in Cathedrali, vel alia quavis

Ecclesia, si ita res ferat ab Episcopo adsignanda celebrabuntur. Postremo de coadjutore tibi constituendo, libenter tibi morem geremus, ubi Nobis proposueris virum dignis eo munere virtutibus praeditum, quem praeterea Nuncius Noster, qui Lutetiae Parisiorum Apostolicae Sedis gerit negotia, probaverit. Denique tibi, dilecte Fili, benevolentiae erga te Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXII.

Dat. die 21. Aprilis 1766. Ann. VIII.

Praevia cujuscumque contrariae consuetudinis abrogatione, mandat ut in Monasteriis Monialium S. Benedicti Congregationis Casino Bursfeldensis, recipi imposterum debeant puellae non nobiles.

Venerabili Fratri
Caesari Alberico Archiepiscopo Niceno
ad Tractum Rheni, et partes inferiores
Germaniae, Nostro,
et Apostolicae Sedis Nuncio.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Recensetur introductus abusus recipiendi tantummodo nobiles puellas.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Gutherus Abbas, ac Praeses, aliique Monachi Congregationis Ordinis sancti Benedicti Casino Bursfeldensis nuncupatae quod in omnibus Monasteriis Monialium praedictae Congregationis in diversis Dioecesibus fundatis, ac praesertim in Monasterio Monialium Transaguensi nuncupato ejusdem Congregationis in Dioecesi Monasteriensi existente, contra primaevam institutionem, fundationem, et piam fundatorum voluntatem, ac Constitutiones dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatas, inolevit abusus admittendi ad Religionis habitum tantummodo Nobiles Puellas.

Qui sane abusus in Monasterii perniciem redolet, quod Monialium numero ad officia obeunda necessario caret.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, his temporibus puellae Nobiles potius saeculi oblectamenta sequantur, quam Regularem statum eligere cupiant, atque idcirco in Monasteriis praedictis adeo in dies Monialium Nobilium numerus minuatur, ut vix ipsae ad obeunda munera, et officia eorumdem Monasteriorum sufficiant, ac Monasteria hujusmodi, deficientibus Monialibus, deficere quoque possint. Qua de re dicti exponentes hujusmodi abusum recipiendi in Monasteriis memoratis puellas tantummodo Nobiles, avertere, ac penitus removere plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex indulget, et mandat ut futuris temporibus recipi in Monasterio Transaguensi hujus Ordinis debeant etiam puellae non Nobiles.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et quatenus id expedire censueris, virtute sanctae obedientiae, ac sub aliis prudentia tua injungendis poenis, praecipias, et mandes, ut in posterum in supradicto Monasterio Monialium Transaguensi ordinis Sancti Benedicti memoratae Congregationis admittantur ad suscipiendum habitum regularem, et recipiantur eae quoque puellae, quae Nobiles non sint, et ita futuris temporibus servandum fore pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas, atque concedas, salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et in-

tegros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sic in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictorum Monasteriorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis, clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXI. Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXIII.

Dat. die 28. Aprilis 1766. Anno VIII.

Literae Processus in Die Coenae Domini publicatae.

Quoad praesentium literarum publicationem a praedecessoribus Pontificibus, et ab ipso Clemente XIII. factam superioribus Annis, vide Constit. eamdem diei 20. Maji 1764. relatam sub Num. CDXV. pag. 872. et adnotationem in ea appositam.

Clemens Episcopus.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo (*omittitur tenor harum literarum, jam relatus locis citatis in superiori adnotatione, quum omnino similis sit praesentibus*).

DXXXIV.

Dat. die 30 Aprilis 1766. Anno VIII.

Archiepiscopo Pragensi respondet, qui falsam declaraverat vocem de Ecclesia tradenda Lutheranis in Dioecesi Pragensi pro eorum cultu explendo.

Hujus Pontificis literae quibus de praefatae Ecclesiae Lutheranis traditione rumor increbuisse Pontifex Archiepiscopo Pragensi significaverat, relatae superius a Nobis sunt sub N. DXXIII. pag. 1060.

Venerabili Fratri Antonio Petro
Archiepiscopo Pragensi.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Clemens PP. XIII.

Si Fraternitas tua cogitet quae per hos paucos annos Dominico Gregi evenerint mala, si pericula praeterea circumspiciat, quae metum ingerunt, ne Ecclesia, quod Deus prohibeat, gravioribus adhuc conflictetur aerumnis, minime mirum tibi videatur Nos rumore illo, de quo tibi scripsimus proximis literis Nostris, nonnihil esse commotos: quamquam de timore Nostro multum detrahebat carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Theresiae Reginae Apostolicae singularis pietas, et Catholicae Religionis in omnibus regionibus, quas habet in Ditione sua, conservandae, egregium studium atque praecipuum; magnamque fiduciam in tuo Ven. Frater flagrantissimo zelo habebamus, et semper ha-

bebimus. De quo zelo tuo tam Nobis extant, et luculentissima documenta in tuis iis literis, quas de Ecclesiae, et Dioecesis tuae statu haud ita pridem dedisti ad Congregationem Tridentinae Synodi, interpretem; ut te incolume, et sospite, nihil detrimenti existimemus isthic importari quidquam posse Catholicae Fidei. Sed omni Nos metu liberaverunt proximae tuae literae magnamque consolationem coepimus, non modo quod ex iis intelleximus, nihil tale, quod timebamus adversus rem Catholicam isthic moveri, sed quod eas etiam animadvertimus insignibus notis impressas tuarum Episcopalium virtutum, in quibus, omni posito nutu jure Nobis videtur Apostolicá Nostra cura posse conquiescere. Et Fraternitati tuae quam in Nostro charitatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die trigesima Aprilis 1766. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXV.

Dat. die 30. Aprilis 1766 Anno VIII.

Declaratur quod pro furtis commissis in valetudinario Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, asyli immunitas minime suffragetur.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet antiquitus, qui in hoc valetudinario furtum commisissent asyli beneficio minime juvarentur, attamen posterioribus temporibus ea super re dubia excitari coeperunt.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Ludovicus Patriarcha Antiochenus, et Praeceptor, seu Commendatarius Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, quod juxta inveteratam consuetudinem a ministris ejusdem Hospitalis ii, qui furta in dicto Hospitali committunt consignati semper fuerunt exequutoribus tribunalis Gubernii Almae Urbis praedictae, absque eo, quod nemo unquam reclamaverit, aut loci immunitatem opposuerit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, novissimis temporibus super hujusmodi immunitate orta quaestio fuerit, et quam maxime necessarium sit propter furta, quae in dies ibidem contingere solent, quaestionem hujusmodi, ac quamcumque in hac re dubietatem penitus dirimere, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut dicti Hospitalis quieti, atque in eo aegrotantium, illisque inserventium ministrorum tranquillitati providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declarat Pontifex nemini immunitatem asyli suffragare debere pro furtis comissis in hoc valetudinario.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dictum Archihospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe pro furtis in Valetudinario patratis tam pecuniarum, quam aliarum rerum illius usui destinatarum, aut ad inservientes, infirmosque pertinentes, nemini postbac ad asyli immunitatem suffragari posse auctoritate Apostolica tenore praesentium constituimus, decernimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, quae Nostris praesentibus literis adversantur, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut sanctio hujusmodi in lapide inscripta primo dicti Archihospitalis aditu ad perpetuam memoriam affigatur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Aprilis MDCCLXVI. Pont. Nostri Anno octavo.

DXXXVI.

Dat. die 30. Aprilis 1766. Anno VIII.

Monachis in domo Carthusiae Majoris Dioecesis Gratianopolitanae degentibus indulgetur ut a quolibet Antistite Catholico promoveri ad Ordines etiam Sacros possint, indulta eidem Antistiti a Domus Priore, seu Ministro Generali totius Ordinis eligendo, ut vasa, sacras supellectiles, caeteraque in Ecclesia praedicta existentia, benedicere possit facultate.

Dilecto filio Priori Carthusiae Gratianopolitanae Dioecesis.

Clemens Papa XIII.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Hoc idem indultum a Paulo V. primitus concessum ad quinquennium, confirmatum postmodum a quamplaribus successoribus fuit.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod dudum postquam fel. rec. Paulus Papa V. praedecessor Noster, ut in spirituali Monachorum in domo Carthusiae Majoris Gratianopolitanae Dioecesis degentium commoditati melius consuleretur, opportune providere volens, supplicationibus sibi tunc porrectis inclinatus de tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, omnibus, et singulis dictae domus Monachis pro tempore existentibus idoneis repertis, et quibus aliud non obstitisset impedimentum, ut servatis alias servandis, a quocumque Catholico Antistite gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habente, quem ad id a pro tempore existente dictae domus Priore, qui Minister Generalis totius Ordinis Carthusiensis esse consuevit, toties quoties opus esse videretur ad eamdem domum vocari contigisset, ad omnes tam Minores, quam Sacros, et Presbyteratus Ordines intra ipsius domus Ecclesiam, servatis a jure temporibus, seu etiam extra tempora hujusmodi, aliquibus Dominicis, seu aliis festivis diebus se promoveri facere libere, et licite valerent, ac eidem Antistiti ordines hujusmodi, alias tamen juxta formam Sacrorum Canonum, et decreta dicti Concilii, illis impendendi, super quo ejus, et pro tempore existentis Prioris praedicti conscientias oneravit, facultatem auctoritate Apostolica concesserat. Ac propterea eidem Antistiti, ut Ecclesiam praedictam, atque illius Altaria, Calices, Patenas, vasa, vestes, caeteraque paramenta, et ornamenta Ecclesiastica, quoties opus fuisset, consecrare, et benedicere, polluta reconciliare, et alia Pontificalia munera exercere, sicuti locorum Ordinarii, Pontificali dignitate praediti, solent, posset, et valeret ad quinquennium inde proximum indulxerat, tam dictus Paulus, quam re. me. Urbanus VIII., Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI. Innocentius XII., Clemens XI., Innocentius XIII., Benedictus XIII., Clemens XII. et Benedictus XIV. praedecessores Nostri concessionem, et indultum hujusmodi de quinquennio in quinquennium respective prorogarunt, seu de novo concesserunt, prout Nos pariter concessionem, et indultum hujusmodi ad quinquennium prorogavimus, seu de novo concessimus, et alias prout in eorumdem Pauli, Urbani, Innocentii, Alexandri, Clementis X., Innocentii XI., Innocentii XII., Clementis XI., Innocentii XIII., Benedicti XIII., Clementis XII., Benedicti XIV. praedecessorum, et Nostris in simili forma Brevis die XXV. Junii MDCCLIX. desuper expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressos, et insertos haberi volumus, prout fusius continetur.

Preces porrectae pro praecitati indulti prorogatione, et Apostolica in id indulgentia.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ultimi quinquennii a Nobis, ut praefertur, prorogati, seu concessi finis instet, seu jam expiraverit, causae vero propter quas licentiae praedictae alias emanarunt, etiam nunc durent, cupiasque propterea in praemissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri. Idcirco Nos te specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, concessionem, et indultum hujusmodi a memoratis Paulo, Urbano,

Innocentio X., Alexandro VII., Clemente X., Innocentio XI., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., Benedicto XIII., Clemente XII., Benedicto XIV. praedecessoribus Nostris, et a Nobis sicut praemittitur, factam, et prorogatam, seu de novo concessam ad aliud quinquennium proximum tantum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium prorogamus, extendimus, et ampliamus, seu de novo concedimus. Nec non omnibus, et singulis Monachis praedictis, licentiam, et facultatem, ac indultum, ut durante dicto quinquennio per praesentes prorogato, seu de novo concesso, a quocumque Catholico Antistite gratiam, et communionem easdem habente intra domus praedictae Ecclesiam, seu Cappellam eidem Antistiti benevisam, ad omnes tam Minores, quam Sacros etiam Presbyteratus Ordines, ut praefertur, se promoveri facere, eidem vero Antistiti, ut Ecclesiam praedictam, atque illius Altaria, Calices, Patenas, aliaque paramenta, et ornamenta Ecclesiastica praedicta benedicere, nec non Sacramentum Chrismatis omnibus, et singulis famulis in dicta domo degentibus conferre, aliaque praemissa facere, et exercere, servata alias in omnibus, et per omnia praedictarum literarum forma, et dispositione, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praesentis itidem de novo concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in dictis literis commissa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXXXVII.

Dat. die 7. Maji 1766. Ann. VIII.

Mediolanensem Archiepiscopum hortatur ut strenue resistat injuriosis conatibus laicae potestatis adversus Ecclesiam.

Dilecto Filio Nostro Josepho Tit. S. Mariae supra Minervam S. R. E. Presbytero Cardinali Puteobonello nuncupato Archiepiscopo Mediolanensi.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Eum commovet de evulgato rumore erigendi Mediolani Typographiam a Laica tantummodo censura dependentem.

§. 1. Ingruentibus in dies atrocioribus Ecclesiae Dei calamitatibus, et erumnis, ille Nos gravissime conficit dolor, quod ipsi S. Matris Filii talia moliantur, e quibus oriantur omnino necesse est malorum omnium, quae luctuosissima habentur et maxima. Nunc enim quid apud Vos designatur? Typographiam isthic a seculari potestate institui non ex inani rumore sed certis auctoribus intelleximus; in qua omnis generis libris non amplius ab Ecclesiasticis censoribus, sed ab iis tantum quos eadem laica potestas praefecerit, examinandi, te primario Pastore, et haereticae pravitatis Inquisitore inconsultis et insciis, imposterum excudantur.

Quantum periculosum Religioni sit, Ecclesiasticos censores in re Typographica removere.

§. 2. Quo quid Ecclesiae contumeliosius, quid gregi dominico exitialius? cum a re typographica, unde doctrinae omnes longe lateque emanant in vulgus, illi amoveantur, quos Orthodoxae Fidei morumque custodes Ecclesia constituit. Postulare videbatur Nostrorum iniquitas temporum, cum incredibili Christianae Religionis et Catholicae Fidei pernicie debacchatur quidvis opinandi effrenata licentia, ut ad luendam pietatis doctrinam ab Ecclesia duplicarentur excubiae. Ecce autem a seculari potestate ipsa Ecclesia pellitur a custodia, et duo tantum censores adhibentur, quibus omnium approbandorum cujuslibet argumenti librorum nullis circumscripta finibus datur facultas.

Archiepiscopum hortatur ut veterem in hac re Ecclesiae disciplinam custodiat, et vindicet.

§. 3. Quamobrem dilecte Fili Noster, tua nunc exprompta pietate opus est et animi fortitudine, tuumque zelum, et tuendae Ecclesiasticae potestatis in hac re flagrantissimum studium ab Episcopali virtute tua majorem in modum requirimus; ut tuo consilio et opere ad nihilum redignatur ejusmodi perniciosi conatus, quibus in extremum videtur adducta discrimen Catholica Fides, et universa Christiana Religio. Quid enim malorum non erit pertimescendum, si sacrum doctrinae depositum Romano Pontifici, et primariis Pastoribus traditum, vel ab eorum manibus laica

potestas eripiat, vel iis adimat ejusdem sacri depositi custodiendi facultatem et copiam?

Quam sane disciplinam, regulis datis, defendere caverunt Concilia quamplurima, et praesertim Lateranense, ac Tridentinum.

§. 4. De qua Orthodoxae doctrinae incolumitate servanda oecumenicae Synodi ac praesertim Lateranensis et Tridentina vehementer sollicitae, sapientissimas de edendis in publicum libris regulas providentia summa praescripserunt, quas omnes funditus deletas esse oportet, si Censores, et Typographi a laica tantummodo potestate huic rei praeficiantur, quorum facultas neque ab Episcopo, neque ab Inquisitore pendeat; qui quoslibet libros quamcumque tradentes disciplinam suo arbitratu probent; quorum denique auctoritate, ac permissu, inscia, et inconsulta Ecclesia, et quod haud ita raro contigerit, etiam invita, praelo excusi libri in publicum prodeant.

Archiepiscopum a defendenda Ecclesiastica hac disciplina haud desistere posse suadet jusjurandum ab eo emissum in Pastoralis officii assumptione.

§. 5. Quantis vero intersit, ne libri evulgentur, quos Ecclesiastica potestas non antea probaverit, illud exemplo esse potest, quod ubi examinandorum qui praelo sint excudendi, nullus Ecclesiae relictus est locus maximam Christiana Religio, et Catholica Fides a teterrimis et flagitiosissimis libris acceperit cladem. Supervacaneum ducimus, dilecte Fili Noster commemorare, quid cum Episcopalibus Mysteriis initiarere, de servanda in Dominico Grege Catholicae doctrinae incolumitate Christo Jesu Domino Nostro ejusque sponsae Ecclesiae sanctae promiseris; nec acriores cohortationis Nostrae stimulos pietati tuae admovendos existimamus, ut omnes zeli tui nervos intendas, ad hanc depellendam, quae Ecclesiae imminet, foedissimam tempestatem.

In proposita defensione praestanda, conjuncto labore cum Inquisitione contra haereticam pravitatem, procedendum esse insinuat.

§. 6. Illud autem esse te monitum volumus, ut Dilectio tua, et Inquisitoris sollicitudo in hac re ita procedatis, ut neuter vestrum inscio altero et inconsulto, quidquam consilii capiat, vel aliquid moveat; sed paribus et consentientibus utriusque vestrum voluntatibus omnia a vobis fiant, quae in hac re facienda esse existimabitis. Quod ad Nos attinet, Deo adjutore nihil Nobis reliqui faciemus ad Nostram adversus hujusmodi exitialia molimina potestatem auctoritatemque Apostolicam exercendam; nec quidquam a Nobis vos desiderare patiemur studii Nostri, et officii; quo in hoc gravissimo negotio et maximo, vester zelus, vestra pietas, vestra sedulitas et industria quam maxime adjuventur. Tibique dilecte Fili Noster, intimo nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die septima Maji MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DXXXVIII.

Dat. die 1[illegible] Maji 176[illegible] Anno VIII.

Beatificatio Servi Dei Simonis de Roxas Sacerdotis Professi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum calceatorum.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Admonet Nos claviger Regni coelestis Apostolorum Princeps Petrus (1) tanquam advenas, et peregrinos conversari in hoc saeculo, abstinentes a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam (2) ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis, in carne vivamus. Considerandum igitur, et assidue cogitandum (3) non habere hic Nos manentem Civitatem, sed futuram inquirere (4), corporis quidem pondere gravatos in terris detineri, sed conversatione nostra in Coelis esse. Illuc cogitationes, et curas omnes conversas, atque intentas esse oportet, et peregre constitutos properandum in patriam regredi. Nam memores jam in sacro Baptismi lavacro Satanae, et mundo, ejusque pompis, atque operibus renunciasse, debemus diabolica omnia vitare contagia, sancta, recta, ac Divina sequi, mundana omnia veluti aliena respuere, superna solum desiderare, temporalia de-

(1) Petr. c. II. v. 11.
(2) Ibid. c. IV. v. 20.
(3) Hebr. c. XIII. v. 140.
(4) Philip. c. III. v. 21.

spicere, aeterna quaerere, terrena fastidire, coelestia amare.

Enumerantur insignes Servi Dei virtutes.

§. 2. Apostolicis praeceptis instructus, et coelestibus disciplinis eruditus id totum, donec in mortali corpore moratus est, divina opitulante gratia, Servus Dei Simon de Roxas eximie in se completum, ac perfectum ostendit. Etenim pueritia, et adolescentia pie, ac innocenter exacta, quo longius se a mundanis rebus abduceret, ingressus est Ordinem Fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Calceatorum nuncupatorum, et in eo voto castitatis, paupertatis, et obedientiae solemniter emissis, renuncians ex animo, ac valedicens concupiscentiae carnis (5), concupiscentiae oculorum, et superbiae vitae, se, suaque omnia immortali Deo dedicavit. Atque ita ab omni eo, quod in mundo est, liber, et solutus, quod ore promiserat, opere adimplens, arduum Christianae perfectionis iter generosus Athleta arripuit. Divino autem auxilio roboratus, et patrocinio Beatae Mariae semper Virginis, erga quam intima animi devotione, et humili ferebatur affectu, suffultus, quotidie de virtute in virtutem proficiens, et praecipue in humilitatis studio, in paupertatis amore, misericordia in miseros, charitate erga Deum, fide, spe, aliisque virtutibus mirum in modum adeo progressus est, ut non solum inter suos, sed etiam apud omnes Hispaniae populos Sanctitatis fama late claresceret. Hac autem permotus cl. me. Philippus III. Hispaniarum Rex Catholicus, eum in Regiam Aulam accivit, ut in periculoso tot populorum regimine, et orationibus apud Deum, consiliis, et monitis inter homines adjuvaret, quo in difficili regnandi munere, veluti in lubrico, et fallaci itinere, rectum vitae suae cursum ad Dominum tuto dirigere posset. Itaque Vir Dei in Regali Aula positus tanquam lucerna super Candelabrum, jacentibus in tenebris saeculi lumen attulit, et ambulantibus in via salutis exemplo suo praeluxit. Nam inter Aulicas delicias, Regiosque splendores servi Dei Simonis, qui jam animo exiverat ad Jesum extra castra hujus saeculi, improperium ejus, nempe Crucem Domini portans, humanis, ac terrenis rebus posthabitis, penitusque abjectis, una cogitatio, et una cura fuit gloriam Dei, et salutem animarum procurandi. Quare, ut aliorum animis Divinae Majestatis timorem, ac reverentiam ingereret, et ab amore terrenarum rerum abstractos, ad dilectionem Dei, quantum in se erat, adduceret, nihil fuit laboris, diligentiae, industriae, ac sollicitudinis, sicut insignia ipsius facta testantur, quod strenuus, ac fortis contra diabolicos impetus, et fallaces mundi, et carnis illecebras non impenderit.

Quorum virtutum intuitu Sacra Congregatio Sacris Ritibus præposita, ad Venerabilis Servi Dei Beatificationem tuto procedi posse constituit.

§. 3. Ut autem tot excellentium virtutum Servi Dei exempla, quae in diebus peregrinationis suae viventes in aetate homines adeo juverunt, posteris quoque prodesse possint, Nos, qui superna dignatione universo Dominico Gregi, licet immerito, et viribus impares, praepositi sumus, Apostolicae servitutis Nostrae partes esse ducimus, tanti Viri honorem, atque venerationem ad Omnipotentis Dei gloriam, et Ecclesiae suae decus, ac spiritualem fidelium aedificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere. Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum processibus, rite, ac recte confectis super vita, Sanctitate, et virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei multipliciter claruisse, nec non miraculis, quae ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus illius Sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Servum Dei Beatum declarari, cum consuetis gratiis, et Indultis.

Pontifex hanc resolutionem approbando, et votis Christianorum Principum obsecundando, mandat ut Venerabilis hic Servus Dei Beati nomine deinceps nuncupetur.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque eximiis carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum Regis Catholici, tum etiam carissimae in Christo filiae Nostrae Elisabethae earumdem Hispaniarum Reginae Catholicae Viduae ejus Genitricis, et carissimi pariter in Christo filii Nostri Ferdinandi Utriusque Siciliae Regis, dictorum Karoli Regis, et

(5) Joann. II. v. 16.

Reginae Elisabethae respectivi filii, et nepotis, nec non universorum Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum Ecclesiarum Regnorum Hispaniae, ac totius insuper praefati Ordinis Fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum tum Calceatorum, tum Excalceatorum nuncupatorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio pariter et assensu, auctoritate Apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ut idem Dei Servus Simon de Roxas in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et Reliquiae venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur.

Plura decernit, quae noviter adlecti Beati venerationem, illiusque celebrandam festivitatem respiciunt.

§. 5. Immagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo recitetur officium et Missa celebretur de Confessore non Pontifice singulis Annis, juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani die XXVIII. Septembris, cum dies XXIX. ejusdem Mensis, qua ipse Servus Dei Spiritum Creatori reddidit, festo S. Michaelis Archangeli impedita reperiatur. Porro recitationem Officii, et Missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet in Urbe Vallisoletana, ubi Servus Dei natus est, et in Oppido Matritensi Civitate nuncupato ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, et in utraque Dioecesi Vallisoletana, et Toletana ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ac in toto Ordine praefato Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum tam Fratrum Calceatorum, quam Excalceatorum nuncupatorum, et quantum ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus ad Ecclesias ejusdem Ordinis confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias, a die, quo aedem literae illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis locorum, ac Civitatum, et Dioecesum, et Ordinis praedictorum respectivae solemnia Beatificationis, ejusdem Servi Dei cum Officio, et Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respective constituta intra sex Menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia: pro qua re die XIX. currentis Mensis assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo Praefecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio, tam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima tertia Maji Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Sexto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXL.

Dismembratio decem Conventuum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo ex Provincia Minori Poloniae ejusdem Ordinis, et erectio eorumdem in separatam Provinciam Lituanam deinde nuncupandam.

Dat. die 17. Maji 1766. Anno VIII.

Venerabili Fratri Antonio Archiepiscopo Ephesino apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniae Regem Illustrem, Nostro, et Apostolicae Sedis Nuncio.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Recensentur incommoda modo obvenientia ex nimia extensione Provinciae Minoris Poloniae hujus Ordinis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Nationis Lituanae Provinciae Minoris Poloniae Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, quod cum eadem Provincia a finibus Ungariae ad fines usque Curlandiae se protendat, in eaque consistant decem Conventus Nationis Lituanae, itaut propter tam magnam locorum distantiam, non solum graves requirantur impensae in visitationis

Conventuum, quae a Provincialibus peraguntur; verum etiam Provinciales ipsi haud facile possint opportunum cum celeritate exhibere remedium in deordinationibus, quae non sine damno Regularis observantiae, et dicti Ordinis dedecore in dies eveniunt: quinimo cum inter Nationem Polonam, et Lituanam vigeat quaedam animorum aversio, quae plerumque inter finitimos populos oriri solet, hinc inter utriusque Nationis Religiosos faciliter quaerimoniae excitantur, quae non solum aedificationis nequaquam sunt Christifidelibus, sed ipsis aliquando scandalum afferunt, pluriesque evenit, quod Provinciales, potius quam commune dicti Ordinis bonum prae oculis habentes, peculiari favore prosequuti sunt Conventus minoris Poloniae, quoties ipsi ejusdem Nationis erant, ac respective Conventus Lituaniae, in casu, quo hujus Nationis Provinciales fuerunt. Qua de re cum in Religiosis ipsis renitentia oriatur in parendo Superiori, qui alterius Nationis sit, deficit in Provincia hujusmodi mutua illa concordia, atque tranquillitas ex quibus bonum Religiosae Communitatis potissimum constituitur.

Quae sane mala facile amoverentur per separationem decem Conventuum Provinciae Lituanae a Provincia Minoris Poloniae.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat tot amoverentur mala, quoties diminuta nimia ejusdem Provinciae magnitudine, decem Conventus Nationis Lituaniae, Vilnensis scilicet, Lidensis, Zaswicensis, Kolesuicensis, Minscensis, Wladislaviensis, Lincowiensis, cum residentia in Chwatoynie ab aliis octo Conventibus Polonorum ejusdem Provinciae dividantur, ac separentur, et in novam Provinciam dicti Ordinis Lituanam nuncupandam erigantur; quippe quia Provinciales pro tempore existentes utriusque Provinciae utilius, et commodius propriam respective Provinciam gubernare poterunt; Religiosi vero Superioribus suae Nationis libenter, ac diligentius obtemperare non recusabunt. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex Apostolico penes Poloniae Regem Nuncio facultates

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito etiam Venerabili fratre Nostro Friderico S. R. E. Cardinali Episcopo Portuensi ejusdem Ordinis apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Protectore, Fraternitati tuae per praesentes committimus, ut veris existentibus narratis, et dummodo in dicti Ordinis, atque Provinciae bonum, et utilitatem id expedire in Domino judicaveris, atque etiam auditis, et vocatis iis, quos vocandos esse censueris, praedictos decem Conventus Lituanae Nationis, nempe Vilnensem, Lidensem, Zaswicensem, Kolesuicensem, Minscensem, Wladislaviensem, Lincowiensem, Pampianensem, Rosieynensem, Kieydonensem, cum residentia in Chwatoynie a Provincia minoris Poloniae dicti Ordinis, auctoritate Nostra Apostolica dividas, dismembres, ac in perpetuum separes, et in aliam Provinciam ejusdem Ordinis Lituanam nuncupandam, quae a propriis Provincialibus, caeterisque Superioribus juxta dicti Ordinis statuta eligendis, nominandis, et deputandis, in posterum regi, et gubernari debeat, dicta auctoritate perpetuo erigas, constitues, et deputes, eosdemque Conventus una cum dicta residentia perpetuo a memorata Provincia minoris Poloniae separatos, et divisos, atque ex eis aliam Provinciam Lituanam nuncupandam de novo perpetuo erectam, et constitutam, pari auctoritate, quocumque recursu, et appellatione remotis, declares, et pronuncies.

Impertitur exoptatae divisionis peragendae, et novae Provinciae Lituanae erigendae.

Peculiares providentiae servandae in sequelam hujus indultae divisionis Provinciarum.

§. 4. Fratribus vero utriusque Provinciae minoris scilicet Poloniae, ac alterius Lituanae, ut praefertur, erigendae, qui votum, sive suffragium in dicta Provincia minoris Poloniae habebant, et ferebant, in posterum iisdem modo, et forma, quibus illo in eadem Provincia frui, et gaudere poterant, pari modo in propria cujuslibet Provincia uti, frui, et gaudere valeant auctoritate praedicta itidem concedas, ac decernas. Insuper dictae novae Provinciae, ut praemittitur, eri-

gendae, et constituendae, ejusque Conventibus, Domibus, ac Provincialibus, caeterisque Superioribus pro tempore existentibus, ac fructibus, et personis quibuslibet, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, praeminentiis, indulgentiis, et indultis, quibus aliae ejusdem Ordinis Provinciae, illarumque Conventus Domus, Superiores, et Fratres, aliaeque personae tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia, uti frui, et gaudere libere pariter, et licite possint, et valeant respective eadem auctoritate similiter perpetuo concedas, et indulgeas. Impertientes tibi ad effectus praedictos omnes, et quascumque facultates necessarias, et opportunas. Volumus propterea quod praestationes, seu contributiones, quae a quolibet Provinciae dicti Ordinis Conventu suppeditari illius Provinciali, in posterum pariter a duobus Conventibus Nationis Lituanae, ut praefertur, a Provincia minoris Poloniae segregandis, dividendis ac separandis, qui sane Conventus neque ex majoribus sint, neque ex minoribus dictae Nationis Lituaniae in compensationem minoris numeri Conventuum Nationis Polonae suppeditari, ac Provinciali Provinciae minoris Poloniae perpetuo dari debeant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, ac ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, et Provinciae primodictae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVII. Maji MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXL.

Indultum ut Monachi Congregationis Reformatae S. Bernardi Italiae, Ordinis Cistercensis, pileum, et biretum album quibus modo utuntur in nigri coloris commutari possint, et valeant.

Dat. die 31 Maji 1766 Anno VIII.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur votum Monachorum pro obtinenda hac pilei et bireti commutatione ex albo in nigrum.

§. 1. Alias pro parte dilecti filii tunc existentis Abbatis Generalis Congregationis reformatae Sancti Bernardi Italiae Monachorum Ordinis Cistercensis Nobis exposito, quod in praecedenti Capitulo generali ejusdem Congregationis, major pars Abbatum vocem in praefato Capitulo habentium, summopere desiderabat, colorem album in pileo, ac biretino per Constitutiones dictae Congregationis a Sede Apostolica confirmatas praescriptum, in nigrum posse commutare, sicuti alii Mo-

nachi, et Regulares albo Monastico habitu utentes, hujusmodi commutationem impetraverant, propterea Abbates singulorum Monasteriorum ejusdem Congregationis, et ipsemet Abbate Generali imperante suorum respective Capitulorum voluntatem per secreta suffragia exquisiverunt, atque ex biscentum tribus Monachis vocem in Capitulis Monasteriorum ejusdem Congregationis habentibus major eorum pars centum scilicet, quinquaginta sex colorem album in pileo, ac biretino usque adhuc, ut praefertur, adhibitum in nigrum commutandum esse censuerunt; haec deinde sententia, cum a Consultoribus ejusdem Abbatis Generalis plenis suffragiis approbata fuisset, Nobis dictus Abbas humiliter supplicari fecit pro Apostolica mutationis hujusmodi coloris in pileo, ac biretino concessione, ac super hujusmodi precibus, audito prius dilecto filio Nostro Ferdinando Maria tituli Sancti Silvestri in Capite S. R. E. Presbytero Cardinali de Rubeis nuncupato, ejusdem Congregationis apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectore, exquirendum esse censuimus votum Congregationis Capituli generalis, quod prope diem in hac Alma Urbe Nostra celebrandum erat. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus Abbas generalis memoratae Congregationis in sessione habita die XXII. Aprilis proxime praeteriti, octo dumtaxat suffragiis discrepantibus, reliqui vero viginti octo vocem in Congregatione, et Capitulo Generali hujusmodi habentes, colorem album pilei, et biretini in nigrum commutandum esse putaverint, Nobis propterea idem exponens supplicari fecit, ut coloris hujusmodi mutationem concedere, et in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex requisitam facultatem immutandi coloris albi in nigrum indulget.

§. 2. Nos igitur eumdem Abbatem Generalem, et Monachos praefatae Congregationis specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicto Abbati generali, et Monachis omnibus memoratae Congregationis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, petitam gratiam mutandi colorem album pilei, et biretini in nigrum, Apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; volumus autem, ut pileus niger ea constet forma, quae deceat Religiosos Viros, et filis ad latera non restringatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque Abbati, et Monachis omnibus plenissime in omnibus, et per omnia suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis, et Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima prima Maji Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Sexto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXLI.

Dat. die 11. Junii 1766. Anno VIII.

Confirmatur electio, et coronatio Josephi II. in Regem Romanorum futurum Imperatorem.

Ad hanc ipsam Regis Romanorum electionem se referunt literae quas dedimus in hac Continuatione Num. CCCXCV, et CCCXCVI. p. 845. et seqq, itemque Alloquutio in Consistorio diei 4. Maji 1764. qua Pontifex Cardinalibus sequutam ipsam electionem participat sub num. CDXIII. pag. 868. tandem literae Apostolicae ejusdem diei et anni, qua Pontifex hic declarat, Regis Romanorum electionem haud approbatam a S. Sede censeri debere, nisi prius a noviter electo imploretur ipsius electionis confirmatio per assuetas Literas Consistoriales elargienda. Praecedentium Regum Romanorum electionum confirmationes habentur passim in Bullario Mainardii quarum postrema a Clemente XI. elargita fuit ex persona Caroli VI. die 26. Februarii 1714. quum successivae Caroli VII. et Francisci I. indultae a Benedicto XIV. haud reperiantur impressae in Benedictino Bullario.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei.

Carissimo in Christo filio Nostro
Josepho Romanorum Regi Illustri
salutem, et Apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Cum vices illius, qui regnat in Coelis, et per quem Reges in Terris dominantur, et Principes imperant in Apostolicae Sedis specula, meritis licet imparibus, sola ejus miseratione, et gratia freti, sustineamus, muneris Nostri partes esse intelligimus, quae communis utilitatis, salutis, et praesidii causa comparata noscuntur, atque ad Sacri Romani Imperii statum, decus, et amplitudinem praecipue pertinent, judicii, et auctoritatis Nostrae munimine roborare.

Refertur electio in Regem Romanorum et successiva illius coronatio

§. 2. Proinde cum piae memoriae Franciscus Romanorum Rex in Imperatorem electus Genitor tuus, haud multo antequam e vita decederet, fere sentiens breve sibi vitae cursum superesse, atque propterea perpendens Sacri Romani Imperii, et totius Christianae Reipublicae rebus, publicaeque saluti optime consultum fore, si de idoneo adjutore, et successore sibi quamprimum provideretur, atque hanc ob causam se Francofurtum ad Menum contulisset, et convocatis illuc Imperii Principibus, cum eis egisset, ut Majestatem tuam ejus filium Primogenitum in Romanorum Regem eligerent, a cujus singulari virtute, et magnitudine animi, quae ad tuendam Rempublicam opus essent, expectari merito deberent, iidem Principes consilium hujusmodi salutare sequuti, statuta die ibidem convenientes, te, qui Bohemiae, ac etiam Hungariae Regius Princeps eras, unanimi consensu, divina favente clementia, in Romanorum Regem futurum Imperatorem solemniter die XXVII. Mensis Martii Anni Domini MDCCLXIV. elegerunt: tuque electioni hujusmodi oblato tibi de more decreto, qua decuit modestia consentisti, ac deinde nempe die IV. Mensis Aprilis ejusdem anni in dictae Civitatis Collegiata Ecclesia Sancti Bartholomaei, post Missarum solemnia, a Venerabile Fratre Nostro Emerico Josepho Archiepiscopo Moguntino celebrata, solito per te in manibus ejusdem Archiepiscopi praestito juramento, aliisque solemnibus rite peractis ibidem argenteam illam Coronam, qua Karolus cognomento Magnus in Civitate Aquisgranensi coronatus fuisse dicitur, de manibus ejusdem Archiepiscopi more, et pompa solita recepisti.

Petitio porrecta pro electionis, et coronationis confirmatione, et successiva Pontificis approbatio, atque confirmatio.

§. 3. Quoniam vero electionis, coronationisque negotium hujusmodi nuper per dilectum filium Nostrum Alexandrum Sanctae Mariae in Via Lata S. R. E. Diaconum Cardinalem Albani nuncupatum, ad hoc specialiter deputatum, coram Nobis proponi fecisti, petens, omnia praemissa per Nos Apostolica auctoritate confirmari, caeremoniis servare solitis in iis debite observatis. Nos de praemissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus diligenter perpensa, et mature considerata, in-

genti in primis gaudio de eadem electione affecti, ad laudem, et gloriam Omnipotentis Dei, gloriosissimaeque ejus Genitricis Mariae, ac Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, nec non ejusdem Romanae Ecclesiae, et Sacri Imperii exaltationem, et honorem, electionem de persona Majestatis tuae in Regem Romanorum futurum Imperatorem, et coronationem in dicta Civitate Francofurti factas ob praestantissimas animi, et corporis tui dotes, luculentissimam spem, quam de te in sanctae fidei, et Religionis Catholicae, ac Nostra, et Romanae Ecclesiae, illiusque rerum, et bonorum defensione, propagatione, et protectione, conceptam habemus, de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio, et unanimi consensu, auctoritate Apostolica, et ex certa Nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus etiam substantiales, qui aut ratione formae, aut loci coronationis ejusdem, aut personarum Electorum eorumdem, qui ad suffragium ferendum, licet quovis legitimo jure eligendi destituti essent, admissi fuerint, sive etiam ex eo, quod idem Franciscus electus Imperator de manu Romani Pontificis auream Coronam non susceperit, seu quavis alia ratione, vel causa in hujusmodi electione, et coronatione quovis modo forsan intervenerint, supplemus, teque sic electum, et confirmatum ad suscipiendum Imperialis dignitatis culmen suis loco, et tempore dignum, et idoneum decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis legibus Imperialibus, ac privilegiis Electoribus ipsis, a quibusvis aliis forsan concessis, quibus etiamsi ad illorum derogationem, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, auctoritate, scientia, potestate, et tenore praemissis specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo, sexagesimo sexto Tertio Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Loco ✝ Plumbi.

Ego Clemens Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Locum Crucem Sigilli.

✝ Ego C. A. Card. Cavalchini Ep. Ostien. et Veliternen. S. C. Decanus.

✝ Ego J. M. Ep. Portuensis, et S. Rufinae S. R. E. Card. Lantes.

✝ Ego J. F. Ep. Sabinen. S. R. E. Card. Albani.

✝ Ego H. Ep. Tusculan. Card. Dux Eboracensis S. R. E. Vice-Cancellarius.

✝ Ego F. Ep. Albanensis S. R. E. Card. Serbelloni.

✝ Ego J. F. Ep. Praenestinus S. R. E. Card. Stoppanus.

✝

✝

✝

✝

✝ Ego J. M. Tituli S. Ceciliae S. R. E. Presb. Card. Feroni.

✝

✝

✝ Ego D. A. A. Tit. S. Petri in Vinculis S. R. E. Presb. Card. Galli Major Poenitentiarius.

✝

†
†
†
†
†
†
†
† Ego Karolus Tit. S. Clementis S. R. E. Presb. Card. Rezzonico ejusdem S. R. E. Camerarius.
†
† Ego F. M. Tit. S. Sylvestri in Capite S. R. E. Presb. Card. de Rubeis.
†
†
†
†
† Ego F. M. Tit. S. Alexii S. R. E. Ep. Card. Castelli.
†
† Ego P. H. Tit. Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Ep. Card. Guglielmi.
† Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Celio S. R. E. Ep. Card. de Comitibus.
† Ego N. Tit. SS. Nerei, et Achillaei S. R. E. Presbyter. Card. Antonellus.
† Ego Fr. L. Basilicae SS. XII. Apostolorum S. R. E. Presb. Card. Ganganelli.
† Ego M. A. Tit. S. Mariae de Pace Presb. Card. Columna.
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego T. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Pr. Card. Bonaccorsi.
†
† Ego N. S. Eustachii Diaconus S. R. E. Card. Corsinius.
†
† Ego F. L. S. Mariae in Porticu S. R. E. Diaconus Card. Chisius.
† Ego A. S. Agathae ad Suburram S. R. E. Diaconus Card. Torrigiani.
†
† Ego J. C. S. Caesarei S. R. E. Diaconus Card. Caracciolo de S. Bono.
† Ego N. S. Giorgei in Velabro S. R. E. Diaconus Card. Perelli.
† Ego A. S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconus Card. Corsinius.
† Ego A. SS. Viti, et Modesti S. R. E. Diaconus Card. Nigronus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

C. A. Card. Pro Datarius.

DXLII.

Conceditur Josepho II. Romanorum Regi in Imperatorem electo, ut ad ejus preces primaria aliqua Beneficia Ecclesiastica conferantur.

Dat. die 1[illegible] Junii 176[illegible] Anno VII[illegible]

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei.

Carissimo in Christo filio Nostro Josepho Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Causae praesentis Constitutionis.

§. 1. Cum post factam de persona tua per sacri Romani Imperii Principes Electorales, de consensu clarae memoriae Francisci Romanorum Regis in Imperatorem electi Patris tui tunc in humanis agentis in Regem Romanorum electionem ac per Nos pro universae Christianae Reipublicae salute confirmatam,

nuper Nobis significaveris, te summopere desiderare personas tibi gratas, et acceptas gratia, et munificentia aliqua beneficia Ecclesiastica consequi posse. Nos quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque praeconiis commendari, sublimium Principum desideria, et vota, quae in Divini nominis, et personarum illi clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, et opere postmodum consequente tutum deducuntur in actum, ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidele sinceritate, et devotione illibatae Ecclesiae Sponsae Nostrae te fidelem advocatum devovisti, eamque humili professione matrem, et Dominam tuam recognovisti, et ad ipsius honorem, et Sacri Romani Imperii decus, unctionem Victoriae, et diadema, etiam Nostro ministerio, adveniente tempore, suscipere, et in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tanquam ipsius Ecclesiae legitimus Pugil, et Athleta, te adversus Schismaticorum, et Haereticorum, Turcarum tyrannidem fidei, et Christiani nominis hostes insanias, et furores spiritualiter, et temporaliter armaris, et in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quae tuae celsitudini cedant ad honorem, et per quae eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis Apostolicae exhibitione gratiarum.

Pontifex annuit postulationi collationum sub Primariis precibus, nonnullis exceptionibus superadditis.

§. 2. Hinc est, quod tuae celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate, praesentium serie eidem celsitudini tuae concedimus, et indulgemus, quod si per te quibusvis collatoribus, seu collatricibus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum Saecularium, vel Regularium, Ordinum quorumcumque, per sacrum Romanorum Imperium ubilibet constitutorum, etiamsi qui, vel si quae Pontificali, vel alia quavis dignitate praefulgeant, seu Collegia, Capitula, et Conventus fuerint, super singulis beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, saecularibus, vel Ordinum hujusmodi regularibus in singulis Cathedralibus etiam Metropolitanis, Collegiatis, et aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi beneficia hujusmodi, canonicatus, et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, et ipsae Praebendae in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Praebendae esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsae in Cathedralibus, et Metropolitanis post Pontificalem majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorumdem collatorum, et collatricum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personae hujusmodi ad illa recipiantur, et admittantur preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi beneficia nominationes fieri contigerit primaria iidem collatores, et collatrices, salvo quod singulae collationes, et singulae Ecclesiae ex hoc ultra, quam in uno beneficio non graventur, ac ipsi collatores, et collatrices saltem quatuor beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi precibus inclinati, ac nominationibus parere, et intendere, nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit juxta earumdem precum, aut nominationum tenorem recipere, et admittere debeant, ac etiam teneantur. Ita quod Celsitudo tua unam, et eamdem personam supradictis collatoribus, et collatricibus simul, vel successive nominare possit; ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata, de aliquo beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta, ipso jure expiret. Et quoad easdem preces canonicatum, et praebendam, ac dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una Ecclesia pro unico dumtaxat beneficio computari debere declaramus, quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli videlicet in illis, quos pro singulis personis praedictis precum, et nominationum hujusmodi, et ad hoc, ut illae sortiantur effectum

etiam praesentium exequutores deputaveris per te, vel alium, seu alios beneficia praefata cum in quibusvis etiam ordinariis collatoribus per constitutiones Nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, et indulta quaecumque quomodolibet concessis, et in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quae personae, pro quibus preces, et nominationes hujusmodi factae fuerint, quatenus hujusmodi preces, seu nominationes hujusmodi ad illa se extendant infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda, etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicae alias quam per Constitutionem felicis Recordationis Benedicti Papae XII. Praedecessoris Nostri, quae incipit « *ad Regimen* » generaliter reservata existant, et ex diversis personis vacaverint, et personae nominatae praefatae tempore assequutionis beneficii, ad quod nominatae fuerint, aliud beneficium in eadem Ecclesia obtineant, ac secundum statuta, et consuetudines Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi constituerint, vel indulta Ecclesiis concessa capaces videlicet in aetate legitima constitutae, aut de legitimo matrimonio procreatae non sint, dummodo quoad hujusmodi qualitates alias cum eis canonice dispensatum, et Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda talia sint, quae sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, personis ipsis etiam duo, vel tria, seu plura quarumcumque qualitatum, et cujuscumque annui valoris Ecclesiastica beneficia obtinentibus, et expectantibus conferre, et assignare, nec non omnia, et singula, quae ad hoc ut precum, seu nominationum, et acceptationum, ac collationum hujusmodi succedant effectus opportuna fuerint facere, auctoritate Nostra per censuram Ecclesiasticam exequi possint, et valeant, super quibus ipsis plenam, et liberam, auctoritate praedicta, tenore praesentium potestatem concedimus, ac etiam facultatem, ac personis praedictis pro quibus hujusmodi primarias Preces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipse expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibusvis beneficiis pro eis factarum gratiis, et mandatis de providendo ipsis de iisdem, si quae ipsis concessae fuerint una cum gratia Precum, et nominationum primariarum earumdem uti possint, nec aliqua gratiarum hujusmodi consumpta, reliquae earumdem cassae censeantur, vel irritae indulgemus.

§. 3. Non obstantibus Nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, et publicatione, et diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem ordinariorum Collatorum, nec non expectativa in forma pauperum habentium, ac Illustrium, et Graduatorum, ac Sedis praedictae Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, nec non quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, et publicandis, et aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, statutis, et consuetudinibus illis praesertim quibus in Ecclesiis in quibus majores, et minores Praebendae hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem praebendam assequi valeat, nisi ad illam de minori gradatim, et per optionem ascendat, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus super provisione sibi facienda de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis speciales, vel generales dictae Sedis, aut Legatorum ejus literae etiam Nostro, vel eas concedentium proprio motu, aut cujusvis etiam quocumque respectu, et ad cujuscumque instantiam sint concessae, vel concedantur in posterum, seu si speciales de hujusmodi Beneficiis per Nos, seu Sedem praefatam, aut quaecumque aliae quarumcumque nominandi, et reservandi facultatum, quibusvis, quacumque etiam Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, per Sedem praefatam concessarum, vel concedendarum vigore re- Clausulae particulares.

servationum, sive earumdem facultatum obtentu ad hujusmodi beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factae fuerint, quas quidem literas etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel alias quomodolibet processum fuerit, nec non reservationes, facultates, et nominationes cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, quae praesentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut alias eisdem praesentibus quomodolibet obsistere viderentur, sive ex certa scientia, Nostra, vel simili motu, sive alias sub quibusvis forma, et expressione verborum, et quae fortassis totalis sui tenoris insertionum ac illorum, quibus concessa sunt, vel fuerunt, nominum, et cognominum individualem expressionem praesentibus faciendam, ad hoc ut illis per easdem praesentes sufficienter derogetur, exigunt, vel requirunt, et quae ipsis praesentibus, perinde ac si earum tenor de verbo ad verbum insertus foret, pro expressis habeantur, emanarint, ac mandata de providendo inde sequuta cum processibus per ea pro tempore habitis, nisi illi, pro quibus emanaverint, ut praefertur, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium numero fuerint ad Beneficia, quae Precum, et Nominationum Primariarium vigore per personas, pro quibus illae factae fuerint, acceptari, et de quibus eis provideri contigerit, minime extendi, quinimo in illorum exequutione personas ipsas omnibus, et quibuscumque earum literarum, et expectativarum, et reservationum hujusmodi vigore, et, cum quibusvis antelationum praerogativis, etiam illis, quas certis Nostris familiaribus continuis commensalibus in Cancellaria Apostolica, et aliis Nostris Literis ad effectum, ut in aliis in assequutione Beneficiorum conferendorum praeferantur, nominatim descriptis concessimus, et cum similibus derogatoriis clausulis, quae nulli quominus praesentium succedant effectus suffragari debeant expectantibus, etiamsi illarum obtentu in quibusvis Ecclesiis in Canonicos recepti ac de numero ipsorum Familiarium continuorum Commensalium antiquorum fuerint, nec non gratias in communi forma pauperum habentibus, ac Officialibus, et Illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam Nostris Familiaribus, continuis commensalibus antiquis, et descriptis, et in posterum describendis, dictis Cardinalibus dumtaxat, exceptis anteferri volumus, sed nullam per hoc expectantibus praefatis quoad assequutionem aliorum praejudicium generari, seu si dictis Collatoribus, seu Collatricibus, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas Apostolicas non facientes plenam, atque expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua, ejusque toto tenore habenda sit in Nostris literis mentio specialis, aut si personae praefatae praesentes non fuerint ad praestanda de observandis Statutis, et consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus hujusmodi Beneficia fuerint, ut praefertur, solita juramenta, dummodo in absentia sua per Procuratores idoneos, et cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa praestent, nec non Concordatis Nationis Germanicae, ac eorumdem Concordatorum confirmatione, ac praedictis, et quibuscumque aliis quandocumque editis, et edendis Constitutionibus, et Regulis Nostris, et dictae Cancellariae ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, et satisfactionem, seu observantiam habentes preces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur, nec ipsae preces sub illis compraehendantur quoquomodo, nec non quibusvis privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, et quibuscumque gratiis, expectativis specialibus, et generalibus, etiam mentalibus reservationibus,

unionibus, annexionibus, et incorporationibus, suppressionibus, et extinctionibus perpetuis, et temporalibus nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominandi, et aliis conferendi, commendandi, supprimendi, et extinguendi, aliisque citra accessus, et regressus de consensu facultatibus, literis, mandatis, et indultis quibuscumque etiam cum provisionibus, commendis, et aliis dispositionibus, ex tunc, et gratiis quibusvis personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, et quacumque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate praeeminentia, nobilitate, et excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentibus, et familiaribus continuis Commensalibus Nostris, etiam descriptis, et antiquis, et in eorum, ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, ac Patriarchalium, Principalium Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, Dignitatum, et aliorum Beneficiorum quorumcumque, cum cura, et sine cura saecularium, et quorumvis Ordinum Regularium, locorum piorum, Universitatum Studiorum, et aliorum quorumcumque, aut in nullis favorem, aut eorum, nec non jurium cessorum, vel oblatorum, aut spoliorum, damnorum etiam per Infideles illatorum, et obsequiorum Nobis. Romanaeque Ecclesiae, vel praefatae Sedi, aut pro Fide Catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, et urgentissimis, et insolitis, nec non exprimendis causis, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac motu-proprio, ac ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis antelationum praerogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, seu pensionibus, et gratiis, ac restrictionibus, modificationibus, exceptionibus, et annullativis, initiativis, ac derogatoriarum derogatoriis, nec non praefatam, et alias quascumque concessas, et concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, nec non mentis, et intentionis, ac perpetuae, et immutabilis voluntatis Nostrae fuisse, et esse de non revocando, ac suspendendo gratias easdem, et illis non derogando quomodolibet attestantibus, et in pristinum, et validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenariae reintegrantibus, ac per modum pacti, et initi contractus ac perpetui statuti, nec non gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, et ex tunc vere, et non ficte etiam quoad possessionem praedictorum Beneficiorum, ac omnes juris, et facti effectus plenum esse sortitos effectum, decernentibus, et declarantibus, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis per Nos, et Sedem Apostolicam praefatam, aut ejus Legatos in genere vel in specie, etiam nominatim de dictis Beneficiis, et alias quomodolibet emanatis: Quibus etiamsi in aliis, quod ille nonnisi certis modis, et formis inibi expressis, et nominatis, verbisque et signis inibi appositis, et cum diversarum literarum Apostolicarum expeditione, et intimatione etiam diversis temporibus facienda, ac de consensu eorum quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari possit, et quatenus suspenderentur, aut illis derogaretur, toties de novo, et sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur, eligenda, concessa, et facta sint, et esse censeantur, et expediri possint; ac sic, et non aliter per quoscumque Judices, et personas judicari debeat, caveatque expresse illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos et formas hujusmodi pro individuo servatis habentes, ad effectum praesentium omnino derogamus, et in dictis Beneficiis cum, ut praefertur, vacaverint effectum sortiri, et locum sibi vindicare non posse decernimus, nec non praesentes literas nullatenus de subreptionis, et obreptionis vitio, aut intentionis defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, et si per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, aut mixta auctoritate fungentes Judices, et personas ubique judicari, cognosci, atque decidi debere, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, et decidendi facultate, nec non irritum, et inane quidquid secus super praemissis omnibus, et

singulis, vel eorum aliquo, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 4. Praeterea quia difficile foret praesentes literas ad singula loca deferri, volumus, ac dicta auctoritate Nostra decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ubique adhiberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis. §. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Sexto, Tertio Idus Junii, Pontificatus Nostri Anno octavo. Loco ✝ Plumbi.

DXLIII.

Dat. die II. Junii 1766 Anno VIII.

Primariarum Precum indultum Imperatori electo concessum participat Pontifex singulis in Romano Imperio existentibus Praesulibus, et Capitulis, et plenam concessionis observantiam injungit.

Dilectis Filiis Capitulis, et Canonicis quarumcumque Cathedralium etiam Metropolitanarum, et Collegiatarum Ecclesiarum per Sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum difficultates illae, quae alias circa Preces, quas primarias vocant, subortae fuerant locum in praesens, benedicente Domino, non obtinuerint, nullumque propterea charissimo in Christo Filio nostro Josepho Romanorum Regi in Imperatorem electo, Pontificiae nostrae benevolentiae argumentum deesse velimus, id vobis nunc notum et perspectum, dilecti Filii, esse aequum ducimus, simulque vos admonere, ut eas Preces, quas de caetero a dicto Josepho Rege sive vobis, sive aliis quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per Sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium, pro Beneficiorum hujusmodi, cum primum illa vacaverint, collatione, servatis tamen restrictionibus, et exceptionibus solitis, facienda, porrigi, seu exhiberi contigerit, omnino recipiendas, et admittendas esse noscatis. Haec dum vobis, dilecti Filii, significamus, minime veremur, quin illas pro filiali vestro in Nos studio debitae exequutioni demandaturi sitis; Vobisque interim coelestium Charismatum incrementa ex animo a Deo precamur, ac perpetuum paternae charitatis Nostrae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Judicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXLIV.

Omnibus Ecclesiasticis personis servitio addictis, aut in Monasteriis habitantibus Monachorum Congregationis Camaldulensis Ordinis S. Benedicti, facultas indulgetur recitandi divinum Officium, et horas Canonicas juxta ritum dictae Congregationis. Dat. die II. Junii 1766. Anno VIII

Jam alias Ecclesiasticis personis servitio addictis Monasteriorum Regularium Ordinum, hanc ipsam indulxerat facultatem recitandi Officium divinum juxta ipsorum Ordinum ritum. Sic pro iis servitio addictis Monaste-

riorum, et Granciarum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti adest hujus Pontificis Constitutio Anni 1759. *Febr.* 14. *relata in hac Continuat. sub Num. XXXIX. pag.* 103. *Pariterque pro iis inservientibus Monasteriis Ordinis S. Benedicti Congregationis Olivetanae adest Constitutio altera hujus Pontificis Anni* 1764. *Augusti* 3. *relata sub Num. CDXXVI. pag.* 885.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Preces porrectae pro facultate recitandi divinum Officium juxta ritum hujus Congregationis, pro singulis in hoc indulto comprachensis

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Benedictus Mittarelli Abbas Generalis Monachorum Congregationis Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti, quod in nonnullis Monasteriis ejusdem Congregationis, ac in iis praesertim, in quibus cura animarum exercetur, vel propter infirmitates vel alias ob causas aliquando accidit, quod Monachi aut muneribus Parochialibus addicti, aut aliter legitime impediti, Choro, et Divinis Officiis interesse nequeunt, in eisdem vero Monasteriis, eorumque Ecclesiis, Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas Saeculares illorum servitio addictas reperiri, quarum ope Officium Divinum, et horae Canonicae juxta ordinem, seu ritum Monasticum recitari valent; eisdem autem Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis Saecularibus, quae ad recitationem Divini Officii obstrictae sint, valde onerosum, incomodumque esset, si Divinum Officium, horasque Canonicas juxta ritum Romanum denuo recitare deberent, ac propterea ipse Joannes Benedictus Abbas Generalis, tam suae, quam aliorum Abbatum ejusdem Congregationis, et personarum Ecclesiasticarum Saecularium hujusmodi conscientiae per Nos consulere, ac in praemissis opportune providere plurimum desiderat.

Pontifex petitam facultatem concedit.

§. 2 Nos piis dicti Joannis Benedicti Abbatis Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis personis Ecclesiasticis Saecularibus servitio Monasteriorum, et Ecclesiarum, ac Granciarum dictae Congregationis addictis nunc, et pro tempore existentibus, aliisque intra Claustra eorumdem Monasteriorum assidue habitantibus, et cum Monachis conviventibus, ut donec, et quousque in servitio praedicto, seu in Conventu intra Claustra cum Monachis perduraverint, si Divinum Officium, horasque Canonicas juxta ritum dictae Congregationis seu dictorum Monasteriorum in quibus ipsi existunt, seu servitio addicti reperiuntur, non solum in Choro cum Monachis, sed etiamsi in Choro una cum aliis Monachis, minime praesentes sint, seorsim, et separatim recitare possint, et valeant, auctoritate Apostolica, tenore praesentium concedimus, permittimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos; etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac Ordinis, et Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis

illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XI. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno octavo.

DXLV.

Dat. die 25. Junii 1766. Anno VIII.

Episcopo Michoaconensi, qui cum Pontifice gratulatus fuerat De Constitutione qua nuper confirmatum fuit Institutum Soc. Jesu, causas hujus confirmationis designat.

De hoc eodem Argumento vide Literas supra relatas sub num. DXXX. pag. 1065. *et adnotationem ibidem appositam.*

Venerabili Fratri Petro Anselmo
Episcopo Michoaconensi.

Clemens Papa. XIII.
Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Quae fuerint causae confirmationis Instituti Societatis Jesu recensentur.

§. 1. Gratulabundas tuae Fraternitatis accepimus literas quae Nobis nunciant quantam tibi laetitiam attulerit Nostra de Instituto Soc. Jesu Constitutio. Multae ad eam condendam evulgandamque causae Nos impulerunt; quarum illa praecipua, ne cum illud Institutum ab hominibus parum Deum timentibus atrocibus maledictis proscinderetur, speciem silentio Nostro praeberemus, recessisse Nos a praedecessorum Nostrorum judicio qui merito illud laudarunt et approbarunt, et ab Ecclesia, quae ad potissimam sacri Ministerii partem Societatem Jesu his ducentis annis adhibuit, dissentire quodammodo videremur. Ea igitur Constitutione declaratum oportuit, Nos eadem plane de illo Instituto sentire, quae universa cum praedecessoribus Nostris usque adhuc sensit Ecclesia.

Laudes, et merita hujus Instituti.

§. 2. Et ipsa praeterea justitia postulabat ut homines, qui pro aeterna proximorum salute procuranda se et labores suos, suamque vitam omnem devoverunt, a mendacissima illa teterrimaque criminatione vindicaremus, quam non tam Ecclesiae hostes, quam ejus Societatis inimici eos tanquam excompacto conjuratos ad evertendam Evangelicam morum doctrinam impudenter sunt ausi traducere. Sed jam est omnibus exploratum, non aliam ab causam quam quod adversus novatores Catholicam Fidem, et Apostolica decreta strenue defenderint, eos fuisse tam misere divexatos. Quo magis faciendum Nobis fuit, ut in tantis aerumnis consolatio aliqua ad eos perveniret ab hac Apostolica Sede. Ceterum ea literis tuis plane intelligimus, tibi nihil opus esse commendatione Nostra, quo illos tuo foveas patrocinio; sed tamen illud tibi diserte volumus profiteri, quidquid in eos favoris et gratiae contuleris, id Nobis fore gratissimum; tibique Ven. Frater omni animi Nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Vigesima Tertia Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXLVI.

Dat. die 25. Junii 1766. Ann. VIII.

De Regiis Edictis Ecclesiasticae potestati adversis conqueritur cum Christianissimo Gallorum Rege, ejusque Religionem provocat ut Gallicanos Episcopos hac de re benigne audire, eorumque preces excipere velit.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo.

Clemens PP. XIII.
Carissime in Christo Fili Noster
salutem, et Apostolicam benedictionem.

De nuper evulgatis Regiis Edictis

§. 1. Pateretur Regia Majestas tua paterna Nos libertate et aperto animo, gravissimum

Ecclesiasticae libertati infensis condolet cum Francorum Rege.

tibi significare dolorem, quem ex tribus, ut vocant, Arrestis a Regio tuo Consilio die Vigesima quarta proxime lapsi Mensis Maji promulgatis accepimus. Pro certo habemus, Majestatem tuam cum illa ad lucem proferri jussit, non alio spectasse, quam ut Religioni prodesset, Ecclesiae pacem constabiliret, publicae tranquillitati consuleret. Verum acerbissime doluimus, et dolemus, tibi, carissime in Christo Fili Noster, minime in conspectu positos fuisse abusus ex illis Arrestis sine ulla dubitatione orituros, quibus nervi omnes divinae illi potestati praecidantur, quam Christus Dominus ligandi atque solvendi, Gregem pascendi, eumque a venenatis pascuis prohibendi Sacris Pastoribus tradidit.

Praelaudatum hortatur ut Gallicanos Antistites hac de re benigne audire, illisque obsecundare dignetur.

§. 2. Illud tamen paululum de dolore Nostro detraxit, quod Majestatem tuam comperimus prono esse animo ad Episcopos isthic ad Generalia Comitia congregatos benigne audiendos; quin etiam eos voluisse re fieri certiores, si quid Ecclesiae per illa Edicta impositum esse gravius existiment, minimeque ferendum, paratissimum esse te eorum voces audire, et aequis auribus. Quamobrem ista tua, qua es summopere praeditus benignitate, atque clementia jure confisi, ad eosdem Episcopos literas dedimus, quibus eos hortamur, te ut adeant cum ea fiducia, quam eorum animis injicere debet non tam ipsius bonitas causae, quam summum tuum in Jesu Christi Sponsam studium, egregia voluntas, praeclara devotio, Eos cum in tuum conspectum admittes existimato, carissime in Christo Fili Noster, Sanctam ipsam Matrem tuam Ecclesiam introeuntem ad Primogenitum Filium suum tendere supplices manus, et in extremo periculo positam, Regium illius auxilium et fidem infimis precibus implorare. Nos interea Deum impensissime oramus, ut qui tuum ut omnium Regum cor habet in manu sua, Majestatem tuam ad ea capessenda consilia permoveat, quibus Ecclesiae sua maneat incolumis dignitas et potestas, tuaque Religiosissimi Principis augeatur laus et gloria. Et Regiae Majestati tuae, quam in paternae charitatis Nostrae gerimus sinu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die Vigesimaquinta Junii MDCCLXVI. Pontific. Nostri Anno octavo.

DXLVII.

Dat. die 25 Junii 1766 Anno VIII

De eodem argumento scribit Universis in Gallia Antistitibus ad Generalia comitia congregatis, eisque significat, ut Christianissimum Regem adeant, illiusque in subjecta materia Religionem excitent.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Lutetiae ad Generalia comitia congregatis.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Enumerat perniciosos effectus evulgatorum edictorum in perniciem Ecclesiasticae potestatis.

§. 1. Quam graviter animo simus commoti, cum tria legimus, ut vocant, Arresta die XXIV. proxime elapsi Mensis Maji a Regio Consilio Christianissimi Regis edita, facile vobis fuerit existimare, quos eadem causa itidem perculsos et examinatos accepimus. Quid enim fiet in posterum divina Ecclesiae potestate, si cum sese exercere suoque ubi opus fuerit jure uti, et ad sibi parendum fideles adducere voluerit, a laicae potestatis omnino pendere debeat nutu, nec plus ab iis obedientiae possit exigere, quam quod eidem Saeculari potestati libuerit? Quod num censebimus ad internoscendos utriusque potestatis finis constitutum esse discrimen, si in manu sit et arbitrio laicae potestatis illud efficere, ut frustra sit quidquid in rebus Fidei vel disciplinae, vel etiam in doctrina morum Ecclesia decreverit? Videtis VV. FF. in hoc veluti servitio quam opprimatur Ecclesia, quam gravi calamitate vineam Domini everti denique oporteat. Nec preterea vestram fuget prudentiam quanta inde extimescenda pernicies quod Saecularis potestas sibi vindicet Regularium Ordinum Constitutiones ad examen revocare, easque reformandas suscipere, hac Sacra B. Petri Sede inconsulta, quam ubi res agatur ejusmodi, adeundam esse nemo negaverit, et vel ipsa haud ita rara in isto Regno probant exempla.

Episcopos hortatur ut cum fiducia Christianissimum Regem adeant, illiusque in tanta asperitate auxilium obtenturos fore confident.

§. 2. Ceterum persuasissimum Nobis est, Xmo. Regi minime in conspectu positum esse, quam multi, quamque graves adversus Ecclesiam ex illis edictis oriri possunt abusus, quibus non dubitamus rectissimam ejus mentem egregiumque in S. Ecclesiam studium quam longissime abhorrere. Eorum igitur expressam quodammodo, vivisque coloribus depictam imaginem Regiae illius Majestati vestrum est ob oculos ponere, idque eo faciendum est vobis alacrius, quod idem Rex Xmus. diserte declaravit, si quid vobis sit querelarum, quod ad eum velitis afferre, se rationibus vestris benignas facilesque aures praebiturum. Nos quo facilius planiusque Fraternitatibus Vestris ad eum pateat aditus, Regiae illius Majestati scribimus, acerbissimum illi nunciantes dolorem, quem ex illis edictis coepimus, ejusque obtestamur Religionem, ut vos aequo animo audiat, cum Regiam ejus opem imploraveritis, ut, quam Xto. Dno. accepit, sua constet Ecclesiae actuosa vis et potestas. Et Fraternitatibus Vestris, quarum flagrantissimum in Deum, et in Jesu Christi sponsam zelum et studium numquam satis laudabimus, omni animi Nostri affectu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae die XXV. Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXLVIII.

Dat die 26 Junii 1766, Anno VIII.

Respondet Episcopo Chiapensi cum Pontifice gratulanti de Constitutione, qua confirmatum fuit nuper Institutum Soc. Jesu.

Consule de hoc eodem argumento Epistolam supra relatam sub num. DXLV. pag. 1087. *et adnotationem in ea appositam.*

Venerabili Fratri Josepho Episcopo Chiapensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quam frugiferum fuerit in Vinea Domini Institutum Societatis Jesu, cum gaudio recordatur.

§. 1. Nihil Societati Jesu honorificentius testimonio tuo, nihil praeclarius, qui literis tuis summo studio gratias Nobis agens pro Constitutione, qua ejus Institutum laudavimus, ac denuo approbavimus, diserte profiteris existimare te hoc gratiarum officio, Episcopali tui muneri satisfacere. Et sane permagni tua interest eam stare Societatem, unde scribis tibi strenuos impigrosque suppetere adjutores, quorum opera tuus tibi fit levior Episcopalis labor. Episcoporum omnium, qui literis suis eam Constitutionem Nobis sunt gratulati, una vox est, Societatem Jesu Catholicae Ecclesiae fuisse et esse maxime fructuosam atque frugiferam, quo praeconio post conditam eamdem Constitutionem nihil Nobis potest esse delectabilius. Deum precemur, ut in ea Societate nunquam refrigerentur studia pietatis, eademque semper illi maneat perpetua defendendae Catholicae Religionis voluntas, et in hanc Sacram B. Petri Sedem incorrupta fides et praeclara devotio, ut qui ejus profitentur Institutum in his tribulationibus, quibus in hac iniquitate temporum conflictantur, vere Deo dicere possint: *Haec omnia venerunt super Nos, nec obliti sumus tui, nec inique egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum* »

Societatem Jesu huic Episcopo, caeterisque Antistitibus commendat.

§. 2. Interea primarii Pastores, qui ex hujusmodi strenuis fidelibusque Operariis tantos in suis quisque Dioecesibus tamque uberes fructus capiunt, eos, ut aequum est patrocinio suo tueantur: quod Fraternitatem tuam fecisse arbitramur et facere, quantum intelleximus ex literis tuis, quae tot tantisque eorum laudibus sunt refertae, ut nulla Nobis honorificentiora suppetant verba, quibus ea Societas tibi possit fieri commendatior. Tibique Ven. Frater intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI, Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DXLIX.

Dat. die 26. Junii 1766. Anno VIII.

Cum Hispaniarum Catholico Rege conqueritur, in Hispania parari legem, quae Ecclesiam prohibeat amplioribus facultatibus augeri.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quanta sit Ecclesiae injuria profutura ex novissima hac lege conqueritur.

§. 1. Magnam Nobis molestiam gravis quaedam jamdudum attulerat fama, id apud Regiam Majestatem tuam agi, ut legem ferres, ne cui liceat in posterum Regiae ditioni tuae subjecto, bonorum suorum dominium quovis titulo ad Ecclesiam transferre. Qua lege novissime in quibusdam regionibus lata non modo vehementer dolemus Ecclesiae miseram vicem, quae in tantam venerit contemptionem, ut contra omne jus et fas a fidelium liberalitate excludatur, unde iniquum esset vel vilissimum quemque excludi, sed etiam de spirituali eorum pernicie gravissime angimur, tum qui ejus legis suasores fuerunt, tum qui conditores. Cum autem rumorem illum paullatim relanguescere videremus, sperabamus nihil amplius ea de re Majestatem tuam cogitaturam. Sed cum inespectato eamdem rem in Regio consilio tuo examinari acceperimus, pro Apostolico munere divinitus Nobis imposito, ac pro paterna Nostra, qua Regiam Majestatem tuam complectimur charitate, id velimus consideres, quam tibi tuaeque animae saluti male consulant ii, qui te ad hujusmodi injustam et Ecclesiae injuriosam legem impellunt.

Quibus considerationibus Catholicus Rex ab legis approbatione desistere debeat enucleatur.

§. 2. Nam quod Majestati tuae in hac re aliorum deteriora proponunt exempla, non putamus te quid hic, vel ille fecerit, sed quid facere debuisset respicere. Quovis enim exemplo non dubitamus normam illam justitiae et aequitatis fore tibi potiorem, ad quam in timore Domini usque ad hanc diem magna Religionis ac pietatis tuae laude actiones tuas exegisti. Vides, carissime in Christo fili Noster, ea lege cum Ecclesia pejus agi, quam cum nullius numeri hominibus, quorum neminem quantumvis vilissimum lex ulla prohibet amplioribus facultatibus augeri. Vides ea lege fidelibus objici impedimentum, quominus in posterum, cum mortalitatem expleverint, animarum suarum quieti provideant.

Demonstrat nullam utilitatem Regio Ærario, subditisque ex nova hac lege futuram esse expectandam.

§. 3. Nec vero, carissime in Christo fili Noster, eam legem publicae rei tantopere utilem fore existimes quantum, qui eam urgent, clamitant profuturam. Neque enim inde aut copiosior fuerit Mercatura, aut Agricoltura diligentior; quae duo sola sunt capita, unde profluunt in commune bonum opes atque divitiae. Facile etiam intelliget Regia Majestas tua, eamdem legem non eum, quo tendit, consequi finem, et ea lata non plus ad aerarium tuum argenti proventurum. Nam in pactionibus cum gl. me. Rege Philippo Patre tuo confectis, quae bona ad Ecclesiae dominium in posterum transferri contingat, convenit inter illum Principem et hanc Apostolicam Sedem, ut aeque ac si essent in manu laicorum, Regi esse debeant vectigalia. Nulla igitur inest huic legi aequitas, nullum inde laicis vectigalium aut tributorum levamentum, nec quidquam aliud ex ea efficitur, quam ut Ecclesiae minus fuisse benevolens videare, cui tamen usque adhuc fuisse te benevolentissimum, tua omnia erga eam studia, et officia declarant. Has aliasque plures rationes non dubitamus prae oculis habituros consiliarios tuos, quibus hanc rem examinandam commisisti religioni, pietati, et egregio aequissimorum virorum in justitiam studio, et amore freti, multo vero maxima tua carissime in Christi fili Noster sapientia et virtute, praeclaraque voluntate, qua certum semper tibi fuit omnia aeternae saluti tuae posthabere, confisi futurum speramus, ut ejus rei deliberationem dimittas, quae Ecclesiae injuriam faceret nec publicum augeret bonum, nec tibi quidquam afferret utilitatis. Tibique carissime in Christo fili Noster, Regiaeque familiae tue universae, intimo Nostri cordis affectu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI, Junii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno octavo.

DL.

Cum Anicensi Episcopo gratulatur, quod ediderit instructionem suam Pastoralem adversus Haeresim et Haereticos in Universum.

Dat. die 2 Julii 1766 Anno VIII

Venerabili Fratri Joanni Georgio
Episcopo Aniciensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Pastorali tuae Instructioni, quam ante hos tres annos adversus Christianae Religionis hostes edidisti, aliam instructionem adjectam adversus Haereticos in Universum, qui Ecclesiae obfirmato animo parere detrectant, libentissimo animo accepimus; in qua non eximia tua modo eminet scientia sacrarum rerum, sed etiam in iis pertractandis acumen et singularis eloquentia. Ac Nobis quidem hujus scriptionis tuae pleraque omnia perplacuerunt: illa vero Paulini loci ex Epistola ad Titum, ubi Beatissimus Apostolus ait haereticum hominem suo ipsius condemnari judicio, pulcherrima Nobis visa est explicatio. Concinneque et apposite Jansenii affers exemplum, quem doctrinae suae novitatem, hoc est errores suos confiteri, ac propterea seipsum condemnare manifestissime demonstransti. Non tam igitur, quod cum librum Nobis dono miseris, pro hac tuae erga Nos voluntatis significatione singulares tibi agimus gratias, quam insigne hoc tum zeli, tum ingenii tui monumentum ex animo gratulamur; Tibique a Deo precamur longam vitam et prosperrimam valetudinem, qua possis, tanta tui cum laude, et Ecclesiae emolumento cum ejus hostibus praeliari praelia Domini. Et Fraternitati tuae cujus ingenium, doctrinam, Deique zelum et egregium in S. Ecclesiam studium, praeclaramque voluntatem magnopere amamus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Secunda Julii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno VIII.

Ad exitum perducto Pontificatus Anno VIII. quoad materias omnes Ecclesiasticas res pertingentes, progredimur ad ea negocia. quae eodem Pontificatus anno Temporalem Pontificis potestatem respiciunt.

DLI.

His, qui Doctorali Laurea insigniuntur in Universitate Bononiensi, ea omnia privilegia Pontifex elargitur, quibus donantur Laureati in Archigymnasio Romano, moderando Constitutionem Benedicti XIV. latam IV. Kal. Septembr. MDCCXLIV.

Dat. die 23. Sept. 1765 Anno VIII.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§. 1. Inter multiplices Pastoralis vigilantiae Nostrae curas ad ea libenter intendimus, per quae Collegia Virorum, qui semper in Utriusque Juris doctrina eximie floruerunt, novis Pontificiae Nostrae liberalitatis gratiarum, ac privilegiorum muneribus illustrentur, prout in Domino concipimus expedire.

Preces porrectae pro moderatione Literarum Benedicti XIV.

§. 2. Nuper siquidem ex parte dilectorum filiorum Juris Utriusque Doctorum Collegiorum Civitatis Nostrae Bononiensis expositum fuit, quod in eximia eorum Universitate, tam Scholarium ex omnibus Orbis Christiani partibus illuc confluentium multitudine, quam illustrium Virorum copia praeclara, ab antiquissimo tempore, omnes, qui jurisperitia, ac doctrinae praestantia ornati comperti fuerunt, et in Doctorum numerum adscripti, posteaquam ibidem Doctoralem Lauream de more ipsi obtinuerunt, ab omnibus pro Doctoribus habiti, et Doctoratus honore, privilegiis, praerogativis sine ulla controversia ubique locorum gavisi sunt. Cum autem felicis recordationis Benedictus Papa XIV. praedecessor Noster per suas sub Plumbo IV. Kalendas Septembris MDCCXLIV. expeditas literas sanciverit, ut nullus in posterum, qui Doctoralem gradum in Archigymnasio Sapientiae hujus Almae Urbis assequutus non fuisset, quaecumque munera, et Romanae Curiae officia obtinere, atque exercere posset, et ii tantummodo, qui ex Bononiensi Civitate inter Palatii Apostolici Auditores, vel Concistorialis Aulae Advocatos adscripti, ac jampridem a dictis Collegiis in Doctorum numerum relati essent, credita sibi munera in Alma hac Urbe assequi valerent, et alias prout

in eisdem Benedicti praedecessoris literis, quarum tenorem pro pleno, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; quapropter ne caeteris Lauream Doctoralem in iisdem Bononiensibus Collegiis assumentibus praejudicium ullum obveniat, et Romanae Curiae officia assequi et exercere, ut antea fieri solebat, ipsi nequeant, paternae Nostrae charitatis partes interponi dicti exponentes plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex praevia moderatione Benedictinae Constitutionis, indulget ut in universitate Bononiensi Laureati, omnia consequi possint munia ac si Lauream obtinuerint in Archigymnasio Romano.

§. 3. Nos igitur, qui Collegiorum praedictorum ob singularem eorum praestantiam, et antiquitatem, prosperum statum, uberioraque in dies incrementa sinceris exoptamus affectibus, eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, easdem Benedicti praedecessoris literas, in hac parte dumtaxat, tenore praesentium revocamus, et annullamus, viribusque, ac effectu penitus, et omnino vacuamus, ac proinde omnes, qui ad Doctoralem gradum in Utroque Jure in Universitate Bononiae fuerint promoti, posteaquam tamen Doctoratus privilegium apud Rectorem Archigymnasii hujus Almae Urbis, qui illud in ipsius Archigymnasii Archivio, absque ulla Doctorum impensa referre, ac describere mandet, exhibuerint, ad assequendas quascumque Dignitates, et Beneficia Ecclesiastica, nec non ad Praelaturas, Magistratus, Judicaturas, Lecturas tam privatas, quam publicas; tum etiam ad munera Procuratoris, vel Advocati coram quocumque Judice, seu Tribunali, et demum ad quodcumque aliud munus, vel Officium cujusvis generis, gradus, et conditionis in Urbe exercendum, et ad alios omnes, et quoscumque effectus etiam inexcogitatos, et expressa mentione dignos, praedictum Doctoratus Universitatis Bononiensis privilegium illis prorsus suffragari, ac valere debere, atque ipsos, Doctoratus Bononiensis hujusmodi praerogativa ornatos, perinde ac si Lauream Doctoralem in dicto Archigymnasio Urbis suscepissent, habendos omnino esse volumus, ac ita perpetuis futuris temporibus servari praecipimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt adductae, aut verificatae, et justificatae fuerint, aut quavis alia, causa, colore, et praetextu, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, infringi, et retractari, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri, debere, ac irritum, et inane si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specia-

liter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Septembris Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Quinto, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

DLII.

Dat. die 15. Nov. 1765. Anno VIII.

Confirmatio Ordinationum, a Sacra Consulta praescriptarum in extrahendis Gonfalonerio, Prioribus, Consiliariis, caeterisque Officialibus Civitatis Reatinae.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicata fuerat Sacra Consulta ad tollendas confusiones in Officialium extractione occurrentes.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, et homines Civitatis Nostrae Reatinae, quod ipsi, ut averterent multa mala in electione Gonfalonerii, et Priorum Consiliariorum ejusdem Civitatis jam introducta, sub nomine eorum, qui studiosi sunt, ac zelum habent pro publico decore Nobilium dictae Civitatis, ac majoris partis illius Consiliariorum recursum habuerunt ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales super Consultationibus Negotiorum Status Ecclesiastici deputatos, qui perpensis confusionibus, ac serio ponderatis omnibus circumstantiis, dilecto filio praefatae Civitatis Gubernatori sua Epistola injunxerunt, ut in posterum in extrahendis hujusmodi Officialibus executioni committeret regulam, et normam ab ipsis praescriptam in folio eidem Epistolae adjuncto. Tenor vero Epistolae hujusmodi, et praedicti folii est, qui sequitur videlicet.

Refertur tenor resolutionum Sacrae Consultae.

» In vista di quel di più che si è da V. S. significato in proposito delli ricorsi avanzati alla Sacra Consulta per parte delli Zelanti del pubblico decoro del Ceto Nobile di codesta Città, e della maggior parte de' Consiglieri ascritti al General Consiglio, quali insistono perchè venga posto un perfetto sistema, e riparato alli sconcerti, che nascono nell' elezione del Magistrato in pregiudizio della Nobiltà, del Ceto Civile, e del Pubblico, detta Sagra Consulta ha creduto di prendere le determinazioni contenute nell' accluso foglio; onde darà Ella gli ordini opportuni, perchè in avvenire nelle estrazioni di detto Magistrato venga eseguito tutto ciò, che si prescrive nel foglio medesimo. E Dio la prosperi » Sequitur tenor folii » Osservatasi dalla Sacra Consulta l' istanza fatta a nome delli Zelanti del Ceto Nobile, e della maggior parte de' Consiglieri di Rieti per il danno, che vien recato alla Nobiltà medesima, al Ceto Civile, ed al Pubblico dagli abusi introdotti nell' elezione di quel Magistrato, ed ascoltato parimenti il sentimento di Monsignor Governatore, e le proposizioni dal medesimo fatte, le quali ha trovato molto prudenti, ed opportune a mettere il necessario riparo a simili sconcerti, è venuta quindi in determinazione, per porre in miglior sistema un tale affare, di ordinare per l' avvenire il seguente Regolamento; e in primo luogo rispetto al grado di Gonfaloniere, il quale costituisce il primo distintivo di quella Nobiltà, vuole, che non possa per questo proporsi persona, che non sia delle Famiglie solite a goderne l' onore, o che per tali si trovino al presente già approvate coll' essere state nominate, e corse in Consiglio, ed affinchè non resti preclusa la strada ad altri di esservi aggregato, ordina la medesima Sacra Consulta, che chi desidererà esservi ammesso debba concorrere, ed essere dotato dei seguenti requisiti; che per lo spazio di cento anni sia vissuta la di lui casa senza esercizio di arte meccanica, e con decorosa proprietà: che siasi almeno una volta imparentato colle Famiglie Nobili, e che finalmente abbia un sufficiente patrimonio da sostentarsi nobilmente: i quali requisiti dovranno esaminarsi dal Consiglio particolare degli stessi Nobili coll' intervento del Governatore, e Magistrato pro tempore, ed approvati che siano, potrà il soggetto, che concorre esser proposto per l' ammissione nel Consiglio Generale, e non altrimenti. Intorno poi il secondo Priore detto Prior Nobile, non dovranno le parti nel nominare i soggetti per tale Uffizio deviare dall' antico stile, ma unicamente proporre persone, che vivano civilmente senza esercizio di mercanzia, o di altr' arte meccanica. Riguardo finalmente alla

carica di terzo Priore potranno essere a questo nominati li Mercanti, ed altri di simile sfera, avvertendo però, che per qualunque dei suddetti tre Uffizj non possa alcuno essere eletto, che prima non sia ascritto tra Consiglieri. Dovranno dunque da Monsignor Governatore comunicarsi al Magistrato, e Consiglio di Rieti gli ordini della Sacra Consulta, acciocchè possano nella prima elezione uniformarsi ai medesimi, e darvi la sua piena esecuzione. In quorum fidei etc. Datum ex Ædibus ejusdem Sacrae Consultae hac die 2. Mensis Novembris 1765.

Loco ✝ Signi.

Preces porrectae pro praedictorum resolutionum approbatum, quas Pontifex benigne excipit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes, quo firmius contenta in praeinserta Epistola, et folio in publicae quietis utilitatem subsistant, et serventur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, et singula in praeinserta Epistola, et folio contenta, et expressa, auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum, Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Civitatis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaquinta Novembris Millesimo Septingentesimo Sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio contrariorum.

DLIII.

Quae pro recognitionibus characterum approbandis in ordinibus directis Sacro Monti Pietatis Urbis sancita, fuerunt, ea ad Mensam Nummulariam S. Spiritus extenduntur.

Dat. die 30. Aprilis 1766. Anno VIII.

Schedula Motus Proprii quoad Montem Pietatis Urbis relata a Nobis fuit supra sub num. CDLXXIII. pag. 964. ubi perlegenda ad opportunitatem est.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur quod pro Monte Pietatis gestum fuerat.

§. 1. Publicae quieti, ac securitati eorum, qui proprias pecunias in Monte Pietatis hujus Nostrae almae Urbis deponunt, simulque indemnitati ejusdem Montis consulere cupientes schedulam motu proprio die XXX. Augusti Anni MDCCLXIV. signavimus (*omittitur tenor Motus-Proprii jam relati in hac Continuatione sub num. CDLXXIII. pag.* 964.

Preces porrectae pro extendenda Schedula Motus Proprii Montis Pietatis ad Mensam Nummulariam S. Spiritus.

§. 2. Nuper vero Nobis exponi fecerunt dilecti filii Ministri Mensae nummulariae seu Banchi Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, quod cum in Bancho quoque praedicto aeque ac in praefato Monte Pietatis pecuniae deponi, et respective consignari soleant; itaut inter utrumque eadem sit dispositionis ratio, nihilominus, ne ulla unquam oriri possit difficultas, praeinserta omnia, quae a Nobis quoad dictum Montem Pietatis praescripta, et constituta sunt, ad Banchum etiam Sancti Spiritus extendi, et ampliari dicti exponentes summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et jam alias, pro Monte Pietatis jussum, ad Mensam Nummulariam S. Spiritus extendit.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertam Schedulam Motu-Proprio a Nobis signatam, una cum omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis, ac quoad Montem Pietatis Urbis decretis praescriptis, et constitutis ad Mensam quoque nummulariam, et Banchum Sancti Spiritus in Saxia ejusdem Urbis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium extendimus, et ampliamus, illamque, et illa in omnibus, et per omnia observari, et exequi debere perinde ac si pro dicta Mensa nummularia, seu Bancho facta fuissent, auctoritate, et tenore praesentis decernimus et mandamus.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 4. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac Bancho, et Archihospitali praedictis, illorumque Ministris, et Officialibus, aliisque, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici, et Curiae Camerae Apostolicae Auditores, ac S. R. E. Camerarium, et alios Cardinales etiam de Latere Legatos, dictaeque Camerae Praesidentes Clericos, aliosque Officiales, et Ministros nunc, et pro tempore quandocumque existentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in praeinserta Schedula Motu Proprio signata non obstare voluimus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri anno octavo.

DLIV.

Constituuntur poenae, quibus Ministri Montis Pietatis de Urbe, aliique in ejus damnum delinquentes puniri debent.

Dat. die 2. Junii 1766. Anno VIII.

Contra fraudatores pecuniarum Montis Pietatis Urbis, poenas quamplurimas juxta casuum contingentias indixit Benedictus XIII. Constitutione sua Anni 1729. *Sept.* 28. *relata in Bullario Mainardii. Depositeriae Generalis, et Thesaureriae particularis translationem Monti Pietatis Urbis indixit Benedictus XIV. Cedula Motus-proprii Anni* 1743. *Augusti* 2. *Motum Proprium Pii V. et Constitutionem Urbani VIII. contra falsificantes Cedulas, et Schedas Montis Pietatis Urbis, et Mensae Nummulariae S. Spiritus in Saxia, confirmavit, et ampliavit Pontifex idem, Constitutione altera ejusdem Anni prid. Kal. Nov. quae est in Bullario Benedictino. De modo recognoscendi characteres Ordinum, et Mandatorum Procurae directorum Monti Pietati Urbis, et de poenis contra praevaricatores talium recognitionum adest Motus-Proprius Clementis XIII. an-*

ni 1764. Augusti 30. hoc Tom. sub num. CDLXXIII. pag. 964.

Clemens Episcopus
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constitutionis.

§. 1. Etsi multa provide, sapienterque statuta fuerunt a praedecessoribus Nostris contra eos, qui dolo malo alienam pecuniam sive publicam, sive privatam avertunt, et in proprium commodum flagitiose usurpant, eo tamen processit nonnullorum Montis Pietatis in hac Alma Urbe Nostra inservientium audacia, et malitia, ut nullo humani, divinique juris respectu cohibiti, legum praescripta violare non timuerint, novasque subinde machinationes, et fraudes excogitaverint, quibus pecuniam Civium indigentiae reservatam corroderent, ut ipsius Montis impendio, ac damno gravissimo, sibi large, voluptuoseque vivendi copiam pararent. Praepostera haec, et iniqua prorsus agendi ratio quum Reipublicae bono plurimum noceat, et nisi opportune coerceatur, piam, laudabilemque operam Montis in commune Subditorum beneficium erectam, omnino sit eversura; Supremae Nostrae potestatis, ac paternae sollecitudinis officium postulat, ut in ejusmodi fraudolentos homines, ac praesertim, in illos, qui praefati Montis munera sibi commissa infideliter gerunt, acrius insurgamus, et adhibitis severioribus poenis, hunc veluti morbum Societati pestiferum e medio tollamus, ne diutius serpens, atque suppullulans in summam perniciem evadat, atque eas denique pariat ruinas, quae omne posthac remedium superent, et salubriora consilia, nuperrime pro recta ejusdem Montis Gubernatione capta, quae Nostra auctoritate, et providentia firmata, et statuta sunt, prorsus inania, reddant, et eludant.

Constitutiones Benedict. XIII. et Benedic. XIV. confirmantur, et ampliantur.

§. 2. Itaque Constitutionem fel. rec. Benedicti XIII. praedecessoris Nostri, quae incipit « Iam dudum », et quam hic pro inserta de verbo ad verbum haberi volumus, in omnibus, et per omnia approbamus, confirmamus, et innovamus, ac praeterea ita extendi, atque ampliari jubemus, ut pleno jure afficiat universos, et singulos Officiales Montis Pietatis in hac Urbe existentes, etiam in figura Depositarii Camerae Apostolicae, quocumque appellentur nomine, atque Officio fungantur, et vel salario gaudeant, vel non, sintque simplices ut vulgo dicuntur Supranumerarii. Alteram quoque praedecessoris etiam Nostri Benedicti XIV. Constitutionem, cujus initium est « Ad curam » simili modo approbamus, confirmamus, et innovamus, ac praeterea ita ampliari, atque extendi mandamus, ut pariter afficiat omnes, et singulos Officiales praedictos Montis Pietatis, etiam in figura Depositarii Camerae Apostolicae, tam laicos, quam clericos, quocumque nomine appellentur, atque munere fungantur, et vel salario gaudeant, vel non, sintque simplices, ut jam diximus, Supranumerarii.

Poenis in praelatis Constitutionibus indictas extendit, et ampliat.

§. 3. Poenas vero in praefata Constitutione sancitas locum habere volumus in casu alterationis syngrapharum, seu cedularum Montis Pietatis, vel Mensae Nummariae Sancti Spiritus de Urbe pro qualibet, vel minima summa tam contra reos principales, quam contra fautores, et scienter expendentes, aut quocumque alio modo conscios, complices, et participes, etiamsi forent clerici, omnesque, et singulos res confessos, seu convictos criminis, de quo in dicta Constitutione, et hic agitur, puniri jubemus tamquam Monetarios falsos, atque insuper privari beneficio Ecclesiasticae Immunitatis localis, illorumque extractionem, et consignationem fieri, servata forma Constitutionis editae a fel. rec. Clemente XII. praedecessore pariter Nostro, quae incipit « In Supremo Justitiae Solio »: Quinimo procedi injungimus in hujusmodi delicto falsificationis, vel alterationis syngrapharum, seu cedularum, ut supra, per quoscumque Judices competentes, cum facultatibus ordinariis, et extraordinariis alias tributis tam Gubernatori Urbis, quam Thesaurario Generali, eorumque respectivis Tribunalibus contra Falsificantes quoscumque, vel in substantialibus alterantes ordines, nec non mandata Procurae, vel fides publicas Notariorum cuilibet ex capsis Montis Pietatis etiam in figura Depositarii Camerae Apostolicae directos, et directa, seu directas.

Sanctiones contra dolosum testimonium perhibentes in recognitione characterum Ordinum, et Mandatorum Procurae.

§. 4. Item testimonium dolosum perhibentes in recognitione characterum, aut signorum existentium in ordinibus, mandatisque Procurae falsis, Notarios pariter recognoscentes, et per fraudem testantes tamquam verum, et veram characterem, falsum, seu falsam subscriptionem ordinum, vel mandatorum Procurae scriptorum, aut alias dolose recipientes falsorum testium recognitiones, relative ad ordines, et mandata Procurae falsos, et falsa, vel relative ad signa pariter falsa scribentes quoque in proprium commodum, vel scribere facientes ab aliis partitas exactionis fructuum locorum montium sine ordinibus, mandatisque Procurae legitimis, et veris, vel cum ordinibus, seu mandatis Procurae falsis, vel in substantialibus alteratis, omnes denique reos respective reperiendos, cujuslibet ex criminalibus praemissis, eorumque complices, fautores, atque participes plectendos esse statuimus, et declaramus poena ordinaria, etiam pro prima vice, si falsitas, vel alteratio excedat scuta centum etiam in modico effectu sequutò, vel tentato tantum. In casu vero reiterationis delicti pro quacumque summa, et pro sola secunda vice. At si falsitas, vel alteratio summam scutorum centùm exacte attigerit, vel minor etiam comperta fuerit, effectu pariter sequuto, vel tentato tantum, ejusmodi rei puniantur etiam pro prima vice poena triremium perpetuarum.

Quomodo procedendum sit contra Ministros Montis Pietatis, concredita illis fide abutentes.

§. 5. Ministros autem Montis Pietatis superius expressos, atque indicatos, si fide abutantur ipsis concredita, et alicujus ex praemissis criminibus rei fuerint reperti, non solum puniri volumus, eisdem poenis hic constitutis, verum etiam privari beneficio Immunitatis Ecclesiasticae localis, dummodo poena ordinaria sint plectendi, ejusmodique immunitatis localis beneficio privari similiter volumus Notarios, si publicae fidei, atque auctoritati, quarum custodiae deputantur, turpiter illudentes ultimo supplicio ob aliquod ex criminibus supra relatis sint damnandi: Ita tamen, ut ministrorum Montis, ac respective Notariorum praedictorum extractio, et consignatio in praemissis casibus, servata memoratae dicti Clementis praedecessoris Constitutionis forma fieri debeat, quoslibet insuper falsificantes vel in substantialibus alterantes mandata Judicum cujuscumque generis, etiam directa pro appositione vel remotione sequestrorum, eorumque complices, et fautores poena ordinaria mulctari praecipimus pro quacumque summa, etiam pro prima vice, et effectu sequuto, vel tentato tantum, dummodo tamen concurrat subscriptio vel vera, vel respective falsa Judicis ordinarii, Ministrosque Montis jam plenius expressos in casu ejusmodi delicti esse praeterea privandos beneficio immunitatis Ecclesiasticae localis, ac proinde extrahendos, et consignandos ut supra declaramus, extorquentes vero malis artibus mandata Judicum poena extraordinaria puniantur, arbitrio Judicis extendenda, etiam ad poenam ultimi supplicii juxta facti circumstantias, et personarum qualitates.

Indicuntur poenae contra falsificantes, alterantes, aut dolose vitiantes libros, et scripturas Montis Pietatis.

§. 6. Omnes pariter falsificantes, alterantes, aut quomodolibet dolose vitiantes, ac corrumpentes libros, vel scripturas Montis Pietatis, etiam in figura depositarii Camerae Apostolicae, vel apodixas pignorum, vel earumdem apodixarum duplicata, eorumque complices, et fautores poenae subjicimus ordinariae pro quacumque summa, vel damnum sequutum fuerit, vel non, atque etiam pro prima vice, ejusdem autem Montis Pietatis ministros, alias uberius indicatos, praeter poenam jam dictam etiam beneficio Ecclesiasticae Immunitatis localis privamus, dummodo falsitas, vel alteratio excedat, vel in modico summam scutorum quinquaginta, eosque servata forma, ut supra, extrahi, et consignari mandamus. Pignorum custodes, et subcustodes, aliisque in custodiis pignorum inservientes poena ordinaria plectantur, si aut per se, aut per alios pignora apud Montem existentia vel dent, vel consignent, vel restituant quomodocumque, ex quovis praetextu, vel quaesitò colore, absque praevia solutione pecuniae mutuatae penes arcarium mutuorum, et absque restitutione sibi ipsis facta schedulae oppignorationis a praedicto arcario notatae signo consueto, quod dici solet « *Il pagamento* » etiamsi agatur de uno pignore tantum, et valoris modici, et

quamvis pignus fuerit traditum Domino, seu oppignoranti, idque ipsum non turpis lucri, sed solius amicitiae, vel alterius respectus gratia, et sine ullo pii Montis damno, ac praejudicio, vel periculo fuerit factum, eademque prorsus ordinaria poena eo magis afficiantur si constiterit quantitatem a Monte mutuatam eos recepisse a Domino, vel ab oppignorante pro facta pignoris restitutione integre statim detulerint, ac consignaverint arcario mutuorum tunc nihilominus procedatur contra praedictos extraordinarie juxta casuum circumstantias ad poenam usque Triremium.

Itemque aliae contra Ministros recuperantes propria, vel aliena pignora absque mutuatae pecuniae restitutione.

§. 7. Plecti etiam volumus poena ordinaria ministros quoscumque Montis Pietatis latius expressos, ut supra, si pignus, vel pignora propria, vel aliena recuperaverint sine praevia restitutione summae per Montem Mutuatae penes arcarium mutuorum, etiam pro prima vice, et pro quocumque pignore modici valoris, quamvis damnum pio Monti illatum fuerit perexiguum; quod si nullum prorsus damnum eidem Monti irrogatum fuerit, praefatos ministros puniri jubemus extraordinarie arbitrio Judicis juxta facti circumstantias; extraordinarie quoque pro Judicis arbitrio pensatis casuum circumstantiis puniri mandamus quoslibet a Monte Pietatis extraneos, qui pignora vel propria, vel aliena receperint sine praevia pecunia mutuatae restitutione: Arcarius, et sub-Arcarius mutuorum signantes per dolum, fraudemque consueto signo *del pagato* schedulas pignorum, eorumque duplicata absque praevia numeratione, et incapsatione pecuniae pio Monti debitae poena ordinaria mulctentur etiam pro prima vice, et pro qualibet summa. Dolus vero praesumatur ex ipso defectu incapsationis pecuniae nisi contrarium probetur.

De criminibus aestimatorum, subaestimatorum, et Peritorum, atque de poenis quibus plectenda ea crimina sunt.

§. 8. Æstimatores, ac Subaestimatores pignorum tam ordinarii, quam extraordinarii, vel eorum vices, et locum supplentes, et quilibet alius Peritus, qui requisitus a pio Monte suam operam, peritiamque interponat in aestimatione pignorum, vel per se solum, vel una simul cum omnibus, aut cum aliquibus tantum ex dicti Montis aestimatoribus, si super pignore, vel pignoribus certum, notumque valorem habentibus pessundata Montis laudabili consuetudine ita per fraudem, dolumque pecuniam mutuari fecerint, ut summa mutuata intrinsecum valorem excedat materiae, et substantiae ipsius pignoris, operis merito non compraehenso, ita ut Mons ipse scutorum quingentorum damnum accipiat quocumque ex capite, et causa tam directe, quam indirecte, ultimo supplicio tradantur, extraordinaria vero poena afficiantur, si damnum fuerit minoris summae, similique ratione ultimo supplicio obnoxios eosdem declaramus, si super pignore, vel pignoribus certum valorem non habentibus, spreta ipsius Montis consuetudine, et statutorum lege non mutuandi nisi pro duabus ex tribus partibus veri valoris, dolose mutuari fecerint eam pecuniae quantitatem, quae non solum duas ex tribus partibus, verum etiam integrum pretium manifeste excesserit cum damno pii Montis, scutorum bismille, dolum vero, fraudemque praesumendum esse statuimus in utroque casu, ex ipso mutuationis, vel mutuationum manifesto excessu, nisi contrarium probetur; extraordinarie autem procedi mandamus quotiescumque damnum hoc modo illatum minoris summae fuerit repertum, quod si ex multis aestimationibus pignorum certum valorem non habentium, quae duas ex tribus partibus justi illorum valoris notabiliter excedant, etiamsi hujusmodi excessus integrum cujuscumque pignoris pretium non attigerit, adeo notabile pio Monti damnum obveniat, ut prudenter existimari possit in praefatis aestimationibus dolum, vel valde culpabilem negligentiam intervenisse, tunc pariter procedi volumus ad poenam extraordinariam etiam triremium perpetuarum juxta casuum circumstantias, nempe multiplicitatis, vel quantitatis, vel qualitatum excessum harum aestimationum, vel ejusmodi alias prudenti judicum arbitrio pensandas.

De iis qui fraudolenter, et dolose aurum, argentum, et jocalia falsa, pro veris oppignoraverint, et de eorum punitione.

§. 9. Denique Ministros quoslibet Montis Pietatis alibi plenius enunciatos, eorumque fautores, et complices si per fraudem, et dolum, atque scienter oppignoraverint aurum, argentum, et jocalia falsa pro veris, adsit, vel non in pignoribus istiusmodi im-

pressum signum apponi solitum vulgo *il Bollo* nuncupatum, et si existente signo praedicto, illud sit sive falsum, sive verum, aut alias quomodocumque fraudem fecerint in oppignorationibus, veluti si quid pro solido, integroque auro, argentove oppignoraverint, quod tamen non habeat auri, argentive nisi superficiem interiore nempe substantia ex variis, vilibusque materiis compacta, atque adulterata, poena capitis damnandos esse praecipimus, quotiescumque damnum pii Montis excesserit etiam in modico summam scutorum centum, pro prima quoque vice, eademque poena mortis esse plectendos in casu dolosae pignorationis reiteratae cum damno cujuscumque summae etiam pro sola secunda vice: quod si damnum exacte attigerit scuta centum, vel fuerit minoris summae, tunc eosdem puniri volumus etiam pro prima vice poena triremium perpetuarum, privatos vero, exterosque a Monte, qui damnabilibus hujusmodi oppignorationibus, et fraudibus publicam pecuniam corraserint, puniri mandamus poena triremium perpetuarum, dummodo damnum excesserit etiam in modico summam scutorum centum pro prima vice, eademque poena mulctari in casu reiterationis dolose pignorationis pro quacumque summa etiam pro sola secunda vice; quod si damnum exacte attigerit scuta centum, vel fuerit minoris summae, tunc eosdem puniri jubemus etiam pro prima vice poena triremium ad decennium. Fabricatores autem rerum, ut supra falsarum, vel alteratarum, res ipsas oppignorantes aut per se, aut per alios poena afficiantur triremium perpetuarum extendenda quoque ad ordinariam juxta facti circumstantias arbitrio judicis, dolus vero, fraus, et scientia in omnibus praedictis casibus praesumantur ex ipsa qualitate rei falsa, vel alterata, nisi contrarium probetur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, ad id vocati, vel auditi non fuerint, seu causae propter quas praesentes emanarint, adductae, expressae, et verificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut infringi nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ita, et non aliter in quibusvis tribunalibus, ac per quoscumque judices in hac materia competentes, etiam specifica, et individua mentione dignos contra delinquentes in praemissis etiam Ecclesiasticos exemptos, et quantumvis privilegiatos in judicio confessos, sive legitime convictos procedi, decerni, judicari, et sententiari decernimus, et mandamus, sublata cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, atque auctoritate, et irritum, et inane decernentes, si secus super his a quoquam, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus quibusvis etiam Apostolicis, si quae essent, Constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis quibusvis personis, etiam de necessitate exprimendis alias concessis, et quavis firmitate roboratis statutis, resolutionibus, usibus, stilis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, et singulis eorum omnium tenores pro expressis, ac de verbo ad verbum praesentibus insertis, nec non praescriptas in ipsis derogationum formas pro plene observatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis Nostrae plenitudine specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Cuncti per solam hujus Constitutionis evulgationem, ad illius observantiam tenentur.

§. 12. Volumus autem quod praesentes in valvis Ecclesiae Lateranensis Basilicae, Principis Apostolorum, et in aliis consuetis Urbis locis publicentur, et affigantur, et postquam affixae, et publicatae fuerint, omnes, et singulos perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique nominatim, et personaliter intimatae fuissent.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, innovationis, statuti, declarationis, mandati, privationis, decreti, derogationis, et voluntatis

infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLXVI., IV. Nonas Junii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

ANNO NONO

DLV.

Dat. die 13. Aug. 1766. Anno IX.

Capitulo, et Canonicis Metropolitanae Urbini indulget, quod uti possint Palmatoria, seu *Bugia*, nec non Mitra in missis solemnibus Defunctorum.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur vetus privilegium hujus Capituli utendi Palmatoria, et Mitra.

§. 1. Alias felicis recordationis Benedictus XIII. Praedecessor Noster Capitulo, et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Urbinatensis, ut ipsi, tam in Civitate, quam in Dioecesi Urbinatensi absente, vel praesente Archiepiscopo, sive interveniente Legationis Urbinatensis S. R. E. Legato de Latere in missis, vesperis, et laudibus solemniter decantandis, ac etiam in processionibus, Benedictionibus candelarum, cinerum, Palmarum, et Fontis Baptismalis, ac in reliquis Ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, Mitra, aliisque indumentis, et paramentis tantum ad instar Abbatum usum Mitrae habentium uti libere, et licite possent, ac valerent, licentiam, et facultatem Apostolica auctoritate concessit, et indulsit, ac alias prout in suis sub plumbo anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo vigesimo quarto tertio Idus Augusti desuper expeditis Literis uberius dicitur contineri.

Exortis dissidiis inter Metropolitanum et Capitulum, S. Rituum Congregatio decernendum censuit, tali privilegio uti Canonicos minime posse

§. 2. Exortis postmodum nonnullis controversiis inter bonae memoriae Antonium tum Archiepiscopum Urbinatensem et Capitulum, ac Canonicos praedictos super usu Mitrae, aliorumque indumentorum, et paramentorum hujusmodi, iisque delatis Congregationi Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, inter caetera coram ea praeposita fuerunt duo sequentia dubia, nempe » *An uti valeant Palmatoria, seu Bugia in Pontificalibus, et in Missis lectis, et privatis, et an in Metropolitana Ecclesia uti possint Mitra, et pontificaliter celebrare in Missis Defunctorum,* » quibus in Congregatione habita die XXIV. Januarii MDCCLII. responsum fuit *negative*, et *amplius*, ac hujusmodi dubiorum resolutionem fel. rec. Benedictus Papa XIV. itidem praedecessor Noster per suas sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo primo, tertio Kalendas Martii expeditas literas, dicta auctoritate perpetuo approbavit, et confirmavit illasque a tunc, et pro tempore existentibus Canonicis, et Capitulo dictae Ecclesiae, ac Dignitates in ea obtinentibus firmiter, et inviolabiliter observari mandavit, ac alias, prout in eisdem Literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur.

At novo Metropolitano electo, iterum preces porrectae, pro amissorum privilegiorum concessione.

§. 3. Cum autem nuperrime praefatae Ecclesiae Urbinatensi per obitum bon. mem. Antonii Pastoris solatio destitutae Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum in Archiepiscopum praefecerimus, et Pastorem, is Capituli, Dignitatum, et Canonicorum ejusdem Ecclesiae majori decori consulere cupiens suum assensum praestitit, ad hoc ut Dignitates, Canonici, et Capitulum hujusmodi Nobis, et huic Sanctae Sedi preces porrigere possent pro obtinendo novo Apostolico Indulto utendi tam in Pontificalibus, quam in missis lectis

et privatis Palmatoria, seu Bugia nuncupata, ac simul Mitra in missis solemnibus Defunctorum; quapropter Dignitates, et Canonici, et Capitulum praedicti nobis nuper humiliter supplicari fecerunt, ut usum Palmatoriae, seu Bugiae hujusmodi, ac Mitrae, ut praefertur, sibi ipsis de novo concedere, ac in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex Urbinatensis Capituli postulationibus benigne indulget.

§. 4. Nos igitur Dignitates, Canonicos, et Capitulum hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Dignitatibus, canonicis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, et capitulo praedicto, ut in posterum tam in missis lectis, et privatis, quam in Pontificalibus palmatoria, seu Bugia, atque etiam canone missae, nec non mitra in missis solemnibus defunctorum, uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium de novo concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus memoratae congregationis resolutionibus praedictis, ac ejusdem Benedicti praedecessoris literis, tam illas, ut praefertur, approbantibus, et confirmantibus, quam super divisione materiarum anno incarnationis dominicae MDCCXLV. sexto Kalendas Decembris sub plumbo expeditis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae, et capituli etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCCLXVI., Pontificatus Nostri anno nono.

DLVI.

Dat. die 23. Aug. 1766. Anno IX.

Praevia confirmatione Constitutionis Clementis XII. IV. Kal. Februar. Anni MDCCXXV. quoad privationem privilegii fori Ecclesiastici Clericorum homicidii criminis reorum, constitutionem ipsam extendit ad Dioecesim, et Principatum Paderbonae.

Vide adnotationem appositam constitutioni CCCLXXII. relatae hujus continuationis pag. 808.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur Pontificiae Constitutio-

§. 1. Alias fel. rec. Clemens Papa XII. Praedecessor Noster per suas sub Plumbo expe-

nes quoad Clericos, et Laicos homicidii reos, fori privilegio, atque Ecclesiastica immunitate immune gaudentes in Pontificia ditione.

ditas literas, nempe IV. Kalendas Februarii Anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXIV., Pontificatus sui Anno quinto ad compescenda, et coercenda, atque ab hac alma Urbe, totaque temporali S. R. E. ditione penitus avertenda, atque eliminanda homicidia, quae a viris sanguinum Divini, humanique juris oblitis incredibili cum immanitate in dies magis magisque increbescente saepissime patrari, non sine gravissimo paterni animi sui dolore, ac moerore audiverat, Constitutionem, quae incipit « In supremo Justitiae solio » promulgavit, in qua postquam omnes, et singulas Constitutiones a rec. me. Pio II., Paulo II., Sixto IV., Julio II., Leone X., Julio III., Paulo IV, Pio V., Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., Innocentio XI., Innocentio XII, ac Benedicto XIII., et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter nostris tunc suis adversus homicidas saluberrime editas approbavit, confirmavit, et innovavit, illasque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi, vel allegari potuisset, in pristinum restituit, et plenariae reintegravit, quas deinceps omnino, et inviolabiliter observari praecepit, et mandavit; inter caetera in eadem constitutione contenta, haec praescripta erant « Tenoris, qui sequitur ».

Tenor Constitutionis Clem. XII.

« Et quoniam experimento compertum est, administrationem, et cursum rectae, et expeditae justitiae, qua Reipublicae salus praecipuae innititur summopere obturbari vel ab excessivo numero privilegiatorum vulgariter « Patentati » nuncupatorum, vel a minus a recta intelligentia privilegiorum concessorum, proinde salvis, firmisque remanentibus decretis, et resolutionibus, quae temporibus fel. itidem rec. Urbani Papae VIII. et dictorum Innocentii XI. et Innocentii XII. praedecessorum, aut alias quandocumque ea super re emanarunt, volumus, quod privilegium fori nemini quocumque privilegiatorum hujusmodi tam in Urbe, quam in reliquo statu Ecclesiastico praedictis (officialibus, aliisque privilegiatis a Congregatione pro tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, ac Ministris necessariis actu inservientibus Archiepiscopis, Episcopis, ac Ordinariis praedictis, eorumque curiis dumtaxat exceptis) pro crimine homicidii suffragentur, sed dicti privilegiati, quatenus clericali charactere insigniti, Ecclesiasticae et quatenus laici fuerint, saeculari jurisdictioni subjaceant. Reservantes Nobis facultatem declarandi, quinam, quotque esse debeant veri familiares dictorum Archiepiscoporum, et Episcoporum, ac Ordinariorum, ac officiales necessarii curiis Ecclesiasticis verum, et actuale servitium praestantes. Insuper quia ex illis etiam qui in sortem Domini vocati sunt, quique alii irreprehensibilis, et ab omni culpa, et macula, immunis vitae, ac virtutum exemplo praelucere deberent, aliqui interdum reperiuntur adeo suae vocationis immemores, ut impellente humani generis hoste, pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant; Nos perversorum quorumcumque malitiae obviandum esse, non indulgendum probe intelligentes, ad istorum quoque frenandam pervicaciam, perpetuo itidem statuimus, quod clericus primae tonsurae nullum beneficium ecclesiasticum obtinens, tametsi conditiones clericis hujusmodi a Concilio Tridentino praescriptas servaverit, ac servet, pro duobus tamen homicidiis animo deliberato, et praemeditato per eum patratis, privilegio fori, et canonis in odium tanti excessus, et ad aliorum terrorem exuatur, et uti incorrigibilis omnino saeculari potestati subjiciatur, ab ea tamquam laicus legitimis poenis plectendus. Clericus quoque in minoribus ordinibus constitutus, nec pariter beneficiatus, nec praescripta a Concilio Tridentino praedicto servans, tam celebs, quam conjugatus in causis homicidii dicto privilegio fori non gaudeat, eoque privatus remaneat, neque a proprio Episcopo, seu ordinario repeti, minusque habitum clericalem, quem indigne abjecit, reassumere possit, post totaliter expiatam admissi delicti poenam. Declaratio autem, an Reus ante patratum delictum homicidii requisita a Concilio Tridentino servaverit ad Episcoporum, aliumque loci ordinarium omnino spectet, non retardata interim delin-

quentis assecuratione facienda etiam per judicem saecularem nomine ecclesiae, qui illum praedictae ecclesiae nomine ad illius dispositionem retinere possit, et debeat, donec dicta declaratio prodierit, quacumque diversa, ac etiam contraria Juris Canonici, et Apostolicarum constitutionum dispositione, seu interpretatione, nec non consuetudine haud refragrante. Porro cum idem Benedictus praedecessor animadvertens homicidia hujusmodi suo etiam tempore increbescere, nec minus, quam alia facinora in celebri Constitutione dicti Gregorii XIV. etiam praedecessoris, quae incipit » *Cum alias* » recensita publicae quieti officere, pro commissi sibi Apostolici officii debito per praedictam suam anno Incarnationis Dominicae MDCCXXV. sexto idus Junii, cujus initium est » *ex quo divina* » evulgatam constitutionem laicos animo praemeditato, ac deliberato proximum suum interficientes ab ecclesiasticae immunitatis beneficio excluserit, et repulerit, atque pro exclusis, et repulsis haberi voluerit. Nos ob gliscentem in dies quorumdam ecclesiasticorum nequitiam, qui nulla proprii status habita ratione non raro in adeo nefarium, detestandumque crimen prolabuntur ipsorum Gregorii, et Benedicti praedecessorum Constitutionibus, quas supra confirmavimus, atque innovavimus inhaerentes, et quatenus opus sit, criminis in illis exceptorum reos immunitate ecclesiastica nequaquam juvari iterum decernentes eamdem Benedicti praedecessoris Constitutionem laicos animo praemeditato, ac deliberato proximum suum, sicut praemittitur, interficientes a beneficio Ecclesiasticae immunitatis excludentem, ad ipsos Ecclesiasticos cujuscumque gradus, et ordinis existant, in Urbe, et in universa Ditione Nobis, et Sedi Apostolicae mediate, vel immediate subjecta homicidium animo similiter praemeditato, seu deliberato, patrantes extendimus quoque, et ampliamus, dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum judice ecclesiastico competente cognoscatur, et ab eo, si rei reperti fuerint, citra poenam sanguinis ad praescriptam sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione. Ulterius ad varias doctorum, qui ejusdem Benedicti praedecessoris mentem quoad personas in dicta ejus Constitutione compraehensas interpretari, et explicare voluerant sententias, et opiniones dirimendas, declaramus, homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis tam laicos, quam clericos, atque omnes et singulos sive laicos, sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori praebuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dictam Benedicti praedecessoris Constitutionem compraehensos esse, ac de indecenseri debere, ac eam, quatenus opus sit ad ipsos pariter extendimus; ita scilicet, ut illorum extractio e loco immuni, atque traditio curiae saeculari, quoad laicos ad ejusdem curiae saecularis requisitionem fiat a curia Ecclesiastica; et clerici ab ipsa curia Ecclesiastica ex officio omnino extrahantur juxta normam infra dicendam. Item declaramus omnes et singulos praedictos tam laicos, quam Ecclesiasticos, qui in Urbe, et in ditione praedictis ex causa, et occasione homicidii etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum inquisiti, et processati, vel in contumaciam banniti, et condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit causale, vel ad propriam defensionem; immunitatis ecclesiasticae praedictae beneficio minime gaudere. Utque reorum ratione homicidii, ut praefertur excepti inquisitorum, seu bannitorum, et in contumaciam condemnatorum extractio ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus, atque traditio suo cuique judici competenti legitimis modo, et forma a curia ecclesiastica fiat, volumus, et ordinamus, ut quotiescumque judici ecclesiastico competenti innotuerit, aliquem laicum, seu ecclesiasticum ex causa homicidii excepti inquisitum, atque processatum ad Ecclesiam, seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate ac personae reitate subministrata, vel acquisita suppetant indicia, quae ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc idem judex ecclesiasticus ex officio, et nemine etiam requirente, si delinquens sit clericus, sin vero laicus postquam a curia saeculari requisi-

tus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii saecularis, et cum interventu personae ecclesiasticae ab Episcopo deputandae devenire teneatur, extractumque ad suos, si tuti, et securi fuerint, sin minus ad curiae saecularis carceres asportari, ibique sub tuta custodia detineri curet, et faciat, ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo, quod inquisitum nondum condemnatum dictus judex ecclesiasticus ex acquisitis, seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus ab extracto homicidium a praedicta Benedicti praedecessoris, et hac nostra constitutione exceptum patratum fuisse cognoverit, ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet, progrediatur, extractumque, si laicus sit, ministris, et officialibus curiae saecularis, si autem clericus ejus competenti judici ecclesiastico tradere, et consignare possit, et debeat, exactis tamen, receptisque in actu traditionis, et consignationis hujusmodi a judice quidem saeculari juramento, et ab Ecclesiastico promissione in verbo veritatis de restituendo extractum Ecclesiae, locove immuni sub poena excommunicationis latae sententiae Nobis, et eidem Romano Pontifici pro tempore existenti reservatae, quatenus extractus in ejus defensionibus, quae ad tramites juris, et ordinationum apostolicarum ei competunt, praefata elidat, et diluat indicia, et si illa minime eliserit, sive diluerit, et delinquens repertus fuerit judici suo scilicet ecclesiastico in clericum, saeculari in laicum, ut juris esse censuerit animadvertere liceat. Quoties autem de jam bannito, aut in contumacia damnato ex causa homicidii superius excepti sive laico, sive Ecclesiastico agatur, quilibet judex Ecclesiasticus, ut praefertur competens ad illius Laici nimirum instante curia saeculari, et Clerici ex officio extractionem ab Ecclesia, locove immuni, cum interventu quoque personae Ecclesiasticae ab Episcopo deputandae, ac traditionem suo respectivo judici, sicuti mox dispositum est, facienda procedat, solamque sententiae contumacialis, et actorum quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus judex Ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat, agnito, num istiusmodi sententia contumacialis legitime, justeque prolata sit ad formam Constitutionum Apostolicarum pronunciare, et declarare queat, et debeat, an bannitus, et in contumaciam damnatus consignandus veniat nec ne? exactis pariter, et receptis quatenus consignetur a judice saeculari juramento, si delinquens sit laicus, ab ecclesiastico vero, si fuerit Clericus, promissione ipsum ut supra restituendi Ecclesiae, locove immuni sub antedicta poena excommunicationis, si extractus in suis similiter defensionibus ei ad praescriptum praedictarum Constitutionum Apostolicarum competentibus nullitatem, et injustitiam contumacialis sententiae praedictae ostenderit, et sceleris indicia diluerit, quod si id praestare nequiverit, et ex eisdem sententia, et actis rite, et recte gestis reus repertus fuerit, judex ejus competens, sententiam exequi, et quando aliquem in poena irrogata excessum deprehenderit etiam moderari valeat, ita quod quaecumque declaratio a praedicto judice ecclesiastico facta in judice ecclesiasticae immunitatis super consignatione banniti, et in contumaciam damnati, ejusque denegatione nullatenus deservire, et á nemine allegari possit in alio diverso, ac separato judicio in quo scilicet de praedictae sententiae contumacialis executione postmodum disputari contigerit, ad quem effectum dicta declaratio judicis ecclesiastici proinde habeatur ac si non emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo Judicis competentis in cognoscenda, et definienda validitate, seu nullitate, justitia, seu injustitia ejusdem sententiae contumacialis ingeratur. »

§. 2. Quoniam autem venerabilis frater Antonius Willelmus Episcopus Paderbonensis Nobis nuper humiliter supplicari fecit, ut dispositionem praedictae Constitutionis Clementis praedecessoris praedicti superius expressam, et insertam ad Civitates, Terras, Oppida, et Loca totius Dioecesis, et Principatus Paderbonensis, in quibus homicidia frequentissima sunt extendere, et ampliare de benignitate Apostolica dignaremur. *Preces porrectae ab Episcopo Paderbonensi pro relatae Constitutionis extensione ad suam Dioecesim, et Principatum.*

§. 3. Nos igitur ipsum Antonium Willel-

Pontifex precibus annuit, et Bened. XIV. etiam declarationes extendit.

mum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, et tam exitiale homicidiorum flagitium, quantum cum Domino possumus propulsandum, exterminandumque advigilantes, praedictam Constitutionem pro universa, ut praefertur, S. R. E. praedictae Ditione a memorato Clemente praedecessore factam quoad praeinserta in his praesentibus literis respective, ad Civitates, Terras, Oppida, et Loca totius Dioecesis, et Principatus Paderbonensis auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus, atque cum omnibus declarationibus, definitionibus, provisionibus, Constitutionibus, et decretis contentis in aliis fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris itidem Nostri sub plumbo Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIX. Idibus Martii expeditis literis, quarum tenores hic de verbo ad verbum pro expresso, et inserto haberi volumus, omnino observari praecipimus, et mandamus.

Modus servandus pro obtinenda declaratione utrum delinquens consignandus sit Laicae potestati.

§. 4. Volumus autem veluti alias dictus Clemens praedecessor pariter voluit, et decrevit, ut, sicut in Nostra Ditione Ecclesiastica, cum extractus, in suis defensionibus, quae ad tramites juris, et Apostolicarum Constitutionum ei competunt, elidet, et diluet indicia, tum sola sententiae contumacialis, et actorum, quibus illa fundatur exhibitio ad hoc sufficiat, ut judex ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num sententia contumacialis legitime, justeque prolata sit ad formam Constitutionum Apostolicarum pronunciare, et declarare queat, et debeat an bannitus, et in contumaciam damnatus consignandus veniat nec ne? tum denique si extractus in suis defensionibus, et ad praescriptum praedictarum Constitutionum Apostolicarum competentibus nullitatem, et injustitiam contumacialis sententiae praedictae ostenderit, et sceleris indicia diluerit, ita pariter in Civitatibus, Terris, Oppidis, et Locis Dioecesis, et Principatus praedictorum haec omnia ad praemissa dispositionem juris, et statuta localia Dioecesis, et Principatus hujusmodi intelligi debeant.

Pontifex sibi serbat futuram declarationem familiarium Ecclesiasticorum, quibus fori privilegium servandum est.

§. 5. Ac insuper volumus, ut donec, et quousque, sive per Nos, sive per Romanos Pontifices pro tempore existentes declaratio hujusmodi facta non fuerit, ii tantummodo familiares, et officiales excepti intelligantur, et habeantur, quos de jure, et juxta consuetudinem loci cujuslibet usque ad hanc diem pro familiaribus, et officialibus habitos, et deputatos esse, et haberi, et deputari solitum est.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro quandocumque spectabit plenissime observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos eorumdemque Cardinalium Congregationes, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus praemissis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non Civitatum, Terrarum, Oppidorum et Locorum Dioecesis, et Principatus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac quorumcumque praedecessorum Nostrorum literis, privilegiis, indultis, et facultatibus quibusvis etiam dictis Cardinalibus, eorumque Congregationibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque

efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam Motu-proprio, et ex certa scientia, et potestatis plenitudine etiam consistorialiter, vel alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis mentio facta fuisset, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut lapsis quindecim diebus postquam praesentes literae per Civitates, Terras, Oppida, et Loca Dioecesis, et Principatus praedictorum publicatae fuerint, omnes, et singulos in Dioecesi, et Principatu praedictis existentes perinde arctent, ac si unicuique eorum personaliter, ac nominatim intimatae fuissent, utque earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Augusti MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno IX.

DLVII.

Dat. die 6. Sept. 1766. Anno IX.

Archiepiscopum Gnesnensium hortatur, ut cum caeteris Regni Poloniae Episcopis resistat conatibus dissidentium in futuris habendis totius Regni comitiis.

Venerabili Fratri Uladislao
Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens Papa XIII.
Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Episcopum comonet de prossima convocatione Comitiorum Regni Poloniae, eumque praemonet de Dissidentium conatibus contra Religionem.

§. 1. Appetente comitiorum istius Regni tempore, cum dissidentes a Catholica Religione omnem, ut suspicamur, movebunt lapidem, ut sancitae adversus eos leges vel omnino abrogentur, vel mutatione aliqua multum de suo robore amittant, optimum existimamus antecapto tempore eorum occupare conatus; quod facere non aliter possumus, quam Apostolicam tollere vocem nostram, et quotquot estis verae fidei cupidi, Vos admonere, ut providendo praecavendoque hostium Catholici nominis consilia praeripiatis. Quumque pro persona, quam in inclitae gentis istius Republica geris, tuarum praecipue sit partium, saluberrimas in primis leges tueri lata pro servanda incolumitate Catholicae Religionis, cujus te novimus studiosissimum; egregiam tuam in Deum pietatem, fidem, et flagrantissimum zelum nostris hisce literis duximus excitandum, ut carissimi in Christo Filii Nostri Stanislai Augusti Regis animum salutaribus consiliis tuis communias, ne suam patiatur aut Religionem circumveniri, aut debilitari constantiam.

Qui sint Dissidentium conatus Archiepiscopo enucleare studet.

§. 2. Et vero Principes aliquot a Nostris alienos, intelleximus a dissidentibus solicitari, ut eorum causam apud memoratum Regem defendendam suscipiant, suoque patrocinio adjuvandam. Quapropter eo validius fraternitati tuae in hanc rem incumbendum, quo paratiores ab ejusmodi auxiliis dissidentes Regiam ejus Majestatem sunt aggressuri. Vigilantiam profecto tuam omnem ipsa rei gravitas postulat, in qua vocatur in discrimen Catholica Fides, et ipsa etiam extimescenda est dissidentium ratio, qua eam conantur evertere. Neque enim aperte postulabunt, ut quam quisque Religionem colit, cum possit libere profiteri, sed per causam proficiendarum artium et introducendi commercii, quo artificiis ad exteras gentes distractis majores opes parentur Reipublicae, atque ita publicum praetexendo bonum, eam facultatem flagitabunt artificibus solum dari, et qui artium aliquod opificii exerceant genus. Atqui publicum bonum in animarum salute potissimum situm est, quam ut assequamur Christus Dominus tradidit semetipsum non ut hujus mortalis vitae commodis plus aequo abundemus. Id vero initium ab artificum conditione facile prudentia tua intelligit non alio eva-

surum, quam ut omnibus ex omni secta cujuscumque ordinis et conditionis tandem potestas fiat, libere, et palam impiam suam profitendi Religionem.

Quantum damni futurum sit Ecclesiae Dei ex dissidentium ipsis conatibus demonstrat.

§. 3. Quo nihil Catholicae Ecclesiae, veraeque pietati exitialius. Id enim esset in ovile Christi morbidas oves introducere, quae illud tabe sua inficiant atque corrumpant. Novit Fraternitas Tua Dominum Jesum Christum se ipsum pro Ecclesia sua tradidisse ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Verbum autem vitae, hoc est verbum Evangelii creditum, ac fide susceptum mundat eam a peccatis; quod quidem verbum summa a sacris Pastoribus custodiendum est diligentia et fide, ne quod esse debet odor vitae in vitam, si adulteretur fuit odor mortis in mortem.

Archiepiscopo injungit ne sinat Ecclesiasticas praerogativas, et privilegia, aliqua parte imminui.

§. 4. Praeterea cum Fraternitas tua de servanda fidei puritate cogitat, eamque a periculis studet eripere, quae illi ab externis hostibus parantur, intentum etiam animum habeat oportet inimicis occultis, qui Ecclesiae decorem et dignitatem imminutam volunt, cum ei conantur praerogativas et privilegia detrahere. Quae quidem tuum omnino est una cum istius Regni Episcopis, quorum es caput, ita esse debes et ductor, omnes virtutis tuae nervos intendere, ut ab inimicorum sive impetu, sive insidiis salva evadant, et in sua integritate remaneant, Haec ad te, Ven. Frater scripsimus pro Apostolico Nostro munere, cui minime satisfecisse Nobis ipsi videremur, si in re tanti periculi taceremus. Magnam autem fiduciam posuimus in tua tuorumque Coepiscoporum in Deum pietate, et conservandae fidei firmissima voluntate, cui Deum precamur ut divina virtute sua constantiam addat et robur; tibique Ven. Frater omnibusque in Episcopatu Venerabilibus Fratribus Collegis tuis, quos omnes in Nostrae Charitatis gerimus sinu, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno nono.

DLVIII.

Concessio Indulgentiarum, et privilegiorum pro Religiosis Societatis Jesu in Indiis Catholicam fidem praedicantibus, aliisque dictae Societatis Religiosis in iis partibus immorantibus, et tandem pro singulis Christi fidelibus in regionibus ipsis degentibus.

Dat. die 10. Sept. 1766. Anno IX.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Enumerat Pontifex indulgentias tam plenarias, quam temporarias.

§. 1. Animarum saluti paterna charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Laurentii Ricci Societatis Jesu Praepositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus Christifidelibus in quibuscumque Orientalibus, vel Occidentalibus Indiis, aut Brasilia, vel Sinarum, aliisque maris Oceani Regionibus constitutis praesentibus, et futuris vere poenitent., et confessis, ac Sac. Communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate, et Idolatria ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam; nec non iisdem vere poeniten., et confessis die S. Thomae Apostoli in Indiis praefatis aliquam ex certis dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Jesu Ecclesiis illarum partium Deo, vel in honorem Sanctorum erectis, nec non omnes, et singulas hujusmodi Ecclesias Collegiorum, Domorum, et Residentiarum ejusdem Societatis Regionum praedictarum saltem inter se per centum milliari distantes, ut supra erectas singulis annis quatuor diebus festis Domini Nostri, B. M. Virginis, aut Sanctorum per dictae Societatis Praepositum Generalem designandis visitantibus, et inibi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumentibus, et pro Gentilium et Haereticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus; etiam plenariam, omnibus etiam, et singulis tam Presbyteris, quam aliis de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiae Regione, vel Occa-

ni Insula, aut navigatione pro fidei negotio eundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis, et confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter.

Peculiares indulgentiae conceduntur Scholaribus praefatae Societatis in utraque India.

§. 2. Scholaribus vero in utraque India existentibus, ac Confraternitati B. Mariae Virginis inibi canonice institutae adscriptis, qui in Annunciationis, et Assumptionis ipsius B. Virginis festis dictum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et Coronam, vel tertiam partem Rosarii recitaverint; nec non utriusque sexus Christifidelibus aliquam ex Confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in festivitate Sanctissimi Corporis Christi, et illius octava poenitentes similiter, et confessi idem Sacrosanctae Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et in cujuslibet eorum mortis articulo etiam poeniten., et confessis, ac sacra Communione refectis, aut saltem contritis, si confiteri, et communicare non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Scholaribus ejusmodi Confraternitati adscriptis, qui in singulis ejusdem B. V. Mariae, ac Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi festivitatibus confessi, et contriti praemissa peregerint, decem annorum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, iisdem quoque Scholaribus, qui in singulis diebus Veneris cujuslibet Quadragesimae devote processionibus publicis in partibus, et locis transmarinis ad orandum pro conversione Gentilium, et Haereticorum praefatorum juxta ritum Ecclesiae Romanae institutis interfuerint, trium annorum; reliquis vero omnibus Christifidelibus, eisdem processionibus praesentibus contritis, et confessis unius anni Indulgentiam elargimur, quodque pro Animabus eorum Christifidelium, qui in praefatis utriusque Indiae navigationibus pro negotio Fidei instituen. ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac Sac. Communione refecti tertiam partem Rosarii, aut unam Coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictis animabus a poenis Purgatorii liberari valeant; quodque scholares utriusque Indiae hujusmodi, qui in scholis Presbyterorum dictae societatis dant operam litteris, in Presbyterorum eorumdem Ecclesiis Missas, vel alia divina officia tempore interdicti, et cessationis a divinis audire, ipsique Presbyteri iisdem scholaribus praesentibus januis clausis, et non pulsatis Campanis, et dummodo ipsi causam hujusmodi interdicto non dederint, ac Interdictis, et Excommunicatis exclusis, celebrare respective possint, concedimus, et indulgemus.

Extenduntur, et enucleantur indulgentiae pro singulis utriusque sexus Christifidelibus.

§. 3. Insuper praefatis omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus in Indiis, et regionibus praefatis existen., qui contriti, et confessi quamlibet Ecclesiam, et Cappellam in eisdem partibus, dictorum Presbyterorum Societatis Jesu cura, et opera, ut supra, erectam, aut in futurum erigendam devote visitaverint, et, ut supra, oraverint, quadraginta dies, et semel quolibet anno aliquo die festo Domini Nostri Jesu Christi, B. M. Virginis, aut Sanctorum, quem Provincialis dictae Societatis constituerit, septem annos, et totidem quadragenas: Eisdem, qui aliquam ex praefatis Ecclesiis dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadragesimae, et aliis temporibus Stationum Urbis Dominicis, et feria sexta diebus visitaverint, easdem omnes, et singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur, si Ecclesias, et Basilicas Urbis in diebus Stationum hujusmodi visitarent; illisque, qui singulis diebus feriae sextae primae hebdomadae cujuscumque mensis easdem Ecclesias devote visitaverint, et ibi quinquies Orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam pro exaltatione Fidei Catholicae recitaverint, septem annos; in festis vero Domini Nostri Jesu Christi, ac B. Virginis, Apostolorum, sub cujus titulo Ecclesia consistet, decem annos. His autem, qui aliquam ex dictis Ecclesiis postquam confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, visitaverint, toties viginti annos; ac iisdem Christifidelibus utriusque Indiae, et Transmarinorum limitum, qui processionibus, et precibus juxta Ritum S. R. E. a praefatis Presbyteris de ordinariorum licentia instituendis, et agendis Indorum, et

Æthiopum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, et aliorum Christianorum interfuerint, et eas associaverint, Christianam doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; Invisentibus autem infirmos, et praesertim Indorum Hospitalia, Xenodochia, et alia similia Loca pia, ipsis etiam infirmis per se, vel alium ministrando, singulis diebus, quibus id fecerint, vigintiquinque, qui vero ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta; Eis etiam, qui coram B. Imagine Mariae ab Alma Urbe ad Collegium Civitatis Limae in Perù (ut asseritur) delata tertiam Rosarii partem, vel Coronam recitaverint, centum similiter dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, ac respective concedimus, et indulgemus.

Privilegia Provincialibus, vel Presbyteris ab eis deputatis elargiuntur dispensandi in matrimoniis quoad forum conscientiae.

§. 4. Praeterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputatis Presbyteris, cum Neophytis Provinciarum utriusque Indiae, aliarumque maris Oceani regionibus, in quibus inter infideles existunt fideles etiam aliunde profecti in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen, et justa impellente causa, dispensandi; Itemque in praefatis Provinciis praesentia Ordinariorum similem facultatem habentium destitutis, vel ab eis ultra duas Dietas non minus ducentis millibus passuum remotis, in iisdem gradibus, excepto tamen primo, etiam in utroque Foro, et sine judiciali processu gratis, et justis concurrentibus causis, dispensandi, et eos, qui in his gradibus prohibitis, etiam scienter contraxerint, ab excessibus Excommunicationis, aliisque censuris, et poenis Ecclesiasticis, in utroque Foro pariter absolvendi et prolem exinde susceptam legitimam decernendi; ac insuper eisdem Provincialibus, et Presbyteris deputatis cum praefatis Neophytis in primo etiam gradu rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis (dummodo nullum subsit dubium quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita) sese attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus justis causis, gratis etiam dispensandi, et eos, qui in gradibus hujusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus, excommunicationis, aliisque censuris, et poenis Ecclesiasticis in foro conscentiae tantum gratis pariter absolvendi facultatem auctoritate Apostolica, tenore praesentium concedimus, et impertimur; nec non ipsis Presbyteris in eisdem Indiis, et locis praedictis constitutis, quibus aliqua Eucharistiae fragmenta, seu minutiae pro tempore interciderint, etiam post peractum Sacrificium absque ullo conscientiae scrupulo, juxta Rubricas Missalis Romani reverenter sumendi.

Plura alia privilegia Sacerdotibus hujus Societatis concesso, referuntur.

§. 5. Insuper Presbyteris ejusdem Societatis Jesu, quos in Saracenorum, et aliorum infidelium terras, et alias utriusque Indiae, et transmarinas regiones Maris Oceani, ad quas Hispani, et Lusitani penetrant, ac in Provincias remotissimas, ubi non est inquisitio, et fideles, inter infideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas dietas existunt hujusmodi facultatem habentes, Praepositus Generalis miserit Christianos in eisdem Provinciis, Indiis, et Regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, sententiis, et censuris, etiam in Bulla Coena Domini contentis, et reservatis, etiam gratiose absolvendi facultatem; eisdemque, ut semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad praedicandum, confessiones audiendas, et missas celebrandas in Ecclesiis, et Oratoriis Societatis Jesu praefatae pro ministeriorum hujusmodi exercitio ulterius licentiam, et approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere, seu habere minime teneantur, sed absque illis praemissa facere possint. Si vero Episcopus ab ecclesia, vel loco, ubi praedicatur, vel confessiones audiuntur, non distet ultra praefatas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per

epistolam, etiam impetrari possit. Possint etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubicumque non est commoditas ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem in eisdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare; necnon in Maluco, Jappone, et aliis insulis, terrarum, provinciarum, et locorum praefatorum partibus, et locis a quibus valde remoti sunt Episcopi, oleis sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, libere uti possint. Necnon, ut quicumque ex praefatis presbyteris societatis praefatae tantum sacrosanctum missae sacrificium defunctorum pro animabus christifidelium, qui ex hac vita in charitate Christo conjuncti decesserunt, in singulis ecclesiis societatis Jesu ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint, per modum suffragii, ut supra, iisdem animabus possint.

Tribuitur facultas dispensandi a voto castitatis in foro tamen conscientiae.

§. 6. Postremo iisdem presbyteris a praeposito generali ex dicta societate deputandis, ut in praefatis regionibus, provinciis, et locis, in quibus similiter fideles cum infidelibus vivunt, et non adsunt ordinarii, qui hujusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas, cum neophitis, aliisque ad fidem redactis ex rationabili causa, et legitima super voto castitatis (non tamen solemni) quomodolibet etiam per ordinis sacri susceptionem, vel professionis regularis in religionem per sedem apostolicam approbata emissionem, facto dispensandi, gratia tamen, et in foro conscientiae tantum; ac super bonis mala acquisitis, ad quae restituenda ipsi neophyti, et alii praefati incertis personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel si ipsi indigerent, in toto, vel in parte remittendi; necnon cum Indis in foro conscientiae tantum, et cum neophytis in utroque foro super jejuniis, gratis tamen, dispensandi; necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis, vel alia rationabili causa petere in foro conscientiae tantum, et gratis liberandi, licentiamque legendi libros infidelium, ac haereticorum, necnon quorumcumque aliorum, tam in indice romano, quam alias quomodolibet prohibitos, et damnatos, ad finem, et effectum dumtaxat hujusmodi libros, vel Haereses, vel errores in eis contentos confutandi, ad breve tempus, vel quousque hujusmodi librorum confutandorum lectio necessaria fuerit, personis dignis concedendi, facultatem, et potestatem apostolica auctoritate, tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Indultum recitandi missas ubilibet per horam ante auroram.

§. 7. Missas quoque per horam ante auroram ipsi patres societatis celebrare possint, et cum suis regularibus ut ad sacros, etiam presbyteratus ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus. Et insuper quia a nonnullis dubitatum, seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum regionum oriundi, et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati jure neophyti appellari possint, idcirco tenore earumdem praesentium decernimus, et declaramus, omnes oriundos, seu naturales supradictarum omnium tam orientalium, quam occidentalium partium, imo etiamsi Æthiopi, Angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi Christianorum filii, et in infantia baptizati, vel etiam interse, vel cum europeis mixtim progeniti sint, ad concessionis ejusmodi effectum esse, et intelligi debere neophytos, dictosque presbyteros cum hujusmodi, ut vel matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, et alias, ut supra, in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, ut supra, non exceptis, gratis tamen dispensare posse concedimus, et indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, majus dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus, et matrimoniis contractis, et contrahendis praefatis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare, eisdem presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes, praesbyteros dictae societatis super praemissis, et aliis juxta facultates praedictas, et illarum vigore, servata tamen illarum forma exequendis, et quovis alio praetextu; vel quovis colore per quoscumque loci ordinarios, seu alios superiores, et judices ecclesiasticos, et saeculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posset sicque in praemissis per quoscumque judices, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit Nostra de non concedendis indulgentiis ad instar statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad viginti annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos consimiles gratiae a fel. rec. Benedicto PP. XIV. praedecessore Nostro concessae fuerunt inchoandos, tantum valituris. Volumus autem ut ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel secretarii dictae societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis ejusdem societatis, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die X. Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri anno Nono.

DLIX.

Dat. die 12 Sept. 1766. Anno IX.

Quae Mexicano Archiepiscopo, vel eo defuncto, Vicario capitulari facultates indultae fuerant per hujus Pontificis Constitutiones anni 1763. Julii 7. itemque anni 1765. Junii 8. eas praevia praecedentium Constitutionum confirmatione pro proxime convocando Capitulo Generali Ordinis Fratrum Bethlemitarum extendit ad successorem in ipso Mexicano Archiepiscopatu.

Quae se habent ad praecedentes in hac materia Constitutiones vide hoc Tomo sub num. CDLXX. pag. 956.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur praecedentis Brevis dispositiones.

§. 1. Dudum Nos per alias Nostras in simili forma Brevis die VII. Julii MDCCLXIII. expeditas literas ad tollendas omnes novitates inter fratres Ordinis Bethlemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus Apostolica auctoritate instituti, invectas contra tenorem, et dispositionem Constitutionum ejusdem Ordinis dicta auctoritate confirmatarum, tunc existenti Praefecto generali ipsius Ordinis commisimus, et mandavimus, ut omnes novitatis hujusmodi statim abolere, ac earumdem Constitutionum observantiam, pristinumque vigorem restitueret, ita ut de hujusmodi Nostri sibi injuncti mandati executione idem Praefectus generalis, vel in casu sui obitus, tunc existens Vicarius generalis apud pariter tunc existentem Archiepiscopum Mexicanum, antequam proximum generale Capitulum ejusdem Ordinis inibi currenti anno habendum celebraretur, docere deberet, sub indignationis Nostrae, ac privationis juris praesidendi in eodem Capitulo generali ab alterutro id non adimplente ipso facto incurrendis poenis; quo casu idem Archiepiscopus tunc existens, eoque tunc impedito illius Vicarius in spiritualibus generalis, seu officialis, et, si sedes Archiepiscopalis Mexicana tunc vacans extitisset, illius Vicarius capitularis legitime deputatus, in dicto Capitulo generali eadem auctoritate praesideret, et circumscriptis abrogatisque omnibus innovationibus, ad novi Praefecti generalis electionem ita deveniri faceret, ut ab eo exigendum esset juramentum super omnimoda observantia dictarum Ordinis hujusmodi Constitutionum, ac alias, prout in eisdem Nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Ulteriores dispositiones per aliud Breve praecedenti posterius.

§. 2. Subinde vero per alias pariter Nostras in simili forma Brevis die XXVII. Augusti MDCCLXIV. expeditas literas cum alla-

tum fuisset nuncium obitus Praefecti generalis dicti Ordinis, ac plurimarum perturbationum inde secutarum propter officium Vicarii generalis indebite, ut asserebatur, ac illegitime assumptum a Priore conventus ejusdem Ordinis Guatimalensis Civitatis, nulliter, utpote non servata forma Constitutionum dicti Ordinis, ad id munus Prioris electo; qui nedum innovationes anno MDCCLVII. adversus Ordinis Constitutiones fovebat, sed alias etiam majores promovebat: Nos, ad mala hujusmodi avertenda, jus praesidendi dicto Capitulo, quod in praecedentibus Nostris literis Emmanueli tunc existenti Archiepiscopo Mexicano praedicto tributum fuerat sub conditione, et in casu, quo Praefectus generalis, vel per sui obitum Vicarius Generalis dicti Ordinis ante Capitulum hujusmodi non docuisset de abolitione omnium perniciosarum novitatum, ac restitutione observantiae Constitutionum Ordinis in pristinum vigorem, hac etiam sublata conditione, eidem Emmanueli Archiepiscopo, et, sede Archiepiscopali Mexicana vacante, Vicario capitulari Metropolitanae Ecclesiae praedictae legitime deputato, veris existentibus narratis, eorumque veritate per certas ac legitimas probationes comperta, concessimus, et indulsimus; ac praeter facultates in praecedentibus Nostris literis eisdem jam attributas, aliasque etiam de novo ipsis concessas, ut Capitulum generale proxime habendum in civitate Mexicana convocare, et, si necessarium, aut expediens foret, ad aliquod breve tempus pro ejus arbitrio et conscientia prorogare posset, dicto Archiepiscopo Mexicano, et eo non existente, ac viam universae carnis ingresso, Vicario capitulari praedicto facultatem dedimus, atque tribuimus, ac alias, prout in dictis Nostris literis, quarum pariter tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectae ut facultates Archiepiscopo Mexicano tributae ad ejusdem successorem extendantur.

§. 3. Nuper autem Nobis exposuit dilectus filius Noster Antonius Andreas S. R. E. Presbyter Cardinalis Galli nuncupatus, ejusdem Ordinis, et Fratrum Bethlemitarum apud Nos, et hanc Apostolicam Sedem Protector, quod posteaquam dictus Archiepiscopus Mexicanus vigore facultatum sibi in praedictis Nostris literis tributarum memoratum Priorem Conventus Guatimalensis officio Vicarii generalis, per seipsum, ut praefertur, indebite ac illegitime assumpto, privaverat, ac in ejus locum primum Assistentem dicti Ordinis juxta Cap. IX. illius Constitutionum posuerat, viam universae carnis idem Emmanuel Archiepiscopus ingressus fuit, Nosque Ecclesiae Mexicanae praedictae, Pastoris solatio destitutae, venerabilem fratrem Franciscum Antonium in Archiepiscopum praefecimus et Pastorem. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, in praedictis Nostri literis diei XXVII. mensis Augusti MDCCLXIV. jus praesidendi dicto Capitulo, aliaeque facultates in eis contentae memorato Emmanueli tunc Archiepiscopo Mexicano, et ejus obitu eveniente, Vicario dictae metropolitanae Ecclesiae capitulari legitime deputato tributae fuerint, nulla in eodem Archiepiscopatu successorum facta mentione; hinc ne dubitandi occasio aliqua unquam oriatur, atque, ut perturbationes omnes procul ab Ordine hujusmodi arceantur, idem Antonius Andreas Cardinalis et Protector jus praesidendi memorato Capitulo, et facultates omnes in praecedentibus Nostris literis contentas, expressas, et attributas, denuo ad cauthelam, et ad omnem et quemcumque bonum finem, et effectum dicto Francisco Antonio moderno Archiepiscopo Mexicano concedi et tribui, aliisque in praemissis per Nos opportune provideri, et ut infra indulgeri, summopere desideret.

Porrectas preces Pontifex excipit, facultatesque extendit, atque confirmat.

§. 4. Nos supplicationibus ipsius Antonii Andreae Cardinalis et Protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati jus praesidendi in praefato Capitulo, ac omnes et quascumque facultates quomodolibet in praecedentibus Nostris literis dierum VII. Julii MDCCLXIII. et XXVII. Augusti MDCCLXIV. ut praefertur, eidem Emmanueli tunc Archiepiscopo Mexicano datas, concessas, et attributas, quatenus opus sit, denuo praefato Francisco Antonio moderno Archiepiscopo Mexicano, ac pro tempore existenti ejusdem Mexicanae Ecclesiae Archiepiscopo successori, eoque impedito illius Vicario in spiritualibus generali, seu officiali, et quoties, quod Deus avertat,

sedes Archiepiscopalis Mexicana vacare contigerit, Vicario capitulari ejusdem metropolitanae Ecclesiae legitime deputato, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, tribuimus, et indulgemus; eisdemque praeterea omnes et quascumque innovationes post obitum dicti Emmanuelis Archiepiscopi contra tenorem, ac dispositionem Constitutionum Ordinis hujusmodi, omniaque et singula gesta, et contra eas, ac contra dispositionem earumdem Nostrarum literarum quomodolibet facta circumscribendi, abrogandi, et abolendi facultatem pariter eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et elargimur. Non obstantibus iis omnibus, quae in praecedentibus Nostris dictis literis non obstare voluimus. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno nono.

DLX.

Dat. die 17. Sept. 1766. Anno IX.

Frisingensem, et Ratisponensem Archiepiscopum laudat ob ejus Edictu adversus libros impiorum et libertinorum.

Venerabili fratri Clementi Episcopo Frisingensi et Ratisponensi Coadiutori Augustano.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Opinionem nostram de flagrantissimo tuo religionis pietatisque studio confirmarunt literae, quas ad nos dedit die XXV. proxime elapsi mensis Augusti fraternitas tua: attulerunt enim tuum edictum, quo novum exhibuisti documentum quantae curae tibi sit catholicae fidei integritas. Nibil profecto exitialius Dominico gregi impiorum lectione librorum, quibus propterea vigilantis Pastoris et de aeterna suarum ovium salute solliciti praecipuae sunt partes aditus ad Dioecesim suam omnes obstruere. Quamobrem zelum tuum magnopere amamus, quod pestilentissimos libros edicto illo proscriptos e fidelium manibus excussos voluisti. Librum etiam cujus Auctor Ecclesiam suis expoliare conatur immunitatibus recte condemnasti. Cavendum enim est maxime etiam ab iis, qui si non impiam doctrinam docent, tamen Ecclesiae praerogativas oppugnant, idque student ut illa decidat e sua indignatione. Quo fit ut contemptui tandem habeatur magno cum ipsius fidei periculo. Deum oramus, ut talibus inceptis tuis misericors annuat; ejusque speramus praesto tibi futuram praepotentem opem; qua adjutus, eos fructus feras in Ecclesia Dei, quos a tua pietate et egregia in catholicam fidem voluntate boni omnes sibi pollicentur. Et fraternitati tuae qui in nostrae caritatis gerimus sinu, omni cordis Nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima septima Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXI.

Decretum sacrae Congregationis Consistorialis circa administrationem cathedralium in insulis Philippinis, nempe Nominis Jesu, novae Segobiae, et de Caceres, quae capitulis carent, tempore vacationis sedis Episcopalis, ad triginta annos prorogatur. Dat. die 23. Sept. 1766. Anno IX.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor decreti Sacrae Congregationis Consistorialis.

§. 1. Nuper emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium rebus consistorialibus praepositorum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: » Insularum Philippinarum prorogationis indulti administrationis sacra congregatio rebus consistorialibus praeposita precibus indulgendo serenissimi regis Catbolici, censuit prorogandum esse ad alios annos triginta indultum ab hac sacra Congregatione die XXV. Junii MDCLXXVI. concessum, et die XXVII. Septembris anni MDCCIII. nec non die XXI. Dec. MDCCXXXV. ad alios triginta annos prorogatum, vi cujus eveniente in aliqua ex tri-

bus Ecclesiis, nempe Nominis Jesu, novae Segobiae, et de Caceres, quae in Insulis Philippinis capitulo carent, quaeque Archiepiscopo Manilien. suffragantur, vacationis casu, Ecclesia vacans ab Episcopo viciniore administrabitur. Factaque per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua sacrae Congregationis sententiam benigne approbavit. Datum Romae die 16. Septembris 1766. »

Pontifex ad preces Regis Hispaniarum decretum confirmat, et approbat.

§. 2. Cum autem sicut pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum Regis Catholici nobis nuper expositum fuit, ipse Karolus Rex decretum bujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos dicti Karoli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Karoli Regis nomine nobis humiliter porrectis inclinati, decretum preinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac in Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima tertia Septembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXII.

Cum Eichstetensi Episcopo conqueritur, quod nonnulla bona ipsius Ecclesiae alienare favore Bavariae Ducalis Domus promiserit, Apostolica Sede inconsulta.

Dat. die 26 Sept. 1766. Anno IX.

Venerabili fratri Raymundo Antonio Episcopo Eichstetensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Episcopum laudat pro divini nominis zelo, sed de animi parum firmi constantia condoletur.

§. 1. Ex pluribus litteris, quas subinde a fraternitate tua, ut occasio tulit, accepimus, comperisse nobis videmur praeclaras ad Episcopatum te attulisse virtutes, flagrantissimum divini honoris et gloriae zelum, animarum sanctificandarum eximium studium, et in Ecclesia tuenda, ejusque juribus defendendis fortitudinem atque constantiam. Et in eo quod ad tuam in Deum pietatem ejusque cultum, et ad gregis recte regendi rationem pertinet, est quamobrem de opinione, quam de te concepimus, nobis ipsi plane placeamus. Sed de firmitudine, qua Episcopalem animum esse munitum oportet, vehementer dolemus, quiddam esse, quod tecum gravissime conosceri debeamus.

Quam inconsulto cum Ducali Bavarica Domo transactionem instituerit, demonstrat.

§. 2. Nobis enim allatum est pluribus vexationibus faticatum, quae a Bavarica Domo tibi frequentissimae oriuntur, id demum te cepisse consilii, ut cum ea transigendo omnium controversiarum molestiis liberatus, perpetua tandem in pace conquiescas. Sed illud considerandum Ven. fratrer, in Episcopatu nullum esse quietis et tranquillitatis locum, cavendumque maxime, ne nimia otii cupiditate per animo mollitiam officium nostrum prodidisse insimulemur: transactionem, quam cum dilectissimo Filio nob. Viro Bavariae Duce configere instituisti, multa continere accepimus, quae magno Ecclesiae tuae sint detrimendo, in quibus illud praecipuum, quod duo Castra tradere cogitas Tunhausen et Brunk, quae quisque capitularium in primo ad capitulum ingressu, solemni juramento promisit, se numquam passurum alienari.

Quam nulla Ecclesiastica alienatio, inconsulta Apostolica Sede valide peragi possit, eum hortatur ut a male concepto proposito desistat.

§. 3. Praeterea non ignorat fraternitas tua cujusquemodi alienationes Ecclesiasticorum bonorum vetitas esse; ac si qua intervenerit causa, cur de iis alienandis agi posse in ipsius Ecclesiae bonum existimetur, unius esse Apostolicae sedis judicare, num ea alienatio in Ecclesiae commodum cedat. Nos propterea de transactione, quam moliris, docere omnino debes atque consulere, nostrumque expectare judicium. Quamobrem te hortamur in Domino atque etiam tibi praecipimus, ne animum inducas quidquam de Ecclesiae tuae bonis cum quoquam pacisci nobis insciis et inconsultis. Nam et nihil egeris, nisi accedat Apostolicae hujus sedis consensus, nec quidquam aliud consequare, quam ut videaris maluisse de tuae quieti, quam Ecclesiasticae tuae utilitati prospicere, et otii tui studium plus quam juramenti Religionem apud te valuisse. Quamquam ne a quidem transactione tibi tuisque successoribus quietem a litibus paras; quod satis intelligere potes, si paullulum prospicis ad ea, quae cum Bavariae Dux mortalitatem expleverit, sunt eventura. Itaque de obsequio tuo, quod usque adhuc eximium exhibuisti erga Apostolicam sedem, nihil dubitantes confidimus, te ulterius non progressurum, dum de omni hac re Nos edoceas; et expectaturum, dum certior a nobis fias quid ea de re ipsi sentiamus. Et fraternitati tuae omni animi nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVI. Sept. MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno IX.

DLXIII.

Dat. die 27. Sept. 1766. Anno IX.

Statuitur qualis debeat esse consuetudo, cujus vigore Curiae Ecclesiasticae judicium ferre possint in causis criminalibus laicorum in ditione Pontificia.

Clemens Episcopus.
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§. 1. Prestat romanum Pontificem, utramque, quam habet in subditos suos jurisdictionem, tum ecclesiasticam, tum saecularem, ita in suos magistratus derivare ac distribuere, ut bonus inde ordo, non ordinis perturbatio contingat, nec detrimenti quidquam justistia patiatur.

Refertur peculiaris casus controversiae exortae in hac jurisdictionali materia.

§. 2. Accepimus nuper, gravem agitari litem inter curiam episcopalem, et curiam laicalem civitatis Tuderti super jure cognoscendi causam Furti, ut ajunt, qualificati, cujus reus, cum ab homine laico ad tribunal Episcopi accusatus fuisset, laicus alter, quem curia episcopalis, recepta accusatoris querela, carceribus mancipari jusserat, conquestus de hoc fuit Rector civitatis causatus, judicium de furto, quod a laico in laicum de re profana patratum fuerat, ad suam jurisdictionem pertinere. Repugnabat autem curia episcopalis, quod legitima consuetudine praescripsisse se diceret cumulativam jurisdictionem cognoscendi etiam causas criminales laicorum. De qua re disputatum diu fuit in congregatione praeposita negociis sacrosanctae Immunitatis, quae principio jussit proferri acta curiae episcopalis ad hujus consuetudinis probationem; mox data defensoribus fisci scribendi copia, licet in tertia propositione existimaverit hujus criminis causam ad curiam episcopalem pertinere, in quarta tamen anceps judicium fuit, scissis in aequas partes suffragiis, quod cum nobis causae celeriter expediendae decisionem, reo interim in carceribus permanente et marcescente, longius protrahere videretur, illam idcirco a praedicta congregatione ad nos avocavimus, praecipientes curiae episcopali Tuderti, ut reum traderet curiae Rectoris civitatis, nulla interposita mora, judicandum.

Quamplurimae querelae exortae sunt quoad hanc jurisdictionem.

§. 3. Nunc vero, cum ex hujus judicii contentione, et ex aliis, quae Nobis delatae sunt, magistratuum saecularium querelis intellexerimus, facile nimium in ditione Nostra, ex quadam hominum conniventia perturbari, et commisceri coepisse fines utriusque jurisdictionis ecclesiasticae et saecularis, et hinc multa oriri impedimenta et ostacula in exercenda et administranda ea praesertim justitia ad publicam vindictam criminum pertinente, quam neque differri neque remitti posse sine gravissimo reipublicae detrimento arbitra-

mur. Volentes idcirco his omnibus providere, praesentem hanc constitutionem, qua finis abusibus imponatur, promulgandam statuimus.

Servanda est consuetudo cumulativae Ecclesiasticae jurisdictionis, quatenus legitime constituta sit.

§. 4. Itaque, quum sacris Canonibus sancitum sit, in profanis omnibus causis actorem sequi forum rei, qui, si clericus sit, vel foro ecclesiastico aliunde gaudeat, in foro ecclesiastico, sin autem laicus in foro laicali, exceptis tamen causis mixti fori, sive aliter privilegiatis, conveniri debeat, idque perpetuo servari oportere, ni alias laudabilis locorum consuetudo induxisset, ut causae etiam laicorum, specie quadam cumulativae jurisdictionis, ad forum ecclesiae traduci possint: Nos quoque, quibus maxime cordi est, quidquid sacris Canonibus cautum reperitur, studiose servare, ac tueri, consuetudinem ejusmodi, quae ecclesiasticae jurisdictioni favet, sive inductam, sive inducendam non in civilibus modo, sed etiam in criminalibus causis probamus, laudamus, eamque sartam, tectamque manere jubemus, nihil quidquam de ejus vi et robore detrahentes, neque aliquid desuper innovantes.

Decernitur quaenam habenda sit consuetudo legitima constituta.

§. 5. Sed quoniam experientia compertum est, praetextu quandoque consuetudinis, vel minus legitimae, vel non omnino constantis, neque a legitimis ductae principiis, facile nimium moveri, nonnullas hujus nostrae ditionis curias episcopales, et ecclesiasticas, ut praeoccupata magistratuum saecularium jurisdictione, ad se trahant cognitionem criminum etiam gravissimorum, quorum reos licet laicos, neque foro ecclesiastico ullatenus gaudentes, cum apud eas accusantur carceribus statim mancipant, eosque tradere renuunt curiis nostris saecularibus, juste puniendos: bonum idcirco duximus praesenti hac constitutione, ut abusibus occurratur, declarare quae, et qualis esse debeat legitima secundum Canones consuetudo, qua curiis episcopalibus, et ecclesiasticis jus esse possit de reorum laicorum causis criminalibus cognoscendis, et judicandis. Igitur non omnem ad id in consuetudinem, sed illam tantum valere jubemus, quae et quadragenaria sit, et perpetuo constans, non unquam vel contradicta, vel interrupta. Praeterea constitui eam volumus multiplicitate, ac frequentia actuum non levium sed gravium, quos constet gestos fuisse animo praescribendi jurisdictionem saecularem, non ex gratia, vel conniventia toleratos, neque tales, qui fieri fortasse potuerint citra certam, praecisamque scientiam, et acquiescentiam, vel nostram, nostrorumque pro tempore Successorum, vel saltem supremorum magistratuum nostrae hujus Urbis, quos praecipue ad publicam persequendam vindictam criminum praeponere consuevimus: nullam prorsus in re tam gravi haberi mandantes rationem de scientia ac patientia Rectorum localium, aliorumque inferiorum magistratuum saecularium, quibus quandoque vel oscitantibus, vel metu quodam reverentiali conniventibus, ac tolerantibus nequaquam licere, ac licuisse statuimus, gratia, acquiescentia, ac patientia sua legitimam facere consuetudinem, qua mandata eis jurisdictio, perturbato utriusque potestatis ordine, minuatur. Si ea itaque consuetudo afferatur, qualem modo statuimus, illam volumus custodiri, ac servari, inductam vero aliter reprobamus, et nullius esse roboris Nostra hac constitutione decernimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes ad id vocati, vel auditi non fuerint, vel causae, propter quas praesentes emanarint expressae et verificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel infringi nullatenus posse, sed illas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ita et non aliter in quibusvis tribunalibus, ac per quoscumque judices in hac materie competentes, etiam specifica et individua mentione dignos decerni, et judicari decernimus, et mandamus, sublata cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, atque auctoritate, ac irritum et inane etiam decernentes, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, si quae essent, constitutionibus, et or-

dinationibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis, etiam de necessitate exprimendis alias concessis, et quavis firmitate roboratis, quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostri statuti, declarationis, voluntatis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCLXVI. Octavo Kal. Sept. Pontificatus Nostri Anno IX.

DLXIV.

Dat. die 29. Oct. 1766. Anno IX.

Viennensem in Delphinatu Archiepiscopum commonet de commisso ab Apostolica sede processu super reformatione canonicorum S. Ruffi.

Venerabili fratri Guilelmo Archiepiscopo Viennensi in Delphinatu.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Quomodo Apostolica sedes procedendum duxerit antequam de conservando, vel delendo Ordine Canonicorum S. Ruffi aliquid decernat.

§. 1. Fraternitatis tuae literas accepimus, quae gravem horum temporum habent querelam, nobisque satis ostendunt, quanta animi tui aegritudo ex his malis, quibus in die magis religio videtur collabefieri. Quamobrem zelum Dei ejusque honoris et gloriae, quo te, venerabilis frater, tuosque istius Provinciae collegas flagrare cognovimus, vehementer amamus, ac magnopere laudamus, cum idcirco de retinendo Ordine S. Ruffi tantopere laboratis, quod existimatis, eo sublato, pauciores in posterum apud Vos fore sacros ministros, et salutare sacramentorum pabulum dominico gregi defuturum. Sed futurum ne sit in Ecclesiae rem illum Ordinem conservari, quem ajunt usque eo prolapsum esse, ut jam reformari nequeat, id vero diligenter est Nobis examinandum. Quapropter ea de re processum a Delegato nostro Ven. fratre Episcopo Meldensi institui jussimus; et ad eum putamus vos jam attulisse rationes et documenta, quibus innixi tutelam illius Ordinis suscepistis. Easdem rationes et documenta suo tempore cum ad Nos processus ille perlatus fuerit accuratissime perpendemus.

Archiepiscopum hortatur, ut patienter substineat contumelias, quibus Episcopi parati esse debent propter Christum.

§. 2. Quod scribis per occasionem hujus controversiae, vestram famam contumeliosis probosisque scriptis et malevolis sermonibus haedi, cogitare debes, nullam aliam Christiano homini, ac praesertim Episcopo, propositam esse vivendi rationem, quam vitam Jesu Christi, qui nullam pro Ecclesia sua recusavit injuriam, et contumeliam, nobis reliquens exemplum ut ejus vestigia sectemur. Itaque beatissimus Paulus et occasionibus portandi improperium Christi, et imitandi ejus exemplum, jucunditatis causam sibi esse oblatam arbitrabatur non querelarum materiam: « *Propter quod*, inquit, *placeo mihi in meis contumeliis in necessitatibus in persecutionibus, in angustiis pro Christo* » Tu vero, Ven. Frater, confortare et esto robustus in Domino; idque persuadeto tibi, ut tu nunquam in hac re tuum deseres officium, sic vel favore vel gratia ab eo quod justum est, nunquam deflexuram esse Apostolicam sedem et fraternitati tuae intimo nostrae caritatis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Octobris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXV.

Dat. die 29. Oct. 1766. Anno IX.

Cum Bisuntino Archiepiscopo queritur de quodam Decreto, quo jura Apostolicae sedis, quoad beneficia Ecclesiastica Comitatus Burgundiae laeduntur, eumdemque commonet ut jura ipsa vindicare apud Christianissimum Regem curet.

Dilecto filio nostro Antonio S. R. E. Cardinali de Choiseul Archiepiscopo Bisuntino.

Clemens PP. XIII.
Dilecte fili salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Archiepiscopo significat Pontifex, se instetisse penes Francorum Regem contra Decretum de quo hic sermo est.

§. 1. Gravissimam Nobis molestiam attulit Arrestum, ut vocant, die 31. proxime elapsi mensis Julii editum, quo Comitatum Burgundiae vetat Bisuntina curia *Terram Obedientiae* in posterum appellari, eamque Provinciam statuit Terram usus tantummodo nominandam, et in eo Comitatu quod ad rem beneficiariam attinet nullum octavae regulae Nostrae Cancellariae in jure communi locum edicit esse debere. Cujus Arresti novitate perculsi justissimas ad Christanissimum Regem querelas nostros deferri curavimus, et nunc per has literas, dilecte fili Noster, te vehementer hortamur in Domino et obtestamur, ut flagrantiore usque studio urgeas, quod jam magna tui cum laude suscepisti. Novimus enim te omnem cohortationem nostram antevertendo tua sponte zelo, justitiae incensum incunctanter in hanc causam discendisse, qua in discrimen vocantur Apostolicae sedis jura, quae tueri et defendere recte existimasti tui esse Pastoralis officii, et ipsius personae, quam in Romana geris Ecclesia. Profecto aegretudinem nostram ex injusto illo Arresto, quo Nostra convelluntur Apostolica jura, valde tua dilecte fili Nostri lenivit alacritas ad ea propugnanda, et ad implorandum Christianissimi Regis opem, ut regia, qua pollet auctoritate et potestate, Arrestum illud jubeat aboleri. Quod quidem justitiae amantissimum, fideique in servandis pactionibus tenacissimum Principem facturum esse confidimus.

Memoriae Archiepiscopi revocat concordata Germaniae a quibus jura S. Sedis derivant quoad beneficia Ecclesiastica in Comitatu Burgundiae.

§. 2. Neque enim cuiquam dubium esse potest, Burgundiae comitatum Concordati germanici legibus usque eo fuisse adstrictum, dum gl. me. Christianissimus Rex Ludovicus XIV. capta ex Noviomagensi foedere Comitatus illius possessione, suffragantibus sibi plurimis in catholicam Religionem et immortalibus meritis a praedecessore Nostro fel. rec. Innocentio XI. impetravit, et sibi suisque successoribus deinceps jus esset nominandi ad beneficia consistorialia et Monasteria etiam Regularia, quae in eo sunt comitatu, reservato tamen Apostolicae sedi jure caetera beneficia, quae collativa dicuntur, in mensibus Apostolicis vacatura libere conferendi. Quod quidem Indultum jam tum regiis ad Bisuntinam curiam literis munitum, et in actis ipsius curiae relatum, et ad hanc usque diem sancte servatum nunc velle convellere, idem est ac exemplum statuere, quo omnium, quae publice acta sint et omni munimine roborata, omnis in posterum nutet fides. Et delectioni tuae omni paternae Nostrae caritatis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscat. die vigesima nona Octobris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXVI.

Cunctis per Catholicum Orbem Archiepiscopis, Episcopis Caeterisque dioecesum Rectoribus encyclicam mittit, ut creditum sibi ipsis dominicum gregem a noxiorum librorum lectione avertant. Dat. die 25. Nov. 1766. Anno IX.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

Clemens Papa XIII.

Venerabiles Fratres salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Quanta sint damna futura dominico gregi ex novis libris Pontifex designat.

§. 1. Christianae reipublicae salus, cujus causam a Principe pastorum, et Episcopo animarum accepimus, vigiles Nos esse compellit, ne insolens, et teterrima librorum licentia, quae e latebris ad exitium, et vastitatem emersit, eo fiat perniciosior, quo se in dies efferendo sit latior. Execrabilis erroris perversitas, et inimicorum hominum audacia in medio tritici, qua scripto, qua verbo superseminans zizania, his praesertim temporibus adeo excrevit, ut nisi falcem ad radicem immittamus, et alligemus mala germina in fasciculos ad comburendum, parum absit, quin spinae pravitatis exortae plantationem Domini Sabaoth suffocare aggrediantur. Perditi

enim homines ad fabulas conversi, et sanam doctrinam non sustinentes, quaquaversum invadunt arcem Sion, et per pestiferam contagionem librorum, quibus fere obruimur, in christianae plebis interitum serpentina venena pectoribus evomunt, illimes credendi fontes corrumpunt, et Religionis fundamenta convellunt. Abominabiles facti in studiis suis, sedentesque in insidiis clam é pharetra jacula educunt, quibus in obscuro sagittent rectos corde. Quod est tam Divinum, tam Sanctum, et vetustissima omnium temporum Religione consecratum, a quo impias continuerint mentes, et in quo oppugnando linguas suas tamquam gladium non exacuerint? Cucurrerunt primum adversus Deum erecto collo, et armati pingui cervice contra omnipotentem roborati sunt. Impiorum deliramenta toties fracta e cineribus excitantes, Deum ubique praedicantem, et quotidie in oculos incurrentem denegant, non ex obtusa ingenii acie, sed solo depravatae voluntatis consilio; vel Deum ipsum desidem, et otiosum effingunt, cujus nec providentiam colant, nec justitiam vereantur. Animae vero nostrae originem, et naturam ad imaginem supremi Conditoris creatam, et paulominus ab Angelis minoratam, foeda prorsus, et vesana opinandi licentia mortalem praedicant. Materiam sive creatam senserint, sive aeternam, et nulli causarum obnoxiam somniaverint, nihil tamen praeter illam in hac rerum universitate arbitrantur; vel coacti fateri spiritum cum materia existere, animam tamen ab hac coelesti conditione deturbant; nolentes intelligere, in hac ipsa, qua compacti sumus imbecillitate, spiritale quiddam, et incorruptum inesse, cujus vi sapimus, agimus, volumus, quo et futura providemus, et intuemur praesentia, et praeterita recordamur. Alii vero, etsi probe sentiant, abigendam esse procul terrenarum caliginem rationum, et ab illuminatae Fidei oculo depellendum mundanae sapientiae fumum; recondita tamen Fidei Mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis audent examinare ponderibus, et scrutatores facti majestatis, opprimi non verentur a gloria. Irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quaestiones de altissimis rebus temere ventilantur; omnia sibi usurpat audax inquirentis ingenium, omnia scrutatur, fidei nihil reservans, et eidem detrahit meritum, dum in humana ratione quaerit experimentum. Nonne iis etiam necesse est indignari, qui turpissima et rerum, et verborum obscenitate severos, et pudicos mores per summum scelus corrumpunt, execrabilem vivendi licentiam suadent mentibus incautorum, et pietati extrema inferunt dispendia? Quid? quod scripta sua conquisito quodam nitore, et blanda orationis festivitate, ac lenocinio inspergunt, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius veneno erroris inficiant. Sic imprudentibus fel draconis in Calice Babylonis propinant, qui suavitate sermonis illecti, et obcaecati, toxicum, quo pereunt, non agnoscunt. Quis demum acerbissimo non conficiatur moerore, cum viderit infensissimos hostes, praetergressos quoscumque modestiae, ac debiti obsequii fines, editis, nunc certo, nunc ementito praelio, contumeliosis libris, irruere in ipsam Petri sedem, quam Redemptor fortis Jacob posuit in columnam ferream, et in murum aeneum adversus principes tenebrarum; hoc perdito fortasse adducti consilio, ut, ubi caput afflixerint, liberius Ecclesiae membra discerpant.

§. 2. Itaque, Venerabiles fratres, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, et de singulari sacramento humanae salutis edocuit, non possumus in tanta librorum depravatione, quin, quod Nostrarum est partium, studia devotionis vestrae excitemus, ut, qui in partem Pastoralis sollicitudinis vocati estis, in idem majori quo potestis conatu conspiretis. Pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies; nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant. Dispensatores facti mysteriorum Dei, et armati illius potentia ad destructionem munitionum, satagite, ut creditae vobis oves, Christi sanguine redemptae a venenatis hisce pascuis arceantur. Si enim necesse est a malorum hominum societate discedere, quod verba eorum multum proficiunt ad impietatem, et ser-

Ad tam dira mala evellenda futuraque impedienda cunctorum Antistitum auxilium implorat.

mo eorum ut cancer serpit; quam vastitatem pestilentia effic et librorum, qui apte compositi, et artificii pleni, manent perpetuo, et semper nobiscum adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quae improbo, et occulto auctori aditus non pateret? Constituti ministri Christi in gentibus, ut sanctificetis Evangelium suum; perficite, laborate, et quantum in vobis est, opere, et sermone succidite fallaciae stirpes, corruptos vitiorum fontes obstruite, insonate buccina, ne pereuntes animae de manu speculatoris requirantur. Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua insigniti estis; pro potestate, quam a Domino accepistis. Praeterea cum nemo possit, ac debeat ab hujus tristitiae participatione secerni, et in tanto fidei, et religionis discrimine una omnibus dolendi, una juvandi communis sit ratio; avitam catholicorum Principum pietatem, ubi res postulat, implorate; gementis Ecclesiae causam exponite; et amantissimos ejus filios, de illa tot nominibus egregie semper promeritos, ad opem ferendam excitate; ut quoniam non sine causa gladium portant, conjuncta Sacerdotii, et Imperii auctoritate, perditos homines contra phalanges Israel pugnantes strenue compescant, et eliminent. Ad vos, Venerabiles fratres, potissimum pertinet stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est, et tueri sanctissimum Fidei depositum, cujus custodiae in solemni inauguratione sacramento vos addixistis. Detegantur fideli populo vulpes, quae vineam Domini demoliuntur; moneatur, ne capi se sinat splendidis certorum auctorum nominibus, ne circumferatur nequitia, et astutia hominum ad circumventionem erroris; unoque verbo, libros execretur, in quibus aliquid resideat, quod lectorem offendat, Fidei, Religioni, bonisque moribus adversetur, et christianam non sapiat honestatem. In quo quidem plerisque vestrum intimo gaudio gratulamur, quod Apostolicis inhaerentes institutis, et Ecclesiasticarum legum strenui vindices omnia studia sua in hac avertenda peste fortes, vigilesque contulerint, nec siverint simplices tuto dormire cum serpentibus. Nos certe, qui sollicitudine omnium ecclesiarum, et salutis Populi christiani angimur, et distinemur, nulli parcentes labori, vestro etiam in tam gravi periculo adjuvari pollicemur. Deum interim in humilitate cordis Nostri rogare non desinemus, ut det vobis auxilium de sancto ad declinandam insidiantium hostium calliditatem, et ministerii vestri partes cumulate implendas; et in optati eventus auspicem vobis, et gregi vestro Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XXV. Novembris Anni MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXVII.

Quod in Gallia instituatur Regularium reformatio quaeritur cum Rhemensi Archiepiscopo, inconsulta Apostolica Sede, cujus semper primariae partes fuere in istis negociis. Dat. die 24. Dec. 1766. Anno IX.

Venerabili fratri Carolo Antonio Archiepiscopo Rhemensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De Coadjutore ad Archiepiscopi preces eidem indulto agit Pontifex.

§. 1. Iterum, qui tuus est erga Nos gratus animus, scribis, gratias Nobis agens, quod, quem expetebas, tibi constituerimus Coadjutorem, eique partem remiserimus expensarum: quo gratiarum officio liberale ingenium tuum facile recognovimus. Deinde ejus dotes rursus Nobis commemoras, quas oportet esse praeclaras, cum ad ejus laudes in his quoque proximis tuis ad Nos literis redeas, tibique vehementer placere videaris, quod opera tua sit in posterum Rhemensi Ecclesiae consultum. Quod gravissimum testimonium tuum et maximum incredibilem Nobis attulit consolationem; cum luctuosis hisce temporibus nullum aegrotis Ecclesiae Vestrae rebus possit remedium adhiberi validius, quam in cathedralibus ecclesiis egregios constitui viros, qui incorrupta doctrina, et vitae sanctitate praediti, Deique zelo flagrantes Christiani

gregis sibi commissi sedulos vigilantes fidelesque se praebeant Pastores. Itaque Ven. frater, nihil potuisti facere praestabilius, quam dare operam, talis ut vir, qualem Nobis narras, non tum aetate quam omni laude florens tibi Coadjutor daretur in nobilissima Sede, in qua suo tempore illum in Domino confidimus animi bona, quae a natura accepit et gratia, in publicam Ecclesiae Gallicanae utilitatem explicaturum. Quae scribis de tua in S. Ecclesiam pietate et devotione, de eo quo sacram hanc beatissimi Petri Sedem colis obsequio, de tua tutandorum Apostolicae Sedis jurium et prerogativarum sollicita cura, nihil ad egregii Antistitis exemplar expressis.

Multum in reformatione Regularium sibi Pontifex promittit ex Archiepiscopi religione, doctrina, et dexteritate.

§. 2. Ad optimam hanc voluntatem tuam accedit mira tractandarum rerum dexteritas et prudentia; quae virtutes tuae cum auctoritate, quam plurimum potes, non mediocrem quidem spem Nobis afferent negotium de Regularibus in isto Regno reformandis bonum exitum habiturum. Illud vero Nobis spem omnium maximam faceret quod carissimus in Christo filius Noster christianissimus Rex Religionis amantissimus, et in S. Ecclesiam praeclare animatus ad id negotium curas contulit suas. Sed ut se dederunt initia, verendam est maxime, ne videatur esse optimi Principis circumventa Religio. Superioribus temporibus, ubi compertum est Regulares Ordines eo usque consenuisse, ut jam Regularis observantia in iis omnino extingueretur, ad Romanum Pontificem primas de tanto malo querelas esse delatas, profecto fraternitas tua non ignorat, qui in ipsis ad Nos literis tuis commemoras, quae fuerit in Galliae Regno reformandorum Regularium Ordinum ratio.

Dolet quod a multis mensibus de reformatione agatur, inconsulta omnino Apostolica Sede.

§. 3. Nunc vero temporis tantum ab ea ratione declinatum est, ut ad Nos de prolapsa Religiosorum Ordinum disciplina, non alia, quam ad privatum quemque notitia pervenerit; reformationis studiosi alio quam ad Apostolicam Sedem respexerint, Nobis non modo inconsultis, sed plane insciis institui coepta sit reformatio; nec super ea isthic quae gerantur, et per plures menses quae gesta sint, eorum nibil adhuc a Vobis perlatum sit ad Apostolicam Sedem; nullae denique in hac re adhuc nostrae sint partes, quae esse debuerant primae. Quae quidem omnia spem nostram merito positam in christianissimi Regis summo erga Religionem studio, et in hanc S. Sedem observantia, et in Vestrorum quoque fratrum egregia pietate, et fide, quibus demandatum est reformationis negotium, vehementer debilitant et infringunt, magnumque Nobis injecere metum, ne qui per laicorum mentes haud ita pridem se insudit, in hanc quoque rem spiritus quidam se insinuaverit, quo saecularis potestas jure sibi recuperatum existimat quidquid de Apostolicae Sedis auctoritate et Ecclesiae potestate et jurisdictione detraxerit. Non dubitamus, quin satis perspecta Nobis sapientia tua cognoscat hunc, quo non mediocriter commovemur, non inanem omnino esse metum; tuusque erga Nos amor Nostrarum fiat particeps molestiarum, quas Nobis affert tam nulla in hoc negotio habita usque ad hanc diem Apostolicae Sedis ratio.

Hortatur ut Christianissimi Regis provocet religionem, atque auctoritatem in tam gravi negotio.

§. 4. Quamobrem, Ven. frater, te tuosque Collegas, quos in hac re comites habes et socios, in Domino majorem in modum obsecramus et obtestamur. Christianissimo Regi seduli et fideles adeste. De illius in Religionem studio et amore, et erga Ecclesiam, cujus gloriatur esse primogenitus filius, numquam tantopere praedicaveris, Ven. frater, quin id superest firmissima Nostra opinio de ejus optima in eamdem Religionem sanctamque Matrem suam voluntate. Sed magnum, qui tibi est, rerum usum docuisse fraternitatem tuam oportet, saepe factum esse, ut maximi et sapientissimi Reges tot tantisque negotiis distenti, multis etiam hominibus circumsessi, quorum diversa sunt vel studia, vel voluntates, vel diversa de rebus cogitandi et judicandi ratio, doluerint denique, aliter exisse sibi negotia, quam ipsi instituerint a principio. Illud vero praecipue caveatis oportet, ne in iis, quae nostrae sint potestatis, ab iis, quae vel ad regiam vel ad vestram potestatem pertinent, secernendis, quidquam videatur esse Nobis ademptum, de quo Nostrae sit auctoritatis constituere aut judicare. Et ea quidem Nos ipsos ante jam secrevisse, non dubitamus, quin probe cognoscas multo futurum convenientius fuisse multoque elegantius.

Admonet ut in reformatione ita regularia instituta serventur, ex eorum eversione injuria inferatur Apostolicae Sedi.

§. 5. Sed quoniam ita fert horum conditio temporum, videte, quaesumus, ne Apostolicam Sedem neglectam esse dolere debeamus, et conqueri. Atque illud in primis vel vos admonemus, vel vobis summopere commendamus; in cujusque Regularis Ordinis legibus et institutis ne quid moveatur; id enim cum eo, quod huic Apostolicae Sedi debetur obsequio minime conveniret; nec exolescentis Regularis disciplinae malo remedii quidquam afferret: nulla enim corpora ab interitu retrahi aliter possunt, quam ea ad suum quaeque revocando principium; nec praeterea Regulares in servanda disciplina retineri alia potestate, quamquam quae eorum ordinibus Regulas constituit, usque tribuit statum quaeque una potest devios reducere ad rectam viam, unde deflexerint, eosque efficaciter coercere. Denique ut in eo, quod omnium maxime Nostra interest, scribendi finem faciamus; videte Tu et Collegae tui ne qua fiat Nobis inconsultis et sine Nostra approbatione praeeunte in Religiosorum Regulis immutatio. Haec tibi, Ven. frater, paullo fusius scripsimus et uberius, moeroremque Nostrum in tuo deposuimus sinu, ut intelligas persuasissimum Nobis esse, Apostolicam Sedem abs te amari et coli, idque tibi ipse vicissim persuadens, Nos plurimum fraternitati Tuae tribuere, eam magni facere, in ea denique multum fiduciae Nostrae posuisse. Et valde quidem animi Nostri aegritudinem lenit, quod gravissimum hoc negotium ad tuas piissimorumque antistitum Collegarum tuorum pervenerit manus, quos non dubitamus pro ea, quam praestatis, Religione, Sapientia, et in Apostolicam Sedem reverentia et obsequio, id summo studio curaturos, ut Ecclesiae bono et communi Regularium Ordinum utilitati et Romanae Sedis auctoritati, et dignitati satis providisse videamus. Cujus egregiae laudis te, Ven. frater, eo magis participem fore confidimus, quod ad tuam pietatem, Religionem, et de Ecclesia bene merendi voluntatem (quas virtutes nunc maxime fraternitati tuae datur exhibendi copia) etiam ex ea, qua vales plurimum apud christianissimum Regem gratia, et ex eo, quem in hoc negotio primum obtines loco, magna tibi oritur auctoritatis accessio. Et fraternitati tuae quam in Nostrae charitatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesimaquarta Decembris MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno nono.

DLXVIII.

Dat. die 5. Jan. 1767. Anno IX.

Decem conventus, et quatuor monasteria monialium, nec non collegium ordinis Sancti Francisci de observantia in provinciam Mantuanam eriguntur.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ad regularis disciplinae observantiam in iis praesertim religiosorum virorum ordinibus, in quibus juxta primaevam institutionem, benedicente domino, illa viget, retinendam, conservandam, adaugendamque, quantum conferat non modo minorum, majorumque superiorum praesentia; verum etiam provinciarum prudentissima excogitata divisio diuturni temporis, rerumque experientia tam Romani Pontifices praedecessores Nostri, quam ipsi regularium ordinum rectores apprime edocti, ideo eorumdem superiorum supplicationibus moti curarunt, ac voluerunt, ut cum conventus, et monasteria ejusdem ordinis multiplicari, et crescere perspexissent, alia invicem unita ab aliis simul junctis separata, et si omnia, et singula sub uno generali capite posita, diversis tamen provinciarum rectoribus habita ratione gubernarentur.

Exponuntur incommoda obvenientia ex actuali divisione Conventuum de quibus agitur.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, intra fines Ducatus Mantuae, vel non longe procul, plures conventus existant ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, qui vel ad provinciam Venetiarum S. Antonii nuncupatam, vel ad alias provincias Brixien. et Bononien. ejusdem ordinis modo pertineant, et in eis adscripti sunt, atque in conventibus hujusmodi nonnulla incommoda, quae regulari observantiae forsan officere

possunt et praejudicium recto ordini studiorum sensim inferre, quae sane omnia, ut Nobis expositum fuit, cessarent, quoties conventus praedicti a provinciis, in quibus modo consistunt, dividerentur atque ex eis una erigeretur nova provincia; quae magis provide, ac opportune a propriis suis superioribus regi, ac gubernari valeret, et cum dilectissima in Christo filia Nostra Maria Theresia Ungariae Regina, Apostolica pro sua erga religiosos ordines benevolentia, et singulari pietate suas ad id preces obtulerit.

Precibus annuens Pontifex, ad novae Mantuanae Provinciae erectionem devenit.

§. 3. Hinc est, quod nos pio ejusdem Mariæ Theresiae Reginae desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter obsecundare, simulque feliciori eorumdem conventuum statui, prosperoque illorum regimini, et progressui prospicere cupientes, ac dilectorum filiorum Guardianorum, aliorumque fratrum conventuum hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, audita super his relatione dilecti filii Nostri Aloysii Mariae S. R. E. Diaconi Cardinalis Torrigiani nuncupati apud nos, et hanc sanctam Sedem ejusdem ordinis protectoris, Motu-proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine infra expressos conventus dicti ordinis, nempe S. Francisci Civitatis Mantuae, et S. Mariae Gratiarum prope dictam civitatem, nec non S. Rochi loci *della Volta* nuncupati, S. Sebastiani de Sancto Martino in loco *dell' Algine* pariter nuncupato, ac S. Mariae Angelorum Ostiliae a dicta provincia Venetiarum, necnon conventus S. Gaudentii de Ostiano, et S. Mariae Castilionis ab alia provincia Brixien. ordinis hujusmodi, insuper conventus S. Francisci de Viadana, et S. Angeli, ac alterum S. Lucae civitatis Cremonen. a provincia Bononien. praefati ordinis apostolica auctoritate tenore praesentium dividimus, segregamus, et separamus, eosque una cum monasteriis, monialium ordinis hujusmodi Corporis scilicet Christi, S. Josephi, et S. Luciae, ac S. Elisabeth, nec non cum collegio S. Ludovici insimul unimus, atque conjungimus, eosque in novam Provinciam ejusdem ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum Mantuanam nuncupandam, motu, auctoritate, et scientia simili erigimus, et instituimus.

Novæ erectæ Provinciae statuuntur regulae quibus moderari in posterum debeat.

§. 4. Dictaeque provinciae per Nos sic, ut praefertur, erectae, ut Capitula provincialia pro ministri provincialis, custodis, et definitorum, aliorumque officialium ipsius provinciae electionem, ac Congregationes, aliosque congressus ad instar aliarum provinciarum ordinis hujusmodi celebrare, ac omnibus, et singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, et indultis, quibus aliae ejusdem ordinis provinciae tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possit, et valeat auctoritate, potestate tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

In nova Provincia studium generale erigitur.

§. 5. Ac insuper in dicta Mantuana civitate generale studium pro ejusdem ordinis alumnis, quod modo secundae tantum classis, ut vocant, ibidem reperitur, in generale studium primae classis cum omnibus, et singulis juribus, praerogativis, et privilegiis, aliis studiis generalibus primae classis provinciarum ejusdem ordinis quomodolibet concessis, ac competentibus dicta auctoritate erigimus, et constituimus.

Novae Provinciae Moderatores, Provinciales usque ad futura Comitia deputantur.

§. 6. Demum felici, prosperoque ejusdem novae provinciae sic erectae regimini, et gubernio consulere cupientes, et de infrascriptorum Ordinis et provinciae hujusmodi professorum fide, prudentia, charitate, vigilantia, et religionis zelo plurimum in domino confisi dilectos filios Angelum Mariam a Casali Majore lectorem jubilatum in Ministrum provincialem, Joannem Paulum a Mantua lectorem jubilatum in custodem, ac sequentes lectores pariter jubilatos, videlicet Joannem Baptistam a Cogozzo in primum, Alexandrum a Cremona in secundum, Bartholomaeum Aloysium a Castilione in tertium, et Dionysium Antonium a Mantua lectorem

theologum in quartum: Definitores provinciales dictae provinciae respective ad tempus, quo ejusmodi Officia juxta regularia Ordinis prædicti instituta per Sedem apostolicam confirmata durare consueverant a die quo praesentes Nostrae literae debitae executioni demandatae fuerint computan. cum omnibus, et singulis privilegiis, praeeminentiis, auctoritate, facultatibus, gratiis, et indultis, ac honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, auctoritate; et tenore praesentis constituimus, et deputamus.

Praesentium Literarum observantia injungitur.

§. 7. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis omnibus, et singulis memoratorum conventuum, et monasteriorum per nos in provinciam erectorum superioribus, fratribus, et personis, caeterisque, ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut supranominatos fratres ad officia eis respective per praesentes demandata, juxta earumdem praesentium tenorem recipiant, et admittant, eosque recognoscant, et in illis omnibus officia hujusmodi concernentibus respective pareant, et obediant, faveantque, et assistant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Ac decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, provinciarum, et conventuum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die V. Januarii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXIX.

Nationalitas provinciarum Romanae Sabinensis, Campaniae, et exterorum ordinis minorum S. Francisci reformatorum aboletur pro Conventibus, et Recessibus in iisdem provinciis existentibus.

Dat. die 10. Jan. 1767. Anno IX.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Romanus Pontifex militantis ecclesiae regimini per inscrutabilem divinae sapientiae providentiam praepositus inter gravissimas apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio jugiter incumbit, ut religiosi viri, qui semetipsos abnegantes sub strictioribus regularis disciplinae legibus altissimo famulantur, faustiori quotidie in dies opportuni regiminis beneficio dirigantur, et sub suavi religionis jugo divini numinis obsequiis insistentes felicioribus magis magisque proficiant incrementis.

Refertur dissentiones derivantes ex Nationalitate diversarum Provinciarum de quibus in rubrica.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Guardianus, et Discreti conventus, sive recessus Sancti Bonaventurae ordinis minorum S. Francisci reformatorum nuncup. hujus almae nostrae Urbis,

quod licet juxta conventuum, seu recessuum hujusmodi constitutiones, et statuta apostolica auctoritate confirmata provide cautum fuerit, ne sub mentitae pietatis, et zeli colore factionum mala, et noxiae partium divisiones inducantur; atque insuper fel. record. Benedictus XIV. praedecessor Noster per alias suas in simili forma brevis die XXIV. Martii MDCCLI. expeditas literas fratribus hujusmodi conventuum, seu recessuum mandaverit, ne a spiritus Sathanae adducti munera, dignitates, et honores quaererent, unde causae, et occasiones ad seditiones concitandas, inordinationes inducendas, et odia alenda exoriri solent. Nihilominus aliqui ex fratribus hujusmodi conventuum, seu recessuum parum experientia edocti, neque zelo secundum prudentiam praediti pro varietate quatuor nationum, nempe Romanorum, Sabinensium, provinciae Campaniae, et exterorum divisiones officiorum, munerum, et graduum, et inter eos electionem, seu deputationem alternative faciendam inducere tentarunt quamvis sex tantum modo conventus, seu recessus hujusmodi reperiantur, et in illis pauci respective habeantur fratres, quorum numerus minime satis sit, ut in unoquoque conventu ex fratribus de eorumdem familia Discreti pro numero praedictarum nationum eligi possint. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes hujusmodi nationum, ac partium divisionem, et factionis spiritum procul a fratribus omnibus eorumdem conventuum seu recessuum amovere, ac eorum statuta, et constitutiones praedictas inviolabiliter ab omnibus perpetuo observandas esse plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex tales Nationalitates extinguit pro deputatione Superiorum aliorumque de Familia.

§. 3. Nos igitur eorumdem exponentium votis favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; praedictam divisionem nationum Romanorum scilicet, Sabinensium, provinciae Campaniae, ac exterorum in eligendis, deputandisque Superioribus, Discretis, aliisque fratribus de familia conventuum, seu recessuum hujusmodi sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis auctoritate apostolica, tenore praesentium interdicimus, et prohibemus, eosdemque Superiores, Discretos, ac alios de familia conventuum, seu recessuum praedictorum, nulla habita quarumcumque nationum distinctione, sed tanquam eodem charitatis vinculo unitos, ac unam, eamdemque vivendi regulam profitentes, juxta constitutiones, et statuta conventuum, seu recessuum hujusmodi perpetuo eligendos, ac deputandos esse auctoritate, et tenore praedictis volumus, statuimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque

contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die X. Januarii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXX.

Dat. die 17. Jan. 1767. Anno IX.

Pontifex Coloniensi Archiepiscopo significat se causam Vicariorum Repensium noluisse avocare a sacra Congregatione Concilii, cujus judicium confidenter expectare debet.

Venerabili fratri Maximiliano Archiepiscopo Coloniensi S. R. I. Principi Electori.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Cur causa de qua sermo est fuerit dilata hic enunciatur.

§. 1. De causa Vicariorum Rempensium, qui contra quaedam Archiepiscopalis curiae tuae decreta appellarunt ad hanc Apostolicam Sedem, comperimus eandem causam a Proauditore Nostro remissam ad congregationem Tridentinae Synodi, interpretem crebris promotoris ejusdem curiae exceptionibus dilatoriis nimio diutius esse protractam. Cumque die nona proxime elapsi mensis Augusti ea causa proposita fuerit novam memorato Promotore dilationem postulante, congregationem, quam diximus, rescripsisse » *Dilata; suspensa interim executione Decretorum*. » Quod rescriptum cum Tibi minime consonum regulis videatur, atque etiam suspicans minus Tibi aequam esse congregationem, postulasti per literas ad Nos datas die XXX. ejusdem mensis Augusti, ut eam causam ad Nos advocemus, eamque ipsi Nos Judices dirimamus. Verum illud congregationis rescriptum non videtur implorandum. Illo enim tanquam stimulo uti voluit congregatio ad tergiversantem curiae Tuae Promotorem denique impellendum promovendumque, ut rationes demum afferat suas, nec amplius procrastinandi praetextus et causas consectetur. Sed tamen cum fraternitas Tua Nobis affirmet, omnes per integrum biennium illis decretis pacate paruisse, placuit Nobis clausulam rescripti, quae decreta illa suspendit revocare, ita ut eamdem vim et exequutionem, quam usque adhuc obtinuerunt, obtineant, donec congregatio judicium ferat in hac causa; quae ut Nobis persuasissimum est, sine ulla mora proponetur.

Noluisse causam avocare Pontifex significat, justitiae Sacrae Congregationis Concilii satis conscius

§. 2. Hanc vero idcirco noluimus ad Nos advocare, quod minime Nobis dubium sit congregationem justitiae et aequitatis rationem omnem esse habituram, et suum cui partium, quae illum in hac causa judicem recognoverunt, jus redditurum. Nec dubitamus itidem, quin fraternitas Tua, quisquis causae fuit exitus, pro tua erga Nos reverentia, et obsequio, quod usque ad hanc diem, etiam quod de te benemereri studuimus, Nobis praestitisti, omnem datam sit operam, ut congregationis sententia omnem consequatur executionem. Tibi, venerabilis frater, quem in visceribus gerimus charitatis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVII. Januarii MDCCLXVII. Pontificatus Nostris anno IX.

DLXXI.

Dat. die 22. Jan. 1767. Anno IX.

Bini conventus Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum ab Provincia Sabaudiae dismembrantur, illique Provinciae Helveticae perpetuo uniuntur.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponuntur incommoda derivantia ex binorum Conventuum actuali aggregatione Provinciae Sabaudiae.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater Franciscus Fridericus Episcopus Sedunensis, ac dilecti filii Consul, et Senatus ejusdem civitatis Sedunensis, quod in Provincia Vallesiae duo extant conventus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, unus scilicet in ipsa civitate Sedunensi, alter vero in Oppido Agaunensi, seu Sancti Mauritii; verum quia hujusmodi conventus sunt in Provincia Sabaudiae ejusdem Ordinis inde evenire solet, ut Fratres, qui in dictis Conventibus morantur, plerumque a Sabaudia vocati minime calleant

germanicam linguam, qua in regionibus Vallesiae plerumque habitatores utuntur, et septemdecim circiter fratres dicti Ordinis, qui modo extant Regionum hujusmodi in aliis Conventibus Provinciae Sabaudiae praedictae moram faciunt.

Quum multae exurgerent utilitates ex dictorum Conventuum aggregatione Provinciae Helveticae, hinc preces ad hunc finem porrectae.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in spirituale bonum animarum omnium habitantium in locis hujusmodi dubio procul cessurum foret, si in dictis conventibus fratres ex eadem Vallesia, vel locis ei finitimis, non autem ex Sabaudia evocati ad obeundas functiones sacras, et ordinis, ac professionis suae munera explenda collocarentur, quippe qui tam in praedicatione verbi Dei, quam in confessionibus excipiendis propter linguae ejusdem Regionis peritiam maximam animabus indigenorum hujusmodi locorum afferrent utilitatem, eosque rudimentis Fidei facile erudire valerent, et id non aliter dicti exponentes fieri posse autumantes, quam ope dismembrationis, ac segregationis dictorum duorum conventuum Sedunensis, et Agaunensis, seu Sancti Mauritii a memorata Provincia Sabaudiae Ordinis hujusmodi, eorumque unionis et annexionis cum Provincia Helvetica dicti Ordinis, propterea desuper consensum requisiverunt dilectorum filiorum Definitorii Provincialis praefatae Provinciae Helveticae, eoque hujusmodi unioni, et annexioni die XII. Octobris superioris anni ab ipsis praestito sub nonnullis conditionibus, pactis, et conventionibus receptis subinde, et approbatis tam a dictis exponentibus, ac etiam a dilectis filiis Decano, et Capitulo Ecclesiae cathedralis Sedunensis, quam a Definitorio Generali ejusdem Ordinis, ac alias prout ex actis hujusmodi approbationum die XV. Octobris, ac respective XV. Decembris superioris anni expletarum, quorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressum, ac de verbo ad verbum insertum haberi volumus, uberius continetur, Nobis ipsi exponentes supplicari fecerunt pro supradicta separatione, et segregatione dictorum duorum conventuum a provincia praefata Sabaudia, et eorum respective unione, ac annexione cum provincia Helvetica dicti Ordinis, et ut in praemissis providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et Segregationem, respectivamque unionem, sub peculiaribus legibus approbat.

§. 3. Nos igitur piis dictorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati supradictos duos conventus Sedunense scilicet, et Agaunense, seu Sancti Mauritii Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum a Provincia Sabaudiae, dicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo segregamus, et separamus, illosque sic separatos, et segregatos Provinciae Helveticae ejusdem Ordinis unimus, et annectimus; his vero Fratribus, qui ex regione Vallesiae oriundi habitum Religionis susceperunt in memorata Provincia Sabaudiae vel in ea remanendi, vel ad aliam Provinciam Helveticam dicti Ordinis transeundi semel tantum eligendi facultatem auctoritate, et tenore praesentis tribuimus, et impertimur ac posteaquam ad Helveticam Provinciam praedictam, quoties id eligant, pertransierint, omnibus juribus, praerogativis, et honoribus, quibus alii ejusdem Ordinis, et Provinciae Helveticae Fratres utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, uti, frui, potiri, et gaudere posse, ac debere auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane

si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus, et ordinationibus, Apostolicis, nec non ordinis, et Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Januarii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXXII.

Dat. die 31. Jan. 1767. Anno IX.

Cum Maria Theresia Hungariae Regina, et Imperatrice electa, queritur quod a censura librorum in dictione Mediolanensi excudendorum amoverit Mediolanensem Arch. et Inquisitorem Generalem.

Quae ad avertendam perniciosorum librorum lecturam egerit Pontifex hic praeter peculiares horum proscriptiones jam a nobis relatas in hac continuatione, videnda sunt in Encyclica ad universi catholici Orbis Antistites directa, die 25. Nov. 1766. quae adest hoc Tomo sub Num. DLXVI. pag. 1119.

Carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, nec non Bohemiae Reginae Illus. in Romanorum Imperatricem electae Viduae.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo Filia Nostra salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quanta cura studuerit Pontifex ut noxorum Librorum lecturam prohiberet.

§. 1. Ex multis gravissimisque curis, quae ab ipso die cum Nobis impositum fuit Apostolici muneris onus, animum nostrum urunt assidue, illa nunc temporis omnium acerrima Nos urget sollicitudo ex teterrimorum librorum foeda colluvie qua Europam propemodum universam inundavit impietas; unde nulla est christianae Religioni clades et vastitas non pertimescenda. Adversus nefarios impiorum hominum conatus, qui cum eadem Religione non jam per cuniculos, sed propalam et aperte nunc horrificum bellum gerunt: Episcopos universae catholicae Ecclesiae ante hos duos menses per epistolam Nostram excitavimus eosque vehementer adhortati sumus, ut a suis quisque Dioecesibus nefarios et flagitiosos libros prohibeant, et si qui forte illuc irrepserint, fideles Christi ab eorum lectione absterreant. Quae Nostra epistola futurum in Domino confidimus, ut Dei gratia adjutricem, Episcopalem eorum zelum commoveat, cum videamus ex ejus lectione Regiae Majestatis tuae Religionem exarsisse ad avertendam a regionibus tuae dictionis tantam perniciem non satis omnibus bonorum omnium lacrimis deplorandam.

Dolet de recenti Decreto pro Mediolanensi Ducatu edito quoad imprimendorum, et introducendorum librorum censuram.

§. 2. Sed veremus, ut flagrantissimo quo incenderis christianae Religionis et catholicae Fidei conservandae studio Administri et Consiliarii tui, carissima in Christo filia Nostra, viam illam commonstrent, quae ducit ad religiosissima tua perficienda consilia. Legimus scriptum a Regiae Majestatis tuae Administris, dilecto filio Nostro Cardinali Puteobonello, Archiepiscopo Mediolanensi, et illius civitatis Inquisitori traditum, in quo scripto ratio, et veluti quaedam forma describitur, qua libri censurae sint subjiciendi et in Mediolanensem Ducatum introducendi. De quo scripto, quid ipsi sentiamus, libere et illo animi candore, qui Nobis est proprius, et quo nunc maxime debemus uti, cum de re agitur omnium gravissima, Regiae Majestati Tuae esponemus. Urget enim Nos paternae erga Te, carissima

in christo filia Nostra, vis charitatis, tuaeque studium gloriae; urget de integritate Fidei, animarumque aeterna salute solicitudo; urget Nos denique charitas Christi, ut in hac re nihil prorsus dissimulemus.

Cujus Decreti maximum fuit gravamen, laicam potestatem in Judicem censurae erigere, maxime in materiis Ecclesiasticis.

§. 3. Itaque ne gravere, quaesumus, si libere Majestati tuae dicamus, videri nobis maximum inde proventurum Religioni et Ducatus mediolanensis publico bono detrimentum. Consideret enim Regia Majestas tua, examinandorum et imprimendorum librorum negotium Regia deputatio tradi, eorumque judicio et potestati totum permitti. Qui enim primas in hac re habent partes laici sunt: His facultas erit varia librorum genera alia ab aliis secernendi: Hi ad delegatos sive ecclesiasticos sive laicos censuram librorum injungent: Hi varias dissidentesque censorum sententias audient, ac de iis sententiis extremum et peremptorium ferent judicium: Hi denique, ut sibi visum fuerit, libros, qui censuram subierint, typis aut vulgari negabunt, aut excudi permittent; ac propterea deinceps in Ecclesia Dei penes laicos omnis erit de quocumque doctrina judicandi auctoritas et potestas. Quo quid absurdius? si nimirum de libris agatur, ubi doctrinae tradantur, quae vel ad christianam Religionem in universum, vel ad catholicam Fidem spectent, vel ad mores, vel ad rem canonicam, vel ad ecclesiasticam pertineant disciplinam. Id vero esset Ecclesiae liberam, quae usque ad hanc diem illi fuit in hac re potestatem adimere, et ut verius dicamus gravissimam sponsae Christi facere injuriam, eique sacrum doctrinae depositum, quod accepit a Christo Domino custodiendum eripere. Atqui cum Apostolis non cum magistralibus seculi loquebatur Dominus Jesus cum dixit: *Qui vos audit, me audit.*

Quin gravamen tollatur per demandatam binorum Ecclesiasticorum deputationem in censorum numero.

§. 4. Existimamus enim te, carissima in Christo filia Nostra, satis intelligere pro tua praestanti prudentia, nulla via, quam per typographiam longius latiusque manare doctrinas in vulgus, ac propterea in re typographica vigilantiam Ecclesiae partem esse maximam illius custodiae quam debet in servando Fidei deposito adhibere. Illud etiam maxime velimus Regia tua Majestas animadvertat, ubi examinandorum librorum qui praelo sint excudendi vel nihil vel parum Ecclesiae relictum est loci, christianam Religionem et catholicam Fidem a teterrimis et flagitiosissimis libris accepisse maximam cladem. At enim, qui novam hanc examinandorum librorum rationem excogitarunt, dicent fortasse, Fidei incolumitati et Christianae disciplinae morumque integritati satis esse consultum, quod duo interveniant alter ab Archiepiscopo alter ab Inquisitore delegati ecclesiastici viri.

Semper enim praevalebit sententia laicorum censorum prae ecclesiasticorum opinione.

§. 5. Sed cujus roboris, quaesumus, erit eorum auctoritas? quid ab iis afferetur momenti ad rejiciendos, vel typis evulgandos libros, quibus doctrinae ad Fidem et disciplinam spectantes contineantur? Quantumvis enim libere suam sententiam proferant, haec si adversetur sententiae secularium censorum (quibus tamen de talibus doctrinis ne hiscere, quidem liceret) semper tamen in Deputatorum secularium erit arbitrio laicorum potius censorum probare sententiam, et typis permittere librum aliquem imprimi, quem sacri ministri erroneum, et futurum fidelibus scandalo, contra seculares ministri ab omni labe purum judicaverint. Hinc inter utriusque potestatis ministros pro sua quosque sententia digladiantes, rixae et contentiones, Sacerdotium inter et Imperium amarae conquestiones atque discordiae magno cum Religionis et ipsius quoque reipublicae detrimento.

Ad quae avertenda mala hortatur Imperatricem Reginam ne aliquid innovari sinat praescriptis in Conciliis Lateranensis, et Tridentino.

§. 6. Quamobrem ad haec avertenda mala nihil praestabilius, carissima in Christo filia Nostra, quam eorum quae usque ad hanc diem experte sumus bene consulta nihil prorsus movere in ditione Mediolanensi, ubi ad librorum examen atque censuram nihil opus est amplius, quam ut exacte serventur regulae jamdiu a duobus generalibus conciliis Lateranensi et Tridentino praescriptae, et ab eo Archiepiscopo, qui magnum est Mediolanensis Ecclesiae ornamentum, S. Karolo Borromaeo in provincialibus Synodis summopere commendatae. Iis enim regulis praesertim Principum praedecessorum tuorum quoque usque ad hanc diem patrocinio roboratis, ipsa docuit experientia nihil esse salubrius, nihil ad coercendam evulgandorum librorum licentiam accommodatius. Itaque extimamus numquam melius te, carissima in Christo fi-

lia Nostra, tuo Religionis et catholicae Fidei conservandae zelo satisfacere posse, quam cum auctoritatem tuam impenderis, ut, quae de imprimendis libris prudentia summa sapientissimi Episcopi in memoratis conciliis constituerunt, sancte et accurate custodiantur. Nam nova moliri, incertum quo sint evasura, et plerumque periculosum; vetera mutare, quae ipsa experientia conducilia, et utilia quantam laudem habere possit ipsa Regia Majestas tua judicaverit. Denique ut in eo scribendi finem faciamus, quo in his literis Nostris spectavimus; nullam quaesumus in hac re mutationem fieri patiatur Regia Majestas Tua; sic enim servatis Ecclesiae antiquis regulis tuum in Religionem amorem expleveris, et a Christo Domino ejusque sponsa Ecclesia, quae sola est doctrinae meritorumque magistra uberrimum gloriae meritorumque fructum retuleris. Tibique carissima in Christo Filia Nostra; quam paterni animi Nostri praecipua charitate prosequimur, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXXI. Januar. MDCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno IX.

DLXXIII.

Dat. die 31. Jan. 1767. Anno IX.

Congregatio, sive Unio matronarum, et virginum illustrium sub denominatione S. Elisabeth erigitur in Civitate Manheim, eique peculiares indulgentiae elargiuntur.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pietatis officia erga indigentes, et pauperes, ut fervido studio, et sollicita charitate exerceamus in Sanctis Scripturis frequenter Nos admonet Redemptor, et Magister noster Christus Dominus, qui cum ultimum judicium in fine saeculi peracturus advenerit, tremendae illius divisionis a dextris, et a sinistris, et divinae, quae subsequetur sententiae, qua bonis aeternae beatitudinis praemium, et malis sempiterni supplicii poenam decernet, hanc unam rationem se redditurum praedixit, quod boni in se, hoc est in pauperes, in quorum persona esse voluit, misericordiae opera obiverint, quae mali in perpetuum suum exitium adimplere perversa voluntate, et obdurato corde detractarunt. Nos igitur, qui in Beati Petri cathedra, superna dignatione, licet immerentes, constituti omnium fidelium saluti procurandae Apostolicae servitutis debito advigilare constringimur pia, ac laudabilia, praesertim sublimium personarum studia, quibus se ipsos, et alios ad opem miseris ferendam, sublevandamque egenorum inopiam, et maerentium calamitates depellendas inducere, atque impellere satagunt, libenter Apostolica Nostra auctoritate quantum in Domino possumus, fovemus, et gratiis, ac favoribus prosequimur opportunis.

Preces porrectae pro nova erigenda Congregatione illaque approbanda.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia nobilis mulier Elisabeth Augusta Comitissa Rheni, atque conjux dilecti, etiam filii nobilis viri Karoli Theodori sacri Romani Imperii Electoris Palatini, quod ipsa ob peculiarem ejus devotionem erga sanctam Elisabeth, cujus nomen habet, unam matronarum, et virginum illustrium Congregationem, sive Unionem sanctae Elisabeth nuncupandam, quae sub glorioso ejusdem beatae Elisabeth nomine, et insignibus potissimum in operibus pietatis, et charitatis se exercere debeant, ex Principissis domus Palatinae, aliisque matronis, et virginibus nobilibus, et illustribus in eam adscribi volentibus constituturam in oppido Manheim civitate nuncupat., a Nobis erigi, et institui, ac specialibus indulgentiarum muneribus decorari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et Congregationem S. Elisabeth erigit, atque confirmat.

§. 3. Nos igitur, qui devotionis, et piorum operum, divinique cultus incrementum, ac animarum salutem paternae charitatis studio libenter promovemus eximiam memoratae Elisabeth Comitissae, et Electricis Palatinae pietatem plurimum in Domino commendantes, ac laudabili ejus desiderio quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati in Cappella palatii Electoris Manhemii, sive

alia Cappella, seu Ecclesia designanda ab Ordinario loci, ubi eadem Elisabeth comitissa, sive alia quaecumque Principissa, quae in ejus locum succedere contigerit, habitare, et residere constituerit, unam Congregationem, seu Unionem Principissarum ex inclita domo Palatina, aliarumque matronarum, et virginum illustrium, et nobilium sub titulo, seu denominatione sanctae Elisabeth, cujus sorores processionaliter incedere, divina officia celebrare, se se congregare, et caetera, quae per confratres, et consorores aliarum similium Congregationum, sive Confraternitatum fieri solent, facere libere, et licite possint, et valeant, accedente tamen ad id Episcopi Wormatien. consensu, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo sine cujusquam praejudicio, erigimus, ac instituimus.

Novae sic erectae congregationi facultatem facit statuta condendi, et donationes excipiendi.

§. 4. Ac ipsius Congregationis, sive Unionis sic erectae, et institutae consororibus pro tempore existentibus, ut quaecumque capitula, statuta, decreta et ordinationes pro salubri earum, et dictae congregationis, sive unionis gubernio, et directione necessaria et opportuna, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus Apostolicis, nec non Concilii Tridentini decretis minime contraria, et per praedictum Episcopum Wormatien. examinanda, et approbanda, facere, et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, et expediens fuerit, praevia tamen examinatione, et approbatione ejusdem Episcopi pro tempore existentis mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare, ac insuper omnia, et singula legata relicta, res, et bona quomodolibet qualificata mobilia, et immobilia per quoscumque christifideles eidem Congregationi, sive Unioni per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore data, relicta, donata, et elargita, ac danda, relinquenda, donanda, et elargienda recipere, illaque per earum officiales, et ministros regere, gubernare, et administrare, ac in ejusdem Congregationis, sive Unionis, ejusque piorum operum usus, et necessitates, ac utilitatem convertere, ita tamen, ut de receptis, et administratis Ordinario loci juxta decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere, et licite possint, et valeant auctoritate et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Peculiares indulgentiae pro nova erecta Congregatione.

§. 5. Insuper ut consorores praedictae in piorum operum exercitio magis confoveantur, et ad illa in posterum exercenda per amplius invitentur, dictaque Congregatio, sive Unio majora in dies, benedicente Domino, suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, et singulis mulieribus, matronis, et virginibus, quae Congregationem, seu Unionem hujusmodi in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes, et confessae sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac eisdem in cujuslibet earum mortis articulo, si vere etiam poenitentes, et confessae, et sacra communione refectae, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritae nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, etiam plenariam, nec non praedictis consororibus in praefata Congregatione, sive Unione pro tempore descriptis principissis quidem ex inclita Domo Palatina ortis, seu in eam pro tempore nuptis, nec non aliis quibuscumque principissis, vel jam in dictam Congregationem, seu Unionem adscriptis, vel in futurum adscribendis, quae semel in mense, caeteris vero, quae quinque vicibus quolibet anno vere poenitentes, et confessae sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ecclesia, seu cappella ipsius Congregationis, sive Unionis sumpserint, ibique pro christianorum principum concordia preces effuderint, qua vice praedictarum id egerint respective similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea omnibus, et singulis consororibus praedictis in eadem Congregatione, seu Unione pro tempore descriptis quoties aliquod christianae charitatis, vel pietatis opus exercuerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Demum, ut ecclesia, seu cappella praedicta congruis frequentetur honoribus, et christifideles eo li-

hentius devotionis causam ad illam confluant, quo ex hoc ibidem spiritualium gratiarum donis uberius noverint se refectos omnibus, et singulis christifidelibus vere poenitentibus, sacraque communione refectis, qui ecclesiam, seu cappellam hujusmodi in die festo sanctae Elisabeth a primis vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut si alias dictis consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus concessa fuerit, aut si dicta Congregatio, sive Unio alicui archiconfraternitati unquam aggregetur, praesentes, et quaevis aliae literae Apostolicae quoad indulgentias, et remissiones peccatorum praedictas illi nullatenus suffragentur, sed tunc eo ipso prorsus nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die trigesima prima Januarii MDCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Nono.

DLXXIV.

Dat. die 11. Feb. 1767. Anno IX.

Approbatio resolutionis capituli Seguntini, qua loco diei XI. Junii cujusque anni commutatur dies 1. Julii, pro electione officialium ejusdem capituli.

Venerabili fratri Episcopo Seguntino.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ex vetusta consuetudine hujus capituli, quolibet anno die XI. Junii eligebantur officiales capitulares.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici istius Ecclesiae cathedralis Seguntinae, quod dudum fel. rec. Alexander Papa VI. praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis die XIV. Martii MDI. expeditas literas statuit, et ordinavit, ut in praedicta Ecclesia bis in qualibet hebdomada, ac singulis annis in die S. Barnabae, XI. nempe Junii pro officialibus eligendis capitulum congregaretur, et alias prout in dictis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressum, et insertum haberi volumus, fusius continetur.

Recensentur incommoda derivantia ex priori methodo ad quae removenda capitulum commutari diem electionis duxit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, usus ac consuetudo in praefata Ecclesia invaluerit computandi initium anni residentiae a prima die mensis Julii, cujuslibet anni, usque ad ultimam diem Junii alterius anni sequentis, ac multa pars eorum, qui praebendas obtinent solitis, et legitimis annuis vacationibus a choro, ut asseritur, perfruentes, mense Junii abesse ut plurimum solent, indeque eveniat, quod non minima eorum pars praedicto capitulo diei XI. Junii interesse nequit, ac propter illorum absentiam electio hujusmodi officialium a praesentibus tantum, quos nonnunquam paucos esse accidit, in dictae Ecclesiae praejudicium fieri contigit; ne itaque in posterum hujusmodi inconveniens eligendi modus sequatur, dicti exponentes in capitulo desuper habito unanimi penes suffragio censuerunt, praedictam diem electionis in memoratis literis, ut praefertur, in festo S. Barnabae statutam in aliam diem primam Julii cujuslibet anni commutandam esse, si Nostre, et hujus sanctae Sedis assensus accedat, et permissio. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex praevia approbatione resolutionis capitularis petitae diei commutationi pro officialium electione indulget.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis diem XI. mensis Junii festus Sancti Barnabae, quo praedicta electio officialium hujusmodi juxta dictarum literarum ejusdem Alexandri

praedecessoris tenorem facienda erat, in diem primum mensis Julii cujuslibet anni, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium pro tuo arbitrio, et prudentia commutes, electionemque eorumdem officialium in dicto die Sancti Barnabae XI. mensis Junii usque adhuc peractam, in posterum die primo mensis Julii cujuslibet anni faciendam esse, dicta auctoritate statuas, et injungas.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praedictis Alexandri praedecessoris literis, caeterisque praemissis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non capituli, et canonicorum praedictorum, aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. Februarii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri Anno nono.

DLXXV.

Revocantur literae Urbani VIII. dierum XV. Febr. MDCXXXV, et XXV. Oct. MDCXXXVII super exemptione beneficiatorum Ecclesiae Tarraconensis a jurisdictione Capituli, Canonicorum, et Vicarii capitularis dictae Ecclesiae sede Archiepiscopali Tarraconensi vacante.

Dat. die 18. Febr. 1767. Anno IX

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Attentis peculiaribus circumstantiis Urbanus VIII. beneficiatos hujusmodi, ab capituli, et vicarii capitularis jurisdictione exemit Sede Tarraconensi vacante.

§. 1. Alias pro parte tunc existentium confratrum confraternitatis Beatae Mariae Virginis Presbyterorum commensalium beneficiatorum Metropolitanae Ecclesiae Tarraconensis rec. mem. Urbano VIII. praedecessori Nostro exposito, quod ipsi a congregatione negotiis Episcoporum praeposito petierant exemptionem a jurisdictione capituli sede Archiepiscopali vacante, et stantibus litibus inter capitulum dictae Ecclesiae, et confratres praefatos ab eadem Congregatione obtinuerant, quod vicarius generalis capitularis, sede praedicta vacante, nominaret judicem partibus non suspectum, qui durantibus litibus, omnes causas dictorum presbyterorum Confraternitatis, ejusque singularium personarum tam civiles, quam criminales activas, et passivas, sede hujusmodi vacante tantum, et litibus durantibus cognosceret; ac in eadem expositione subjuncto, quod propter frequentem ejusdem Ecclesiae vacationem, et propter lites non solum tunc temporis pendentes in auditorio Rotae, sed etiam alias forsan in partibus excitandas, dicti confratres obtinere non poterant, pacem, quam, ut alacriori animo divinis inservire valerent, ipsi exoptabant, atque idcirco exemptionem a dicto capitulo, et vicario sibi, et illorum particularibus personis concedi, ac eorum lites omnes civiles, criminales, et mixtas activas, et passivas per abbates monasteriorum Populeti, et sanctorum Crucium in dioecesi Tarraconensi existentium cognosci memorati confratres plurimum desiderabant. Idem Urbanus praedecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus

capitulo, et canonicis praedictis ejusdem Ecclesiae Tarraconensis injunxit, ut attentis litibus, et dissentionibus inter capitulum, et canonicos praedictos ex una, et praefatam confraternitatem ex altera, partibus vertentibus, eisdem confratribus eorumque singularibus personis judicem non suspectum, sed confidentem, seu de partium consensu deputarent, qui quoties sedes ejusdem ecclesiae vacasset, durantibus controversiis, et litibus praedictis dumtaxat, causas omnes confraternitatis praedictae, illiusque presbyterorum commensalium, et beneficiatorum civiles, et criminales, meras, mixtas, activas, et passivas audiret, et prout juris fuisset, terminaret, ac interim confraternitas ipsa, ejusque confratres, et singulares personae ab omnimoda obedientia, superioritate, jurisdictione, visitatione, auctoritate, et correctione praedicti capituli, canonicorum, eorumque vicarii capitularis exemptae, liberae, et immunes dicendae essent, ac existerent, et alias prout in ipsius Urbani praedecessoris desuper in simili forma brevis diei XV. Februarii MDCXXXV. expeditis literis, quarum tenorem pro plene, et sufficienter expresso, insertum haberi volumus uberius continetur.

Idem Urbanus VIII. ipsis beneficiatis indulxit ut, Sede vacante, eorum causae cognosci possent ab ordinariis Illerdensi, et Barchinonensi.

§. 2. Postmodum vero cum in supranumeratis literis ejusdem Urbani praedecessoris judex aliquis particularis deputatus, seu descriptus minime fuisset, qui causas inter praedictos confratres, et alios quoscumque, sede vacante, memorata Ecclesiae Tarraconensis tunc existentes, seu extituras, cognosceret, dicti confratres confraternitatis Beatae Mariae presbyterorum commensalium, et beneficiatorum ejusdem Ecclesiae metropolitanae Tarraconensis denuo eidem Urbano praedecessori supplicari fecerunt ut sibi de aliquo judice ad effectum praefatum providere dignaretur, ipseque Urbanus Praedecessor hujusmodi precibus quoque inclinatus, de eorumdem Cardinalium congregationis negotiis Episcoporum praepositae consilio, mandavit, ut omnes, et singulae causae tam civiles, quam criminales, merae, et mixtae, activae, passivae inter ipsos confratres exponentes, ac praefatos capitulum, et canonicos, et alios quoscumque ortae, seu pro tempore oriturae, sede dictae Ecclesiae Archiepiscopalis vacante, ab ordinario Illerdensi, et Barchinonensi, cum omni, et quacumque necessaria facultate, ab eodem Urbano praedecessore specialiter ad illarum, privative quoad alios, cognitionem delegatis, firmis tamen in reliquis manentibus suis literis praefatis, audiri, cognosci, et prout juris fuerit decidi, ac terminari debere, et alias latius prout in posterioribus ejusdem Urbani praedecessoris desuper in simili forma brevis die XXV. Octobris MDCXXXVII. quarum pariter tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso insertum haberi volumus uberius continetur.

At cessatis causis memoratae exemptionis capitulum Pontifici supplicavit, ut jurisdictioni capitulari eosdem beneficiatos submittere iterum dignaretur.

§. 3. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Capitulum, et Canonici praedictae Ecclesiae metropolitanae Tarraconensis post adeo longaevi temporis cursum ex litibus, ac dissentionibus jamdudum ortis, atque vertentibus inter dictos Capitulum, et Canonicos ex una, ac memoratos Confratres Confraternitatis Beatae Mariae presbyterorum commensalium beneficiatorum dictae metropolitanae Ecclesiae, eorumque singulares personas ex altera partibus, aliae extinctae, aliae vero suspensae remanserint; et cum exemptio eisdem confratribus, et confraternitati a jurisdictione Capituli, et Canonicorum praedictorum, eorumque Vicarii capitularis, ac deputatio tam Judicis, quam ordinariorum Illerden. et Barchinonen. pro cognoscendis eorum causis, et controversiis, sede praedicta vacante, in memoratis literis ejusdem Urbani praedecessoris, attentis litibus, et dissentionibus hujusmodi concessa, et respective peracta fuerit. Nobis propterea Capitulum, et Canonici praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut sublata tam exemptione hujusmodi confraternitati, et confratribus praedictis, eorumque singularibus personis, ut praefertur, attributa, quam etiam deputatione praefati judicis, ac ordinariorum Illerden., et Barchinonen. pro cognoscendis eorum litibus, sede vacante praedicta, in memoratis literis decreta, dictos confratres, et confraternitatem tempore vacationis hujusmodi omnimodae jurisdictioni, et subjectioni memorati capituli, et canonicorum, eorum-

que vicarii capitularis subesse per Nos declarari, et sibi in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex praevia abolitione exemptionis ab Urbano VIII, indultae, capituli Tarraconensis precibus benigne annuit.

§. 4. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super his relatione venerabilis fratris, Joannis Archiepiscopi Tarraconen., cui supplicem libellum nobis porrectum ut auditis interesse habentibus, animi sui sensum aperiret, remissimus, praedictas memorati Urbani praedecessoris literas die XV. Februarii MDCXXXV, et die XXX. Octobris MDCXXXVII., ut praefertur, expeditas, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo revocamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuamus, et revocatas, cassatas, sublatas, abrogatas, irritas, abolitas, annullatas, viribusque, et effectu vacuas esse, nec ulli prorsus suffragari posse, sed praefatos confratres, et confraternitatem beatae Mariae, ac presbyteros commensalem beneficiatos dictae metropolitanae ecclesiae Tarraconen. tempore vacationis ejus sedis archiepiscopalis omnimodae jurisdictioni, correctioni, visitationi, et subjectioni capituli, et canonicorum dictae metropolitanae ecclesiae, eorumque vicarii capitularis, juxta sacrorum canonum, praesertim concilii Tridentini, et Apostolicarum constitutionum dispositionem subesse debere in omnibus, et per omnia perinde ac si exemptio ab illorum jurisdictione, et praedicta deputatio judicis, ac ordinariorum Illerden., et Barchinonen. nullatenus concessae fuissent, nec literae praedictae emanassent, auctoritate, et tenore praesentis statuimus, et ordinamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et sedis praedictae nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri, debere, ac irritum, et inane si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praedicti Urbani pradecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Ecclesiae, et capituli praedictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die decima octava Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXVI.

Quaeritur cum Mutinensi Duce, quod duo puellae Judeae, Ecclesiae a proprio parente oblatae, et Judeus alter adultus ad Cathecumenorum domum migratus, Mutinensis magistratus jussu fuerint ad Judeorum septa redacti.

Dat. die 21. Febr. 1767. Anno IX.

Dilecto filio nobili viro Francisco
Mutinae Duci.

Clemens Papa XIII.

Dilecte Fili nobilis vir salutem,
et Apostolicam benedictionem.

De binarum puellarum oblatione a parente facta sermonem instituit, deque arbitraria illarum ad Judeos restitutione.

§. 1. Cum a ven. fratre Joanne Maria Episcopo Regiensi, haud ita pridem accepissemus, Judaeum quemdam, cui nomen Elias Sonninus, considerato consilio certoque animo, parvulas duas filias S. Matri nostrae Ecclesiae sponte sua obtulisse, superabundavimus gaudio, manusque ad coelum sustulimus, gratias agentes Deo, quod acerbitatem quotidianae Nostrae sollicitudinis et curae ex afflictis fere ubique catholicae Ecclesiae rebus ea lenire consolatione voluisset: quamquam gaudium Nostrum itemtidem stupore quodam intermittebat ex incomprehensibili Dei judicio: qua enim gratia parvulis puellis sacro regenerationis lavacro oblatis porta Cœli quodam modo aperiebatur ejusdem gratiae fructum idem pater non potuit capere: qui Deo ab judaica illum superstitione ad Jesu Christi fidem vocanti, obstinato animo restitit. Jussimus autem duas illas infantes a memorato Episcopo baptizari, cumque anxie illius literas expectaremus, quae Nobis afferrent, eas sacro ablutas lavacro ad christianam Ecclesiam fuisse jam aggregatas, inopinato ac plane horribili nuncio sumus perculsi. Nobis enim rescripsit eidem ven. frater, se inscio, ex improviso parvulas illas, magistratus Mutinensis jussu, cathecumenorum domo, noctu extractas, et ad judaeorum septa asportatas, perfidi parentis curae et custodiae fuisse traditas.

Agit de Judeo adulto ad cathecumenorum domum migrato, et ab eadem arbitratu Mutinensis magistratus ejecto.

§. 2. Quam indignitatem alia judaeorum consequuta est, magistratu Mutinensi pariter adjutore, in Ecclesiam injuria. Quidam enim judaeus ad catechumenorum aedes confugerat, quem hebraei omnino mentis impotem dictitabant. Episcopus in ejus dementiae, quam illi tantopere praedicabant, cognitione et examine versabatur, diligenterque hominem excutiebat, serio ne de amplectenda christiana Religione cogitaret. Ecce autem, eodem pariter inscio et inconsulto Episcopo, magistratus Mutinensis ea nocte, quae noctem illam est proxime consequuta, cum memoratae duo parvulae infantes prope ab Ecclesiae sinu fuerunt abreptae, judaeum illum ad hebraeorum habitacula reduci curavit.

Injuriose ea facta fuisse christianae religioni demonstrat, et Mutinensis ducis auxilium expostulat.

§. 3. Quae iniquissima duo judicia, disceptantibus hinc christiana Ecclesia, hinc judaica sinagoga, qui a te, dilecte fili nobilis vir, existimasset esse profecta, atrocem praeclarae Religioni tuae et aequitati injuriam faceret; nobis quidem minime dubium est, te insciente Mutinensem magistratum tam nullam habuisse rationem Ecclesiae, tam studiose favisse judaicae perfidiae. Hujus autem facti, de quo nemini unquam vel exiguo Religionis sensu praedito indignabunda satis suppeditare potest oratio, egregiae tuae pietatis erit funditus, si fieri potest, vel ipsam delere memoriam. Ad te confugimus, a te duas animas Jesu Christi sanguine redemptas, et per sacrum regenerationis lavacrum eidem sanctae matri, cui dono datae fuerunt, restituendas, quam maxime flagitamus. Qui tibi delectum facienti se exhiberet, et militiae vellet nomen dare, illum si quis malitiose a se suscepto consilio retraheret, cogitet, velimus, nobilitas tua, quam graviter ea de re jure quidem ac merito irasceretur. Ecclesiam pariter estimato, dilecte fili nobilis vir, jure indignare et conqueri, quod a suo sinu animae illae fuerint avulsae, quas vel ultronea sui ipsarum deditione, vel oblatione legitima suas propriasque jure censebat, jamjam per baptismatis sacramentum christianae militiae nomen daturas. At enim adulti illius judaei cui mens integra non esset, improvida censenda est et inconsulta conversio: duarum itidem infantium oblationem inconsiderate factam inde quis recte judicaverit, quod pater postridie quam filias Ecclesiae obtulit, factum mutavit, eamque oblationem infectam voluit. Ad hunc quidem modum in hac re disputant judaei, judaeorumque fautores, quibus magistratus Mutinensis omnem habuit fidem, nec prae sinagoga tanti esse christianam Ecclesiam estimavit, ut ejus etiam rationes censuerit audiendas. Quo nihil injuriosius nihil absurdius flagitante nimirum judai-

ca perfidia christianos judices Ecclesiam indicta causa de sua quasi possessione deturbasse. Obstupescite coeli super hoc, et portae ejus desolamini, verum de hujusmodi rebus solius est Ecclesiae judicare.

Ecclesiae proprium erat judicare tum de adulto judæo tum de puellis oblatis prout de similibusjudiciis plura habentur exempla.

§. 4. Illa enim judaeum illum apud se diligentissime custodire debebat, ne cui fraudi aut subversioni esset locus, ejusque voluntatem accuratissime explorare. Eas vero parvillas infantes a parente dono acceptas, ac propterea suas et proprias Ecclesia justissime possidebat, cui manus illud contra jus et fas minime ereptum oportuit. Satis enim notae sunt Ecclesiasticae leges, quae praescribunt quid facto opus sit talibus in rebus, et innumera pene proferri possunt exempla, quae probant parvulos infantes ab judaeis parentibus Ecclesiae oblatos, ipsius laicae potestatis auctoritate apud eamdem Ecclesiam fuisse retenta, etiamsi parentes ad superstitionem judaicam remigrassent. Quae quidem exempli in longinquis regionibus nihil est opus conquirere, sed eorum memoriam in ipsis ditionis tuae locis, neque altius quam ab aetate illustris parentis tui facile potest nobilitas tua repetere. Nam in eadem Regiensi civitate anno 1735. judaea quaedam mater fuit, quae plures habebat filios. In his erat filia adulta aetate, quam christianae Religionis revera cupidam, ut a sancto proposito averteret nefaria mater, se quoque ad Christi Ecclesiam aggregari velle simulavit. Cui simulationi majorem ut adstrueret fidem ad catechumenorum domum commigravit, sexque alios Ecclesiae obtulit filios suos, partim puerulos partim adultos, quos apud patrem in judaeorum septis reliquerat. Cum autem scelestae foeminae patefacta fuerit simulatio, parentibus frustra magno clamore suos reposcentibus filios, pronuntiatum fuit puerulos baptizandos, et qui adulta essent aetate, eorum esse animum explorandum, num et ipsi christianam Religionem vellent amplecti.

Mutinensis Ducis Religionem excitat, ut is, exemplis etiam sepositis, Ecclesiae illatam injuriam vindicet.

§. 5. Sed cui verus inest christianae Religionis amor, nihil est opus ecclesiasticas, quibus tenetur, leges commemorare, aut exempla adhibere, quibus tamquam stimulis excitetur. Summa hujus rei huc tandem redit: animae sanguine Christi redemptae, adspirante divina gratia, dono dantur Ecclesiae, atque ita ex ore et faucibus inferni eripiuntur. Eas in potestate judaeorum deserere, perinde est ac easdem aeternis poenis cruciandas ad inferos deturbare. Has a nobilitate tua nos summopere flagitamus, atque de Religione tua ea est nobis opinio, ut de iis impetrandis artam propemodum opem habeamus. Quod si postulata nostra (quod Deus prohibeat) repudiaveris, cogitatio, quaesumus, dilecte fili nobilis vir, illum aliquando futurum diem, cum Jesus Christus Dominus gloriae, judex vivorum et mortuiorum, cujus nomen est super omnem principatum et potestatem, harum a te rationem animarum requiret quarum aeterna poena tibi imputabitur. Nos quidem cum de his nobilitatem tuam pro Apostolico Nostro munere admonemus, animam nostram liberavimus. Ipse autem videto apud aeternum judicem, quam excusationem sis allaturus, sed a pietate tua, dilecte fili nobilis, vir, nihil Nobis non pollicemur. Interea nobilitati tuae paterno animi nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI. Februarii MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno nono.

DLXXVII.

Praefectis missionum ordinis minorum S. Francisci in Indiis occidentalibus inter Discretos Seminariorum missionum hujusmodi recenseantur, eisque post primum Discretum locus assignatur.

Dat. die 23. Febr. 1767. Anno IX.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Praefecti harum missionum nulla donabantur praerogativa, ex praecedentibus constitutionibus Apostolicis et ordinis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni praefecti missionum seminariorum ordinis minorum sancti Francisci, de observantia nuncupatorum, in partibus Indiarum occidentalium erectorum, quod licet ipsi tamquam deputati a venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis in dictis seminariis,

atque missionibus quoad spiritualia omnimodam gerant praefecturam, nihilominus neque a fel. rec. Innocentio Papa XI. praedecessore Nostro in suis super statutis regimine, ac gubernio seminariorum hujusmodi in simili forma brevis die VIII. Maji MDCLXXXII, et die XVIII. Junii MDCLXXXVI, ac die XVI. Octobris ejusdem anni expeditis literis, neque a constitutionibus generalibus ordinis hujusmodi Apostolica auctoritate confirmatis, eisdem exponentibus ullus assignatus fuit locus standi, ac incedendi, tam in casu, quo ipsi operam dant missionibus praedictis, quam quoties extra missiones hujusmodi moram faciunt.

Petitio Pontifici directa, ut Praefecti hi peculiare distinctum locum obtineant, et inter Discretos Seminariorum accenseantur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quam maxime conveniat muneri praefecturae hujusmodi, quod dicti exponentes, qui eisdem missionibus quoad spiritualia praesunt certum incedendi, et standi locum obtineant, et eodem munere durante, inter Discretos seminariorum hujusmodi numerentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut tam in dictis missionibus, quam in seminariis hujusmodi ipsis locum sedendi, standi, ac praecedendi, assignare, eosque in numerum Discretorum, qui in quolibet seminario missionum hujusmodi sunt, referre, ac sibi in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, peculiaresque leges indicit queis gaudere indultis honoribus queant.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium, qui ministrum generalem dicti ordinis prius audiendum esse censuerunt, consilio, dictos exponentes, eorumque in officio praefecturae missionum dictorum seminariorum successores inter Discretos seminariorum hujusmodi recensendos, esse, eosdemque praefectos in omnibus consessibus, congregationibus, aliisque actibus communibus secundum locum post primum Discretum eorumdem seminariorum obtinere debere, ita ut primus tantum Discretus eos praecedere possit, Apostolica auctoritate tenore praesentium volumus, et mandamus, salva semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, ac ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit ordinis, et seminariorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, et earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die vigesima

tertia Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXVIII.

Dat. die 4. Martii 1767. Anno IX.

Viennensi Archiepiscopo respondet, qui Pontifici scripserat de Episcopo Diensi, qui persecutionem patiebat pro Congregatione canonicorum regularium S. Ruffi.

Venerabili fratri Guillelmo Archiepiscopo Viennensi in Delfinatu.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. De Episcopo Diensi vehementer ejus dolemus vicem. Sed Episcopis propositam esse vitam periculorum, sollicitudinum, et angorum plenam, fraternitas tua non ignorat. » *Nemo igitur moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* » nec recedendum ab officio custodiendi ab hoc seculo immaculatum dominicum gregem, et res Deo sacras strenue tuendi, quamtumvis nostris conatibus resistatur » *Recogitate eum, ait Beatissimus Paulus, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non defatigemini, animis vestris deficientes* » Quod scribis triumphare Calvinistas, qui catholicum Episcopum propter zelum domus Dei exagitari videant, et divexari, usurpanda nunc maxime illa est regii prophetae oratio: » *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici subsanaverunt nos, et non discedimus a te; vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus: Deus virtutum converte nos: ostende faciem tuam et salvi erimus* » Ea enim tempora nunc inciderunt, quibus non aliunde quam a sponso suo Jesu Christo sancta mater Ecclesia ejusque sacri ministri expectare possint consolationem. Ceterum de negotio illo, quo spectat epistola tua, venerabilis frater, non committemus, ut Apostolicum officium Nostrum deseruisse videamur, atque rem illam usque adhuc sit pertractandam curavimus, ut quicumque futurus sit exitus, omnes cognoscant, nihil nos a sacris Canonibus recessis. Et fraternitati tuae intimo nostri cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quarta Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXIX.

Dat. die 11. Martii 1767. Anno IX.

Cum Mutinensi Duca gratulatur, quod in Ecclesiae obsequium promptus sit binas Judaeas puellas, et Judaeum adultum eidem Ecclesiae reddere, a qua, laico magistratu jubente, fuerunt subtractae.

De hac ipsa materia vide epistolam, quam supra dedimus sub Num. DLXXVI.

Dilecto filio nobili viro Francisco Duci Mutinae.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir salutem, et Apostolicam benedictionem.

Mutinensem Ducem laudat pro eximia illius Religione.

§. 1. Opinionem de te Nostram tua non fefellit Religio; et cum ad nobilitatem tuam proximas literas scriberemus, qui egregiam tuam voluntatem, et obsequentissimi filii devotum in S. Matrem Ecclesiam animum tuum abunde novimus, pro certo habebamus, ubi primum eas literas accepisses, te incunctanter de gravissimo illo scandalo amovendo cogitaturum. Itaque lectis literis tuis, noli quaerere, dilecte fili nobilis vir, quanto triumphavimus gaudio, cum pietatem tuam ejusmodi esse recognovimus, qualem semper fuisse et esse recte judicavimus. Vidimus quae tua sit satisfaciendi Ecclesiae studiosa voluntas, et de tua ipsius aeterna salute quam solicita cura; qui ut in hac re securo incedas gradu, a Nobis ipsis te monitum velis, quid tibi faciendum censeamus.

Consilia eidem praebet quis laicos adigere Magistratus possit.

§. 2. Itaque magistratum Mutinensem jubeas oportet, duas illas parvulas et adultum illum Judaeum sine ulla mora ad cathecumenorum domum remittere; et eas quidem, ut

illico per sacrum regenerationis lavacrum christianae aggregentur Ecclesiae, illum autem, ut per 40. dies ven. frater Regensis Episcopus ejus animum diligenter exploret, et siquidem hominem comperiat cupidum esse christianae Religionis et disciplinae, salutari baptismate illum abluat; sin minus, ad Judaeorum septa jubeat reduci. Ad hoc praescriptum Ecclesiae abunde nobilitas tua satisfaciet, omnemque tibi eximes scrupulum, qui te a posterum male habeat; quod quidem maxime tibi est providendum: nam in hac re, quae sane gravissima est, quidquid reliquum tibi erit scrupuli, nimio acrius quam existimaveris animum tuum adsidue fodiet. Ceterum, dilecte fili nobilis vir, videto, quaesumus, ne te absente magistratus secularis tales res judicandas suscipiat, de quibus ad Ecclesiam unice spectat judicium. Nunc autem quod sanctissimis Ecclesiae legibus tam prompto pereas animo, dici vix potest, id tibi tantopere gratulemur; et nobilitati tuae Deum precamur ut maxime sit propitius, iisque omnibus, quae optas, divinae gratiae suae numine obsecundet; tibique, dilecte fili nobilis vir, quem in Nostrae caritatis gerimus sinu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die undecima Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXX.

Dat. die 14. Martii 1767. Anno IX.

Hispaniarum Regnis indulgetur, ut quovis die sabathi non impedita, nonnullis tantum temporis exceptis, recitari possit officium, et celebrari missa propria de immaculata Conceptione B. M. V.

Magnam Dei Genitricem sub immaculatae suae conceptionis mysterio in principalem universalemque Patronam ditionum omnium Hispaniarum, et Indiarum confirmatam fuisse ab hoc Pontifice constitutione sua anni 1760. Nov. 8. retulimus in hac continuatione sub num. CLXVII. pag. 419. Hanc confirmationem Pontifex Hispaniarum Regi nunciavit per epistolam anni ejusdem Decembr. 22. legendam loco citato sub num. CLXXII. pag. 425. officium proprium, et missam diei festi, et octavae immaculatae Conceptionis magnae matris Virginis ad universas ditiones Hispanicas, et Indicas extendit Pontifex idem constit. anni 1761. Jan. 17. relata sub num. CLXXX. pag. 437.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Commissi Nobis divinitus sacrosancti apostolatus officium salubriter exequi, adjuvante Domino, satagentes piis christifidelium, et praesertim personarum in sublimitate positarum, magnoque virtutum fulgore praestantium votis ad augendam gloriosissimae Virginis Dei genitricis Mariae, cujus conceptio, quae gaudium annunciavit universo mundo, venerationem, et cultum laudabili studio tendentibus favorabilem assensum, paterna benignitate libenter praebemus, sicuti ad omnipotentis Dei gloriam, ejusdemque Beatae Mariae Virginis honorem, christianique populi devotionem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Preces a catholico Rege porrectæ pro officio, et missa propria B. M. V. de Conceptione.

§. 2. Cum itaque, sicut pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici nuper expositum fuit, ipse Karolus rex pro eximia erga eamdem beatam Mariam Virginem devotione officium proprium immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis Patronae principalis, omnium dominiorum dicto Karolo regi subjectorum, singulis sabathis festo duplici, aut semiduplici non impeditis recitari, et missam celebrari posse plurimum desideret.

Pontifex precibus annuit.

§. 3. Nos pium, et religiosum ipsius Karoli regis animum in Domino commendantes, supplicationibus ejus nomine propter hoc humiliter porrectis inclinati, ut in posterum singulis sabathis festo duplici, vel semiduplici non impeditis officium proprium immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis Patronae principalis omnium dominiorum eidem Karolo regi subjectorum ab omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus,

qui in iisdem dominiis ad horas canonicas tenentur sub ritu semiduplici, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum etiam sine jejunio, ac illis sabathis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium Dominicae aut de festo duplici, vel semiduplici translato recitari, et missa itidem propria respective celebrari possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum, et transumptorum fides.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima quarta Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXI.

Dat. die 14. Martii 1767. Anno IX.

Ut in litaniis Lauretanis superaddi possit versiculum: Mater immaculata, indulget pro universis Hispanicis Regnis.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Laudat catholici Regis Religionem.

§. 1. Eximia pietas in Deum, et erga gloriosissimam virginem Dei genitricem Mariam devotio, et regiarum virtutum decora, cum praeclaris in Ecclesiam Dei meritis, singularique in nos, et Apostolicam sedem fide conjuncta, quibus carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum multipliciter insignivit Altissimus, paternam Nostram in eum charitatem adducunt, ut pia omnia ejus vota, quae ad fovendam ejusdem beatissimae, atque augustissimae virginis coeli Reginae devotionem pertinent, libentissime exaudiamus.

Preces porrectae pro superaddendo in litaniis Lauretanis versiculo, quo in rubrica.

§. 2. Cum itaque nuper ad ipsius Karoli regis enixas preces officium proprium immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis Patronae principalis omnium dominiorum eidem Karolo regi subjectorum ab iis, qui ibidem ad horas canonicas tenentur sub ritu semiduplici singulis sabathis, festo duplici, vel semiduplici non impeditis recitari, et missam celebrari posse per alias Nostras in simili forma brevis desuper expeditas literas, sub certis modo, et forma tunc expressis concesserimus, et indulserimus; pro parte itidem dicti Karoli regis Nobis expositum fuit, quod ipse pro sua erga eamdem beatam Mariam virginem immaculatam veneratione in litaniis Lauretanis nuncupatis in suis Regnis recitandis post versiculum Mater intemerata, alterum Mater immaculata superaddendum esse summopere desiderat.

Pontifex precibus annuit sub peculiaribus legibus.

§. 3. Nos piis, et enixis ipsius Karoli regis votis paternae charitatis studio annuere cupientes, illiusque pietatem, et devotionem plurimum in Domino commendantes, supplicationibus ejusdem Karoli regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, auditis prius dilecto filio Nostro Josepho Maria S. R. E. presbytero Cardinali Feroni nuncupato, sacrorum rituum congregationis Praefecto, ac dilectis filiis magistris Vincentio Macedonio ejusdem congregationis secretario, et Karolo Alexio Pisani fidei promotore, facultatem in ejusdem Karoli regis regnis, et dominiis, in quibus beata Maria virgo sub immaculatae conceptionis mysterio uti Patrona principalis peculiari devotione colitur, addendi in litaniis beatae Virginis, nuncupatis Lauretanis, tam publice, quam private recitandis post versiculum, Mater intemerata, alterum scilicet, Mater immaculata, attentis peculiaribus circumstantiis, et dummodo in illis tam privatim, quam publice recitandis aliud non obtenta speciali facultate a Sede praedicta, minime addatur, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum, et transumptorum fides.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non decreto fel. rec. Clementis Papae VIII. praedecessoris Nostri die VI. Septembris anni MDCI.

edito, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIV. Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXII.

Dat. die 18. Martii 1767. Anno IX.

Statuta congregationis Bursfeldensis ordinis S. Benedicti in Germania confirmantur, nec non literae Apostolicae, queis dictae congregationis privilegia fuere concessa.

Constitutio Clementis XI. diei 12. Februarii 1718. qua privilegia, exemptionis, et gratiae huic congregationi indultae fuere, et de qua in praesenti sermo est non reperitur impressa in Bullario Mainardi.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Inescrutabili divinae bonitatis, atque sapientiae providentia in Apostolicae dignitatis fastigio constituti illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris in favorem religiosorum virorum altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae jugo mancipatos, fideli dispensatione, prudentique liberalitate emanarunt, ut firma semper, atque stabilia persistant Apostolici muniminis Nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

Narrantur privilegia praecedenter concessa huic Congregationi a summis Pontificibus.

§. 2. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa praedecessor Noster nonnulla privilegia Apostolica, et exemptiones a diversis Romanis Pontificibus itidem praedecessoribus Nostris congregationi Bursfeldensi ordinis sancti Benedicti in Germania concessa, nec non quaedam decreta, ordinationes, et capitula a praeside, aliisque officialibus, et superioribus dictae congregationis pro felici, prosperoque eorum instituti regimine, et gubernio, conservandaque, et firmius in ipso stabilienda regulari disciplina, ac observantia edita, per suas in simili forma brevis die XII. Februarii MDCCXVIII. expeditas literas, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus plenius continetur, sub certis modo, et forma tunc expressis, confirmavit, et approbavit.

Praecedentium privilegiorum confirmationem Superiores dictae Congregationis expostulant.

§. 3. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni praesides, aliique officiales, et superiores memoratae congregationis Bursfeldensis dicti ordinis sancti Benedicti in Germania, firmiora sint ea, quae frequentiori sedis Apostolicae praesidio roborantur, ideoque privilegia, exemptiones, nec non decreta, ordinationes, et capitula hujusmodi una cum praedictis literis Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent.

Pontifex precibus annuit, et petitam confirmationem concedit.

§. 4. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, privilegia, exemptiones, decreta, ordinationes, et capitula praedicta, dummodo sint in usu, ac licita, et honesta, nec revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa existant, sacrisque canonibus, et praesertim concilii Tridentini decretis, constitutionibusque Apostolicis, aut eorum regularibus institutis, per sedem Apostolicam confirmatis non adversentur, ac memoratas literas ejusdem Clementis praedecessoris Apostolica auctoritate tenores praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas, ac decreta, ordinationes, et capitula hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocum-

que spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima octava Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno IX.

DLXXXIII.

Dat. die 24. Martii 1767. Ann. IX.

Asyli privilegio privantur quicumque furta commiserint in valetudinario S. Jacobi de Augusta, incurabilium nuncupato, de Urbe.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio Pontifici directa pro abolitione privilegii Asyli contra fures in hoc Valetudinario. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii custodes, et deputati archihospitalis S. Jacobi in Augusta, incurabilium nuncupati, hujus Nostrae almae urbis, quod admodum frequentia sint furta, quae in eodem archihospitali committuntur, et quae aegrotantium quietem, illisque inservientium tranquillitatem turbant, damnumque afferunt ipsis, et eidem archihospitali. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut plurimum fures propter loci immunitatem coerceri, et puniri, resque sublatas recuperari minime possint, indeque eveniat, ut furta in dies augeantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, et asyli privilegium tollit. §. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dictum archihospitale Sancti Jacobi in Augusta, incurabilium, pro furtis in valetudinario patratis, tam pecuniarum, quam aliarum rerum illius usui destinatarum, aut ad inservientes, infirmosque pertinentes, nemini posthac ad asyli immunitatem suffragari posse, auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, decernimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, quae Nostris praesentibus literis adversantur, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut sanctio hujusmodi in lapide inscripta, primo dicti archihospitalis aditu ad perpetuam memoriam apponatur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris

die XXIV. Martii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXIV.

Dat. die 6. Aprilis 1767. Anno IX.

Cardinalibus, in consistorio secreto coadunatis die 6. Aprilis 1767. significat electionem Patriarchae Antiocheni, Maronitarum ab Episcopis illius nationis factam, quam Pontifex confirmat.

Plura, quae de Antiocheno Patriarcha agunt nationis Graeco-Melchitarum relata a Nobis sunt, in hac continuatione sub num. CLVII. pag. 384. n. CLVIII pag. 386. et num. CCLXXVIII. pag. 637. quae consulenda ad opportunitatem sunt, cum notis ibidem appositis.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres.

Ecclesiae Antiochenae merita commemorantur, et de nuperrima Patriarchae electione rite facta agitur.

§. 1. Tristem haud ita pridem accepimus nuncium, bo. me. Tobiam Petrum Gazenium Patriarcham Maronitarum mortalis vitae suae cursum explevisse. Sed eam sane gravem jacturam abunde satis reparasse arbitramur ejus nationis Episcopos, qui summa animorum consensione ven. fratri Josepho Stephano Archiepiscopo Berytensi patriarchalem honorem detulerunt. In qua electione apparet piissimos antistites spectavisse Dei honorem et gloriam, et illius Ecclesiae utilitatem, qui catholicae Fidei zelo flagrantem virum, christianaeque studiosissimum disciplinae, tum eximia doctrina, et spectatissima prudentia praeditum ad excelsum illius dignitatis locum sustulerint. Deo igitur gratulamur, qui nationem illam catholicae Fidei constantia, et praeclara in hanc Apostolicam sedem fidelitate et obedientia inclitam adeoque praedecessoribus Nostris eximie dilectam, nobisque egregie curam praecipuo quodam amore videtur respicere, qui ejus custodiae tam bonum pastorem praefecerit. Ipse autem Ven. frater patriarchalem dignitatem adeptus, caeterique omnes Episcopi procuratorem suum ad Nos miserunt, dilectum filium religiosum virum Joannem Dominicum e familia min. observantium de terra Sancta, ut ejus nomine debitam nobis et huic S. Sedi obedientiam profiteatur. Literas autem idem procurator ad eodem Ven. fratre in Patriarcham electo, et ab eisdem pariter Episcopis ad Nos attulit, omnibus obsequii et reverentiae notis distinctas; quibus literis a Nobis enixe rogant, ut eam electionem Apostolica auctoritate Nostra confirmamus, et a Berytensi sede, memoratum Josephum Stephanum ad patriarchalem Antiochenam transferamus. Hujus electionis acta religiosus vir, quem diximus, electi procurator congregationi VV. FF. Nostrorum, qui rebus propagandae fidei praesunt exhibuit. In ea congregatione diligenti examine acta hujus electioni fuerunt excussa, et eorumdem VV. FF. Nostrorum judicio nihil abest, quo minus valida et legitima electio illa censeri debeat. Itaque de confirmatione hujus electionis, quam electi procurator Episcoporum et cleri nationis Maronitarum nomine a nobis postulat.

Quid Vobis videtur?

§. 2. Auctoritate omnipotentis Dei, Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra admittimus postulationem a praefatis Episcopis et clero nationis Maronitarum de more factam, de persona praedicti Josephi Stephani, ipsumque absolvimus a vinculo, quo tenetur Ecclesiae Berytensis, et transferimus ad patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis Maronitarum, praeficientes eum in Patriarcham et pastorem, juxta decretum congregationis de propaganda Fide, cum decreto, quod fidei professionem orientalibus praescriptam emittere, et juramentum fidelitatis praestare, illamque sic emissam ad Urbem infra praefixum tempus transmittere omnino teneatur; Pontifex hujus Patriarchae electionem confirmat.

In Nomine Patris ✝ et Filii ✝
et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Cum Patriarchae procurator gratias agisset Pontifici pro accepto pallio, Pontifex illi respondit, ut sequitur.

Electi novi Patriarchae Procuratori, gratias Pontifici agenti, pro habita confirmatione, respondet.

§. 3. Gratum acceptumque habemus devotum erga Nos officium hoc tuum, quo Ven. fratris Josephi Petri Patriarchae Antiocheni nomine gratias nobis agis pro eo quod illius electionem confirmavimus, eique pallii honorem concessimus. De illius pietate et in Romanam Ecclesiam devotione et fide omnia speramus, quae illius verbis modo pollicebare; et Antiochenam ecclesiam ob ejus in hanc S. Sedem perpetuum obsequium Nobis aeque ac praedecessoribus Nostris carissimam egregio viro, et eximiis virtutibus praedicto commissam esse summopere gaudemus; eique etiam num gratulamur, quos ex amantissimi pastoris sapientia, cura et vigilantia fructus, Deo adjuvante, capiet uberrimos.

DLXXXV.

Dat. die 14 April. 1767. Anno IX.

Cum magni Ducis Etruriae confessario conqueritur de puella, Judeis parentibus nata, deinde baptizata, et a seculari potestate Florentiae parentibus reddita.

De casu huic simili habemus epistolas hujus Pontificis, relatas hoc eodem Tom. sub Num. DLXXVI. et DLXXIX. pag. 1136. *et* 1140.

Dilecto filio Josepho Summating Soc. Jesu Pbro. magni Etruriae sibi subjectae Ducis confessario.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Narrat quomodo puella, a Judaeis orta parentibus, fuerit sacro fonte abluta, et deinde parentibus reddita.

§. 1. De puella ista Judaeis orta parentibus, quae Pisis cum ante hos fere tres annos gravissimo correpta morbo versaretur in vitae periculo, a christiana femina ejus nutrice sacro baptismate Ecclesiae Christi fuit adgregata, deinde a mortis limine restituta, dilectissimi in Christo filii Nostri magni Ducis jussu patri reddita, in judaeorum septis ab eo tempore commoratur, nostrum remordet animum gravis et assidua cura. Nosti, dilecte fili, nostro Nos non defuisse tunc Apostolico officio, et sedulo curasse, ut optimo principi plures rationes esponerentur, quamobrem nefas existimemus eamdem puellam cum summo Christi nominis dedecore et probro inter judaeos degere, eamque conditionem esse plane absurdam, ut cum ad decimum tertium aetatis annum adoleverit, in hebraeorum contubernio educata et judaicis superstitionibus probe imbuta libere profiteri scilicet queat ex christiana et judaica, quam nam denique religionem probet amplecti. Pietatem religionemque principis per ven. frat. Archiepiscopum Sidensem Nuncium Nostrum inani querimonia imploravimus. Venerabilium quoque fratrum Archiepiscoporum Florentini et Pisani zelum ad hanc rem adhibuimus, quorum pii conatus nihil a magno Duce consequi potuerunt. Tua etiam opera, dilecte fili, ut probe nosti, frustra usi sumus; ac per hos annos, qui ab eo tempore defluxerunt, ea res nimio validius, quam possimus exequi verbis, Nostram de aeterna illius puellae curam solicitavit.

Commemorat exemplum aliud huic simillimum in ditione Ducis Mutinensis, de quo querelos extollerat.

§. 2. Nunc vero sic, ut nunquam acrius animo urimus, cum ex imitatione perniciosissimi exempli, fuerint qui Ecclesiae eamdem fere injuriam inferre sunt ausi, ut Apostolicum officium Nostrum deserere putaremus, si diutius taceremus, et in talibus rebus, hunc morem induci aequo animo pateremur, quo deterioris conditionis esse christiana videatur Ecclesia prae judaica sinagoga. Nuper enim simile quid accidit in civitate Regiensi, ubi jussu magistratus Mutinensis duo parvulae infantes, quas judaeus pater christianae Ecclesiae obtulerat, a cathecumenorum domo ad judaeorum habitacula reductae fuerant; quamquam in hac re characteris baptismale impressi nulla fuerat profanatio; neque enim sacro regenerationis lavacro ablutae fuerant. Nos ad dilectum filium nobilem virum Franciscum Mutinae Ducem magna cum fiducia confugimus, satis perspectum requirentes pietatem ejus et religionem, et ab eo statim impetravimus, ut parvulae illae ad catechumenorum domum reducerentur. Vides, dilecte fili, quae sit virtus exempli. Utinam, ut Regii, de eo quod Pisis factum est, secularis magistratus sumpsit imitationem, ita di-

lectissimus in Christo filius noster magnus Etruriae sibi subjectae Dux Petrus Leopoldus, de Mutinensis Ducis religione, et in S. Ecclesiam reverentia capere velit exemplum.

Hortatur magni Ducis confessarium, ut illius religionem in subjecta materia excitet.

§. 3. Tu vero, dilecte fili, huc toto pectore incumbas oportet, ut magnus Dux sibi denique persuadeat, tamdiu ejus animam de aeterna salute periclitari, quamdiu illius puellae anima apud judaeos in summo versatur periculo subversionis. Hanc a te operam, tuum praecipue flagitat ministerium, qui piissimum principem et egregia religione summopere praeditum in via Domini ducendum dirigendumque suscepisti. Quod si forte (quod Deus probibeat) te nimio gesseris mollius, quam rei gravitas postulat, aut ille in eo, quod fecerit sit obstinatior, videte quaesumus, quid respondendum habeatis reddituri rationem, ei qui paratus est judicare vivos et mortuos, cum de manu tua animam principis, de manu principis animam puellae requiret. Quod ad Nos attinet in Domino confidimus, Nos cohortando, monendo, obsecrando apostolatus Nostri partes explevisse, et animam Nostram liberasse. Verum in iis, quae ad sublimem Ecclesiae divinamque pertinent potestatem, et quae praesertim ad aeternam animarum salutem spectant, non sinit omni spe Nos destitui egregii principis in religionem devotissimus animus; imo vero non dubitamus, quin consiliis monitisque tuis permotus, S. Matris Ecclesiae legibus et institutis sit denique obtemperaturus. Tibique, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima quarta Aprilis 1767. Pontificatus Nostri anno nono.

Essent hic referendae literae in forma Brevis, quas sub die 16. Aprilis hujus anni Clemens XIII. perscripsit Hispaniarum Regi catholico, ne sineret e suis Regnis Jesuitas expelli; quum vero datum nobis non fuerit earum Authographa in Archiviis Vaticanis adinvenire ubi fortasse praeteritorum temporum injuria vel deperditae, vel commixtae fuere hinc easdem praeterire cogimur, in supplemento post finem Pontificatus allaturi si datum deinde erit illas invenire. Qui tamen literas hasce cognoscere vel consulere cupiat adeat continuatorem Ecclesiasticae Historiae Bercastelii Tom. XXXIII. pag. 194. edit. Venetae anni 1831. ubi in italicum sermonem conversae relatae sunt; prout etiam consulat adnotationes in vita hujus Pontificis editu Venetiis anno 1769. ex Typographia Ferrarinia pag. 64. et tandem quamplures rerum Hispanorum scriptores.

DLXXXVI.

Poloniae Regem illustrem per has literas vehementer hortatur, ut conatibus dissidentium fortiter obsistat.

Dat. die 18. Apr. 1767. Ann. IX

Carissimo in Christo filio Nostro
Stanislao Augusto Poloniae
Regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster
salutem, et Apostolicam benedictionem.

Polonici Regis, totiusque Nationis laudes.

§. 1. Ubi primum regiam majestatem tuam Polonicum Regnum adeptum esse intelleximus, quantopere tibi tuisque studuerimus rebus, arbitramur abunde satis tibi perspectum. Et Nobis quidem ab eo tempore tua dignitas cara fuit majorem in modum et amplitudo: te enim existimavimus catholicae Religioni futurum honori et ornamento. Nec nostra Nos fefellit opinio. Nam in novissimis comitiis ipse aeque ac inclita ista Natio luculentissimis comprobastis indiciis egregium vestrum erga catholicam Ecclesiam studium, firmissimamque in vera Religione constantiam. Et in ea quidem re, vestra omnis agendi ratio apud omnes, quotquot sunt catholici nominis maximam vobis peperit gloriam, et incredibili Nos gaudio complevit.

De dissidentium conatibus in Religionis, et Reipublicae detrimento sermonem habet, eorumque explicat audaciam.

§. 2. Vera omnes ejecit ex animo Nostro laetitias, quam rei catholicae apud vos audivimus parari pernicies, et nova nos terrent, quae vobis conflantur pericula ad perturbandam florentissimi Regni, Nobisque carissimi, tranquillitatem. Quamobrem ad misericordiarum patrem et totius consolationis Deum confugimus, cumque in humilitate cordis nostri vivissimis precibus oramus et obtestamur, ne patiatur venire gentes in haereditatem suam, ejusque sanctum templum polluere. Dissiden-

tes enim patrias sanctissimasque leges refigere, et cum vestrae reipublicae statu ipsam conantur evertere Religionem; sibique potentissimorum Principum adscito patrocinio id maxime student, ut ex verae Religionis, quam Dei beneficio tam sancte colitis, detrimento privata sibi commoda et utilitates quaerant, nihil verentes privatarum rerum suarum studio ipsam matrem suam rempublicam prodere, eamque funditus evertere. Et certe, si (quod Deus longissime prohibeat) consilia sua aliquando perficiant, omnia istbic videbimus plena odiorum et discordiarum, ut non amplius stare respublica, nec nisi ejus eversionem expectare jubet divina illa Christi Domini vox » *Omne Regnum in se divisum desolabitur.* »

Hunc Regem hortatur ad hoc, ut firmiter dissidentium conatibus resistat.

§. 3. Tu tamen, carissime in Christo fili Noster, quae tua est egregia religio singularisque sapientia, fallacibus dissidentium rationibus, quas videri volunt ex communi petere utilitate, numquam patiere te decipi. Esto enim ut ex nationibus exteris a catholica religione alienis adventitii homines, tibi subditorum numerum aliquantulum augeant, atque etiam plura commoda Regno allaturi prima fronte videantur; quantulae istae sunt utilitates, cum homines ejusmodi, sumptis aliquando viribus, et nimio potentiores facti, tranquillitatem reipublicae perturbaverint: Nos quidem minime existimamus, eos Principes, qui dissidentibus favent, daturos umquam operam, ut emissa concordia, respublica vestra denique concidat. Id suspicari Nos vetat eorum sapientia et justitiae amor et animi magnitudo: et enim probe sciunt non in eo positam esse suam gloriam ut innoxiis gentibus leges imponant, sed illud sibi esse maximae laudi, si eorum opera in singulis quibusque nationibus sua cuique publica tranquillitas constet, atque securitas, leges vigeant seditiosi homines et novandarum rerum cupidi coerceantur. Et quemadmodum vestra respublica finitimorum Regnorum jura ne cogitatione quidem audet infringere, ita numquam egregii Principes, patientur vestrae reipublicae jura ab ipsis ejusdem reipublicae civibus labefactari, atque perrumpi.

Quam strictam redditurus sit rationem pro animis subditorum huic illustri Regi pastorali sollicitudine significat.

§. 4. Sed haec tibi, carissime in Christo fili noster, ut temporalium rerum custodi et gubernatori consideranda relinquimus. Quod unice ad Nos attinet, illud est ut Jesus Christi Domini nostri verba illa in tui memoriam redigamus » *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* » Teque sedulo moneamus, quidquid catholica Religio ex animi tui, seu potius ministrorum tuorum mollitudine acceperit detrimenti, id omne aeternum judicem vobis imputaturum, vosque, non vestrae modo, sed omnium istius gentis animarum rationem illi esse reddituros, cum eorum sanguinem de vestra requiret manu. Sed quae adhuc regia majestas tua et inclita Polonorum orthodoxa natio edidistis catholicae Religionis defendendae constantissimi animi, exempla, cohortationem hanc nostram longius progredi vetant, eamque si paullo validius urgeremus, vehementer vereremur, ne tibi tuaeque religioni injuriam facere videremur. Fortasse, quod ajebat Moyses Israelitis » *tentat vos Dominus, ut palam fiat, an diligatis eum, an non in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum sequimini et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis et ipsi adhaerebitis.* » Itaque, carissime in Christo fili Noster, posito in Deo nostro spem tuam » *qui de tantis periculis nos eripuit et eripit, in quem, speramus quoniam et adhuc eripiet* » neque enim abbreviata est manus Domini, et omnipotentis, quin omnia quaecumque voluerit, faciat. Atque ille quidem, cujus voluntatae inclitae istius gentis regendae tibi delatum est munus, cum et facultatem tibi itidem dabat, ut eam bene sapienterque regere, et acceptam a gloriosissimis praedecessoribus tuis haereditatem servare feliciter queas. Et regiae majestati tuae, quam in nostrae caritatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decima octava Aprilis MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXVII.

Dat. die 18. Apr. 1767. Anno IX

De eodem argumento agit cum Gnesnensi Archiepiscopo, cujus zelum contra dissidentium conatus provocat.

Venerabili Fratri Stanislao Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Episcopos debere conjunctis viribus cum Romano Pontifice dominicæ vineæ custodiam habere.

§. 1. Cum catholicae Fidei videamus in die multiplicari pericula, attentiores usque nos facit instantia Nostra, quotidiana et sollicitudo omnium ecclesiarum, ne in vinea Domini ab inimico homine superseminentur zizania, quibus electa frumenti grana opprimantur. Itaque ut bonus pater familias, et prudens ad universae Ecclesiae custodiam vigilantes, Nostri esse muneris arbitramur VV. fratres Episcopos identidem appellare, ut de iis quae sibi quisque eorum opus esse existimet artiores nos faciant, quo collatis opibus et consiliis zizania radicitus evellamus, quae terram impediunt, quo minus temporibus suis fructum centuplum ferat.

Magnae consolationi Pontificis animo fuere posteriora Poloniei regni comitia, quibus Religionis bono consultum fuit.

§. 2. Quantam consolationem Nobis attulerit exitus comitiorum, quae novissime habuit carissima Nostra Polonorum respublica, nemini judicamus esse perspectum magis, quam VV. Fratribus Episcopis, qui erga suum quisque gregem charitate flagrantes, sentiunt quantaque sit in oves sibi commissas vis pastoralis amoris et magnitudo. Quod enim fuit nostri animi gaudium, cum accepissemus tanta animorum consentione, tanta firmitudine atque constantia, omnes inclitae nationis ordines ad catholicam Religionem in isto regno constabiliendam certatim omnia studia sua contulisse. Vidimus in ea re magna cum animi nostri laetitia, quanta sedulitate vigilantia, episcopali caritate et zelo Poloni Episcopi concreditum sibi gregem pascant, et paverint; et ovium laudavimus docilitatem, quae pastorum tantummodo vocem audierunt, eisque ad salutaria pascua deducendos se permiserunt » *In filiis suis* (ait sapiens) *agnoscitur vir, et filius sapiens doctrina patris.* Quamobrem in humilitate cordis Nostri Deo gratulati sumus, quod vos fecerit dignos, qui gloriosissimum catholicae Ecclesiae testimonium perhiberetis » *ut fides vestra nunc annuncietur in universo mundo.* »

Sed dissidentium novi conatus Pontificiam excitant sollicitudinem, ut adjutores Episcopos habeat, et defensores.

§. 3. Sed inscrutabili judicio suo Deus noluit eam laetitiam nobis esse perpetuam. Incredibilis enim molestia nostrum animum cepit, cum accepimus Religioni strui novas insidias solicitari vos, ut animo sitis in posterum flexibiliore, novis periculis statum reipublicae vestrae circumsideri, parum firmam esse tranquillitatem ejus et pacem; agituri denique consilia, ut patriae sanctissimaeque leges convellantur. Quae omnia nos habent vehementer solicitos: et quae nunc vestram rempublicam premunt participes aerumnarum, dolemus maxime in tantum adduci periculum Polonici regni statum et formam, cum qua ipsius catholicae religionis incolumitas conjuncta est et integritas. Sed tamen animo minime despondemus; Nosque consolatur beatissimi Apostoli exemplum, qui in adversis ipse se ita sustinebat » *Tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur sed non perimus.* » Adeamus igitur tuque et ceteri in inclito isto Regno VV. fratres cum fiducia » *ad thronum gratiae, Deum inclamemus, qui potens est salvare vel in paucis, et omnem solicitudinem nostram projiciamus in eum, quoniam ipsi cura est de nobis* » Omnis enim causa haec Dei est, cujus propterea ipse Deus erit defensor et vindex. Et magna quidem Nobis spes est futurum, ut haec tentatio vestrae in tuenda Religione constantiae et firmitudini maximam pariat gloriam.

Gnesnensem Archiepiscopum obsecrat, ut pro sua dignitate caeterorum Episcoporum excitet zelum

§. 4. Te vero, Ven. frater, cujus excelsa dignitas magnam in isto regno fraternitati tuae tribuit auctoritatem obsecramus, ut Coepiscoporum excites nunc maxime zelum atque pietatem, quo flagrantissimis orationibus quisque suis a Deo sibi vim precentur, et in verbo virtutem, ut greges suos confirmare possint in doctrina sana, eosque ad veram excitent, poenitentiam, qua Dei iram et in-

dignationem ab isto regno avertant. Illud autem in primis vos maxime admonemus atque rogamus, ut » observetis eos qui dissentiones et offendicula, praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt ». Et quos oportet interea arguere, obsecrari, increpare, in omni patientia et doctrina. Haec sunt pastorum partes praecipuae, quas si impleverint, et grex eorum salutaribus vocibus se morigerum præbeat, nihil a misericordia Domini nobis non pollicemur, cujus longanimitatem salutarem denique arbitrabimur. Et fraternitati tuae, et universis istius regni VV. FF. Episcopis, et orthodoxae Polonorum genti ob egregiam Religionem et fidem gloriosissimae et inclitae, intimo Nostri paterni cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die decima octava Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXVIII.

Dat. die 21. Apr. 1767. Anno IX.

Tarraconensem Archiepiscopum hortatur, ut catholicum Regem e proposito removeat extinguendi societatem Jesu in universis Hispanicis regnis.

Venerabili fratri Joanni Archiepiscopo Tarraconensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Suam Archiepiscopo admirationem exprimit pro concepto consilio ejectionis Jesuitarum ex Hispanicis regnis.

§. 1. Gravissimo et plane inopinato nuncio sumus perculsi, carissimum in Christo filium nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum, de pellendis clericis regularibus soc. Jesu ex omnibus ditionis suae regnis caepisse consilium. Cumque prudentissimi Principis sapientiam aeque ac justitiam pietatemque perspectam habeamus, illud admiramus vehementer, tam subitam eorumdem clericorum regularium factam esse mutationem, ut quos superiore anno quamplurimi Hispaniarum Episcopi Nobis commendarunt, ut viros pietate et doctrina praestantes, et ad procurandam animarum salutem magnopere utiles, eosdem nunc, ictu fere oculi, ita mores suos demutasse, ut ex Hispaniensi omni ditione tamquam purgamenta ejici mereantur. Et magnam illos erga Regem commeruisse culpam oportet, et ab eadem culpa credendum est eorum abesse neminem, cum justitiae studiosissimus princeps omnibus, nemine excepto gravissimam irroget poenam, et omnes extorres regno suo pulsos velit. Sed omnes iis criminibus esse affines quibus commota est optimi principis indignatio, haud ita credibile est. Illud potius quis existimet quosdam inter eos clericos regulares fuisse, qui principem adeo graviter laeserint, ut ille ad omnem regularem eorum ordinem non veritus sit animadversionem porrigere.

Archiepiscopum obsecrat ut catholico Regi consilio sit ad illum e proposito removendum

§. 2. Quamobrem, ven. frater, pietatem tuam et Dei zelum, tuam in regem fidelitatem, tuam sapientiam requirimus, ut quibuscumque tibi licuerit modis insinuari facias prudentissimo principi, non ita esse utile, si quae domus aliqua sui parte vitium fecerit, eam totam diruere, sed longe praestabilius eam partem resarcire, neque in aliquo corpore cujusque naturae et conditionis, ex quo tamen aliquid capiatur utilitatis, si quidquam deprehendas minus laudabile, aut etiam omnino improbandum, idcirco esse funditus evertendum, neque amittendum quidquid in eo sit frugiferum, sed ea labe purgandum, quae neglecta totum posset inficere, in aliorum etiam perniciem. Nos quidem paratissimo esse animo sancte profitemur ad ea corrigenda, que in societatem Jesu Rex irrepsisse deprehenderit improbanda, nec quidquam aggredi Nos recusaturos, ut ad pium institutum suum universa societas revocetur. Neque enim Nobis tantopere cordi esse debet, quam ut religiosorum corpus, unde prodeunt operarii ad regnum Christi apud barbaras nationes proferendum, et ad Christianam Fidem veramque pietatem, ubi jam propagata fuit, retinendam excolendamque ab omni labe revera sit parum, omnique sanctitate praeditum esse perhibeatur. Atque id ipsum est, quo potissimum spectare debet religiosa piissimi principis circumspectio, ne, si societas Jesu

in Hispaniis intereat, christiana Religio apud barbaras nationes itidem pereat, praesertim in iis lociis, ubi soli e societate Jesu apostolicam missionem gerunt.

Illudque prae caeteris eidem ostendit, Hispaniarum Regem strictam Deo rationem esse redditurum de Religionis detrimento.

§. 3. Caeterum regem in hac re illam ingredi viam, ut de innumeris animabus eorumque aeterno exitio rationem apud judicem vivorum et mortuorum reddere debeat, id vero est, quod si ejus pietati maturius considerandum proponatur, pro certo habemus, principem, si quisquam alius, Religionis studio flagrantem timentemque Dei judicium, numquam passurum, ut e regnis suis societas Jesu tantum cum Religionis christianae detrimento eliminetur. Haec et alia plura, quae tua tibi, ven. frater, prudentia suggeret, facito quaesumus, ut ad catholici Regis considerationem quoquo modo perveniam. Non existimamus longiorem nobis adhibendam esse orationem ut intelligas fraternitas tua, quae et quanta res hic agatur. Profecto quidquid ad conservandam soc. Jesu in Hispaniis contuleris, existimato non minimam esse partem episcopalis tui ministerii cui satisfeceris. Et fraternitati tuae intimo cordis affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscat. die XXI. Aprilis MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno nono.

DLXXXIX.

Dat. die 21. Apr. 1767. Anno IX.

Catholici Regis confessario suas Pontifex querelas dirigit, pro Jesuitis omni Hispaniensi ditione pulsis.

Videndae etiam sunt superiores literae Tarraconensi Archiepiscopo hoc super argumento missae.

Dilecto filio religioso viro Joachimo de Osma, Ordinis min. S. Francisci confessario Regis Catholici.

Clemens PP. XIII.
Dilecte fili religiose vir salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Admiratur Pontifex quod Jesuitae tantis cumulati elogiis superiori anno, potuerint inopinato regiam indignationem incurrere.

§. 1. Improvisum, et plane inopinatum Nobis accidit existimari Societatem Jesu in Hispania sic a pio instituto suo tam brevi tempore deseruisse, ut carissimus in Christo filius Noster Karolus rex catholicus omnes clericos regulares ejusdem Societatis ex omnibus suae ditionis regionibus censeat exturbandos. Nec possumus ea res, cujusmodi sit, constituere. Nostram enim aegritudinem, quam ex Gallica ejusdem Societatis calamitate suscepimus, valde leniebant, acceptae superiore anno a compluribus Hispaniis Episcopis literae, quibus intelleximus, eam Societatem omnibus apud vos florere virtutibus, et ex ejus piis laboribus eorumdem Episcoporum ecclesias magnas capere utilitates. Nunc ex improviso talis ad Nos allatus est nuncius, ut existimare debeamus, omnes, aut certe fere omnes, magnum aliquod admisisse facinus atque nefarium, ut in omnes, quotquot apud vos Societatis profitentur Institutum, censuerit Rex justissimus animadverti oportere.

Quoties aliquis ex clericis istis punitione dignus censeatur, non aequum est ne universa puniatur Societas.

§. 2. Sed corruptum esse corpus universum, haud facile credimus: nec ipsi itidem Nobis persuadere possumus, si quae labes in illum irrepserit, nullum emendationi locum relinqui. Quod quidem potius faciendum esse, quam universam Societatem extingui, ipsa aequitas clamitat et prudentia. Neque enim aequum est, si qui inter clericos regulares Societatis Jesu gravissimam erga Regem commeruerint culpam, omnes eadem poena promiscue plecti: nec quod aliqua ex parte labefactari Societas coeperit, ideo oportet universam everti, eas amitti utilitates, quas ex ea Ecclesiam capere diserte testati sunt complures ex primariis Pastoribus; sed emendandam ubi est opus, existimamus, ea ipsa ratione, ut eosdem, quos superioribus temporibus tulit fructus, etiam in posterum possit Ecclesiae progignere.

Regium hortatur confessarium, ut religiose Principi suggerat ea consilia, quibus animae suae prospicere possit.

§. 3. Haec ad te, dilecte fili religiose vir, ideo scribimus, ut eadem optimo Principi, cui te in via Domini ducem praebes, et pro tuo ministerio, et nostro etiam nomine suggeras. Et Nos quidem quidvis facere non detrectamus, quo in eos, qui e Societate Jesu justam Regis iram commoverint, severissime animadvertatur, et cum eodem Rege paratissimo animo sumus, collatis consiliis, omnem operam dare, ut quae spinae in agro So-

cietatis, olim mundissimo, germinaverint atque succreverint, radicitus evellantur. Ministerii vero tui est coram Jesu Christo crucifixo tremebunde considerare, idque Regi considerandum proponere ex hoc, quod ille videtur jam accepisse consilio, ad christianam Religionem quanta perventura sit clades, cum vinea Domini apud barbaras gentes tam multis gravissimisque laboribus constituta, pulsis agricolis, omnino silvescat necesse est. » *Itaque cogitato* » dilecte fili religiose vir » *futurum illud tempus, cum manifestari nos omnes oportet ante tribunal Christi, qui constitutus judex vivorum, et mortuorum ad dexteram Dei Patris super omnem principatum et dominationem* » et omne nomen, quod dominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, innumeras animas de manu Regis, et Regis animam de manu tua requiret. Videte quaesumus, quid tu, quod in tanta Religionis clade, et infinitae propemodum multitudinis animarum aeterna pernicie, si vel tacueris, vel tantummodo mussitaveris, quid ipse Rex, qui tale consilium caeperit, unde oritur tanta christianae Religionis calamitas, summo judici respondendum habeatis.

Pontifex intimo dolore perculsus, Deo preces porrigit, ut tanta avertatur aerumna e catholicis Regnis.

§. 4. Testis Nobis est Deus, accepto tali atrocissimo nuncio, Nos consternato prorsus animo esse, et lagrimis applevisse os Nostrum considerantes summa Nostri cordis anxietate, quanto in aeternae salutis periculo versetur carissimus filius, quem propter emendatissimos mores et pietatem in Deum, et in Ecclesiam obsequium caeterasque virtutes Christiano Principe undequaque dignissimas, in ore oculis et in charitatis gerimus sinu. Illud etiam acerrime pupugit animum Nostrum, quod talibus religiosissimi Regis virtutibus plane confisi nunquam existimassemus, Nobis insciis et inconsultis, in re omnium gravissima, et quae Nos omnium maxime tangit, id illum agere aggressum, cujus fieri non potest, quin, aliquando poeniteat cum consideraverit innumeras animas, quibus fulgere poterat lux Evangelii, pulsis verae pietatis praeconibus, in caecis tenebris relictas esse sempiterno denique igne cruciandas. Denique illud Nos maxime discruciat tanto locorum intervallo Nos impediri, quominus cum carissimo filio possimus habere colloquium. Quam multa illi in hac re commonstraremus pericula paestigiarum, quas perpetuus ille humani generis hostis Diabolus, pietati christianorum Principum conatur offundere. Interea Nos orationi quanta maxima contentione instabimus, et Dei misericordissimis oculis passionem Christi filii sui, quam his diebus recolimus, ostentantes, per ejusdem Christi Domini merita tibi zeli Dei vim, et ardorem vocemque virtutis, et Regi piam in te audiendo docilitatem impetrare conabimur. Tibique Apostolicam beneditionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima prima Aprilis 1767, pontificatus Nostri anno nono.

(1) Psalmo XXIV. 1.
(2) II. Cor. I. 10.

DXC.

Allocutio consistorialis a Sanctissimo Domino nostro Clemente PP. XIII. habita die XXVII. Aprilis MDCCXVII. in qua proponuntur causae canonizationis sex Beatorum.

Dat. die 27. April. 1767. Anno IX.

Venerabiles Fratres.

Proemium.

§ 1. Increbescentibus in dies Ecclesiae calamitatibus et aerumnis (1) levavimus ad Deum animam nostram et in eo fidentes, qui de (2) tantis periculis Nos eripuit et eruit, in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, ad pascendum dominicum gregem eo intentiores curas nostras adjicimus, quo graviores in Nos tribulationes videntur ingruere. Neque enim in tantis molestiis ad nostrum animum major pervenire unquam poterit consolatio, quam si fidelem populum misericors Deus per Apostolicum ministerium nostrum deducat (3) in semitam mandatorum suorum, cumque ambulare faciat in via (4) immaculata. Ad commonstrandas autem fidelibus vias Domini eosque segregandos ab iis, qui abe-

(3) Psal. CXVIII. 35.
(4) Psal. C. 6.

unt (1) in consilio impiorum, nihil existimamus accommodatius quam sanctorum virorum exempla proponere, qui accepto (2) Jesu Christo domino in ipso ambularunt radicati et supraedificati in ipso, et confirmati in fide, nec passi sunt decipi per philosophiam, ut ait apostolus, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Et quoniam exempla quo sunt recentiora, ita esse solent efficaciora, animum et studia nostra convertimus ad promovendas causas canonizationis beatorum Joannis Cantii, Josephi Calasantii, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini ab Asculo, et Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, ut eorum virtutes et praeclara merita in excelso sanctuarii loco posita, luceant coram hominibus, et universae Ecclesiae praesidio aeque sint; ac fidelibus irritamento ad Jesu Christi cultum firmiter retinendum ejusque strenue sectanda vestigia. Itaque de eorum rebus gestis, et de miraculis quibus clarificata est, quae in illis abundavit Jesu Christi gratia, praedecessorum nostrorum more expetimus ad Nos in praesenti consistorio referri.

Cardinalium vota requirit quoad canonizationem B. Joannis Cantii.

§. 2. In B. Joanne Cantio, qui ut audistis, VV. Fratres, mortificationem (3) Jesu circumferens in corpore suo, ipse se exhibuit hostiam (4) viventem, sanctam Deo placentem, qui laboravit (5) in verbo et doctrina, absolutum percipere potuistis egregii sacerdotis exemplum. Placet ne igitur vobis, ut quem heroicis virtutibus praefulgentem omnipotens Deus miraculorum etiam gloria fecit illustrem, ad illius solemnem canonizationem more praedecessorum nostrorum rite procedamus? (*Sequitur relatio de B. Josepho Calasantio*).

Simile requirit votum quoad canonizationem B. Josephi Calasantii.

§. 3. Venerabiles fratres, B. Josephi Calasantii virtutes plane heroicas fuisse oportuit: neque enim sine firmissima fide magnaque spe futurorum bonorum, et flagrantissima in Deum et proximum charitate tam multas, tamque graves injurias, contumelias et probra tantasque calamitates tam fortiter sustinere potuisset. Hominem sibi carum Deus ostendit, illustribus miraculorum signis et prophetiae dono; ad cujus canonizationem placet ne vobis, ut juxta Apostolicae sedis institutum solemni ritu deveniamus? (*sequitur relatio de B. Josepho a Cupertino*).

Idem de canonizatione B. Josephi a Cupertino.

§. 4. Audistis, VV. fratres, institutum vitae B. Josephi a Cupertino fuisse, cor defixum habere in caelis, quo suos affectus omnes transtulerat, ut vere usurpare potuisset illud apostoli: nostra autem conservatio (6) in caelis est: Ex adsidua et profundissima caelestium rerum contemplatione, mirabiles ac frequentes audistis extaticos motus, quibus in aere, sublimis placidissime tollebatur. Ad solemnem itidem canonizationem hujus beati viri tum heroicis virtutibus, tum miraculis, quibus ejus sanctitatem Deus comprobavit, maxime insignis, et in omni vitae suae cursu admirandi, placet ne vobis, ut juxta consuetum Apostolicae sedis morem deveniamus? (*sequitur relatio de B. Hieronymo Aemiliani*).

Idem de canonizatione B. Hieronymi Æmiliani.

§. 5. Inter heroicas virtutes, quas in animum B. Hieronymi Aemiliani divina indidit gratia, singularis, ut audistis, VV. fratres, eminet in proximum charitas, in exercenda praesertim erga pueros orphanos et humana ope destitutos, Beatus vir omnia studia sua devovit. Quantopere Deus probaverit ejus vitae genus, quod est amplexus, ut esset pauperi et orphano (7) adjutor, insignibus miraculorum indiciis compertum est, quibus beatum virum illustrem fecit divina dignatio. Igitur placet ne vobis, ut ad illius solemnem canonizationem rite procedamus? (*Sequitur relatio de B. Seraphino ab Asculo.*)

Idem de Canonizatione B. Seraphini ab Asculo.

§. 6. Admirandam audistis, VV. Fratres, B. Seraphini ab Asculo asperitatem vitae, profundissimam humilitatem, altissimam paupertatem, majores omni thesauro divitias aestimantis improperium (8) Christi, ut Sanctis-

(1) Psal. I. 1.
(2) Coloss. II, 6, 7, 8.
(3) II. Cor. IV. 10.
(4) Rom. VII. 1.
(5) I. Tim. V. 7.
(6) Philipp. III. 20.
(7) Psal. IX. 14.
(8) Hebr. XI. 26.

simi viri Francisci, cujus amplexus est institutum, poenitentiam, patientiam, caeterasque ejus virtutes in omni vita sua repraesentaverit. Beati viri sanctitatem ut intellexistis luculenter Nobis Deus ostendit, cum miraculorum gloria, ac praecipue curationum gratia illum voluit praefulgere. Placet ne vobis, ut ad ejus itidem canonizationem praedecessorum nostrorum more solemni ritu procedamus? (*Sequitur relatio de B. Francisca Fremiot de Chantal.*)

Idem de Canonizatione B. Franciscæ Fremiot de Chantal.

§. 7. Quodcumque vitae genus sequantur christianae mulieres, omnibus B. Joanna Francisca Fremiot de Chantal singulare magna tam virtutum specimen praebet. Nam et in virginali statu quem praeoptaverat, et ex patris voluntate viro nupta, et in viduitate, et perfectioris vitae denique viam ingrediens egregia edidit suae sanctitatis exempla. Heroicas ejus virtutes, ut audistis, VV. fratres, mirabilium signorum testimoniis Deus comprobavit. Placet ne igitur vobis, ut ad ejus quoque canonizationem more prædecessorum nostrorum solemni ritu progrediamur?

Auditis Cardinalium votis, Pontifex rem ad futura consistoria ablegat.

§. 8. Sententias vestras de his, quae vos rogavimus, VV. fratres, libentissimo animo audivimus. Cum autem consistorialis aulae advocati beatorum inter sanctos solemniter adscribendorum sanctitatem et miracula, accurata oratione, nobis debeant exponere, idcirco duo ad hanc rem indicenda sunt publica consistoria, quae quo die haberi oportuerit, vos certiores fieri curabimus.

DXCI.

Dat die 29. April. 1767. Anno IX.

Christianissimo Galliarum Regi, Regem Regnumque Poloniae dissidentium turbis devexatum immense commendat.

De hac ipsa dissidentium materia adsunt literae supra relatae sub Num. DLXXXVI., et DLXXXVII. quae consulendae ad opportunitatem sunt.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi christianissimo.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili Noster, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Christianissimi Regis Religionem commendat.

§. 1. Ea est de regia majestate tua, tuoq. erga catholicam religionem studio quam semper habuimus, et habemus existimatio, ut ad te numquam tanta cum fiducia impetrandi quod petimus accedamus, quam cum eidem Religioni, si alicubi periclitetur, praepotentem opem tuam imploramus. Paternus etiam erga te noster amor postulare videtur, ut veraeque solidae tuae laudis cupidi, eas occasiones tibi commonstremus, quibus Ecclesiae primogenitus filius pietatem, qua S. Matrem tuam complecteris gloriosiorem facere queat et illustriorem. Novit regia majestas tua, populos omnes, quibus evangelii lumen affulsit, unum corpus conficere, catholicam nimirum Ecclesiam, cujus caput est Christus » *etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, ut beatissimus Paulus, sive Judaei sive gentiles, sive servi sive liberi.* »

Infelicem Religionis statum in Polonia designat, et christianissimi Regis auxilium implorat.

§. 2. Quamobrem si quid patitur hujus corporis membrum, omnia membra compati oportet, ac propterea, carissime in Christo fili noster, catholicos in Polonia tuos in Christo fratres, ubi resciveris in maximas esse compulsos angustias, et catholicam Religionem, nisi quis illi suppetias ferat, in extremum adductam esse discrimen, non dubitamus te eorum aerumnis et angoribus vehementer esse commotum. Dissidentes enim nihil sibi reliqui fecerunt ad catholicam Fidem in eo regno labefactandam, sanctissimasque leges funditus convellendas ipsumque immutandum reipublicae statum a quo rationes suas suspensas habet catholica ipsa Religio. Hanc qui tam gravibus conflictari malis intelligat, tuique similis, carissime in Christo fili Noster, ortodoxae fidei bene cupientem animum gerat, non recusaturum existimamus diligentiam omnem conferre ad tantam aerumnam ab Ecclesiae catholicae caervicibus depellendam. Et eam quidem e periculo praesentissime eripere quis non fateatur regia majestate tua esse dignissimum? qui notus ad beneficiendum omnibus populis, sapientiam, men-

temque plenam consilii a Deo accepisti cum maximis opibus et potentia conjunctam. Quæ bona Deus, carissime in Christo fili Noster, ideo tibi edidit in primis ut Dei causam tuere, Christi augere studeas gloriam, et ab Ecclesia ejus sponsa tuisque matre amantissima auctoritate tua, omnibusque, omne genus adhibitis officiis et studiis quamlibet propulsandam cures injuriam, qua vero ratione id consequi possis tuum est judicare. Nos, quae Nostrae solae sunt partes, explevisse arbitramur cum cohortationibus Nostris alacritatem tibi addimus ad referendam ejusmodi gloriam, quae propria videtur esse debere primogeniti Ecclesiae filii, Deum precamur, ut caelestibus suis majestatem tuam in dies cumulet bonis tibique paterno animi nostri affectu, carissime in Christi filii Noster, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Aprilis MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DXCII.

Dat die 30 April. 1767. Ann. IX.

Toletano Archiepiscopo respondet, a quo nuncium acceperat de expulsione clericorum societatis Jesu ab universis Hispanicis regnis.

Vide literas supra relatas sub num. DLXXXIX. et adnotationem in illis appositam.

Dilecto Filio Nostro Aloysio S. R. E.
Presbyter Card. de Corduba
Archiepiscopo Toletano.

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Suam admirationem exprimit pro inopinata, mutatione rerum Jesuitarum in Hispaniis.

§. 1. De repentina gravissimaque calamitate, quam in Hispaniis praeter nostram opinionem modo acceperunt clerici regulares soc. Jesu improvisus et inopinatus nuncius tamquam fulmen plane nos percutit. Qui enim potuissemus unquam existimare, societatem illam apud vos censeri sic a pio Instituto suo descivisse, et usque adeo tanta esse labe corruptam, ut qui idem Institutum isthic profitebantur ex omnibus Hispanae dictionis regionibus omnes meruerint, ex improviso exturbari, quos tamen superiore anno quam plurimi Hispaniarum Episcopi Nos commendarunt tamquam viros doctrina et pietate praestantes, et iis praesertim florentes virtutibus, e quibus eorumdem Episcoporum ecclesiae magnas capient utilitates.

Archiepiscopi acceptas literas commemorat, queis nuncium fuit de Jesuitarum expulsione.

§. 2. Tu ipse, dilectissime fili Noster, iisdem literis tuis, quibus hanc societatis Jesu calamitatem nobis denuncias, temperare tibi non potuisti quin eos apud nos collaudares; scribis enim in clericis regularibus soc. Jesu, qui in dioecesi tua versabantur, nihil nisi adimplendi ea, quae sunt eorum instituti satis ardens studium, te comperisse, flagrantemque zelum divini cultus, piosque labores ad procurandas fidelibus spirituales utilitates. Quibus gravissimis testimoniis cum credere debeamus, incredibile est quantopere doleamus cogitantes, quanta in posterum ad christianam Religionem perventura sit clades, cum Societate Jesu extincta, tantam hominum multitudinem in Hispania, tam multis necesse sit carere spiritualibus bonis, quae ex piis talium operariorum laboribus percipiebat; tum apud barbaras gentes praesertim in iis locis, ubi soli e Societate Jesu missiones gerunt, christianam Religionem jam nunc habere possumus quodammodo deploratam. Complures alias mittimus causas, quae nostrum animum confodiunt; sed haec quae adhuc persequuti sumus, omnium acerrime nos excruciant; tuisque, dilecte fili Noster, acceptis literis nunciis tantae calamitatis, vulnus quod primo nuncio accepimus nimium quantum exasperatum est, et recruduit.

Eumdem obsecrat Archiepiscopum, ut consolet sui gregis spirituali bono.

§. 3. Gratissima tamen nobis fuit tua isthac nobiscum agendi ratio, qui de tanta re, quae nos maxime tangit et Apostolicam sedem, non passus es litteras tuas a nobis desiderari. In quo quidem tuum in nos obsequium tuamque recognoscimus fidem. Reliquum est, ut homines de quorum virtutibus, piisque laboribus in excolenda vinea Domini, in extrema epistolae ad nos tuae particula luculentissimum adscripsisti pulcherrimumque te-

stimonium, tibi, quod facimus, studiosissime commendemus. Eos ubi res ita ferat, velimus quantum poteris adjuves. Cumque in tua Dioecesi multum fidelibus profuisse recognoveris, quidquid tu vicissim illi profueris, existimato non minimam esse partem episcopalis tui ministerii, cum satisfeceris. Tibique, dilecte fili Noster, intimo paterni cordis Nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die trigesima Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DXCIII.

Dat die 30. April. 1767. Anno IX.

Catholico regi commendat regem, regnumque Poloniae a dissidentium turbis divexatum.

Vide literas relatas hic num. DXCI. et adnotationem in ea appositam.

Carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum regi catholico.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili Noster, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Gravissimus ad nos allatus est nuncius, Polonam rempublicam postquam in novissimis comitiis illustre dedit flagrantissimi zeli tui erga Ecclesiam catholicam documentum, nunc maxime a dissidentibus premi et divexari, qui potentissimorum principum patrocinio abutentes, omni contentione conantur veram in illo regno fidem labefactare, et ipsum reipublicae statum convellere. In hac tanta rerum Polonicarum perturbatione urget Nos apostolici muneris ratio, ut illic labenti propemodum religioni quoquomodo subveniamus et ortodoxae gentis vicem miserantes a catholicis principibus opem illi imploremus. In quibus regia majestas tua cum adeo excelsum teneat locum, tibique maxime esse debet cordi, ut Christi regnum floreat ubique terrarum, religionem tuam requirimus, teque obtestamur in Domino, et obsecramus, ut quibus consiliis, officiis et studiis inclitae aeque ac innoxiae gentes calamitati succurrendum pro sapientia tua judicaveris, illi majestas tua suppetias veniat. Nihil autem ad muniendam tibi viam, quae ad aeternam salutem ducit, praestabilius, gratoque erga Deum, animo tuo convenientius, quam si, quae tibi oritur auctoritas ex tuis opibus et potentia, eam omnem ad sublevandos tuos in Christo fratres impendas pro gloria dimicantes ejusdem Christi Domini Jesu, a quo ipse accepisti regiam potestatem, et longissime latissimeque patens imperium, ut ejus in primis tueare atque etiam amplifices gloriam. Et regiae majestati tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxxi. Aprilis MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DXCIV.

De eodem argumento agit cum electo Romanorum Imperatore. Dat. die 30 April. 1767. Anno IX.

Vide literas superiores, et adnotationem in illis appositam.

Carissimo in Christo filio Nostro Josepho, in Romanorum Imperatorem electo

Clemens Papa XIII.

Carissime in Christo fili noster, salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. De periculis quibus circumdetur in Poloniae regno catholica Fides vehementer soliciti, cum nulla nobis sit militiae illius gentis adjuvandae copia, Caesaream Majestatem tuam, cujus est proprium catholicam tueri Ecclesiam nobis adeundam existimavimus, tuamque nunc intendimus excitare pietatem ad eam gentem sublevandam, ex hac qua nunc temporis premitur aerumna, sane gravissima. Non es nescius, carissime in Christo fili Noster, quae dissedentes moliantur adversus

catholicam Religionem, et quanta verae pietati et incorrupto Dei cultu sit extimescenda pernicies, si quae jamdiu conantur, quod Deus longe prohibeat, aliquando perfecerint. Neque enim contenti quod juxta patrias leges satis clementer et perhumaniter habeantur, eo nunc venerunt audaciae, ut universae Reipublicae ipsi novas leges catholicis perniciosas conentur imponere, idque maxime contendant a libera et ortodoxa Repub. eadem commoda extorquere, quibus principes a romana Fide alieni in sua quisque ditione catholicos frui vetant. Ipsa vero justitia clamitat, sua quemque exempla debere aequo animo pati. Sed illud spectare catholici principes potissimum debent, tuque, carissime in Christo fili Noster, in primis, ne si dissidentibus vires accesserint et potentia, ipsa res catholica labefactetur, et aliquando prope ad nihilum redigatur. Quamobrem qui summum in Christiana republica tenes locum, et catholicae Ecclesiae constitutus es custos et vindex, te oramus in Domino et obtestamur, ut omnia consilia studia et officia, omnemque conferas diligentiam ad gregem dominicum in eo regno ex haeresis prope faucibus, et ore liberandum. Profecto id a te ipsa tua dignitas postulat, ipsa etiam efflagitat animi tui magnitudo, cui nulla major tribui poterit laus, quam si inclitae Nationi in ea re benefeceris. Sed illud longe maximum, quod cum de aeterna proximorum salute solicitus, verae fidei te praestiteris custodem et assertorem, de aeternae itidem salutis tuae spem tibi feceris firmiorem. Et majestati tuae omni paterni cordis Nostri affectu Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno nono.

DXCV.

Dat. die 6. Maji 1767. Anno IX.

Gratulatur cum Episcopo Lingonensi, quod pastoralem literam evulgaverit contra libertinos, et catholicae Religionis contemptores.

Venerabili fratri Gilberto Episc. Lingonensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Pastoralem epistolam commendat, et doctrinas in ipsa explicatas.

§. 1. Pastoralem epistolam tuam ad populum Lingonensem, in qua strenue defensa, et collaudata est christiana Religio, libentissime accepimus. De qua epistola ad plurimas causas, quamobrem magnas a Nobis laudes retulisti, illud etiam accedit, quam te mirifice amemus, quod eam accomodate scripseris ad popularem intelligentiam. Quisquis illam e vulgo vel imperitissimus legerit, perfacile intelligit, nullum datum esse bonum humano generi Dei concessu et munere, christiana Religione optabilius, nullumque praestantius; nec hominis quemquam esse inimiciorem, quam qui tantum bonum illis conatur eripere. Teterrimam praeterea philosophiae, quam haud ita pridem flagitiosi homines extulerunt, horribilemque faciem commonstrans. His principiis positis, luce ipsa clarius ostendis, omnia omnium hominum tolli officia, omnia jura perfringi, sanctum maritalis conjugi nova et exitiali disciplina labefactari conjunctionem et fidem, non amplius in patrum potestate esse liberos, nullum esse patrum in liberos animum, nullam liberorum in parentes pietatem, nullam erga patriam charitatem, nullam fidelitatem in principem, omnibusque expulsis officiis, quae sunt in natura hominis insita; quaeque christiana Religio firmiora facit atque sanctiora, solaque sui cuique utilitate, tamquam agendi norma constituta, cives in latrones, qui sibi invicem parent insidias, humanamque societatem in nefarium latrocinium esse conversam. En quo tandem redit humanæ sapientiæ tumor, quem ut deprimeret Beatissimus Paulus scribebat ad Corinthios suos » *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim comprehendam sapientes in astutia eorum* » homo nimirum, B. ait Augustinus, cum per superbiam lapsus sit, idcirco Dominus humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus; Dei, stultitia liberamur: quem-

admodum autem illa sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum, sic ista, quae vocatur stultitia, sapientia est vincentibus diabolum.

Sua vota Pontifex exprimit pro diuturnatam ferventis Episcopi conservatione.

§. 2. Quamobrem illa plane praeclara, quibus epistolam tuam claudis de christiana humilitate, qua fideles in captivitatem redegunt suum intellectum in obsequium Christi, deque divina auctoritate catholicae Ecclesiae, unde quisquis recesserit, superbo privati sui judicii spiritu, abreptum ad quosvis errorum scopulos necesse est eum allidere. Ceterum gratulamur tibi, ven. frater, quod scripto illo tuo, quo sacram aemularis eloquentiam veterum Ecclesiae patrum, Christo Jesu ejusque Religioni tam bonam operam dederis. Denique Deum enixa obsecratione precamur tibi ut prosperrimam tribuat valetudinem, teque adjutissime sospitem et incolumem servet, in rem istius Ecclesiae, quae ex incorrupta doctrina tua, tuaeque vitae exemplo percipiat necesse est in sui sanctificationem uberrimos fructus. Et fraternitati tuae, quam in nostrae charitatis gerimus sinu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Maji MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DXCVI.

Dat. die 7. Maji 1767. Anno IX.

Acta consistorialia quoad canonizationem BB. Joannis Cantii, Josephi Calasantii, et Josephi a Cupertino, in quibus, nomine Sanctitatis suae Cardinales coadunati, sic alloquuntur.

De hac ipsa canonizatione videnda sunt acta consistorialia jam a nobis relata sub num. DXC. superiori pag. 1152.

Die Jovis VII. Maji MDCCLXVII. Romae in palatio apostolico quirinali, in aula regia fuit consistorium publicum super negotio canonizationis BB. Joannis Cantii, Josephi Calasantii, et Josephi a Cupertino, in quo orationes habuerunt domini advocati consistoriales de vita sanctitate et miraculis B. Joannis Cantii, Alexander Litta, B. Josephi Calasantii, Hieronymus Tozzius, B. Josephi a Cupertino, Philippus Duranus, quibus absolutis, Michael Angelus Archiepiscopus Chalcedonensis Sanctissimi Patris nomine respondit in eum qui sequitur modum.

Enumerantur praecipuum catholicorum, et ordinum religiosorum vota pro hisce sollicitandis canonizationibus.

§. 1. Quae de illustri totius vitae sanctitate, et miraculorum gloria beatorum Jo. Cantii, Josephi Calasantii, et Josephi a Cupertino satis diserte copioseque modo sunt explicata, pia praeterea et efficax de B. Jo. Cantio in sanctorum numerum referendo, Poloniae regis, ac praesulum omniumque orthodoxae illius reipublicae postulatis, tam de Beatis Josepho Calasantio, et Josepho a Cupertino, inter sanctos itidem numerandis, humiles religiosorum ordinum, quibus in hac mortali vita nomen dederunt, supplicationes. Universae denique in hac re catholicae Ecclesiae flagrantissima vota, maximam Sanctissimo Domino Nostro peperunt jucunditatem. Et summo quidem sacrarum rerum antistiti, qui dux in via Domini universo Christiano populo divinitus est constitutus, nihil gratius accidere potest, et optabilius, quam in catholica Ecclesia multiplicare sanctitatis exempla, quo fideles tamquam in christianae vitae specimina respicientes, flagrantiori studio ad ea imitanda incendantur. Propterea, quae sit exempli vis agnoscere Beatissimus Paulus, meminisse praecipuit sanctorum virorum quorum inquit intuentes (1) exitum conversationis imitamini et fidem. Delectatus est etiam idem Sanctissimus D. N. sollicitari se tam ardentibus catholicorum regum et populorum studiis ad decernendos tribus his beatis viris Sanctissimorum honores, quod eadem studia non aliunde animadvertit proficisci, quam ex pia fidelis populi devotione et desiderio, ut beatorum gloria amplificetur in terris, quorum in coelo jam sibi praesidium et patrocinium adsciverit.

In qua gravissima re deliberanda,

§. 2. Sed hujus rei tanta est magnitudo, et deliberationis gravitas, ut Beatissimus Pa-

(1) Hebr. XIII. 7.

Pontifex in futuris habendis consistoriis, Cardinalium, et Episcoporum requirit consilia.

ter existimet adhuc intentionem adhibendam esse curam et diligentiam, et, quod in semipublicis consistoriis propedíem faciet, amplius sibi esse consultandum cum his VV. fratribus suis S. R. E. Cardinalibus nec non cum archiepiscopis, et episcopis, quid ín tanta re fieri oporteat. Interea omnes et singulos hortatur, ut orationi vacent, eleemosynas faciant, jejunia celebrent, et per alia sua opera, quibus quisque potest, jejunium ipsum sanctificent, talibus enim hostiis (1) promeretur Deus, eumque exorent, ut de luce, quam inabitat (2) inaccessibili, radium in eorum mentes demittat, qui sunt ministri (3) et dispensatores mysteriorum Dei, et quod semper fecit et faciet Ecclesiae sanctae suae, quae est columna (4) et firmamentum veritatis nunc maxime praesto sit; quo impetrato omnipotentissimo auxilio id solum a Sanctitate Sua decernatur, quod ad Dei honorem, et gloriam, ad incrementum Fidei, et ad catholicae Ecclesiae exaltationem pertineat. Haec diversissimis orationibus dudum habitis jussit Sanctissimus Pater suo nomine me respondere.

DXCVII.

Dat. die 8. Maji 1767. Anno IX.

Utique clero Regni Navarrae indulgetur, ut officium, et missam sub ritu duplici minori S. Raimundi abatis Cisterciensis, et S. Veremundi abbatis Hirachensis celebrare possit, et valeat.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor decreti sacrae congregationis Rituum pro petita officii, et missae celebratione.

§. 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum ad favorem venerabilium fratrum Archiepiscopi Caesaraugustani, aliorumque episcoporum, nec non dilectorum filiorum trium statuum regni Navarrae, ecclesiastici nempe militaris, et universitatum decretum tenoris sequentis videlicet » Supplicationibus humillime reverendissimis Archiepiscopo Caesaraugustano, aliisque Episcopis, nec non DD. Paulo Fernandez Valcarcel abbate Hirachensi, Marchione Sancti Hadriani, domino de Monteacuto, ac Josepho Xaverio de Gainza et Monzon nomine trium statuum regni Navarrae sacrae rituum congregationi quatenus benigne dignaretur concedere, utrique clero praefati regni sub ritu duplicis minoris extensionem officiorum cum missis Sancti Raymundi abbatis Cisterciensis regii monasterii Fiteriensis ac Sancti Veremundi abbatis regii monasterii Sanctae Mariae Hirachensis jam approbatorum, et concessorum monachis Benedictinis Vallisoletanis, ac Tarraconensibus regni Navarrae, monachisque Cisterciensibus, et fratribus reformatis ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, congregationis hispanicae; sac. eadem congregatio ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi domini Cardinalis Ganganelli ponentis, petitam praedictorum officiorum cum missis, jam ad ritum breviarii Romani redactorum, extensionem oratoribus benigne concessit. Die XXIII. Augusti MDCCLXVI. »

Joseph M. Card. Ferraris Praefect.
V. Macedonius S. R. E. Secretar.

Loco ✝ Signi.

Petitio Pontifici porrecta pro supradicti decreti confirmatione, et successiva praelaudati Pontificis confirmatio.

§. 2. Cum autem sicut pro parte Archiepiscopi, Episcoporum, et statuum regni Navarrae praedictorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et ab-

(1) Hebr. XIII. 16.
(2) I. Timoth. VI. 16.
(3) I. Timoth. IV. 1.
(4) II. Timoth. III. 15.

solutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 3. Decernentes ipsius praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die octava Maji millesimo, septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DXCVIII.

Dat. die 23. Maji 1767. Anno IX.

Literae processus in die Coenae Domini.

Quoad praesentium literarum publicationem superioribus annis factam vide Constit. eamdem diei 28. Aprilis 1766. relatam hoc sub numer. DXXXIII: pag. 1068. et adnotationem in ea appositam.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Pastoralis romani Pontificis vigilantia, et sollicitudo *(omittitur tenor harum literarum jam relatus in locis citatis in superiori adnotatione, quum omnino similis sit praesentibus).*

DXCIX.

Dat. die 1. Junii 1767. Anno IX.

Alloquutio habita in Consistorio semipublico diei 1. Junii 1767. qua proponitur Eminentissimis Cardinalibus, et Reverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis Canonizatio BB. Jo. Cantii et Josephi Calasantii.

Consule hac super re acta consistorialia hoc eodem relata sub Num. DCXC. et DXCVI.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres.

Expositis in compendium utrorumque beatorum virtutibus, singulorum ad Consistorium vocatorum votum exquirit.

§. 1. Deliberantibus Nobis de tribuendo cultu beatis Joanni Cantio et Josepho Calasantio versatur ante oculos summa rei gravitas et magnitudo, ad quam denique expediendam, diligens quamtumvis et accurata, nulla umquam censere debet supervacua consideratio. Itaque ad circumspectissimum judicium ne quidquam a Nobis defuisse videatur, ab hoc sacro consessu, qui veterum conciliorum Nobis exhibet speciem, praedecessorum nostrorum more consilium petimus. Et de beato quidem Jo. Cantio audistis jam in publico consistorio, quae illius fuit totius vitae innocentia et morum integritas, quam demissa sui aestimatio, qui catholicae fidei zelus, quam heroicae quae inter virtutes primum obtinent locum, quam denique mirabilibus signis illius sanctitatem Deus comprobaverit. Quae omnia etiam ex compendio ejus vitae, quod exprobatissimis actis accurate compositum singulis vestrum tradi jussimus intelligere potuistis. Hujus simile compendium et ea etiam quae in eodem publico consistorio de beato Josepho Calasantio narrabantur abunde vobis præbuere notitiam de summo ejus erga Deum amore, et in proximum charitate, quam regulari etiam instituto coetu Ecclesiae satis utili atque frugifero declaravit; de invicta patientia in calamitatibus, et innumeris an-

goribus sustinendis, quos non nisi spe nixus futurorum praemiorum tollerare potuisset; de insignibus denique virtutibus, quas illi divina indidit gratia; et de miraculorum gloria, qua in Ecclesia sua Deus esse voluit illustrem. Quamobrem unumquemque vestrum de sanctorum cultu et honoribus utrique beato decernendis suas cujusque rogamus sententiam.

Favorabilibus suffragiis pro utraque canonizatione habitis, iterum ad orationem impellit ut divinum lumen accedat.

§. 2. Gratissima nobis accidit summa omnium vestrorum consensio, qua eo impellitur quo jam inclinabatur animus Noster de utroque B. Joanne Cantio, et Josepho Calasantio in sanctorum numerum referendis. Sed ferventior adhuc omnium nostrorum intendenda est ad Deum oratio, qui nos divina sua luce collustret, cum de hac re gravissima et maxima sententiam nostram proferemus.

DC.

Dat. die 1. Junii 1767. Anno IX.

Conceditur facultas congregationi Oratorii S. Philippi Neri civitatis Guadalaxarae promovendi alumnos ad sacros ordines, etiam presbyteratus, ad titulum missionis, et mensae comunis.

Venerabili fratri Episcopo Guadalaxaren.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Describuntur incommoda derivantia ob tenue numerum operariorum, et necessitas novos alumnos quotannis promovendi.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Laureanus de Oliban presbyter saecularis, et superior congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii istius Guadalaxaren. civitatis, quod juxta ejusdem congregationis institutum, ac consuetudines illius presbyteri gravantur pluribus oneribus saluti animarum maxime accomodatis, concionandi scilicet, audiendi confessiones, administrandi sacramenta, ac infirmis auxilium, et assistentiam praestandi, quae quidem onera longe graviora sunt in istis partibus Indiarum, in quibus ob deficientiam operariorum frequentior est praedicatio, ac major populi concursus ad recipienda sacramenta, ac praeterea ejusdem congregationis presbyteri non solum coguntur spiritualem opem praestare infirmis in dicta civitate degentibus, sed illis quoque qui moram habent ab illa dissita, ac noviter conversos ad fidem erudire teneantur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, congregationi hujusmodi septem tantummodo presbyteri adscripti sint, quorum tres per aetatem, atque adversam valetudinem a praedictis operibus vacare coguntur, reliqui quatuor ex presbyteris hujusmodi tantis, ac tam multiplicibus oneribus pares non sunt, ac minime sufficiunt, et proinde dictus Franciscus Laureanus ad augendam Dei gloriam, et ipsius instituti incrementum, animarumque salutem promovendam, facultatem admittendi singulis annis in memoratam congregationem redditum copia praestantem sex, aut octo alumnos, qui ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum missionis, et mensae communis promoveri possint si per Nos concedi plurimum desiderat.

Pontifex imploratam facultatem concedit sub aliquibus reservationibus.

§. 2. Nos ipsius Francisci Laureani votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, tot alumnos supradictae congregationis idoneos tamen, et probatos, quot putaveris necessarios pro sacramentorum administratione, et pro exercitio instituti, ac intra vires reddituum ejusdem congregationis, titulo missionis, et mensae communis congregationis praefatae, servatis, caeteroquin servandis, ad sacros etiam presbyteratus ordines pro tuo arbitrio, et conscientia auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium promovere possis, et valeas; Ita tamen, ut si iidem alum-

ni discesserint, vel dimissi fuerint a dicta congregatione, suspensi remaneant, quatenus sufficienti beneficio, vel congruo patrimonio juxta taxam dioecesanam provisi non fuerint.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac dictae congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus; et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die prima Junii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DCI.

Dat. die 10. Junii 1767. Anno IX.

Fratribus Ordinis S. Francisci de observantia, qui Theologiam dogmaticam per decennium in studio publico Civitatis Pergulensis legerint indulget, ut iis privilegiis perfruantur, ac si publicis studiis sui ordinis legissent.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Communitas, et homines civitatis Pergulae Pontifici supplices preces porrigunt, ut professoribus S. Theologiae in eorum studio legentibus, aliquod privilegium indulgere dignaretur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas, et homines oppidi civitatis nuncupatae Pergulensis Eugubin. Dioecesis, quod ipsi, ut majorem progressum in literarum studiis promoverunt, alias anno scilicet MDCCLXI diversas humanarum literarum, et scientiarum cathedras erigi in publico studio curarunt, inter caeteras cathedram Theologiae dogmaticae, quam uni ex professoribus Theologiae ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum committendam designarunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut electus pro tempore ad munus praedictum alacrius, ac diligentius in sacra Theologia exponenda operam suam impendat, communitas, et homines praedicti eum alicujus praerogativae praemio decorari plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex, sub nonnullis reservationibus, lectores Theologiae in studio publico civitatis Pergulae decernit habendos esse ac si in studiis generalibus ordinis facultatem ipsam legissent.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito dilecto filio moderno dicti ordinis commissario generali, ut in posterum quotiescumque contigerit ad memoratam cathedram Theologiae dogmaticae eligi, atque assumi aliquem ex Theologiae professoribus ejusdem ordinis minorum, qui tamen philosophiam per triennium in scholis ordinis praefati explicaverit, et postea in concursu generali per legitimam inclusivam ad cathedras generales theologicas approbatus fuerit, lecturam hujusmodi per decem consequentes annos in eodem studio habendam computari debere ad gradum jubilationis perinde ac si in studiis generalibus ordinis Theologiam per integrum dictum decennium docuisset, et lectorem hujusmodi inter lectores generales ordinis praefati referendum esse, eumque omnibus privilegiis, praerogativis, gratiis, et indultis, quibus ejusdem ordinis lectores generales juxta praescriptum constitutionum, statutorum, sive consuetudinum dicti ordinis, seu alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere poterunt in futurum, pari modo uti, frui, et gaudere debere in omnibus, et per omnia

perinde ac si lecturam hujusmodi in studiis publicis dicti ordinis exercuisse reperiretur, auctoritate nostra Apostolica tenores praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima Junii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno nono.

DCII.

Dat. die 13. Junii 1767. Anno IX

Confraternitati S. Syri, et Liberae in civitate Veronae cui Pontifex inscriptis reperiebatur, nonnullas indulgentias plenarias perpetuas concedit.

Clemens Papa XIII.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis fecistis, jamdudum concessisse Nos ad septennium plenariam indulgentiam universis utriusque sexus christifidelibus, in utroque die festo S. Syri, et S. Liberae, quam nunc demissis precibus postulatis, ut perpetuis futuris temporibus valituram declaremus. Nos igitur, qui cum in minoribus essemus, vestrae confraternitati fuimus adscripti, ac propterea illam praecipuae prosequimur benevolentia, devotae petitioni vestrae benigne annuentes, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui in die festo S. Syri ut etiam in die festo, S. Liberae, pariterque in secunda dominica Julii, in qua celebrantes in ecclesia vestra sub invocatione eorumdem Sanctorum erecta, festum S. Cajetani Thienaei clericorum regularium fundatoris, et ejusdem vestrae confraternitatis seu collegii olim confratris vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti memoratam ecclesiam confraternitatis vestrae S. Syri et S. Liberae devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias Deo preces obtulerint, plenariam indulgentiam in perpetuum Apostolica auctoritate nostra concedimus per has literas perpetuis futuris temporibus valituris vobisque omnibus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decimatertia Junii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno nono.

DCIII.

Episcopo Burgensi facultates impertitur permittendi in locis Monasteriorum de Vindex, et Zagarramundi nullius dioecesis provinciae Burgensis, artium exercitationes, et opera servilia, audita tamen missa in festis diebus, solemnioribus aliquibus tamen exceptis.

Dat. die 27 Junii 1767. Anno IX.

Quoad plures alias dioeceses festorum dierum reductionem indulxit Pontifex hic, peculiaribus in id datis Apostolicis literis, quorum postremae sunt pro dioecesi Placentina relatae continuatione in hac sub n. CCCLXIX. pag. 803. ubi caeterae Apostolicae quae praecessere constitutiones indicantur.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontifices nullo umquam tempore neglexerunt, quae nec praeceptis Evangelicis, nec SS. Patrum decretis adversantur.

§. 1. Cum sicut quaedam, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oportet temperare, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum. Ea propter Apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quae celeroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

Preces porrectae pro reductione festorum dierum ex populi calamitate insinuata.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte dilectorum filiorum Abbatis, et monachorum monasteriorum de Vindex, et Zagarramur., ut asseritur, nullius dioecesis istius provinciae Burgen. Nobis nuper expositum fuit, in locis monasterii hujusmodi, ut asseritur subjectis adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt per saepe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adjicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, solenmioresque designat festos dies religiose servandos, firmo in festivitatibus suppressis onere audiendi missas.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super praemissis tua relatione, fraternitate tuae, attento, quod dicta loca in ista provincia Burgen. existunt, per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in praedictis locis existentibus, et deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, nec non Corporis Christi, Ascensionis Domini, Nativitatis sancti Joannis Baptistae, ss. Apostolorum Petri, et Pauli, sancti Joseph, sancti Joachimi, sanctae Annae, sanctorum patronorum regni, ac sancti patroni cujuslibet loci, sancti Laurentii martyris, sancti Jacobi apostoli, et commemorationis omnium sanctorum, praeterea quatuor dicatis beatae Mariae virgini, nempe Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis, ac propterea etiam Conceptionis, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra Apostolica, per te com-

mutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo conscientiae scrupolo vacare possint, auctoritate Nostra praedicta concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, praecipuas, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non dictorum monasteriorum, et locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscat. die vigesima septima Junii MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno IX.

DCIV.

Dat. die 18. Julii 1766. Anno IX.

Gonfalonerio, et Prioribus Terrae sanctae Anatholiae Camerinensis diocesis conceditur indultum utendi in publicis functionibus toga, vulgo *Rubone*.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudat terram S. Anatoliae insignem vetustate, et fidelitate erga S. Sedem.

§. 1. Paterna, quam de Nostris, et Apostolicae Sedis in temporalibus subditis gerimus cura, et sollicitudo Nos urget, ut eorum votis quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, illosque specialibus favoris, et gratiis libenter prosequamur. Cum itaque inter caeteras status Nostri Camerinensis, et ditionis Nostrae ecclesiasticae terras, illa de sancta Anatholia ob vetustatem insignis, ac constanti in Romanos Pontifices, et Sedem praedictam observantia floreat, ac senatum, seu magistratum, nempe gonfalonerium, et priores habeat, in quibus, in rebus publicis administrandis prudentia, integritasque enituit.

Precibus Magistratus annuens Pontifex illi usum indulget togae, vulgo RUBONE in festitivitatibus, et actibus publicis.

§. 2. Nos, qui terram praedictam, illiusque senatum, seu magistratum, communitatemque, ac gonfalonerium, et priores hujusmodi, praemissorum meritorum intuitu, propensiori quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos etiam filios senatum, seu magistratum, ac gonfalonerium, et priores hujusmodi aliquo Apostolicae beneficentiae Nostrae munere donare, ac amplióri honoris praerogativa decorare cupientes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus magistratus, nempe gonfalonerius, et priores praedictae terrae de sancta Anatholia praesentes, et futuri togam, quam rubonem appellant, in eorum functionibus, et actibus publicis gestare, ac deferre, illaque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, eosque, et eorum quemlibet desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae terrae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, eorumque reformationibus, et forsan novis addictionibus, ac stylis, usibus, legibusque etiam imperialibus, privilegiis

quoque indultis, et literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die decima octava Julii millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri anno nono.

DCV.

Dat.ª die 26. Octob. 1766. Anno IX.

Praesul vicegerens Urbis judex privativus in causis passivis neophitorum deputatur, et eorumdem neophitorum privilegia confirmantur.

Andreas SS. Viti, et Modesti S. R. E. Diaconus Card. Nigronus SS. D. N. Papa pro-auditor judex commissarius specialiter delegatus.

Exponit expeditionem chirographi Pontificii.

§. 1. « Cum Sanctissimus Dominus noster Clemens divina providentia Papa XIII. supplicationibus universitatis, et nationis cathecumenorum, et neophitorum almae Urbis benigne inclinatus, chirographum propria manu Sanctitatis Suae die 26. labentis Octobris mensis subsignatum, nobis pro exequutione in eo contentorum direxit tenoris sequentis videlicet ».

Refertur tenor chirographi, et primo agitur de veteribus neophitorum privilegiis.

Reverendissimo Cardinal Negroni nostro pro-uditore. Ci ha fatto rappresentare l'università, e nazione de' catecumeni, e neofiti di questa nostra città di Roma, che, siccome eglino furono in ogni tempo creduti degni di una special protezione della nostra sede apostolica, e di parecchie esenzioni, privilegj, e riguardi, così la fel. mem. di Paolo III. Nostro predecessore stimò conveniente, e forse necessario ancora, che avessero un cardinale Protettore, e insieme giudice privativo delle loro cause criminali, civili, e miste, come si legge nella di lui costituzione, illius qui, de' 19 Febbraro 1542., confermata poscia, e ampliata da Paolo IV., da Pio IV., e da altri Nostri predecessori, i quali tutti per uno stesso giusto riflesso di promuovere i matrimonj delle neofite con i cristiani originarj comunicarono i privilegj de' catecumeni, e dei neofiti alli mariti delle neofite, e delle figlie di primo grado delli neofiti, ma che per altro non si conobbero bastantemente utili gli effetti della privativa del giudice dei neofiti, se non in vista degli altri effetti troppo diversi, che vennero su gl' interessi della pia casa de' catecumeni, e sopra tutti i neofiti, quando l'antica giurisdizione del loro, unitamente con quella di tutti gli altri reverendissimi Cardinali protettori de' luoghi pii di questa nostra città di Roma, restò soppressa, e abolita per i decreti della congregazione della riforma de' tribunali del 1692. approvati da Innocenzo XII. similmente nostro predecessore, abbenchè dopo alcun tempo il suo uditore monsignor Ansaldi spiegasse con un decreto dei 5 Giugno dell' anno 1697. che gli altri privilegj de' neofiti non erano stati compresi in quella riforma, mentre gl' istessi neofiti per lo più artisti, e ben poveri soffrirono allora maggiori ingiurie dalla nazione degli ebrei, ed esposti alle più lunghe contradizioni, e vessazioni delli più ricchi, e potenti collitiganti, non riusciva sempre a ciascuno di assumere, e sostenere presso di tanti, e diversi giudici un'efficace difesa di quei privilegj avvegnachè preservati, che così andavano di giorno in giorno a rimettere dal loro vigore.

Clemens XI. singulas controversias Neophitos respicientes tam presentes, quam futuras jurisdictioni Vicesgerentis ablegavit.

§. 2. Laonde Clemente XI. altro Nostro predecessore compassionando lo stato di questi novi germogli, per far conoscere la sua paterna pietà verso di detti luoghi pii fondati per la conversione degl'infedeli, e verso li catecumeni, e neofiti, senz'alterare la massima di non permettere l'esercizio della contenziosa giurisdizione al Cardinal protettore de' medesimi luoghi pii, con suo chirografo

de' 21. Gennaro 1705. diretto a monsignor vicegerente d' allora; avocando a se tutte, e singole liti, e cause sì civili, che criminali, e miste, attive, e passive di detta casa di catecumeni stessi, e neofiti, figli di primo grado de' medesimi catecumeni, e neofiti, e mariti di neofite, o figlie di primo grado de' neofiti, mosse, o rispettivamente da muoversi in avvenire da qualsivoglia persona, e contro qualsivoglia persona per qualunque causa in qualsivoglia tribunale avanti qualsisieno giudici ordinarj, delegati, ecclesiastici, e secolari, congregazioni, anche de' reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsisieno giudici, benchè privilegiati, e privilegiatissimi, e le medesime liti, e cause, tanto attive, quanto passive, anco già instrutte nello stato, e termine, e nel quale allora si trovavano, e anco tutte le altre cause, che in avvenire, ed in qualsivoglia tempo si fossero introdotte, attive, e passive civili, criminali, e miste, prò, e contro detta casa di catecumeni, e luoghi pii annessi; catecumeni, e neofiti, e loro figli di primo grado, o mariti di neofite, oppur delle loro figliuole di primo grado in prima istanza, delegò poscia a monsignor vicegerente d' allora, e ad altri vicegerenti pro tempore per gli atti del notaro del nostro Reverendissimo card. Vicario, o di altri notari da deputarsi sempre da deputati di detta casa de' catecumeni, privativamente ed ogni altro giudice, e tribunale, anche collegiale, e magistrato, e notaro, con piena, ampia, libera, ed assoluta facoltà, et autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dipendenti, emergenti, annessi, connessi, ed anco colla clausola, quam et quas, conoscere, decidere, finire, e terminare, ancorchè si trattasse o procedesse per vigore di obblighi camerali, e giurati, e che le persone, che avessero interesse si attivamente, come passivamente in dette liti, e cause, fossero basiliche, chiese, cappelle, e religioni, monasteri, conventi, spedali, confraternite, e luoghi pii anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, privilegiatissimi, ed ancorchè fossero pupilli, vedove, e minori, anche per causa di mercedi, alimenti, e doti, e qualsisieno altre persone, che avessero privilegj tali, che per comprenderli avessero bisogno di special menzione, e di poter nelle dette cause procedere in ogni giorno, e ora, non però feriata in onor di Dio, senza servazione di termini sostanziali, confezioni di estratti, e registri, ed ancora senza produzione d' istromenti, e scritture publiche, ma colle sole copie semplici, e indicazione di quelle.

§. 3. Ci hanno ancora fatto rappresentare, che tra gli altri privilegj, ed esenzioni godute da essi neofiti, vi è pur quella da tutte le leggi, e statuti delle università delle arti, o professioni, nelle quali essi travagliano, o si esercitano, e dal pagamento di qualunque tassa, patente, e contribuzioni, che altri pagano alle medesime università, loro chiese, e consolati, dal custodia delle porte, e da altre funzioni civiche, e militari di Roma, in vigore ancora dei decreti della congregazione particolare dei 3. Maggio 1693. approvati dal suddetto nostro predecessore Innocenzo XII., e se presentemente non è permesso ai neofiti d' aprire nuove botteghe di barbiere, oltre il numero stabilito dallo statuto di quell'arte approvato per un chirografo di Clemente XII. nostro predecessore, accade questo soltanto in vigore di un simile chirografo segnato li 28. Giugno 1743. dall'altro nostro immediato predecessore Benedetto XIV., che per motivi, e ragioni, che non han luogo nelle altre arti, gli obbligò all'osservanza di tale statuto in quest' unica, e sola parte, preservando nel tempo stesso i detti neofiti, e quelli, che godono i privilegj de' neofiti dal pagamento delle tasse, e di ogni altra contribuzione, che per lo passato a motivo de' loro privilegj, o legittima consuetudine non hanno pagato all' università de' barbieri per l'apertura delle botteghe; con averci di più soggiunto, che nella non breve serie de' giudicati, che ammettono, e canonizzano i privilegj dei neofiti, moltissimi ve ne sono, i quali rigettano le instanze in varj tempi promosse da varie università, e consolati per obbligarli al pagamento di queste tasse, e voi medesimo dopo un maturo esame nell' udienza de' 14. aprile 1761. providamente decideste contro l' università de' casciari *Neophitos esse exemptos a*

Neophiti artes exercentes ab statutis universitatum, et a solutione patentium eximebantur.

dispositiones statutorum omnium universitatum Urbis, et signanter a solutione taxae per dictas universitates indictae » E che in parecchi decreti, e giudicati si vedono bensì obbligati i neofiti a sottomettersi all'esame per dar buon conto della sufficienza loro in quell'arte, che intendono di esercitare, ma però sempre senza obbligo di qualsivoglia anche piccolo pagamento di patente, o di altra qualunque tassa, lo che pur volle il prefato nostro immediato predecessore nell' accennato chirografo rispetto ai barbieri.

Pariterque eximebantur a vectigalibus viarum quoad artium exercitationes.

§. 4. In oltre ci han fatto rappresentare, esser stata provida, e pia intenzione de' Nostri predecessori di abilitare i neofiti a procacciarsi il vitto colla fatica, et industria loro senza il più piccolo aggravio, e che perciò essi neofiti furono esenti dalle tasse del tribunale delle strade per le botteghe, licenze, banchi, banchetti, e stuore, e che quantunque sia vero, che il Nostro predecessore Innocenzo XII. nella costituzione dell'anno 1692 emanata 4. Kalen. decembris, assoggettasse anche i neofiti ai chirografi, ordini, e tasse delle strade, e la già detta congregazione particolare deputata per il decreto dei 3. maggio 1693 super assertis privilegiis Neophitorum dichiarasse « quascumque immunitates, et privilegia eis in praeteritum per summos Pontifices, et alios quoscumque quomodolibet concessa suffragari non posse, neque debere quo ad solutionem taxarum tribunali viarum » Ciò ad ogni modo s'intese solo delle tasse imposte sopra le case, vigne, e tenute, cioè di quelle, che per le strade si aggravano su i possessori de'beni stabili, o che s'impongono ai vetturini, e carrettieri, non già per le altre troppo diverse, che gravano i soli artisti, mercanti, e rivenditori di comestibili, e robe, le quali tutte ricadono sopra il travaglio, e sopra l'industria degl'istessi artisti, mercanti, e rivenditori, e però a scanso di ogni questione una congregazione particolare deputata dal memorato Nostro predecessore Clemente XI. ai 28. Gennajo, e agli 8 febbrajo 1704 « Inter alia, quae approbante sanctissimo statuit, decrevit etiam posse neophitis, filiis primi gradus eorumdem, maritis neophitarum, aut filiarum primi gradus eorumdem concedi amplam, et plenam a taxis viarum exemptionem, quae in Urbe solvi solent ab artificibus quotannis pro officinis, vel tabernis, in quibus vel res venales exponuntur, vel ars aliqua, quomodocumque nuncupetur, exerceatur, ita ut in posterum personae, ut supra nominatae, libere, et licite artes, et mercaturas in dictis tabernis, et officinis exercere valeant, et sine ulla solutione taxarum viarum, non obstante constitutione sac. mem. Innocentii XII. 4. Kalend. decembris anno Incarnationis 1692, quae est constitutio XIV. inter impressas § Praeterea inhaerentes, addita tamen declaratione, quod dicta haec exemptio comprehendat tantum dictas personas artem, et mercaturam exercentes, non autem rhedarios, similesque personas, qui rhedis bigis, seu quadrigis sibi victum quaerunt, nec minus extendi possit ad taxas viarum, quae solvuntur pro vineis, domibus, aliisque stabilibus, quae dictae personae possiderent » In coerenza di che negl' istromenti degli appalti, che sogliono farsi dal tribunale delle strade, e fino in quello stipolato dell' anno 1760 fu pattuito il bonifico all' appaltatore « Per li neofiti esenti dal pagamento delle licenze, banchi, banchetti, foconi, e stuore a tenore dei decreti della congregazione particolare deputata dalla san. mem. di Clemente XI. li 28. gennajo, e 8 febbrajo 1704.

Item aliis quampluribus donabantur privilegiis quoad passivorum nominum solutiones.

§. 5. E similmente ci esposero, che oltre i suddetti, e altri molti privilegj, e riguardi, furono anche osservati ai neofiti poveri quello delle dilazioni a pagare i debiti loro a un tanto al mese, o alla settimana, secondo le circostanze de' debitori, e de'casi: quello di non soffrire l' esecuzioni reali super pallio, et pileo; e quello pure di non portare il cappello verde, quando l' estrema miseria loro gli astrinse a ricorrere all'infelice beneficio della cessione de' beni, e di non essere convenuti come sospetti di fuga, ma che il lungo lasso di trentotto anni fece tal volta obbliare i motivi, che diedero eccitamento alla destinazione del suddetto giudice privativo, onde la nuova congregazione prescelta per la riforma de' tribunali del ricordato Nostro immediato predecessore Benedetto XIV. dell' anno

1742, e la di lui nota bolla de' 27 Febrajo 1742 nel generale suggerimento di richiamare alla pratica quanto era stato stabilito nel pontificato d' Innocenzo XII. abolendo indistintamente qualunque giudice particolare posteriormente deputato, compreso anche il giudice de' neofiti, benchè per altro lo stesso Nostro predecessore con suo rescritto de' 26 settembre dello stesso anno 1742 dichiarò espressamente *Privilegia, quibus gaudebant, et gaudent neophiti, non esse comprehensa in abrogatione eorum judicis privativi facta in nuperrima constitutione super reformatione tribunalium, sed illa esse servanda à quocumque judice prout antea servari legitime solebant*: tal che tutti gli altri privilegj, alla riserva di quello d' avere il giudice privativo, vennero quindi posteriormente osservati, e mantenuti ai neofiti dagli altri giudici della nostra curia di Roma, e taluni ancora da voi medesimo come Nostro pro-Uditore, allorchè questi sono stati difesi da qualche neofito men povero, e solamente si cominciarono a porre in dubbio rispetto a que' miserabili, e meno istrutti, che s' incontrarono in più potenti avversari, nè ebbero modo di sostenerli con sufficiente difesa, cosa, che al certo non accadeva a' neofiti, allora quando le loro liti, che, in quanto, massime all' inspezione de' privilegj della nazione, vertono sempre sù le medesime questioni, si conoscevano da un solo giudice, il quale appieno informato de' privilegj medesimi suppliva colle sue proprie cognizioni alla mancanza della difesa, e forse ancora non dava luogo alle dispute da lui più volte decise, dal che n' è poscia venuto, e ne viene, che molti tornano a dubitare della sussistenza di tali privilegj, e i neofiti, e tutti gli altri, ai quali sono comuni le loro esenzioni, e prerogative, si adattano di malavoglia al pagamento delle tasse, e contribuzioni dovute alla loro università.

Preces Pontifici porrectae pro generica, et specifica privilegiorum confirmatione.

§. 6. Onde la chiesa, e casa de' catecumeni, e luoghi pii ad esse uniti, e tutto il ceto de' medesimi neofiti hanno implorato la Nostra paterna clemenza, umilmente supplicandoci, acciò mossi dal nostro zelo per la religione ci degniamo in primo luogo di confermare generalmente tutti i privilegj, ed esenzioni concesse loro dalla pietà di tanti Nostri predecessori, o avvalorate dall' osservanza massime giudiziale: in secondo luogo di restituire alla loro nazione l' istesso giudice privativo con le facoltà ad esso date per il chirografo del Nostro predecessore Clemente XI. dei 21. gennajo 1705. in terzo luogo di dichiarare, che tutti i neofiti, figli di primo grado de' medesimi neofiti, e mariti di neofite, o di figlie di primo grado di neofiti siano soggetti, e obbligati all' osservanza degli editti, e statuti, che parlano de' neofiti, e in conseguenza tenuti alla frequenza dell' oratorio della nazione, e a corrispondere al medesimo oratorio, e rispettiva università le tasse e contribuzioni solite, e che in avvenire possono occorrere, abilitandoli tutti indistintamente al godimento, e partecipazione dei privilegj, ed esenzioni competenti ai veri neofiti.

Pontifex precibus annuit, et singula confirmata privilegia designat.

§. 7. E Noi sull' esempio de' Nostri predecessori per far conoscere la paterna pietà, che abbiamo verso i detti luoghi pii fondati per la conversione degl' infedeli, la quale è il primo instituto dell' apostolato, e verso i catecumeni, e neofiti, che sono venuti e in futuro verranno alla nostra santa fede, quali sono degni della nostra special protezione, ed assistenza, e desiderando promuovere tutt' i mezzi, acciò quanto a quelli, che già abbandonarono l' errore, de suscepto sanctae fidei proposito gaudium sit plenum, et exultatio, e quanto agli altri, che foris sunt, et adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad sanctae matris Ecclesiae gremium properandi desiderium excitentur, come disse il Nostro predecessore Clemente XI. nella sua costituzione, *Propagandae*, siamo venuti in proposito di consolare gli esponenti, prendendo sopra le loro rappresentanze i provvedimenti come in appresso. Avendo pertanto nel presente Nostro chirografo per espresso, e di parola registrato il tenore di tutte, e singole bolle, chirografi, decreti, e riforme tanto contrarj, ed opposti, quanto conformi, e coerenti a questa nostra suprema determinazione, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria da esprimersi: di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà stabiliamo, dichiariamo, e decretiamo.

Praevia evocatione causarum neophitorum, eas jurisdictioni perpetuae Vicesgerentis submittit.

§. 8. Primo, che per l'avvenire, ed in perpetuo il giudice delli neofiti, e della loro casa di ricevimento, chiesa, e università, e luoghi pii annessi, nelle cause civili passive mosse, e da muoversi sia monsignor Vicegerente pro tempore di questa Nostra città di Roma, onde vogliamo, che avochiate a voi, siccome noi avochiamo tutte, e singole liti, e cause civili passive di detta casa de' catecumeni, e luoghi pii annessi, neofiti, e catecumeni, ed altri, ai quali, come appresso, dovranno esser comuni i privilegj dei neofiti, mosse, e respettivamente da muoversi in avvenire da qualsivoglia persona per qualunque causa in qualsivoglia tribunale, e avanti qualsivoglia giudice ordinario, delegato, ecclesiastico, e secolare, congregazioni, anche de' reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsisieno giudici, benchè privilegiati, e privilegiatissimi, e le medesime liti, e cause passive, anco già istrutte, nello stato e termine, nel quale si trovano al presente; ed anche tutte le altre cause, che in avvenire, e in qualsivoglia tempo s' introdurranno contro detta casa de' catecumeni, e luoghi pii annessi, catecumeni, e neofiti, ed altri, ai quali devono essere comuni i privilegj dei neofiti, e catecumeni in prima instanza le commettiate, e respettivamente le rimettiate, conforme Noi le commettiamo, e rimettiamo al nostro vicegerente di Roma, ed altri vicegerenti, che saranno pro tempore per gli atti d' uno de' notari del nostro reverendissimo Cardinal Vicario di Roma, da scegliersi sempre dai guardiani dell' università dei neofiti, privativamente ad ogni altro giudice, e tribunale, anche collegiale, e magistrato, e notaro, con piena, ampla, libera, e assoluta facoltà, ed autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dependenti, emergenti, annessi, e connessi, ed anco con la clausola quam et quas, conoscere, decidere, e terminare, ancorchè si trattasse, e procedesse in vigore di obblighi camerali, e giurati, e gli attori fossero basiliche, chiese, cappelle, e religioni, commende, e monasterj, conventi, spedali, confraternite, e luoghi pii, anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, privilegiatissimi, e ancorchè fossero pupilli, vedove, minori, anche per causa di mercedi, alimenti, e doti, e qualsisieno altre persone, che avessero privilegj tali, che per comprenderli avessero bisogno di special menzione, rimossa ogni qualunque appellazione, e ricorso, fuori che a voi, o altro uditore Nostro, e de' Nostri successori pro tempore, tanto nella seconda, che in altre istanze, anco per capo di restituzione in integrum e non ad altro tribunale, benchè supremo, dando perciò al detto monsignor vicegerente, e suoi successori piena, ed ampla facoltà, ed autorità di riassumere le cause, e liti suddette da qualunque giudice, o tribunale come sopra, e a quelli inibire sotto le pene, e censure a vostro arbitrio, che non ardischino porvi le mani, nè ingerirvisi in modo alcuno.

Regulae traduntur pro admissione Neophitorum ad artium exercitationem.

§. 9. Secondo, vogliamo che i neofiti non possino essere ammessi all' esercizio di qualunque arte e professione, se non saranno prima stati esaminati, ed approvati capaci, ed abili, come prescrivono i statuti delle rispettive università, ma nel caso, che per parte dei medesimi neofiti, o di altri, che godono, e goderanno dei privilegj dei neofiti, venisse allegato qualche aggravio ricevuto prima, o dopo l' esame, o nell' esame medesimo, possino ricorrere a voi ed ai vostri successori per qualunque provvedimento, e voi allora dovrete, siccome i vostri successori dovranno, deputare altro perito indifferente, che riconosca la capacità di quel tale ricorrente; ammettendolo a nuovo esperimento, e dalla relazione, e giudizio di questo perito non sia lecito ad alcuna delle parti di reclamare.

Eximuntur a taxis pro artium exercitione.

§. 10. Terzo, che i neofiti siano esenti da qualsisieno tasse; contribuzioni, ed altri pagamenti prescritti dai statuti delle arti, e professioni, conforme dai pesi, e uffícj, che ordinano essi statuti, e che le patenti, che sogliono spedirsi prima dell' esercizio delle arti, si diano loro gratis, e senza il menomo pagamento sotto qualsivoglia pretesto.

De distantiis servandis quod eorum apothecas.

§. 11. Quarto, che nelle botteghe, e offícine da aprirsi, ed esercitarsi debbano essi neofiti ad ogni modo osservare le distanze prescritte in tutto, e per tutto come gli altri le osservano, e sono tenuti di osservare.

A taxis viarum immunes declarantur.

§. 12. Quinto, che siano immuni dal pagamento delle tasse, e licenze del tribunale delle strade con quell' ampiezza, e respettiva limitazione di esenzione, che restò già dichiarata ne' surriferiti decreti della congregazione particolare deputata dal Nostro predecessore Clemente XI. sotto li 28. Gennajo e 8. febbrajo 1704.

Statutis pro neophitis conditis subjiciuntur.

§. 13. Sesto, che i medesimi neofiti sieno in tutto soggetti alle leggi, e statuti fatti per li neofiti, e della loro chiesa, ed università.

§. 14. Settimo, che quanto si è detto, e stabilito di sopra, e si dirà, e stabilirà da Noi in appresso relativamente ai neofiti, così rispetto al godimento de' privilegj, esenzioni, e altre prerogative, come rispetto alla soggezione alle loro leggi, e statuti, e della loro Chiesa, e università, s' intenda pur stabilito, e decretato per i figli dei neofiti del primo grado, e per i mariti delle neofite, e delle figlie di primo grado dei neofiti, di modo che siano tutti egualmente compresi sotto la presente Nostra disposizione, come se in ogni parte di essa si fosse fatta di loro espressa menzione.

Singula alia privilegia specialiter non revocata, confirmat.

§. 15. Ottavo, finalmente vogliamo che tutti gli altri privilegj delli neofiti finora non rivocati, e che sono in uso, restino fermi, e siano mantenuti, e osservati, e perciò, in esecuzione del presente nostro chirografo, ne pronuncierete qualunque decreto, concederete qualunque inibizione, e farete tutto altro, che pel totale adempimento, perpetua fermezza, e sussistenza di questa Nostra grazia stimerete in qualsisia modo essere spediente, e necessario; essendo così mente, e volontà Nostra espressa.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo, sebbene non esibito, o registrato in camera, e ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, nè di alcun' altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri qualunque pretesti, quantunque validi, e validissimi, e giuridichi anche di jus quesito, e pregiudizio del terzo, possa esser impugnato, moderato, o rivocato, ridotto ad viam juris, o concedersi contro di esso l' aperitione oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia giudice, e tribunale, benchè collegiale, congregazioni, anche de' Reverendissimi Cardinali, Camarlingo di S. Chiesa, Tesoriere, Ruota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario: dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, e scientemente, o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione del presente Nostro chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, sebbene non vi sieno state intese, o citate qualsisieno persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, ecclesiastiche, e luoghi pii, che vi avessero, o pretendessero avervi qualunque interesse e che per comprenderle facesse bisogno di speciale, ed espressa menzione.

§. 17. Non ostanti le costituzioni d' Innoc. VIII., Giulio II., Gregorio XIII., Gregorio XIV., Innocenzo XII., e specialmente la citata costituzione della fel. mem. di Benedetto XIV. Nostro predecessore sopra la riforma de' tribunali di questa nostra città di Roma emanata nell' anno 1742. sotto li 27. Febbrajo, ed altre costituzioni de' sommi pontefici sopra le facoltà di qualsisieno giudici, e tribunali, la bolla di Pio IV. similmente nostro predecessore, de registrandis, la regola della nostra cancelleria, de jure quaesito non tollendo, e qualsisieno altre costituzioni, et ordinazioni apostoliche Nostre, de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per que- Derogatio contrariorum.

sta sola volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente nostro chirografo, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico di monte cavallo questo di 26. Ottobre 1766. Clemens PP. XIII.

Exequutio praecedentis chirographi.

§ Volentes itaque injuncta Nobis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Papa debitae exequutioni demandare: utendo facultatibus nobis in supradicto chirographo tributis, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae nomine decernimus, declaramus, et constituimus, ut infra: primum. Quod in futurum, ac perpetuis futuris temporibus neophitorum judex, eorumque receptoriae domus, ecclesiae, et universitatis, ac locorum piorum annexorum in causis civilibus passivis motis, et movendis, sit illustrissimus, et reverendissimus dominus almae Urbis pro tempore Vicesgerens; quapropter ad nos avocando omnes, et singulas lites, et causas civiles passivas dictae domus cathecumenorum, locorum piorum annexorum, neophitorum, et cathecumenorum, aliorumque, quibus, ut infra, debebunt esse communia neophitorum privilegia, motas, et respective movendas in posterum a quavis persona pro quacumque causa in quovis tribunali, et coram quocumque judice ordinario, delegato, ecclesiastico, et saeculari, congregationibus, etiam eminentissimorum, et reverendissimorum DD. Cardinalium, et generaliter coram quibuscumque judicibus, licet privilegiatis, et privilegiatissimis, easdemque lites, et causas passivas, etiamsi instructas in statu, et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ac etiam omnes alias causas, quae in futurum, et quandocumque forent introducendae contra dictam domum cathecumenorum, et loca pia annexa, cathecumenos, et neophitos, aliosque, quibus neophitorum, et cathecumenorum privilegia debent esse communia, in prima instantia committimus, et respective remittimus praedicto R. P. D. Urbis Vicesgerenti, et aliis pro tempore RR. PP. DD. Vicesgerentibus per acta alterius ex notariis eminentissimi, et reverendissimi D. Cardinalis Vicarii, semper seligendi a custodibus universitatis neophitorum, privative ad alium quemcumque judicem, et tribunal, etiam collegiale, magistratum, ac notarium, cum plena, ampla, libera, et absoluta facultate, et auctoritate illas cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, et connexis, ac etiam cum clausula quam, et quas, cognoscendi, decidendi, et terminandi, etiamsi ageretur, et actio oriretur ex obligatione camerali juramento vallata, et actores essent basilicae, ecclesiae, cappellae, et religiones, commendae, monasteria, conventus, hospitalia, confraternitates, et loca pia, etiam insignia, et quantumvis privilegiata, privilegiatissima, et quamvis essent pupilli, viduae, minores, ac etiam causa mercedis, alimentorum, et dotium, et essent quaecumque aliae personae habentes privilegia talia, quae pro illis comprehendendis, speciali nota indigerent, remota omni, et quacumque appellatione, ac recursu, excepto ad Nos, et ad Nostros pro tempore successores, tum in secunda, tum in aliis instantiis, etiam per viam restitutionis in integrum, haud ad aliud tribunal licet supremum: tribuendo propterea dicto R. P. D. Vicesgerenti, ejusque successoribus plenam, et amplam facultatem, et auctoritatem reassumendi causas, et lites praedictas a quovis judice, sive tribunali, ut supra, eisque inhibendi, ne sub poenis, et censuris arbitrio nostro audeant opponere manus, minusque se in eis quoque modo ingerere. Secundo: volumus, ut neophiti, priusquam alicujus artis exercitium assumant, subjici debeant examini ad formam exercendae artis statutorum, ita tamen ut in casu reprobationis facultas eis fit ad Nos, et Nostros successores provocandi pro deputatione non suspecti periti ad novum experimentum, cujus judicio omnino standum erit. § 3. Quod neophiti a quibusque censibus, taxisque ab artium statutis praescriptis sint exempti, earumque artium, ac universitatum onera, atque munera subire minime teneantur, eisque solitae litterae patentales gratis concedantur § 4. Quod in tabernis, aut officinis aperiendis, instituendisque statutam distantiam, sicut caeteri servare tenentur, omnino servent. § 5. Quod sint immunes a taxis, et licentiis, tribunalis viarum cum illa

amplitudine, et respectiva limitatione exemptionis, quae fuit jam declarata in decretis congregationis particularis deputatae a san. mem. Clemente Papa XI. sub respective diebus 28. januarii, et 8. februarii 1704. » 6. Quod iidem neophiti legibus, statutisque editis pro neophitis, eorumque ecclesia, et universitate in omnibus subjiciantur » 7. Quod dictum est de neophitis, intelligas ut constitutum etiam pro neophitorum filiis primi gradus, et pro maritis neophitarum, filiarumque primi gradus neophitarum. » 8. demum: quod caetera neophitorum privilegia nondum revocata, usque recepta, firma habeantur: juxta in omnibus, et per omnia ad formam, seriem, ac tenorem memorati chirographi: non obstantibus constitutionibus san. mem. Innocentii VIII., Julii II., Gregorii XIII., Gregorii XIV., Innocentii XII., et signanter constitutione fel. record. Benedicti XIV. anno 1742. sub die 27. Februarii, super reformatione tribunalium Urbis emanata, aliisque constitutionibus Summorum Pontificum super facultatibus quorumcumque judicum, et tribunalium, aliisque constitutionibus apostolicis, legibus, statutis, et aliis, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Papa in praeinserto chirographo derogavit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Palatio Apostolico quirinali, et ex aedibus nostris hac die XXVII. Octobris MDCCLXVI. »

A. Card. Nigronus Pro-Auditor.

DCVI.

Dat. die 3. Jan 1767. Anno IX.

Confirmatio in forma specifica statutorum pro recto regimine, et administratione montis pietatis Urbis conditorum.

Ceterae sanctiones quae ab praedecessoribus Pontificibus, et ab ipso Clemente XIII. ordinatae sunt pro recta montis pietatis administratione, et gubernio, in compendium relatae a nobis sunt, adnotatione apposita ad constitutionem diei 2. Junii 1766. impressam hoc eodem tomo sub num. DLIV. pag. 1095.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Curandum, ne quae in egestatis consolationem sunt instituta, hominum pravitate, et rerum vicissitudinibus evertatur.

§. 1. Ad paternam Romani Pontificis sollicitudinem inter alias curas, quae apostolico servitutis Nostrae muneri incumbunt, etiam illa pertinet ut loca pia, quae in hac alma Urbe nostra ad miseris ospitulandum, et indigentium necessitatibus subveniendum laudabili praedecessorum Nostrorum providentia erecta, atque constituta sunt, non solum sarta tecta servare, et custodire, sed etiam leges, et constitutiones, quae pro recto eorum regimine, et administratione conditae sunt, si temporum conditione, aliisque de causis aptae, atque opportunae, vel deficientes reperiantur corrigere, et immutare aliasque de novo conficere, ne quae in publicum bonum, et commodum provido consilio instituta sunt, pravitate hominum, rerumque vicissitudine in populi damnum, ac detrimentum convertantur.

Pro recto regimine montis pietatis Cardinalis visitator deputatus fuit ab hoc Pontifice.

§. 2. Verum sollicitudinem nostram incredibilis consequutus est dolor, quo ab eo die acerrime angimur, cum accepimus, dissidentes, qui factioni suae validiores adderent vires, palam et aperte et nequicquam legibus reclamantibus illicita foedera fecisse, compluresque catholicos vertigine quadam propemodum circumactos, eorumque querelis deceptos, qui clamitant proculcari leges, nullumque justitiae amplius relictum locum, eo inclinare, ut perniciosissimum ejusmodi sequantur exemplum; et quod, horret animus, partim eorum generalem societatem seu confaederationem una cum dissidentibus pepegisse, partim prope esse, ut ad eam societatem se adjungant; cujus societatis quasdam esse pactiones, quarum ab aliqua metuere sibi debeat catholica Religio, ne gravissimum accipiat et maximum detrimentum.

Ad tot imminentia mala avertenda Archiepiscopi, caeterorumque in Polonia coepiscoporum zelum et pietatem excitat.

§. 3. Quo tanto tamque proximo perterrefacti periculo, dolorem nostrum in patris misericordiarum sinum effudimus, qui nostram ex hac tribulatione aegritudinem solus lenire potest, quod populorum aeque ac regum solus in manu teneat corda: sed tamen curam universi Dominici gregis nobis divinitus commissam cum sine animae nostrae pernicie deserere nequeamus, fraternitati tuae celerorumque coepiscoporum tuorum pietatem per has nostras litteras excitandam existimavimus. ut gregi quoque suo zeli, mansuetudinis et pacificae caritatis ipse vos exhibentes exemplar, vocem etiam adhibeatis, ad inserenda in animis populorum vestrae fidei commissorum studia et consilia pacis, simpliciores docendo, veritatem deceptis commonstrando, devios ad saniora consilia retrahendo. Omnes autem doceatis oportet, quam nullam vim habeant rationes, quas dissidentes afferunt

ad perturbandam istam rempublicam somnia quaecumque commoda ex novis hisce consiliis jactitant extitura; quidquid denique utilitatis aliquam praeseferat speciem, sed catholicae Ecclesiae rationibus adversetur alacriter sine ulla haesitatione aspernandum repudiandumque; nec minis et terroribus, qui per rumores de industria disseminatos a dissidentibus intentantur, catholicos commoveri oportere: his artibus dissidentes uti quo parum cautos in suas trahant insidias, alacriores et forti animo praeditos perterrefaciant. Duo haec denique catholicos spectare debere; primum prae catholicae fidei integritate nihil non contemnendum: alterum male tutam illam pacem immo vero infidam, atque etiam turpissimam fore, quam catholici suae religionis et patriae dispendio coemerent.

Cui maxime conferre potest senatoria Episcoporum in Polonia dignitas.

§. 4. Quae autem ex senatoria vestra dignitate ad episcopale vestrum officium accedit auctoritas, ea te collegasque tuos in pertractandis publicis rebus ita apte uti oportet, ut dissidentium conatus ad expugnandam vestram omniumque bonorum constantiam, quos in proxima diaeta validissimos experiemini ad nihilum redigantur. Neque enim spiritualis tantummodo, sed etiam temporalis auctoritatis et potestatis vestrae rationum aeterno judici aliquando estis reddituri; ac de ea perquam durum vobis subeundum erit judicium, si per ignaviam aut negligentiam, aut timiditatem inanemve formidinem Dei causam deserueritis; multo vero durissimum illud erit judicium, si privatis studiis indulgendo, aut aliquo humanarum rerum respectu, alio quam ad Dei honorem, et gloriam et ad catholicae Ecclesiae incolumitatem spectantes, eamdem Ecclesiam et Jesu Christi rationes et vestram prodideritis patriam.

Episcoporum in Polonia virtutes commendat, eosque ad concordiam in tam gravi negotio excitat

§. 5. Cujusmodi tamen ab animo nostro suspicionem abesse jubet, quae semper de vestra virtute apud nos fuit existimatio. Sed ex sua quisque vestrum opera fructus accipiet uberrimos, si per sinceram solidamque animorum consensionem veramque concordiam in unum quodammodo conglutinemini, fiduciaeque pleni praesto vobis fore Dei opera et auxilium, qui dissipare cogitationes populorum et sapientum hujus saeculi solet reprobare consilia, ipsi personarum vestrarum objectu veluti inexpugnabilem murum pro domo Domini apposueritis, quae praesertim in tanto periculo, nunc maxime vestram opem implorat et sedem. Huic omnium vestrum conjunctissimae societati, unde maxime pendet communium consiliorum nostrorum exitus, omni studio apostolicus noster, et hujus sanctae sedis apud vestram rempublicam nuncius obsecundabit; quem bene vobis cupientem in rerum vestrarum communionem vocat egregius quo vos presequitur amor, et ipsi jussimus praesto vobis esse omni ope sua omnibusque omne genus officiis. Tibi vero ven. frater, qui propter excelsam dignitatem tuam magna es auctoritate praevalidus, id maxime considerandam a te potissimum ceteris venerabilibus coepiscopis sacerdotalis prudentiae pariter atque constantiae exemplum exhiberi et eam agendi rationem, quam in re gravissima sequi debeant, commonstrari oportere. Quamobrem fraternitatem tuam enixe rogamus, ut cohortationem hanc nostram cum illis incunctanter communices. Res enim in extremo versatur discrimine; et per vestram rempublicam serpens veluti cancer intestinum malum gliscit in dies, nec ullam amplius adhibendi remedii patitur moram. Tibique ven. fr., omnibusque coepiscopis tuis, quos omnes gerimus in visceribus Christi, apostolicam benedictionem omni nostri cordis affectu impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decimaquinta Julii 1767. Pontificatus nostri anno decimo.

DCIX.

Episcopo Quinqueclesiensi facultas tribuitur in perpetuum concedendi lauream doctoralem tam theologiae, quam philosophiae, et juris canonici iis qui in collegio dictae civitatis praedictis studiis operam navaverint.

Dat. die 20 Junii 1767. anno X.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani pontifices constantem sol-

§. 1. Saluberrimam aeque, ac proficuam in catholica ecclesia seminariorum, collegiorum-

...udiorum ...uere pro ...emento ...inario..., et col...orum.

que institutionem a concilio Tridentino plurimi habitam, et maxime propositam eo majori Apostolicae benignitatis, et providentiae studio adaugere nos in sacrosancti apostolatus specula meritis licet imparibus constitutos, decet quo majorem in dies in de orthodoxis populis in via mandatorum Dei per christianae pietatis, et sanae doctrinae exempla dirigendis afferri utilitatem, et opportunis, necessariisque instrui subsidiis, et adjumentis, quibus ad beatae patriae felicitatem tandem perveniant non sine maxima apostolici animi Nostri laetitia experimur: quo circa nihil nobis accidere potest jucundius, quam cum annuentes porrectis precibus, supremas apostolicae benignitatis, auctoritatisque partes, sive ad novi seminarii, collegiique fundationem procurandam, sive ad seminarii, collegiique jam erecti instaurationem, incrementumque promovendum, confirmandum, adaugendumque conferimus.

...des civi..., et ca...li quin...eccle...sis, nec semin...u ea ere...novique ...egii.

§. 2. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris Georgii Episcopi Quinque ecclesiensis petitio continebat, quod ejus dioecesis inter praecipuas regni Hungariae numeratur, atque civitas praedicta Quinqueecclesiensis habitatorum frequentia, et cleri copia abundat, cathedralis ecclesiae capitulum usu mitrae, Episcopus vero pallii honore potitur, extat insuper seminarium in praedicta civitate, quod sequendo memorati concilii Tridentini monita, ejusdem Georgii Episcopi decessor sub cura capituli, et canonicorum praefatae cathedralis ecclesiae instituit, et erexit; ipse vero Georgius, cum experientia compertum habuerit quae, et quanta spiritualia bona ex institutione saeminarii hujusmodi in totius dioecesis utilitatem promanant, illud non sine gravi impensa in collegium erigi curavit, perpetuas cathedras theologiae speculativae dogmaticae, et moralis, sacrae scripturae, ac rituum ecclesiasticorum in eo instituit ad id assignatis redditibus pro earum respective lectoribus, aliasque cathedras juris canonici, ac philosophiae in majorem alumnorum utilitatem modo ibidem constituere intendit; suis praeterea impensis bibliothecam librorum copia, et qualitate praestantem ad ejusdem collegii usum comparavit, et quamvis in collegio hujusmodi viginti quatuor alumni nunc reperiantur, nihilominus praeter canonicos, ac presbyteros, qui ibidem vitam ducunt, nonnulli sane alii ex omnibus partibus dicti regni Hungariae non secus, ac ad generale studium confluunt ad collegium hujusmodi summa cum eorum utilitate, ac progressu in studiis scientiarum, quae propter praeterita bella magnum passae fuerant detrimentum.

Preces porrectae pro facultate conferendi laureas doctorales iis, qui in hoc collegio studiis operam navaverint.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dubio procul alumni, aliique in collegio hujusmodi studiis operam dantes diligentiores, vigilantioresque redderentur, si exacto scientiarum curriculo lauream earumdem scientiarum, quas ibi edidicerunt consequantur. Nobis propterea dictus Georgius Episcopus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex petitioni exhibitae benigne annuit.

§. 4. Nos igitur laudabilibus ejusdem Georgii Episcopi votis favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Georgio moderno, et pro tempore existenti Episcopo Quinque ecclesiensi, seu personis ab ipso, et illis respective deputandis, ut ipsi de caetero nunc existentes, et pro tempore futuros alumnos dicti collegii, omnesque alios sive praedictae civitatis, et dioecesis Quinque ecclesiensis, sive alterius cujuslibet civitatis, et dioecesis, qui in eo studia peregerint philosophiae, sacrae theologiae, et juris canonici, finito in collegio praedicto studiorum hujusmodi cursu, praevio examine, aliisque literariis debitis experimentis praemissis, et si ad id requisitis omnibus qualitatibus praedicti fuerint ad doctoralem tam philosophiae, quam sacrae theologiae, et juris canonici, lauream, auctoritate Nostra apostolica promovendi, illisque solita laureae hujusmodi insignia conferendi, atque sic promoti, et declarati omnibus, et singulis privilegiis, praerogativis, prae-

minentiis, gratiis, et indultis, quibus alii, qui lauream hujusmodi in quacumque publica studii generalis universitate susceperint, tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, et ad ecclesiasticas quoque quascumque etiam majores in cathedralibus, ac metropolitanis ecclesiis etiam praesulatus dignitates promoveri pariter possint in omnibus, et per omnia perinde ac si lauream hujusmodi in aliqua adprobata studii generalis publica universitate suscepissent, dicta auctoritate concedendi, et indulgendi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sedis praedictae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima Julii millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, pontificatus nostri anno decimo.

DCX.

Dat. die 28. Julii 1767. Anno X.

Cum Poloniae Rege conqueritur de societate inita inter catholicos, et dissidentes, damnaque ex hac societate futurá designat.

Vide num. DCVIII. praecedentem, et adnotationem in eo appositam.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto Poloniae Regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Poloniae regis studium pro conservanda Religione commendat, illiusque auxilium requirit.

§. 1. Cum in isto regno tuo dissidentium artes in gravissimum periculum extremumque discrimen catholicam adduxerint Religionem; qui perspectum habemus quam flagranti ejusdem religionis conservandae studio teneamus, pernecessarium ducimus cum Regia Majestate tua nostram iterum participare sollicitudinem, tuamque requirere pietatem, ut sociam operam tuam cum opera nostra conjungas ad ea consilia adjuvanda, quae Nobis ipsa nostra apostolici officii cura subinde suppeditat.

Commemorat quae cum Gnesnensi Archiepiscopo egerit, ut cum caeteris episcopis dissidentium machinationes everteret.

§. 2. Simul enim fama et auditione accepimus, non exiguum catholicorum istius regni numerum, assumpto nomine assertorum publicae utilitatis, cum dissidentibus partim societatem jam pepigisse, partim animo esse ad idem foedus ineundum inclinatissimo, scripsimus piae mem. Uladislao Archiepiscopo Gnesnensi, eumque cohortando, rogando, sollicitavimus, ut huic malo quam celerrime occurreret, et efficacissima quaeque remedia adhiberet, quae tamen nihil haberent asperitatis. Eas vero litteras nostras illum jussimus cum ceteris venerabilibus fratribus istius regni communicare, ut in suis quisque dioecesibus eos homines sanandos susciperent, quos veneficis dissidentium sermonibus illectos, eorumque illecebris corruptos pestilentem morbum contraxisse deprehenderent.

Suum exprimit dolorem pro foedere nuper composito inter catholicos, et dissidentes, et futura obvenientia mala designat.

§. 3. Verum haud ita multi post gravissimus animum nostrum perculit dolor, cum plane inopinatum nuncium accepimus, catholicos, qui plures inter se conflaverant societates, communi consentione dissidentibus se adjunxisse; cujus foederis turpitudini ut rationem aliquam honestatis obtenderent, re quidem vel professi sunt, ut jacentes adhuc justitia reclamante, dissidentes denique erigantur, salvis tamen rebus et rationibus ca-

tholicae religionis, in quibus negant se passuros quisquam immutari; quod quidem eo tandem redit, se omni studio et animi contentione daturos operam, ut dissidentium sectis suas cuique liceat toto Poloniae regno religiones publice colere. Quem vero non summa ceperit admiratio, seu potius, si quis illum religionis sensus, et inclitae gentis tangat honor et decus, non gravissimus corripuerit dolor, cum ejusdem nationis conspicuam partem, quae ante hos aliquot menses illustrissima studii sui erga catholicam religionem edidit documenta, nunc intelligerit, eam dissidentium praestigiis atque fallaciis adeo turpiter fuisse deceptam, ut solemni pactione promiserit, se pro iisdem dissidentibus omni studio, cura, contentione animi adjuturam, quo exigua eorum postulata bonum exitum habeant.

De quo inino foedere Pontifex Poloniae regi significat, universos in regno episcopos commonuisse, ne in queo dissidentium inendant.

§. 4. Huic indignitati in conspectu Domini illacrimantes reprobavimus, et execrati sumus nefarium et sacrilegum foedus, pationesque omnes in eo contentas quae quoquo modo ad catholicam religionem pertinent. Cumque id apostolico Nostro muneri debeamus, ut omnibus palam fiat, in hac re qui sensus sit et animus Noster, per litteras hoc ipso die singulis istius regni Episcopis significavimus, videri nobis indignissime fuisse catholicos inter se foederatos, cum per execrabilem societatem se ad dissidentes aggregaverunt; iisdemque VV. fratribus acriores adhuc stimulos admovemus, ut iis modis pastorale suum in hac re impleant ministerium, quos tanto malo sanando convenientiores aptioresque judicaverint. Ad eos gravioribus cobortationibus iterum excitandos impulit nos urgens charitas Christi, et quae anxios de aeterna tam multarum animarum salute nos adsidue cura sollicitat. Nostrum id factum cum regia majestate tua existimari communicavimus oportere: neque enim dubitamus, nos in perdifficili re, cujusmodi est catholicam religionem e tanto tamque imminenti periculo eripere, regiam majestatem tuam sociam et comitem habituros. Cum autem videbimus eamdem in vera pietate et sincero Dei cultu defendendo te consequutum esse laudem, quam sibi gloriosissime pepererunt clarissimi predecessores tui, quorum zelum ipse tibi ad imitandum proposuisti, noli quaerere charissime in Christo fili Noster, quanta, paterni animi nostri futura sit consolatio. Et regiae majestati tuae, quam in nostrae charitatis gerimus sinu apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima octava Julii 1767. pontificatus nostri anno decimo.

DCXI.

Universos, et singulos Regni Poloniae Archiepiscopos, et Episcopos alloquitur, eosque hortatur, ut dissidentium conatibus resistant, et religionis prospiciant incolumitati.

Dat. die 28. Julii 1767. Anno X.

Vide numerum precedentem cum adnotatione in eo apposita.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratrer salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Quid egerit Pontifex ad dissidentium conatus evertendos episcopis hisce commemorat.

§. 1. Quanta ad animum nostrum sollicitudo et cura pervenerit ex novis turbis, quas dissidentes adversus catholicae Religionis rationes in isto regno excitabant, piae mem. Archiepiscopo Gnesnensi litteris nostris, datis die XVIII. elapsi mensis Aprilis significavimus; eidemque die XV. labentis hujus mensis Julii itidem scripsimus de dolore nostro; quem ex allato subinde nobis nuncio gravissimum cepimus, non exiguum catholicorum numerum, praetexentium publici boni zelum et studium, partim ad dissidentes juncto foedere se adjunxisse, partim prope esse, ut ad idem exemplum se in eamdem cum dissidentibus societatem conferrent. Qui essent ea de re sensus nostri et cobortationes, quibus, tum in primis, tum in posterioribus litteris, ejus pietatem excitabamus, illum jussimus cum vobis omnibus communicare.

Recentissimum dolorem accepisse significat ex inito nu-

§. 2. Nunc vero teterrimus ac plane horribilis nuncius nos impulit, ut de re atrocissima, quae directo ad sancitam Jesu Christi

per foedere inter catholicos, et dissidentes

sanguine catholicam fidem spectat, ipsi fraternitati tuae has litteras damus. Novissime enim accepimus, infestinum illud malum, quod primo per diversas istius regni provincias occulto serpebat, nunc e suis latebris erupisse, cum turpissimae conjurationes caput extulerint suum, et res eo deducta sit, ut expleto iniquitatis mysterio catholici, qui inter se pepigerant societatem, omnes generale et commune cum dissidentibus percusserint foedus, easque pactiones fecerint, quae per causam justitiae iisdem dissidentibus tribuendae, quos falso clamitant opprimi, eo spectant, ut errori nullus jam non pateat locus, cum eorum sectis licuerit ubique absurdas suas religiones publice colere; idque inter gentem verae pietatis, sinceraeque et integrae religionis cultu plane inclytam, quae singulari et flagrantissimo ejusdem Religionis studio saluberrimas ad eam custodiendam condidit leges, easque nunquam destitit summa tueri vigilantia. Quae vero catholicae nedum sacerdotales aures patienter ferant, ipso auditu horrificam, diversissimarum, immo vero inter se directe pugnantium rerum societatem? Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras? quae autem conventio Christi ad Belial? Quae pars fideli cum infideli (1)? Quae communicatio Ecclesiae filiis cum perfidis et perduellibus, qui ab ejus sinu se removerunt et cum ea perpetuum bellum gerunt? Quomodo potest esse pax vera (scribebat ad Anastasium Augustum praedecessor noster S. Gelasius I.) cui charitas intemerata defuerit? Charitas autem qualiter esse debeat, nobis evidenter Apostolus praedicat, qui ait: charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. Quomodo de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? quomodo de conscientia bona, si pravis fuerit malisque commixta? quemadmodum fide non ficta, si maneat sociata cum perfidis?

Venenum indigitat quo foedus inficitur, licet pactio insit

§. 3. At enim foederati catholici diserte professi sunt, idque in memoratis pactionibus voluerunt insertum, se catholicam, quae isthic regnat, religionem nunquam passuros quidquam accipere detrimenti, eamque omnino inviolatam velle et incolumem. Verum quemquam ne tantus ceperit stupor, quin videat, dissidentes soporatum ejusmodi medicamentum catholicis exhibere, ut simplicioribus somnum faciant? Illud nimirum catholicis proposuerunt delinimentum, quo consopiti homines, in timore Dei alti et educati, quam minimum sensum haberent, cum conscientiae gladio pungerentur (3). Exhorruissent scilicet, si sine ullo fuco nude et simpliciter ea sibi proposita fuisset societas, quae fidelibus Christi vel primo aspectu faciem offert plane execrabilem. Dolemus, Ven. Frater, nimio minus, quam necesse est, catholicos isthic novisse, hominum sanctae matri Ecclesiae infensissimorum quam malitiosa sit indoles; quam tamen abunde cognoscant si tempora illa sibi redigant in memoriam, cum haeresis in vestrum regnum magno rei catholicae malo suum intulit pedem. Quamquam haec ipsa tempora satis habent, quo catholici pervideant, quodnam sit subdolum et insidiosum heterodoxorum ingenium. Verum qui humana spectant, minime animadvertunt, se fallacibus ejusmodi hominum blanditiis emollitos, catholicam Religionem eorum furori imprudentes et inscios facere dedititiam.

de nullo afficiendo detrimento religioni catholicae in Poloniae regnis.

Pontifex solemniter reprobat foedus inter catholicos, et dissidentes initum.

§. 4. Quod ad nos attinet, in conspectu Dei amarissimis lacrimis populi nobis dilectissimi deflevimus vicem, cujus pars non exigua se adeo turpiter ab hostibus catholici nominis seduci passa est inanibus verbis (3); et in nomine Jesu Christi, cujus certe Nos indigni et plane immerentes, sed tamen incomprehensibili Dei consilio et voluntate vicariam gerimus potestatem, ubi primum de tanta indignitate cognovimus, nefariam istam societatem, qua se catholici dissidentibus adjunxerunt, cum omnibus in ea factis pactionibus, quae ad catholicam quoquo modo pertinent religionem, ut illicitam et sacrilegam reprobavimus, omnibusque execrationibus detestati sumus. Atque ut hujus Nostrae reprobationis, detestationis, et execrationis publi-

(1) II. Cor. VI. 14. 19.
(2) Prov. XII. 18.
(3) Ephes. V. 6.

eum existat documentum, eam fraternitati tuae per has nostras litteras, et per alias harum similes, singulis venerabilibus fratribus istius regni Episcopis voluimus esse compertam.

Episcopos obsecrat ut nefario illi foederi obsistant, et media suggerit ad catholicos in vera fide retinendos.

§. 5. Quod si in conspectu periculi praesentissimi, ne apud vos sacrosancta catholicae fidei dogmata perturbentur, et Ecclesiae leges denique perrumpantur, spes aliqua nobis reliqua est acerbissimae hujus avertendae calamitatis, nullibi eam sitam esse videmus (secundum Dei opem, quam flagrantissimis precibus imploramus) nisi in tuo Ven. Frater, zelo domus Dei, fortitudine, et virtute. Cohortare, quaesumus te, populum tuae commissum fidei et custodiae ad poenitentiam in primis, qua Deum sibi placatum faciat atque propitium; et ab eo instantissimis orationibus, omnibusque omne genus piis operibus in tanto catholicae Ecclesiae periculo praepotentem opem imploret. Deinde eo incumbas toto pectore oportet, ut simpliciore ingenio homines instruas, deceptos veritatis luce perfundas, devios ad rectam revoces viam, bonos et zelo Dei flagrantes in rectis sensibus confirmes; idque facito quam suavissimis modis; et, ut ait Jacobus Apostolus, in mansuetudine sapientiae (1). Ubi vero animos leniter tractando videas parum proficere, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (2). Denique in hoc summo catholicae rei discrimine ad arcendam a fidelibus calamitatem, quae eorum animas ad sempiternam trahat perniciem, sancta mater Ecclesia episcopale officium vestrum nunc maxime efflagitat, cujus voces ipsi per has Nostras literas ad aures vestras afferimus, gravissimis illis perterrefacti minis, quas aeque ac nobis Dominus per prophetam omnibus sacris pastoribus intendit: si speculator, inquit, viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit; veneritque gladius, et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram (3). Et fraternitati tuae intimo nostri cordis affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Julii MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno decimo.

(1) Jacob. III. 13.
(2) Timoth. IV. 2.
(3) Ezech. XXXIII. 6.

DCXII.

Concessio, et applicatio hospitali S. Mariae Misericordiae civitatis Senogalliae scutorum biscentum quinquaginta ab haereditate Alberici Arsilli derivantia.

Dat. die 7. Aug. 1767. Anno X.

Venerabili fratri Episcopo Senogalliensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam Benedictionem.

Refertur testamentaria dispositio Alberici Arsilli.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii syndici hospitalis sanctae Mariae Misericordiae nuncupati istius civitatis Senogalliensis, quod alias nempe anno MDCCVIII. tunc in humanis agens quondam Albericus Arsilli Senogalliensis in ejus ultimo, cum quo decessit, testamento instituit suos haeredes particulares, et fiduciarios in nonnullis certis, ac designatis bonis presbyteros saeculares congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii dictae civitatis, ad hoc ut praefata bona administrarent, et custodirent, venditisque congruo tempore eorum fructibus, ac redditibus, illorum pretium in sacra pietatis aede deponerent, ac in certos usus, et utilitatem, tam foeminarum, quam masculorum a tribus ejus sororibus Arcangela videlicet, Antonio, et Seraphina, earumque masculis ex masculis descendentium erogarent sequenti ordine, nempe: primo in dotem scutorum quingentorum monetae Urbini pro praedictis faeminis, quae statum monasticum eligere vellent: secundo faeminis hujusmodi minime existentibus, in annuum legatum scutorum quinquaginta monetae romanae per triennium, seu quinquennium, respective solvendum illi magi-

stro, et collegio, penes quem, seu quod praefati filii, ac descendentes masculi literarum studiis operam darent, et in solutionem unica tantum vice peragendam scutorum quinquaginta monetae Urbini, quoties praefati filii, ac descendentes masculi ad vota sive spiritualia, sive saecularia transirent, vel lauream doctoralem assequerentur: ac tertio demum, omnibus personis, ut praefertur, vocatis deficientibus, in erectionem quinque Cappellaniarum cum onere missarum ab episcopo Senogalliensi praescribendarum, et alias prout in dicto testamento, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum pro inserto haberi volumus, uberius continetur.

Bona a testatore relicta, magnum obtinuere incrementum ex administratorum solertia.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ex fructibus, ac redditibus praedictorum bonorum, quae ex ejusdem testatoris dispositione administrata usque adhuc fuerunt, et in posterum semper ab ipsis administranda sunt a memoratis presbyteris oratorii Sancti Philippi Nerii, non solum praedicta omnia legata a praedicto testatore volita prompte, ac adamussim usque modo persoluta fuerint, verum etiam juxta ejusdem testatoris mentem quidquid, illis solutis, superfuit, in emptionem, et acquisitionem aliorum bonorum, et capitalium erogari, et converti memorati presbyteri diligenter curarunt, qua de causa ex bonis sub hac dispositione ab ipso testatore, ut praefertur, relictis aliisque postmodum vel acquisitis, vel juxta ejusdem testatoris voluntatem per obitum personarum, quibus relicta fuerant postmodum reversis, et in eadem dispositione comprehensis, auctus admodum fuerit eorumdem bonorum numerus, ac annuorum inde productorum fructuum, et redditium quantitas; ita ut deficientibus modo personis a dictis Arcangela, et Seraphina memorati testatoris sororibus per masculinam lineam descendentibus, et ad legata praedicta vocatis, fructus, ac redditus eorumdem bonorum omnium, tam pro hujusmodi legatis praestandis filiabus, ac filiis, aliisque, qui ex unico tantum masculo descendente a dicta Antonia alia sororibus praefati testatoris oriri possent, quam pro cappellaniis praedictis erigendis longe exuberantes dignoscantur.

Exponitur infelix status hospitalis, et porriguntur preces pro applicatione alicujus partes redditutum legati pii Arsillii.

§. 3. E contra vero cum fructus, et redditus bonorum memorati hospitalis sanctae Mariae Misericordiae impares omnino sint ad subeunda tot onera, quibus in excipiendis, alendisque infantibus expositis, sive masculis, sive faeminis, in aegrotantibus curandis, vetulisque nonnullis, ac peregrinis hospitio recipiendis gravatum idem hospitale reperitur, inde modo contigit, ut major sit exitus, quam introitus bonorum ejusdem hospitalis: qua de re, ut omnia onera praedicta publico bono non solum utilia, sed apprime necessaria in posterum quoque a praefato hospitali adimpleri valeant, dicti exponentes aliquam annuam potionem Nobis benevisam ex fructibus, redditibus, et proventibus praedictorum bonorum a memorato Alberico testatore, vel relictorum, vel postmodum, ut praefertur, acquisitorum, seu reversorum, in auxilium, et subventionem praefati hospitalis per Nos assignari, et applicari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex ex haereditate Alberici Arsillii scuta biscentum quinquaginta annuatim sejungit, eaque Senogalliensi hospitali attribuit.

§. 4. Nos igitur, qui hospitalium, aliorumque locorum piorum ad levandas miserorum, ac pauperum aegrotantium, expositorumque necessitates institutorum conservationem, et incrementum paterno desideramus affectu, et exempla sectando fel. rec. Benedicti Papae XIV. praedecessoris Nostri, qui in ejusdem hospitalis subsidium aliquas annuas praestationes sive a nonnullis confraternitatibus dictae civitatis, sive a communitatibus ejusdem dioecesis suppeditandas concessit, ipsorum exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumdemque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita prius super praemissis sua relatione, visoque insuper integro tenore testamenti prae-

dicti Alberici testatoris, eoque, ac una simul statu bonorum praedictorum ab ipso testatore vel relictorum, vel, ut praefertur, deinde acquisitorum, seu reversorum, eorumque annuis fructibus, redditibus, et proventibus serio perpensis, aliisque expendendis mature consideratis. Motu etiam proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine annuam summam scutorum biscentum quinquaginta monetae romanae ex omnibus fructibus, redditibus, et proventibus supra praedictorum bonorum, et capitalium a dicto Alberico Arsilli testatore, ut praefertur, presbyteris saecularibus congregationis oratorii sancti Philippi Nerii dictae civitatis Senogallien. sis illius haeredibus fiduciariis in praememoratas causas relictorum, vel ab ipsis presbyteris deinde, ut praefertur, acquisitorum, vel juxta ejusdem Alberici dispositionem reversorum ab haereditate, et bonis dicti Alberici omnino, ac perpetuo sejungimus, dividimus, segregamus, et separamus, eamdemque summam scutorum biscentum quinquaginta monetae romanae in auxilium, subventionem, et favorem, ac beneficium hospitalis sanctae Mariae Misericordiae dictae civitatis Senogallien. scientia, et auctoritate pari perpetuo pariter applicamus, appropriamus, et adsignamus.

Senogalliensi Episcopo committit, ut annuatim elargitam quantitatem hospitali tribuat.

§. 5. Quocirca fraternitati tuae, et pro tempore existenti Episcopo Senogalliensi per praesentes committimus, et mandamus, ut eamdem annuam quantitatem scutorum biscentum quinquaginta praedictorum anno quolibet a data praesentium incipiendo, et computando de semestre in semestre sive in fine, vel principio cujuslibet anni arbitrio fraternitatis tuae tuorumque successorum a memoratis presbyteris saecularibus congregationis oratorii sancti Philippi Neri dictae civitatis vere, realiter et cum effectu hospitali praedicto, sive ejus pro tempore existentibus syndicis, et ministris sine ulla mora, et quibuscumque citationibus, ac inhibitionibus minime obstantibus, ac omni appellatione, et recursu remotis, auctoritate praedicta solvi, ac tradi cures, et facias, ac curent, et faciant respective, atque ad id omnibus adhibitis juris, et facti remediis eosdem presbyteros memoratae congrgationis cogas, et compellas, seu respective cogant, et compellant.

Praelaudato Senogalliensi Episc. committit, ut hospitale visitet, et de redditUum erogatione rationes sumat.

§. 6. Ut autem tam praedicta annua scuta biscentum quinquaginta a Nobis, ut praefertur, eidem hospitali applicata, appropriata, et assignata, quam omnes alii ejusdem hospitalis, illiusque bonorum fructus, redditus, et proventus in necessarios usus, et utilitatem ipsius hospitalis ea, qua par est diligentia, fide, ac prudentia erogentur, et convertantur, atque ita, et non aliter erogata, et conversa esse dignoscantur, et appareant, ac omnia alia, quae pro bona directione, ac regimine ejusdem hospitalis peragenda, et servanda sunt ab omnibus, ad quos spectant, fiant, serventur, et custodiantur, tibi, ac pro tempore existenti Episcopo Senogallien., quatenus opus sit, potestatem auctoritate Nostra delegata dictum hospitale, ejusque ecclesiam, omniaque ad ea pertinentia visitandi, et redditionem rationis fructuum, redditUum, et proventuum quorumcumque bonorum ejusdem hospitalis petendi, et respective excipiendi, et quae mutatione, correctione, et renovatione indigere apparuerint, mutandi, corrigendi, renovandi, ac de novo etiam condendi, abusus quoscumque tollendi, et quidquid statueris, et ordinaveris, ac respective pro tempore existentes episcopi predicti statuerint, et ordinaverint, observari faciendi, inobedientes per opportuna juris et facti remedia compescendi, concedimus, et indulgemus, atque ad praemissa omnia peragenda necessarias, et opportunas facultates dicta auctoritate per praesentes tribuimus pariter, et impertimur.

Hospitalis moderatoribus injungit ut Senogalliensis Episcopi mandatis pareant.

§. 7. Mandantes propterea virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis ejusdem hospitalis nunc, et pro tempore existentibus syndicis, et ministris, aliisque, ad quos spectat, et quandocumque spectabit, ut tibi, et pro tempore existenti episcopo Senogalliensi in omnibus ad visitationem hujusmodi pertinentibus omnino pareant, et obsequantur, tuaeque, et illorum respective monita, ac mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quae lata, et statuta fuerit in

rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes etiam easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod praedicti presbyteri saeculares memoratae congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Senogallien., ac descendentes quomodolibet a praefatis tribus sororibus ejusdem Alberici testatoris, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujusvis status, gradus, ordinis, et praeeminentiae, ac dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causaeque, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, ac privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpora juris clauso etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, aut inexcogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvari ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus supradicti Alberici testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VII. Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

Derogatio contrariorum.

DCXIII.

Indulgentia plenaria pro singulis christifidelibus visitantibus quamcumque ecclesiam clericorum regularium societatis Jesu die 5. Februarii cujuscumque anni.

Dat. die II. Aug. 1767. Anno X.

Clemens PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes Literas inspecturis salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesau-

ris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sac. communione refectis; qui aliquam ex ecclesiis clericorum regularium societatis Jesu ubicumque existentibus die quinta mensis Februarii a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium alium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo persona in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXIV.

Dat. die 16. Aug. 1767. Anno X.

Canonizatio B. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal fundatricis ordinis visitationis Sanctae Mariae.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Fortitudo et decor indumentum militantis Ecclesiae, admirabili sane divinae providentiae consilio, quemadmodum se prodidit in Juditha, in Debora, in matre septem Machabaeorum, et siquae aliae extiterunt similes harum, quae foeminae cogitationi masculinum animum inseruerunt; ita et post Christi Salvatoris adventum elucet maxime, non modo in iis foeminis, quae pro christiana Religione per tyrannos, et carnifices mactari meruerunt, sed in illis etiam, quae ipsae se, perfecta sui rerumque omnium abdicatione, vivas hostias in odorem suavitatis immolaverunt. Hoc pacto nimirum, et omnipotentis Dei gratiae virtus per ea, quae ignobilia, atque infirma sunt mundi, splendidissime apparet, et catholicae Ecclesiae, in qua unica saluti spes est, sanctitudo, et veritas argumentis minime obscuris pulcherrime confirmatur.

Virtutes, et et merita hujus beatae generatim commendantur.

§. 2. Atque in hac profecto illustrium, ac fortium foeminarum classe collocandam vel in primis esse beatam Joannam Franciscam Fremiot de Chantal singularia illius strenue gesta declarant. Illa enim materni veluti affectus immemor, ut in Christo Jesu, cujus adorandum nomen candente ferro pectori impresserat, totam esse dicaret, per filium, quem unice diligebat, in ostio domus strato corpusculo haerentem ad electum sibi coelestem sponsum pergere non dubitavit, et voto se arduo, ac perdifficili obstrinxit, ut ageret ea semper, quae perfectiora esse intelligeret. Quae quidem, atque alia id genus in subjecta ipsius vitae compendiaria descriptione recognoscere quivis facile poterit, tum ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, tum ad imitationem tam eximiae consummataeque virtutis. Itaque quum singularis Dei benedictio beatam hanc famulam suam heroicis virtutibus apprime insignem, et consequutis obitum ejus miraculis valde gloriosam reddiderit, ut iis potissimum foeminis, quae se Deo dicaverunt, vel ejusmodi deliberatione versantur, nova semper suppetant ad imitandum exempla; nos propterea post eam, quae praemitti solet, tum virtutum illius: tum miraculorum severam, ac sedulam disquisitionem, adscitis in consilium venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac praeterea Patriarchis, plurimisque Archiepiscopis, et Episcopis eamdem beatam Joannam Franciscam publica totius Christiani orbis veneratione dignam asserimus, et sanctorum fastis adscribendam decernimus.

Ejus nobilis origo describitur, sanctaeque vitae progressus.

§. 3. E clarissimis parentibus, Divione in Burgundia, Joanna Francisca Fremiot de Chantal ortum habuit. Piae sanctaeque educationis fructum tulit, quem debuit, puellae indoles ad virtutem nata. Catholicae religionis jam inde a teneris annis tanto erat incensa studio, ut quintum aetatis annum nondum excedens hereticum quemdam adversus veritatem corporis Christi in eucharistia cavillantem sapienter, atque animose redarguens pudore suffunderet. Tentata doloris artibus a vaferrima, quae domi erat, muliere, innocentiam non sine peculiari ope Deiparae Virginis, quam defunctae Genitricis loco matrem delegerat, incontaminatam servavit. Aliud quoque gravius fortasse periculum ejusdem B. Virginis auxilio evasit incolumis. Quum enim de connubio illius ageretur cum equite nobili sane, atque opulento, Deum Joanna Francisca per matrem ejus sanctissimam consulens, calviniana illum, tametsi dissimulata, haeresi infectum, Deo illustrante, cognovit; quo illa periculo ita commota est, ut vel recordationem illius refugeret animus, ac perhorresceret. A sorore, apud quam aliquandiu fuerat, patri reddita, ita se illi obsequentem, docilem, suavem, morigeram praebuit, ut nihil supra. Nihil in ea quod delicias, quod luxum, quod levitatem animi redoleret. Pietas in Deum, ac Deiparam eximia, summum precandi studium, misericordia in pauperes singularis. Voluntati suae, qua libentius ad vitam coelibem ferebatur, paternam praeponens nobilissimo viro in temporalibus Domino de Chantal nuptui se dari non recusavit. Praeclarae illae, quas ad matrimonium attulerat, virtutes magis magisque in aliorum quoque utilitatem redundarunt. Clementer enim familiam regere, filios sancte educare, virum ad pietatis suae imitationem adducere, invisere aegros, egentibus subvenire, subditis opitulari, Deo, et sibi vacare, haec illius erat vitae ratio laboriosa semper, numquam otiosa. Cujus quidem solicitudinis fructus erat summa in domo pax, summa tranquillitas.

Viduata proprio viro, castitatis perpetuae, voto se obstringit.

§. 4. Sed aversae res inciderunt, quibus tam praeclara ista in secundis virtus longe splendidior effulsit. Vulnerato enim inter venandum, et paullo post extincto viro, quem carum in primis habebat, casum quidem acerbissimum dolenter tulit, sed in eo consilium Dei, qui totam sibi deposceret, animo reputans, sanctissimae illius voluntati acquievit, ac praeterea ad aram beatissimae Virginis Deo, meliori utique sponso, votum nuncupans perpetuae castitatis, se obstrinxit. Illi autem, qui viro ipsius, tametsi imprudens, lethale vulnus influxerat, non modo veniam libenter indulsit, sed in argumentum etiam peculiaris benevolentiae illius filium e sacro fonte suscepit. Qua quidem in re, aequissimo virtutum aestimatore S. Francisco Salesio teste, heroicae perfectionis exemplum edidit plane admirandum.

Quotidie in via virtutum progrediens sub directione S. Francisci Salesii, ordinem Visitationis Beatae Mariae instituit.

§. 5. Quum autem perfectius adhuc atque excellentius meditaretur vitae genus, rei familiaris sarcina magna ex parte deposita, mundi muliebris quidquid erat pretiosum, partim in levamen pauperum, partim in ornatum templorum convertit. Ad redigendum in servitutem corpus jejunia, cilicia, vigilias adhibet. Tempus omne religionis inter, ac misericordiae officia partitur. Demissionis, ac patientiae neque illi occasio, neque occasioni ipsa defuit. Dici vix potest, quot quantasque ab ancilla injurias pertulerit. Summa erat prorsus, ac pene incredibilis in altera contumacia, in altera mansuetudo. Novis inter haec oblatis a patre nuptiis, constantissime recusatis, ut propositum, quo totam se Deo mancipaverat, magis magisque firmaret, pulcherrimo quidem, sed asperrimo invento, adorabile Jesu nomen cadente ferro pectore impressit. Tam strenue in suscepto evangelicae perfectionis itinere progredienti datus est tandem, quem diuturnis a Deo precibus expetiverat, sapientissimus item, et sanctissimus conscientiae moderator, sanctus Franciscus Salesius, quem ut primum aspexit, mutuo sese agnoverunt, quum antea de facie non nossent. Probante itaque tanto magistro votum illud maxime arduum edidit, semper id exequendi, quod perfectius, atque acceptius Deo esse intelligeret. Neque vero minus firma opus erat fortitudine, animi, ut ea perficeret, quae de novi ordinis fundatione a Salesii magisterio didicerat. Multae enim, et

graves superandae fuerunt difficultates: quas inter fortasse illa maxima, quod quum filius strato per januam corpore intercludere aditum matri tentasset, ne Annecium profectura, quo divinitus vocabatur, domo pedem efferret, strenua mulier recogitans forte illud Hieronymi: per calcatum perge patrem: super filium transiit, quem eximie carum habebat. Quid autem incensa charitas possit efficere statim apparuit. Salesio enim velut architecto prima jecit fundamenta ordinis sanctimonialium a visitatione Beatae Mariae virginis nuncupati, quem, obtinente frustra daemonum, et perversorum hominum fraude, tametsi non sine magnis exantlatis laboribus, multis ac diversis in locis ita propagavit, ut quatuor supra octoginta monasteria ipsius opera, et studio fundata numerarentur. Hujus autem ordinis institutio, tametsi nihil asperum, nihil austerum praeseferat, dum tamen voluntati, atque humanis affectionibus nihil quidquam, quod libitum fuerit, indulget, rerumque omnium abdicationem, et omnimodam sui abnegationem fortiter simul, et suaviter praecipit; ad perfectionem summam, quemadmodum, Deo incrementum dante, ad hanc usque diem non sine animi nostri jucunditate conspicimus, mira quadam ratione perducit. Jussu praeterea Episcoporum alia non sui ordinis monasteria visitans labentem in iis disciplinam restituit. Ubi autem praesens voce non poterat, per literas, quae extant bene multae, sacris potissimum virginibus praesto erat. Mors deinde consanguineorum, in iisque filii dulcissimi, sed Francisci Salesii potissimum, a cujus nutu, consiliisque pendebat, virilem illius animum adeo non fregit, ut nihilo secius quam antea ardua quaeque adoriri, ac perficere conaretur. Quibus rebus in eam sapientiae et sanctitatis opinionem apud omnes venit, ut ex ordine quovis, etiam episcopali, Joannae Franciscae consilia expeterent principes viri, ac reges illius se precibus commendarent, et sanctus ipse Vincentius de Paulo instituti sui leges eidem examinandas, et corrigendas traderet.

ad virtutum apicem pervenit, et meritis undique referta ex hac vita ad caelestem gloriam convolavit.

§. 6. Tam excellens virtus, quae quamvis per tot praeclare gesta sese prodiderat, majus tamen aliquid, quam quod exterius patebat, latere intus indicabat (ita quidem, ut Salesio ipsi optimo rerum aestimatori admirationi esset) ad eum perfectionis apicem pervenerat, ut matura jam coelo esset. Itaque quum famula Dei Parisiis rediens, quo jussu Episcopi Gebennensis, ab Anna Austriaca expetita, sese contulerat, Molini in morbum incidit, e quo instare sibi supremam diem intelligens sacramenta ecclesiae pie sancteque suscepit. Epistolam mox dedit ad omnes sui ordinis alumnas, charitatis, et sapientiae plenam. Cunctis demum praesentibus, absentibus, futuris etiam instituti sui monialibus a Deo fausta omnia precata fervidos inter fidei, spei, charitatis actus ad amplexum sponsi sui coelesti, quem unice semper dilexerat, feliciter convolavit, idibus Decembris anni MDCXLI. Eximiam Joannae Franciscae gloriam declaravit visus a S. Vincentio de Paulo splendescens globus alteri mox adjunctus splendidiori, atque alius demum longe supra quam dici potest lucidissimus, qui utrumque sibi commixtum excepit. Intellexit enim superno lumine perfusus vir Dei, in primo illo globo Joannam Franciscam, in altero S. Franciscum Salesium, in tertio vero Deum ipsum, qui lucem inhabitat inaccessibilem, designari.

Post annum septuagesimum sextum ab illius morte, incaepta disquisitio de ea in beatorum numero adscribenda.

§. 7. Tametsi autem de Joannae Franciscae sanctimonia fama esset percelebris, ex inani tamen opinione quadam, quod ante quinquagesimum annum inquiri de ea non liceret, factum est, ut tempus ad eam rem opportunius elaberetur: donec tandem anni MDCCXV. coeptum est agi de illa in beatorum numerum referenda. Instituto igitur ex eo tempore duplici examine, episcopali scilicet, et apostolico, atque utriusque actis exhibitis, et approbatis, in congregatione sacrorum rituum quaestiones, quae solent, habitae sunt. Testimonio deinde clarorum scriptorum, qui coaevi erant servae Dei, ac potissimum S. Francisci Salesii, et S. Vincentii a Paulo, heroicas fuisse Joannae Franciscae virtutes satis aperte probatum est. Sed quum testis illarum de visu, tam longo post obitu illius intervallo, nemo unus reperiretur, ad rem expediendam fel. rec. Benedictus XIV.

praedecessor noster sapienter praecepit, ut accederet adminiculum ex aliis duobus praeter duo requisita miraculis per invocationem servi Dei post mortem patratis.

Referuntur miracula, quae per intercessionem hujus sanctae post illius obitum evenere.

§. 8. Et quidem quatuor prae caeteris probatu digna reperta, sunt, Primum exhibuit Gabriella Angelica Morel in monasterio visitationis Abalonensi Dioecesis Augustoduni, cui, quum servae Dei se commendasset, crus dexterum semipalmo brevis altero, ac pene succi, et caloris expers, ad omnimodam cum sinistro aequalitatem redactum fuit. Secundam divinitus factam sanationem experta fuit Elisabeth Dronier de la Perouse professa ejusdem ordinis visitationis in oppido de Saint Amour, quod est in dioecesi Lugdunensi, quae ex diutini morbi vi semimortua, atque a medicis destituta, cum per tres menses immobilis in lectulo decumberet, ad beatam Joannam Franciscam confugiens; momento temporis sospes, integra, et consuetis omnibus ministeriis apta e lecto prosiluit. Tertium miraculum patratum est in Clara de Rubeis puella romana, quae contracta phtisi eo deducta, ut munita extremo sacramentorum praesidio jamjam moritura videretur, immo etiam aliquando haberetur pro mortua, sed, quum proposito sibi dierum novem obsequio beatae Joannae Franciscae opem posceret, a tertio, vel quarto usque ad diem nonum, depulsa vi morbi, convalescens, colore, orexi, viribus redditis, domo egressa in conspectum omnium prodierit. Quarta miraculosa sanatio contigit Eugeniae Trochon professae ordinis visitationis in civitate Salmuriensi Andegavensis dioecesis. Haec a quintodecimo aetatis anno gravissimo per octo annos asthmate pene praefocata dein correpta paralysi, quae brachio, et cruri motum ademit, et magna ex parte sensum imminuit, post dies ferme quadraginta infestae hujus aegritudinis, nulla adhibita medicorum ope, beatae Joannae Franciscae novendiali cultu sese commendans, postrema nondum elapsa, die momento temporis affectorum membrorum motu redintegratio, sana surgit, ac vigens, et munia facile repetit, quae solebat. Sed quintum etiam miraculum addendum dixit laudatus praedecessor Noster Benedictus XIV., quod quidem quamvis satis testatum esset authoritate episcopi Aurelianensis, quum tamen sedis apostolicae authoritate destitueretur, adeoque idoneum non esset, ut probata inter miracula referretur, idem Pontifex, hoc vitio sublato, ratum habuit, et confirmavit. Sanatio porro ita se habuit. Susanna Benfait professa ordinis visitationis, scirroso tumore non sine acri dolore, et cruciatu viscerum laborabat. Huc accessit paralysis, quae cruribus, quorum dexterum etiam ex atrophia exaruerat, motum omnem, et sensum penitus intercepit. Humanis itaque per menses duos remediis abstinens beatae Joannae Franciscae consueta novem dierum prece implorat auxilium. Labente adhuc die nona puncto temporis, motu, sensu, et carne praeterea cruri arido restitutis, vivida, et vigens ministeriis omnibus fungi potuit, quibus caeterae moniales bene valentes, atque integrae fungebantur.

In beatorum numerum adlecta fuit die 13. Novembris 1751.

§. 9. Quum itaque virtutibus, et miraculis authoritate apostolica confirmatis nullum jam dubium superesset, quin ad formalem servae Dei Joannae Franciscae beatificationem procedi posset, idem Benedictus praedecessor die XIII. novembris anni domini MDCCLI. per suas literas in forma brevis illi tamquam beatae cultum decrevit; officio, et missa quotannis die XXI. mensis augusti, qua solemnia coronationis suae recurrebant, ad ejus honorem certis in locis concessa.

Referuntur nova superventa miracula post illius beatificationem.

§. 10. Nova post indultam Joannae Franciscae venerationem miracula sequuta sunt, quae manifestam de augendo eidem cultu voluntatem Dei declararunt. Quibus, cognita prius processuum validitate, in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium, quae sacris ritibus praeest, ad examen vocatis, atque discussis, ex aliis pluribus, quae ferebantur, in generali simili congregatione coram Nobis die XXVIII. januarii anni proxime praeteriti coacta, duo haec quae sequuntur speciali approbatione digna comperta sunt, prout ex decreto Nostro die IX. subsequentis mensis martii apparet. Miraculum primum ejusmodi est. Maria Droz sanctimonialis in monasterio Pontis Aurelii Bisuntinae dioecesis, ordinis S. Bernardi, phtisi laborans, tentatis frustra per

triennium remediis ad eam depellendam, eo jam devenerat, ut ob vitiatos pulmones, morbumque, ut ajunt, jam confirmatum, indicia ferme omnia lethalem exitum proderent mox imminentem, ac propterea medicorum judicio recuperandae valetudinis spes nulla relinqueretur. Sed quae ab humanis remediis obtineri non poterat; B. Joanna Francisca cui monialis magna cum fiducia tametsi morti proxima se commendaret; peracta novendiali supplicatione, momento temporis ei valetudinem reddidit, atque ita reddidit, ut nulla prorsus deplorati jam morbi vestigia superessent. Altera supra vires naturae sanatio contigit in paupercula quadam virgine, cui nomen Florida, sive, ut Galli loquuntur, Fleuries Coing. Huic enim, dum in Lugdunensi nosocomio imperitus chirurgus brachii dexteri venam incidit, atque ad eliciendum sanguinem e foramine non fluentem acum ferream profundius immittit; laeso, aut scisso, ut opinio fuit, bicipiti nervo, vel alio quopiam, protinus brachium intumit, obriguitque ita, ut flecti nullo modo posset. Huic incommodo occursum est forata miserae virgini non semel affecta parte, sed eo factum est, ut brachii pars inferior contracta superiori velut affixa cohaereret, itemque digiti in pugnum coacti palmam arctius premerent, ut proinde medium aliquid interponi oportuerit, ne palma digitorum unguibus laederetur. Per quinquennium infelix vitam traxit emortuo brachio, sensus quippe omnis, et motus, et nutritionis experte, donec Annecium profecta, ut ad beatae Joannae Franciscae tumulum, quod biennio ante eodem itinere frustra emenso obtinere nequiverat, accederet, ubi ut primum expiata sacramento poenitentiae, et sanctissimo Christi corpore refecta, ac spei plena inutilem illam corporis partem B. Joannae Franciscae admovit sepulchro, protinus emortuum brachium revixit momento temporis, sensu, motu, carne, viribus restitutis.

Die 12. octobris 1766 decretum prodiit tuto ad canonizationem hujus beatae procedi posset.

§. 11. His igitur rite approbatis, quum in eadem generali sacrorum rituum congregatione die XXIII. septembris ejusdem anni habita, proposita fuerit quaestio, an tuto ad solemnem beatae Joannae Franciscae canonizationem procedi posset, nemini dubium fuit, quin juxta constantem praxim Apostolicae sedis, et praedecessorum Nostrorum decreta omnia ad hujusmodi effectum abunde suppeterent. Nos vero decreti editionem, ut divinam imploraremus opem, differre voluimus, sed demum die 12 octobris proxime praeteriti post fusas ad Deum humillimas preces, eorum sententiam ratam habentes, decretum protulimus de eadem canonizatione servatis servandis quandocumque peragenda.

Referuntur principum, et laicorum, atque ecclesiasticorum ordinum postulationes pro hujus beatae canonizatione

§. 12. Quemadmodum autem alias clarae memoriae Carolus VI. Romanorum rex in imperatorem electus, et Philippus V. Hispaniarum rex catholicus, ac Jacobus III. rex Angliae, aliique tunc in humanis agentes christiani principes, romanique Imperii electores, ac plurimi Archiepiscopi, et Episcopi, comitia praeterea cleri gallicani, ordinumque aliorum regularium praesides, capitula quoque ecclesiarum, et civitatum magistratus, praecipue vero clarae etiam memoriae Victorius Amadeus dum viveret Sardiniae rex, datis propterea literis apud praedecessores Nostros, progressum caussae canonizationis beatae Joannae Franciscae enixe poscentibus: ita quoque charissimi in Christo filii Nostri Ludovicus Galliarum rex christianissimus, et Carolus-Emanuel Sardiniae rex illustris, iteratis ob eam rem votis instare non desierunt, dilectae vero in Christo filiae instituti ab Joanna Francisca ordinis alumnae multo enixius assiduis, demissisque precibus postulabant.

Tandem omnibus solemniis rite servatis omnium consensione constituit hanc beatam in sanctarum numero esse adscribendam.

§. 13. Quocirca visum est Nobis cum venerabilibus etiam fratribus Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus in consistorio secreto die 27. proxime praeteriti mensis aprilis habito editum decretum exequutioni tandem esse mandandum: iisdemque omnibus in affirmantem sententiam convenientibus, venerabiles itidem fratres Nostros archiepiscopos, et episcopos ex toto ferme Italia ad gravissimum hoc negocium advocavimus, eorumque judicio seriem caussae, atque omnia, quae de virtutibus et miraculis beatae Joannae Franciscae probata fuerant, tum oretenus in consistorio publico die 9. mensis maji proxime elapsi coram Nobis coacto, in quo dilectus filius Paulus Franciscus Antamorus Nostrae consistorialis aulae advocatus in ipsius

beatae caussa peroravit; tum etiam in scriptis exponi mandavimus, tradita nempe singulis distincta gestorum omnium relatione, ex authenticis documentis ipsius congregationis religiose desumpta; quibus praemissis aliud consistorium sub die 10. currentis mensis julii convocavimus, in quo praeter S. R. E. Cardinalium praefatorum collegium, patriarchas, Archiepiscopos, et Episc. in romana curia praesentes sedere jussimus, ut adstantibus Apostolicae sedis notariis, protonotariis nuncupatis, et duobus antiquioribus causarum palatii Nostri auditoribus super expetita B. Joannae Franciscae canonizatione sententiam suam aperiret. Cumque omnes unanimes pro suprema ipsius beatae glorificatione non assensum modo validis rationibus roboratum, sed enixa etiam studia, et vota obtulissent; nos quidem ea de re ab Apostolicae sedis notariis publica instrumenta confici, ac praeterea prolatorum suffragiorum exempla a singulis subscripta colligi, et in tabularium S. R. E. referri mandavimus.

Pontifex antequam sententiam ferret, publicas, indixit supplicationes.

§. 14. Priusquam tamen ad ferendam tanti momenti sententiam adduceremur, indictis per Urbem generalium jejuniorum die diebus, designatisque ad supplicationes tribus patriarchalibus Urbis basilicis cum indulgentia ab iis consequenda, qui suas cum Nostris obsecrationibus jungerent, publicas Ecclesiae praeces apud Deum patrem luminum interponendas curavimus, ut ad dirigendos sensus nostros juxta viam suam gratiae suae opem, et auxilium Nobis impertiretur.

Solemni ritu in BB. Apostolorum basilica hanc beatam inter sanctas adscribendas esse decernit.

§. 15. Demum hac die Beatae Mariae Virgini de Monte Carmelo dicata, qua coronationis Nostrae solemnia redeunt, ut ad impositum Nobis gravissimum supremi Pontificatus onus, quo valde premimur, sustinendum, novos adhuc apud mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum, cujus vicarias vices gerimus in terris, intercessores obtineremus; in Vaticana basilica, ad quam solemni ritu Nos praecesserunt omnes cleri saecularis, et regularis ordines, omnia officialium romanae Curiae collegia, cum S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, antequam sacrosanctum sacrificium solemniter celebraremus, exhibitis nobis iterum iterumque a dilecto filio Nostro Carolo tituli sancti Clementis S. R. E. presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato ipsius S. R. E. Camerario, pro canonizatione impetranda procuratore constituto, christianorum principum, antistitum, et capitulorum ecclesiarum, magistratuumque, ac ordinis visitationis postulationibus, praecibus, et votis pro ipsius beatae Joannæ Franciscæ, quemadmodum etiam pro beatorum Joannis Cantii, Josephi Calasanctii a matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, et Seraphini a Monte Granario ab Asculo denominati, solemni canonizatione, et implorata prius caelestium spirituum, et Sanctorum omnium intercessione, atque speciali hymno paraclyto invocato Spiritu; ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae Religionis augumentum, de concessa Nostrae humilitati apostolicae authoritatis plenitudine, ipsam beatam Joannam Franciscam Fremiot de Chantal ordinis visitationis Beatae Mariae Virginis nuncupati fundatricem, omnibus evangelicis virtutibus cumulatissimam, et miraculorum testimonio gloriosam, una cum dictis Joanne Cantio, Josepho Calasanctio, Josepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliani, et Seraphino a Monte Granario ab Asculo denominato, sanctam esse decrevimus, et definivimus, ac sanctorum catalogo adscripsimus, ejusque memoriam, quam in subsequenti missae celebratione nos ipsi solemniter venerati sumus, ab universa Ecclesia quotannis dicta die XXI. Augusti religiose coli mandavimus. Cunctis quoque christifidelibus, qui ad tantam celebritatem confluxerant, plenariam iis vero, qui singulis annis praedicta die ad ejusdem sanctae Joannae Franciscae corpus venerandum accesserint, septem annorum, et totidem quadragenarum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta misericorditer in domino elargiti fuimus.

§. 16. En igitur sapientissimo Dei consilio in una sancta Joanna Francisca non uni dumtaxat mulierum caetui, sed cujusvis illarum conditioni, ac numeris omnibus absolutum exemplar. Habent hic virgines, habent nuptae, habent viduae, habent sacrae

Noviter in sanctarum numero adscita ad exemplum virtutum mulierum caetui exhibetur.

Deo moniales quod admirentur, quod imitentur. Illa enim virginitatis custos integerrima, si nuptiis consensit, non suae, quae illis adversabatur, sed paternae obsecuta est voluntati. In matrimonio non filios modo ad imitationem pietatis suae, sed virum etiam adducere sedulo studuit. Vidua porro sanctius vitae genus aggressa instituendo ab se ordini egregie prolusit. Ubi vero ad altiora vocanti se Deo alacriter paruit; fundatis opera sua monasteriis tam multis, ac fundandis in posterum, non tam optimis ab se constitutis legibus, quam pulcherrimis virtutum omnium operibus, ac monumentis, arduum simul, et suave ad evangelicam perfectionem iter ostendit, atque explanavit.

Transumptorum fides. §. 17. Ut autem praemissa omnia ad universae per orbem Ecclesiae notitiam perducamur, eorumque memoria perpetuis futuris temporibus ad Dei gloriam, et fidelium exemplum perseveret, Nos ea praesentibus Apostolicis literis complecti voluimus, mandantes eorum transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eamdem adhiberi fidem, quae ipsius praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis. §. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti concessionis, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae MDCCLXVII. decimoseptimo kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno decimo.

† Ego Clemens Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ sigilli.

† Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

† Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinae card. Lantes.

† Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

† Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

† Ego J. F. episcopus Praenestin. Card. Stuppanius.

†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

† Ego C. tit. S. Clementis presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.

†

† Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.

†
†

† Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.

† Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.

† Ego P. H. tit. Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.

† Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Coelio presbyter card. de Comitibus.

†

† Ego Fr. L. basilicae Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.

† Ego M. A. tit. Sanctae Mariae de Pace Presbyter cardinalis Columna.

†
†

†
†
†
†
†
† Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.
†
† Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major paenitentiarius.
† Ego L. tit. S. Anastasiae presbyter card. Calinus.
†
† Ego A. tit. Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.
†
†
† Ego P. tit. S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.
†
† Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.
† Ego A. Sanctae Mariae in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.
† Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.
† Ego D. Sanctae Mariae ad Martyres diaconus card. Ursinus.
† Ego Fl. Sanctae Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.
† Ego A. M. Sanctae Agathae ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.
†
† Ego J. C. Sancti Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
† Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perelli.
† Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.
† Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.
† Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.
† Ego X. Sanctae Mariae de Scala diaconus card. Canale.
† Ego B. Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Veterani.
†

†
†
†
†
†

C. Card. Pro-Datarius. A. Card. Nigronus.

DCXV.

Canonizatio Beati Hieronymi Æmiliani fundatoris clericorum regularium congregationis Somaschiae. Dat. die 16. Aug. 1767. Anno X.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sanctitas quae nusquam alibi, quam in civitate Domini virtutum, hoc est in catholica Romana Ecclesia, reperiri potest, quaeque proinde una est e notis ad eam dignoscendam maxime illustribus; quamquam virtutes omnes communi nexas vinculo complectatur; multiformis tamen Dei gratia ita voluntates servorum suorum afficit, ac disponit, ut aliam alii virtutem potissimum consectentur, in eaque colenda, atque exercenda maxime excellant. Inde enim oritur mirifica illa varietas, qua stella a stella differt in claritate, atque ut diversae hominum conditiones, atque indoles suum quaeque habeant apprime accomodatum ad imitandum exemplar. Quum autem benignissimus Deus Patrem se misericordiarum esse, et vocari gaudeat, et misericordiae operibus summopere delectetur; ob eam rem homines subinde virtutis hujus exercitationi singulari quodam modo addictos in Ecclesia sua sibi delegit, qui viri misericordiae forent, et variis mortalium calamitatibus sublevandis se totos impenderent. Itaque, cum inter alias hujus vitae calamitates non postremo loco numeranda videatur orbitas puerorum, qui vel altero, vel utroque parente carent; divinae utique providentiae fuit e servorum suorum numero aliquos ad hoc potissimum eligere, ut praecipuum ejus- Proemium.

modi puerorum curam gererent; iisdemque non modo de victu, et cultu, sed etiam de recta institutione, atque educatione prospicerent.

ides in ere Beati us, et mmaria ositio ca- n rerum, ae evenere illius ca- nizatione.

§. 2. Quocirca omnipotentis Dei providentia dedit Ecclesiae suae B. Hieronymum Æmilianum, qui hoc ipsum orphanos educandi munus sibi deposceret, et clarissimo quamvis genere ortus, atque in splendidissimis rei pacificae, et militaris muneribus magna cum laude versatus, ut id praestaret, ad quod divinitus vocabatur, ad infirma quaeque, et abjectissima in oculis hominum ministeria descendere non erubesceret. Quandoquidem igitur sanctitatis omnis fons, et origo divina bonitas, quae novos semper in Ecclesia suscitat imitatores charitatis, et misericordiae suae, his praecipue virtutibus B. Hieronymum Æmilianum ornavit, atque ad eas ipsas christiano populo commendandas miraculorum etiam testimonium addidit valde perspicuum; nos propterea utrisque ad trutinam die multumque revocatis, de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium, accedente etiam judicio Patriarcharum, et plurimorum Archiepiscoporum, et Episcoporum in curia congregatorum, et super haec superno lumine Spiritus Sancti implorato, eumdem B. Hieronymum Æmilianum sanctorum festis adscribimus, atque eo, qui sanctis in coelesti sede regnantibus exhibetur, cultu prosequendum, et venerandum esse pronunciamus, atque decernimus.

ius nobilis igo, et mi- aris occu- ationes.

§. 3. E parentibus patricia nobilitate clarissimis ortum habuit beatus Hieronymus Æmilianus, vulgo Miani, anno a virginis partu MCCCCLXXXI. In hoc, quod gratia possit efficere ad quamlibet indolem in melius mutandam, luculenter sane perspectum est. Ingentes ille, sive a natura, sive a majorum exemplo spiritus hauserat, ob eamque rem ad arcem quamdam, quae acri hostium obsidione premebatur, tuendam perquam idoneus est visus, sed propugnatorum paucitas tametsi virtute Hieronymi diu sustentata, numerum, et vim longe majorem hostium non tulit. Victus itaque, atque in carcerem ab hoste detrusus, manicisque, et compedibus, et catenis revinctus, quod diutius tam exiguo cum numero militum restitisset, constantiae suae poenas dare coactus fuit. Sed, quo immitiorem hostem, eo benignores in sese coelites expertus est.

Quomodo, beata Virgine adjutrice, fuerit mirabiliter e vinculis liberatus.

§. 4. Dum enim ferox ingenio juvenis infortunio mansuefactus, atque humanarum rerum instabilitatem edoctus, ad maximam post Jesum spem nostram deiparam Virginem confugit, votoque se obstringit celeberrimae cujusdam sacrae aedis Tarvisinae pie, sancteque invisendae, si praesentem ejusdem opem in tanto discrimine experiretur; fusas ex animo incensas preces misericordiae Mater exaudit, eique suis ipsa manibus vincla solvit, et claves carceris tradit. Ille catenas, et saxum, quo ad collum appenso pronum ad terram caput demittere cogeretur, omnia secum asportat. Tum Virgine pariter adjutrice ostia carceris reserans, e squalente custodia se proripit. Sed quum per medios hostes incedendum esset, novo iterum favore Virginis ipsum benigniter manu ducentis impune pergens, magna cum animi alacritate eo, quo statuerat, recta se contulit; ibi ad aram augustae Servatricis suae provolutus, manantibus prae gaudio lacrymis, corde magis, quam ore gratias eidem agens quantas poterat maximas, catenas, manicas, compedes, globum saxeum, quae hodieque visuntur, omnia ibi deposuit redditae sibi per Virginem monumenta libertatis.

Venetiis sese restituit ibique operibus pietatis incumbit, et semina futuri instituti ponit.

§. 5. Venetias inde revertens, longe alius ac inde discesserat, decretos sibi a republica honores adspernatus, per annos octo vitam in urbe ipsa solitariam, atque ab hominum consortio remotam egit, ut liberius Dei cultui, et filiorum fratris educationi operam daret. Verum his inclusa septis Hieronymi charitas diutius se continere non potuit; urgente etenim Venetiis magna annonae penuria, ac dira contagione grassante, illius misericordia, pravo pudore posthabito, palam prodiit. Strata passim per vias eorum, quos fames, morbusve confecerat, corpora noctu suis ipse humeris asportans insepulta jacere non patiebatur. Interdiu vero vagantes per compita, et cibum, vestem, tectum quaerentes pueros convocare, et in conductam ab se domum recipere. Aucto inopum, et miserorum numero,

in illius pectore augescebat et charitas, in pueros praesertim orbos parentibus. Quamobrem divendita domestica supellectili satis ampla ad eosdem alendos, stipem praeterea pro illis per urbem corrogare tanto genere natus nequaquam erubescebat. Sed cura potissimum in eo erat, ut eosdem christianis dogmatibus erudiret, et bonis moribus informaret. Ad haec ne adultis deesset qui ipsi sibi victum quaererent, mechanicam ut quisque artem addisceret prospiciens, impostcrum satagebat. Nusquam tamen Hieronymi charitas praeclarius sui specimen dedit, quam laborantes impetigine, aliisque id genus foeditatis pueros, velut sedula mater, sua ipse manu curabat, et quandoque, ut refugientem ejusmodi officia naturam vinceret, matris quoque amorem exsuperans, manantibus sanie illorum ulceribus os admovebat.

Conterminas urbes, et insulas excurrens nova undique suae charitatis praebet monumenta.

§. 6. Venetiis tanta se charitas continere non potuit. Quocirca in vicinas excurrens insulas collectos ibi orphanos, atque egenos pueros, duabus in domibus collocat, quos tamen deinde transtulit in hospitale incurabilium, cujus á praesidibus oblatam administrationem libenter susceperat. Veronae pariter, et Brixiae domum orphanis, ac leges constituit. Bergomum inde eodem consilio quum pergeret, metentes in agris operarios nactus, curvam et ipse falcem ad opus arripit, blandeque se insinuans in agrestium animos rerum divinarum ignaros docet quae necessaria sunt ad salutem, atque a cantionibus prophanis, et minus pudicis absterritos ad pias, et sanctas christianorum preces decantandas hortatur. Ut vero in eam urbem venit idem pietatis opus aggressus facile ad effectum perduxit, idemque pariter, quod Venetiis praebuit virtutis specimen singulare. Id autem multo clarius tum coepit esse, quum deficientibus die quadam obsoniis, Hieronymi cum pueris orantis precibus factum est, ut ingredientes triclinium parata ibi divinitus fercula plusquam suffectura invenirent. Fuit et illud in ea civitate perutile aeque ac difficile charitatis ejusdem opus, quod publicas in perniciem civium mulieres lucri Deo fecit, atque ad poenitentiam adductas, praescriptis ab se legibus vitam acturas septis inclusit. Sed quum frequenti barbarorum incursione multa in finitimas regiones vitia irrepsissent, studio animarum exstimulante, iis remedium parare quoquomodo constituit. Delectis itaque ex numero orphanorum, quos pietate, atque intelligentia maxime idoneos duceret, pagos, et villas cum iis circumiens, praeeunte salutifero crucis insigni populos undequaque ad se convocabat. Tum docere quae ad fidem pertinent, ponere ante oculos parata sontibus sempiterna supplicia, absterrere a vitiis, ad poenitentiam impellere, haec, et id genus alia erant, in quibus sermo ejus simplex, et planus, sed magno cum ardore animi versabatur. Novocomi post peragrata, quae circum oppida erant, pari sedulitate dua orphanorum domos, et familias constituit, iisdemque viros praeficit suo spiritu imbutos, quos sibi socios adjunxerat.

In loco somascha nominato, socios advocat suorum laborum, et congregationi clericorum regularium nomen dat.

§. 7. Ipse Bergomatum valle iterum perlustrata in Pagum Venetae ditionis, Somascha denominatum, qui locus ad poenitentiam propter asperitatem, ad contemplationem propter solitudinem, ad salutem animarum propter rudium populorum inscitiam opportunus prae caeteris visus est, se recepit, et inibi domicilium sibi, ac sedem, in qua diutius, libentiusque degeret, locavit, ac statuit. Huc igitur advocans laborum suorum socios, pias illis leges praescribit, quibus et sociorum ipsorum, et puerorum institutio contineretur. Ex eo autem loco factum est nomen congregationi clericorum regularium, quam Hieronymus divino consilio ad christianae reipublicae utilitatem instituit. Mediolani deinde repudiata ingenti pecunia, quam Dux ad experimentum sanctimoniae dono miserat, facile auxilium ab illo impetravit, ac domum, ubi orphanos collocaret. Hic autem, si unquam alibi, charitati ipsius satis ampla meritorum seges oblata est. Quum enim per id tempus in magna illa urbe lues vix ulli parcens foedissime grassaretur, Hieronymus frequenti mortis imagine nihil territus, invisendis aegris, sublevandis pauperibus, ad pietatem, ac poenitentiam omnibus cohortandis praesto aderat. Charitatis autem tam alacris proemium, utique existimandum, et miraculi loco merito habendum videtur, quod ex orphanis, et

ministris non paucis orphanotrophii nemo unus fuerit in tam multorum civium interitu desideratus. Quibus ex rebus increbescente fama Hieronymi sanctitatis, factum est, ut complures, et quidem e nobilibus, atque opulentis familiis, illius institutum amplecterentur, et vestigiis insisterent. Papiae itidem domo excipiendis orphanis constituta, Somaschae denuo se reddidit, ubi illud plane memorabile, quod, quum fratres duo ex diro inter se dissidio conviciis, non sibi modo, sed Deo etiam contumeliosis certarent, cum nihil monitis, atque obtestationibus profecisset; ingesto demum sibi in os coeno, ut pro eorum noxa aliquam vindici Deo poenam exsolveret, ad poscendam a Deo veniam, et mutuam inter se concordiam renovandam adegit.

numeran- prodigia Deo operata Hierony- virtutum rita.

§. 8. In montis, qui Somaschae imminet vertice humilem sibi, et suis casam parat, architectus idem, et faber et bajulus: huic parvum addit tugurium in medio clivo aptum aegrotantibus valetudinarium; opportunum item propter propinquitatem degentibus Somaschae orphanis quotidie revisendis locum. Deerat hic aqua: sed fusis ad Deum precibus fontem elicit e vicina rupe non sitientibus modo, sed aegris etiam salutarem. Signo crucis lupos in fugam vertit: eodem sanat repente ruricolam, qui grave sibi, dum ligna scindit, vulnus inflixerat. Panem item, et vinum multiplicat. Haec ille, atque alia mira patrabat, quae tamen ipse (qua erat humilitate) puerorum innocentiae, et pietati tribuere solebat. Beatissimae Virginis Mariae cultui addictus quam qui maxime, eumdem et aliis instillare, atque inserere studebat sedulo. Multo etiam magis ejusdem erga divinam eucharistiam, et sacramentum poenitentiae religio, et pietas eluxit. Pedestri itinere Venetias rediens, hospitalia visitat. Tum Veronae, Brixiae, Bergomi aliquandiu substitit, charitate, et paupertate ubique similis sui. Illi Bergomensis civitas orborum parentibus puerorum, ac puellarum domos; illi resipiscentium mulierum, septum, et capuccinorum coenobilium accepta refert. Denique post petitam ab episcopo Theatino, qui Veronae tunc diversabatur, benedictionem ultimam, Somascham reverti-tur. Ibi vero, propinquae mortis praescius, si unquam antea, solitariam, atque asperam vitam instituit; flagris, inedia, siti, somno brevissimo, eoque nudo super lapide corpus affictat. Spiritum vero diurnae, ac nocturnae orationis pabulo alit, ac reficit. Sed profecto, qui addictam semper charitatis operibus vitam duxerat, non aliter utique, quam inter eadem charitatis officia finire vitam decebat.

Inter virtutum exercitationes, et charitatis insignia exempla spiritum Deo reddit cum sanctitatis odore.

§. 9. Cum igitur Somascham lues infestaret, quid valeat incensus amor in proximum tunc maxime ostendit. Dici vix potest, quot, quantosque labores exhauserit, dum pestifero morbo correptos invisit, dum morientibus quoquomodo subvenire nititur, dum mortuos suis ipse humeris tumulandos exportat; neque vero unquam destitit, nisi, postquam eodem et ipse morbo implicitus est, pulcherrima charitatis victima moriturus. Ad mortem ergo decumbens, suos, atque externos piis, sanctisque monitis adhortatus, atque extremo sacramentorum praesidio munitus, hilari animo, sereno vultu, post iterata suaviter dulcissima Jesu, et Mariae nomina acceptissimum conditori, et servatori suo spiritum reddidit die februarii octava anno MDXXXVIJ. Ad corpus demortui, quem tanquam patrem omnes habuerant, frequens e finitimis pagis concursus factus est populorum, quibus ut copia fieret illius venerandi, ad plures dies differri sepulturam oportuit. Sanctus autem, ut haberetur, et vocaretur Hieronymus, edita, ante, et post obitum superna signa suadebant. Illud constat sanctum Carolum Borromaeum, quum eo venisset, illius ossibus suavi sese odore prodentibus thuris honorem tribuisse. Praeter miracula quaedam ab auditorio causarum palatii apostolici, prout, ea ferebant tempora, anno MDCXXX. apud fel. record. Urbanum PP. VIII. praedecessorem Nostrum commendata, alia relata fuerunt in acta processus ex apostolica auctoritate Somaschae peracti anno MDCLXXVIII.

Referuntur acta gesta pro servi Dei beatificatione.

§. 10. Porro virtutum Hieronymi præstantiam in gradu heroico, auditis sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium, qui sacris ritibus praesunt, ac consultorum suffragiis declaravit Clemens XII. etiam praedecessor Noster de-

creto suo die XXV. Augusti MDCCXXXVII. edito. Jam vero quod attinet ad miracula Hieronymi intercessione a Deo patrata, per quae ad beatificationem aperiretur via, ejusdem recordationis Benedictus XIV. praedecessor quoque Noster duo prae caeteris per decretum die XXIII. Aprilis MDCCXLII. approbatu digna comperit. Primum quidem in Hieronyma Durighella Venetiis anno MDCCXXXVII. quum habituali morbo scorbutico, atque inde ortis malignis ulceribus, diris convulsionibus, aliisque deterrimis symptomatibus laboraret per annos complures, quorum quatuor extremos lecto affixa miserandum in modum transegerat, invocato Hieronymo statim convaluit. Sanatio altera instantanea supra vires naturae contigit anno MDCCXXXVIII. in puero septenni Antonio Blanchini ab insanabili morbo comitiali, qui ab incunabulis usque saepissime diebus singulis male illum habuerat. Sub haec idem Benedictus praedecessor die V. Augusti anni MDCCXLVII. tuto ad beatificationem deveniri posse pronunciavit. Quod quidem decretum effectum habuit die XXII. subsequentis mensis Septembris editis litteris illius beatificationis, cujus sacrae ceremoniae in Vaticana basilica die XXIX. ipsius mensis peractae sunt.

Itemque posteriora pro illius canonizatione.

§. 11. Quum vero alia deinde miracula ad canonizationem viam sternere viderentur, novi authoritate apostolica processus confecti sunt, quorum validitas primum ab ipsa congregatione die 7. Maji MDCCLXIII., deinde vero a nobis die 14 ejusdem mensis probata fuit. Comperta itaque processuum validitate, coeptum est agi de miraculis ipsis in specie, et post coactas congregationes, antepraeparatoriam 5 Februarii MDCCLXV, praeparatoriam vero 4 Martii MDCCLXVI. In comitiis denique generalibus coram Nobis habitis die 13 Maji ejusdem anni, duo miracula mox adscribenda digna sunt habita, quae probarentur. Verum nos, sumpto adhuc ad invocandum patrem luminum spatio, die tandem mensis ejusdem Maji 25. constare de duobus miraculis pronunciavimus. Miracula autem hæc sunt. Primum contigit in sorore Maria Gesualda Pocobella mense Junii MDCCXLVIII. supra naturae vires B. Hieronymi intercessione sanata, cum ex pessimo ulceroso humore in tarso sinistri pedis caro, et ossa computruissent. Alterum naturae vim supergrediens per ejusdem Beati opem sanatio cum subita virium redintegratione mense Aprili MDCCLIV. perspecta est in Elisabetha Zandaniglia, quam colica nephritica, aliaeque pravae affectiones in extremum vitae discrimen adduxerant. Proposito sub haec dubio in congregatione generali habita coram Nobis die 23. septembris MDCCLXVI. An stante approbatione duorum miraculorum ad solemnem Beati Hieronymi Æmiliani canonizationem tuto procedi posset; Nos tametsi Cardinales, et consultores in affirmantem sententiam convenientes audivissemus, ante decreti editionem faciendum duximus, ut iterum, iterumque fusis praecibus Deum consuleremus; donec tandem die 12 Octobris anni proximi praeteriti canonizationis Beati Hieronymi Æmiliani quandocumque faciendae decretum, edi, et in acta sacrae congregationis rituum referri mandavimus.

Ad christianorum principum preces, et regularis familiae Somaschiae acta iterata pro canonizatione in secretis, et publicis consistoriis.

§. 12. Hoc edito decreto, preces, quas Apostolicae sedi aliqui christiani principes, et praecipue dilecti filii nobiles viri Dux, et respublica Venetiarum ab hujus caussae exordio obtulerant, Nobis iterum exhibitae fuere, congregatio vero dilectorum filiorum clericorum regularium de Somascha nuncupata assidue aliorum postulationibus et suas demississimas preces adjicere non desinebat, ut peroptatam canonizationis sententiam ferremus. Nos idcirco prius universo S. R. E. Cardinalium collegio compendium vitae, virtutum, et miraculorum Beati Hieronymi, ex iis, quae sacrorum rituum congregatio, habito diligenti examine, probavit, depromptum, et impressum distribui jussimus, mox secretum die 27. Aprilis vertentis anni indiximus consistorium, atque in eo postquam summa virtutum et miraculorum Beati Hieronymi ipsis S. R. E. Cardinalibus exposita fuit; Nos ipsi eos alloquuti, singulorum consilium exquisivimus, an ad solemnem canonizationem esset procedendum Beati Viri, qui inter heroicas virtutes, quas in ejus animum divina indidit gratia, singulari excelluit in pro-

ximum charitate, cui exercendae praesertim erga pauperes orphanos, et humano praesidio destitutos, studium omne contulit suum; cumque eorumdem Cardinalium animi sensus, id sibi placere affirmantium, ingenti cum animi nostri laetitia audivissemus, ut adhuc in hac re tutius, et juxta laudabilem Apostolicae sedis consuetudinem procederemus, venerabiles etiam fratres nostros Archiepiscopos, et Episcopos in Italia degentes, de consilio Nostro commonefaciendos curavimus, itemque adhortandos, ut ad Urbem intra praestitutum tempus venientes in tam gravi negotio suffragiis suis, et precibus adjuvarent. Ejusdem compendii exempla illis tradi jussimus, utque de totius caussae Beati Hieronymi serie, atque de virtutibus, et miraculis ab Apostolica sede approbatis cumulatius erudirentur; publicum coram Nobis die 9. mensis Maji proxime elapsi consistorium convocavimus, cui praeter S. R. E. Cardinales, Patriarchae quoque, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe congregationi interfuere, atque in illo, impetrata a Nobis venia, dilectus filius Julius Caesar Fagnani consistorialis aulae nostrae advocatus pro ejusdem Beati Hieronymi canonizatione gravi, et ornato sermone peroravit. Nos vero ob rei gravitatem eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos ibidem praesentes magnopere hortati fuimus, ut jejuniis, et orationibus instarent apud eum, qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Post haec, consistorio semipublico die 15. nuper elapsi mensis Junii indicto, praeter eosdem Cardinales, et Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, etiam Nostros, et sedis Apostolicae notarios, duosque antiquiores ex causarum palatii Apostolici auditoribus interesse jussimus. Ibi autem Nos universos, qui convenerant, alloquuti, singulorum suffragium exquisivimus, an sancti cultum, et honorem Beato Hieronymo tribui oporteret: cumque omnes, gravibus allatis caussis, Beati Viri canonizationem non modo probarent, sed justum id, atque aequum censerent; perjucunda Nobis fuit illorum in idem placitum mira consensio.

[...]ublicae pre[...]s indictae [...]d invocandum divinum auxilium antequam de canonizatione decerneretur

§. 13. Verumtamen, ad implorandam uberius Dei misericordiam, qui mitteret Nobis auxilium de sancto, triduanum in Urbe jejunium indiximus, et tres patriarchales basilicas designavimus, in quibus sanctissimum eucharistiae Sacramentum per totidem dies publicae venerationi exponeretur omnesque christifideles hortati fuimus, ut sacramentali peccatorum confessione expiati, et Christi corpore refecti, ejuniis, et orationibus omnipotentem Dominum nobiscum unam obsecrarent, ut sedium suarum assistricem sapientiam Nobis impertiretur, cujus affulgente luce, quid ei placitum esset dignosceremus, indulgentia ad id, et plena peccatorum remissio concessa. Nos itaque praeter diurnas, et assiduas humilique fiducia effusas privatas preces, ad easdem basilicas visitandas tribus designatis diebus reverenter accessimus, atque non sine animi Nostri sancta exultatione spectavimus confluentem ad eas summa cum religione totius fere romani populi multitudinem, et sua de beatis in sanctorum numerum cooptandis vota, vultu ipso, atque oculis praeferentem.

Tandem solemni ritu in BB. Apostolorum Basilica Pontifex D. Hieronymi canonizationem decernit, et approbat;

§. 14. Hac die denique beatissimae Virgini Mariae de Monte Carmelo dicata, qua coronationis Nostrae recurrunt solemnia, ad basilicam principis Apostolorum splendide, et magnifice ornatam, servata supplicationis publicae forma, et praecedentibus omnibus cleri saecularis, et regularis ordinibus, et ministrorum romanae curiae collegiis, una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis perreximus. Atque ubi ad confessionem beati Petri ventum est, antequam sacris solemnibus operaremur, postulante semel atque iterum dilecto filio Nostro Carolo tituli Sancti Clementis S. R. E. presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato, ejusdem S. R. E. camerario, ad canonizationem impetrandam procuratore constituto, decantatae fuere sacrae Ecclesiae preces, ut Deiparae virginis, angelorum, et sanctorum omnium Christo regnantium intercessione divinum Nobis adesset auxilium. Tum paraclyto Spiritu cum gemitibus invocato, ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae Religionis augmentum, authoritate domini nostri Jesu Christi beatorum apostolorum Petri, et Pauli, et apostolicae No-

strae authoritatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe congregatorum consilio, et assensu, ipsum Beatum Hieronymum Æmilianum fundatorem congregationis Clericorum regularium Somascha denominatae, una cum beatis Joanne Cantio, Josepho Calasanctio a Matre Dei, Josepho a Cupertino, Seraphino a Monte Granario, ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal, sanctum esse decrevimus, ac sanctorum cathalogo adscripsimus, illumque ab universis christifidelibus, tamquam vere sanctum, religioso cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore praesentium definimus, decernimus, et declaramus: Statuentes, et concedentes, ut ab universali Ecclesia in ejus honorem ecclesiae, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur edificari, et consecrari, et singulis annis die octava mensis Februarii ipsius santi Hieronymi Æmiliani inter sanctos confessores ab Ecclesia memoria recoli possit. Eademque authoritate omnibus christifidelibus, qui eadem die annis singulis ad sepulchrum in quo corpus ejusdem sancti Hieronymi conditum servatur, visitandum accesserint, perpetuo septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino in forma Ecclesiae consueta relaxavimus.

Publicae indulgentiae occasione hujus canonizationis elargitae.

§. 15. Mox decantato pro debita gratiarum actione laudis, et confessionis hymno, omnibusque christifidelibus, qui ad tantam celebritatem confluxerant, plena peccatorum remissione, et indulgentia concessa, supra beatissimi Apostolorum Principis confessionem, sacrosanctum missae sacrificium solemniter celebravimus, factam eorumdem sanctorum speciali commemoratione.

Quomodo catholica Ecclesia illustretur tantarum virtutum recordatione, et exemplo.

§. 16. Jam vero, si omnino decet laudare Dominum in sanctis ejus, in beato utique Hieronymo peculiarem, quamdam habemus rationem, cum id praestare debeamus; etenim quum christianae, et catholicae Religionis insigne quoddam, ac veluti tesseram Christus Jesus mutua in charitate constituerit; haec profecto tessera, hoc insigne in quo vere divini praeceptoris discipuli cognoscantur, tum in aliis quolibet tempore, tum in sancto Hieronymo praesertim enituit, ita quidem ut ad similitudinem Dei qui pater dicitur orphanorum, maxime accedere videretur. Qua quidem in te, et catholicam Ecclesiam novi ordinis institutione illustriorem reddidit, et evangelicae pietatis cultoribus exemplum reliquit, quo scilicet in misericordia erga pauperes exercenda ad patrem misericordiarum imitandum excitarentur. Dum igitur Ecclesiam ipsam novis in diem splendoribus coruscare gaudemus, ad eos illuminandos, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, illud simul curare omni studio debemus, ut quae in Ecclesia quotidie instaurantur exempla virtutum, non frustra nobis proposita esse videantur.

Cum Veneta gratulatur civitate, quae novo sancto in patria fuit.

§. 17. Hic autem praetermittere illud non possumus ut Venetae Urbi, in qua natos Nos esse gloriamur, magnoperae in Domino gratulemur. Etenim, si praeclarum est ei cives habuisse per omnes aetates, tum pacificis, tum militaribus artibus memorandos, longe utique praeclarius eidem esse fatendum est, quod viros sanctos habuerit, quos heroica christiana virtus inter superos collocavit, quique, ut olim in terris, sic multo magis in caelis, patriae sint praesidium et decus.

Transumptorum fides.

§. 18. His igitur omnibus peractis, cum idem Carolus cardinalis, et procurator designatus a nobis obsequenter petierit, ut Apostolicas Nostras literas in gestorum omnium perenne monumentum decerneremus. Nos petitioni perquam libenter annuentes, praesentes nostras literas edi; et palam fieri demandavimus: statuentes earumdem exemplis etiam impressis, ab aliquo ex notariis publicis subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem ab omnibus adhiberi, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si exhibitae, vel ostensae forent.

Sanctio poenalis.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessioni, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apo-

stolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCLXVII. decimoseptimo kalendas Augusti, pontificatus Nostri anno decimo.

† Ego Clemens catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ sigilli.

† Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

† Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinae card. Lantes.

† Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

† Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

† Ego J. F. episcopus Praenestin. Card. Stuppanius.

†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

† Ego C. tit. S. Clementis presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.

†

† Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.

†
†

† Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.

† Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.

† Ego P. H. tit. Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.

† Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Coelio presbyter card. de Comitibus.

†

† Ego Fr. L. basilicae Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.

† Ego M. A. tit. Sanctae Mariae de Pace Presbyter cardinalis Columna.

†
†
†
†
†
†
†

† Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.

†

† Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major poenitentiarius.

† Ego L. tit. S. Anastasiae presbyter card. Calinus.

†

† Ego A. tit. Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.

†
†

† Ego P. tit. S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.

†

† Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.

† Ego A. Sanctae Mariae in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.

† Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.

† Ego D. Sanctae Mariae ad Martyres diaconus card. Ursinus.

† Ego Fl. Sanctae Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.

† Ego A. M. Sanctae Agathae ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.

†

† Ego J. C. Sancti Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.

† Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perelli.

† Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.

† Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.

† Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.

† Ego X. Sanctae Mariae de Scala diaconus card. Canale.

† Ego B. Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Veterani.

†

†

†

†

†

†

C. Card. Pro-Datarius. A. Card. Nigronus.

DCXVI.

Dat. die 16. Aug. 1767. Anno X.

Canonizatio beati Joannis Cantii presbyteri secularis, et sacrae theologiae doctoris, atque professoris in universitate Cracoviae.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ecclesiam suam Deus veluti munitissimam quandam arcem ita instruxit, ut mille clypei pendeant ex ea, omnis armatura fortium; clypei autem, atque arma ejusmodi sunt zelus, et scientia doctorum, qui sanam doctrinam, vel e cathedra, vel e suggestu tradendam suscipiunt, eamdemque, ut facile in animos influat, integritate morum, et vitae sanctitate commendant. Nimirum ad Ecclesiam tuendam, ne portae inferi praevaleant adversus eam, neque doctrina satis habet auctoritatis sine sanctitate, et sanctitas majus habet roboris cum doctrina conjuncta. Samaritanis impedire conantibus ne Israelitae reduces e captivitate Hycrosolymae disjecta moenia reficerent, ii, quibus instauratio commissa erat, una manu faciebant opus, altera tenebant gladium: atque hos quidem imitati sunt quovis tempore, et quotidie imitantur egregii doctores, quos subinde Deus excitat, in iis praesertim regionibus, quae ab Ecclesiae hostibus, cujusmodi sunt haeretici, atque schismatici, tanquam a Samaritis quibusdam Hierosolymae infensis, et contumaciter adversantibus circumvallantur.

Laudes et merita in genere B. Joannis Cantii.

§. 2. Porro inter ejusmodi egregios viros doctrina, et sanctitate praestantes, qui facerent simul, et docerent, atque orthodoxam fidem ab hisce adversariis nequissimis oppugnatam defenderent, dignum certe qui numeretur in paucis beatum Joannem Cantium fuisse nemo ambiget, qui eundem noverit in Cracoviensi academia, purissimo haustam e fonte scientiam tradidisse, quum per ea tempora in aliis non longe dissitis regionibus haereses, et schismata grassarentur, et sanctiorem morum disciplinam, quam concionando e suggestu explicare populo satagebat, humilitate, castimonia, misericordia, corporis afflictatione, caeterisque integerrimi sacerdotis, et strenui operarii virtutibus confirmasse. Itaque non modo illius academiae professoribus ornamentum, ac decus addidit singulare, sed exemplum etiam mirifice profuturum reliquit caeteris omnibus, qui in simili munere versantur, ut perfecti doctoris obire munus impigre studeant, et scientiam sanctorum simul cum aliis facultatibus, quae velut ancillae illi subserviant, ad unius Dei laudem et gloriam docere omni studio, atque ope nitantur. Ipse interea beatus Joannes decoratam olim suis virtutibus academiam propitius ab alta respicere nunquam desinet, et inclytam nationem suam orthodoxae romanae Fidei non modo cultricem egregiam, sed validam etiam propugnatricem perenni suo patrocinio favebit, ac proteget. Quocirca cum beatus Joannes Cantius scientiae studium ad unius Dei laudem, et gloriam referens, lucerna extiterit in Ecclesia Dei ardens, et lucens, nec minus editis post mortem miraculis, quam in vita virtutibus coruscaverit; nos proinde, post eam,

quam rei gravitas postulabat, accuratam, ac diuturnam virtutum, et miraculorum discussionem, adhibitis in consilium venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, plurimisque Archiepiscopis, et Episcopis in urbe congregatis, atque in primis Patre luminum pie, atque humiliter invocato, eumdem beatum Joannem sanctorum in numerum referendum, atque in Ecclesia Dei venerandum, et colendum esse decernimus, definimus, et declaramus.

obilis B. ...nnis ori..., ejusque ...ogressus ...religione, ...studiis.

§. 3. In oppido Kentii Cracoviensis dioecesis beatus Joannes Cantius ex illustribus consulari genere, et christiana pietate parentibus natus est die Junii XXIIII anno supra millesimum tercentesimo nonagesimo septimo, sedulam educationem cum indole egregia conjunctam secuta est, ut assolet, innocentia singularis, atque ea morum gravitas, ut virum quodammodo in puero mirari liceret. Artibus iis, quibus pueritia ad humanitatem informari solet, satis excultus ad Cracoviensem academiam, non ita pridem fundatam, missus est; ut philosophicas, ac theologicas facultates addisceret. Et quidem in iis ingenii acumine et laboris patientia praecaeteris tantum profecit, ut in philosophia eximium honoris gradum, in theologia doctoris, non lauream modo, sed munus etiam adsequeretur. Id autem munus, et ex cathedra, et e sacris rostris ita obibat, ut auditorum animis cum pura sinceraque doctrina studium pietatis et religionis insereret. Atque haec quidem doctrinae sinceritas romanae Ecclesiae plane consentiens, eo pluris facienda erat, quod per ea tempora praesentissimum veluti pharmacum erat adversus errorum, atque heresum luem, quae Hollandiae, Britanniae, et Germaniae scholas infecerat. Porro tanta illius, tum doctrinae, tum vitae integritas praeclaro signo divinus ostensa est. Quum enim exorto Cracoviae incendio, flammae in immensum excrescentes ita serperent, ut universa mox civitas absumenda videretur, effusus in preces Joannes, (quandoquidem in humana vi spes nulla jam erat) virum sibi maturum aevo, adspectu venerandum, sanctum Stanislaum Cracoviensem Episcopum esse opinio fuit, adstantem vidit, ex eoque intellexit, incendium ultra non processurum: caeterum moneret cives, ut a flagitiis desisterent: si secus faxint poenas imminere longe graviores. Verum, cum cives praedictionis immemores, ad ingenium et pristinos mores rediissent, excitatum rursus incendium, civitatem magna ex parte consumpsit. Sacris mysteriis quotidie Joannes tanto animi ardore, atque inde emicante pietatis specie operari solebat, ut iis, qui aderant, summam erga rem divinam venerationem ingereret. Quod quum adversarius humani generis ferre non posset, quadam die hirundinis assumpta specie, templum circumvolitans adstantium mentes turbare, atque alio avertere conabatur. Itaque, ut omnes viderent quod divinitus ipse noverat apprehensam avem ad terram allidit. Ibi autem illa in colubrum versa horrifico sibilo ex oculis confestim se se subduxit.

Quanta fuerit B. Joannis humilitas, et sui ipsius contemptus.

§. 4. Religioni, qua res divinas tractabat, humilitas adjuncta erat, qua sibi vilescens nemini unquam, tametsi scientia omnium facile princeps, praeferebat sese, quin etiam sperni se ab omnibus ac despici optabat; tantum aberat ut obtrectantes sibi (quod aliquando evenit) suique contemptores parum aequo animo ferret. Quae caussa etiam fuit, cur delatos sibi honores declinaturus, vilis, atque egeni hominis habitu, longas pedestri semper itinere, semel ad sancta Palestinae loca, quater ad sancta Apostolorum limina peregrinationes susciperet. Humilitatis comes erat rara quaedam ac puero digna simplicitas: itaque in factis ejus, ac dictis nihil subdolum, nihil fictum, quod clausum habebat in pectore, hoc in lingua promptum habebat. Hujus autem eximiae sinceritatis, quam nemo non nosset, illud sane specimen fuit plane admirandum. In latrones inciderat, qui post ereptam, quam in crumena gerebat pecuniam, num quae alia superesset, interrogarunt. Negat ipse quidquam reliqui esse: at mox reminiscens aureos quosdam in veste subsutos habere, revocatis latronibus, illos etiam qui animo exciderant offerebat. Tam inusitata sinceritas perditorum quoque animos flexit. Itaque obstupefacti, pecunia, quam abstulerant, statim reddita, veniam sceleris

poscunt, illius se precibus commendant, utrumque facile impetrant a sancto viro.

Insignes quamplures illius virtutes describuntur, et commendantur

§. 5. Paroeciam sibi delatam aliquandiu diligentissime administravit; sed quamvis pastoris quae sunt officia sedulo expleret, pro ea qua erat meticulosa conscientia, ratus negotium esse periculi plenum, dimisit, et consuetum in collegio docendi munus repetere tutius existimavit. Abstinentiae deditus, post adeptam theologiae lauream, carnes nunquam comedit. Ceterum cibus illi parcissimus, crebra jejunia, flagrorum frequens, perpetuus cilicii usus, somnus brevis admodum nuda super humo, in senectute dumtaxat ursina pelle substrata. Castitate proinde, tum animi, tum corporis illibatam servavit; illiusque argumentum item et praemium fuit candidum sertum, quo illum Deipara Virgo cum puero Jesu sese conspiciendam exhibens, tanquam eximium clientem suum decoravit. A peccato abhorruit quam qui maxime. Leves noxas ita deflebat, ut gravium reus criminum videretur. Si quam forte e verbis suis, dum vera loquitur, ortam in aliis offensionem suspicaretur, antequam ad aram accederet, supplex veniam, non tam sui, quam alieni erroris petebat, quum contra, quae sibi ab aliis ingerebantur convicia, et probra, aequo, et miti animo ferret. Jamvero misericordiae in proximos nullum ferme officium fuit, quod non amantissime obiret. Afflictos in spem erigere, moerentes alloquio solari, peregrinos excipere, carceribus inclusos visitare, pauperes quotannis coemptis vestibus operire solemne illi erat, ita quidem, ut occurrenti per viam mendico, qui nudis pedibus incedebat, detraheret sibi calceos, ut nuditatem illius operiret, suam ipse interea contegens pallio tandiu dum se domum reciperet. Die nascenti Domino sacra, dum ad Ecclesiam pergit, pauperum nactus super nive rigentem gelu, lamentabili subsidium poscentis voce commotus, sua illum veste contexit, quam tamen mox domum reversus suo in cubiculo divinitus reperit. Ex hac Johannis in pauperes charitate, in Cracoviense collegium pia et laudabilis, quae ad hanc usque diem manet consuetudo, inducta est, ut illius professores unum aliquem quotidie pauperem communi secum prandio adhiberent, perinde quasi in illius persona Christum ipsum convivam habeant. Hanc autem tam egregiam animi affectionem, qua pius sacerdos nullam proximorum calamitatem alienam ab se putabat, insigni miraculo Deus comprobavit. Quum enim ancilla quaedam ob situlam, quam lacte plenam gerebat, lapsam e manibus, et confractam gemeret, quod herae objurgationes timeret, Johannes miseratione ductus, collectis fragmentis, et coagmentatis, pristinae integritati reddidit, fusis ad Deum precibus, iisdemque mox aquam, qua situlam impleri jussit, in lac commutavit.

Mira devotione colebat passionem Divini Servatoris.

§. 6. Christum Dominum pro salute nostra tam dira atque infanda perpessum, et meditabatur assidue, et flagrantissime redamabat: quem quidem amorem, ut simul incenderet, et expleret, ad memoranda Christi tormentis loca Hierosolimam pedibus iter suscepit. Ibi autem diei vix potest, quam reverenter, quam pie, quam ardenter, non sine gemitu, et lacrymis monumenta Servatoris nostri maxime insignia perlustraret. Nec vero tenere se potuit, quin Turcarum impietatem ac perfidiam argueret, et christianae religionis veritatem liberrime praedicaret; praeclare secum agi existimans, si ob eam rem vitam, quod maxime optabat, profundere contigisset. Ante imaginem crucifixi Domini ipsas prope noctes orando insumebat, atque in longas non semel extases rapiebatur. Per diem vero, postquam suo munere perfunctus esset, e liceo statim recta in templum, ubi ante Christum in Eucharistia latentem contemplationes ac preces diu protrahebat. Omnino unus in corde, unus in ore Deus erat. Hunc autem pium animi ardorem ut foveret in dies, atque augeret, cum sanctis quibusdam viris, qui per id tempus virtute florebant, versari, et colloqui gestiebat, et quae in illis summa erant suspiciens emulabatur.

Virtutibus, et meritis plenus, ad caelestem patriam migravit die 24 Decembris 1473.

§. 7. Sed satis jam in vinea Domini operarius impiger laboraverat. Tempus aderat mercedis accipiendae: itaque e languore corporis praesentiens Johannes, mortem haud procul abesse, in eo totus fuit, ut ad feli-

cem se exitum compararet, ac primum misericordia in pauperes, in quos quidquid domi supererat, erogavit; divinam sibi misericordiam magis magisque conciliavit, tum confessione sacramentali, si quae erant conscientiae labes abstersit, et sanctissimo Christi corpore refectus lecto decubuit. Ingravescens morbus non metum, sed spem afferebat. Nihil enim optabat magis, quam, ut quantocius ab exilio migraret ad patriam. Divino tandem viatico roboratus, post salutaria monita, quibus collegas ad omnia christianae virtutis, ac praecipue charitatis officia inflammavit, ad quos anhelabat, Christi Jesu amplexus feliciter evolavit die XXIIII Decembris anno reparatae salutis MCCCCLXXIII cum annum ageret septuagesimum sextum.

...a functo ...us sanctitatis fama ...am cito ...crebuit.

§. 8. Sancti viri corpus cives Cracovienses ad ecclesiam delatum magno aeque moerore, atque honore sunt prosequuti, ac tum praesertim, quum illius sanctitas, tametsi satis perspecta clarius coepit miraculis explendescere. Veneratio praeterea major accessit ex odore quodam suavissimo, quem centum triginta post annos a beato ejusdem obitu, reclusa urna sepulchrali efflavit, cujus rei testes fide digni extiterunt. Porro purpuream Cantii vestem (reverendam vocant) religiose asservatam, induere solet quisquis philosophiae recens decanus, solemne dicit jusjurandum, ut una cum veste videlicet tanti olim magistri, mores quoquo modo et virtutem induat.

...ta proces...s inchoan...r pro ...ificatio... Servi Dei.

§. 9. Percrebescens de sanctitate, et miraculis fama Episcopum Cracoviensem impulit, ut processum de utriusque conficeret, eoque rite discusso sa. me. Urbanus PP. VIII. praedecessor Noster negotium commisit congregationi sacrorum rituum, illud praecipiens, ut, omissa generali, specialem dumtaxat quaestionem institueret, quod cum factum non esset, causa siluit ad annum usque MDCLXVI. Quo tandem fel. record. Alexandri PP. VII. etiam praedecessoris Nostri jussu, praevio rituum congregationis consilio, caussa iterum tractari coepit, sed propter edita dicti Urbani praedecessoris decreta, necesse fuit expediri litteras remissoriales ad conficiendum processum super cultu immemorabili beati viri, per quem videlicet ab Urbani decretis fieret exceptio. Hujusmodi autem cultus approbatio in eadem congregatione prodiit die 20. Maji 1676. Expeditis subinde novis litteris remissorialibus pro instituenda quaestione speciali, inter haec praedecessor quoque Noster ven. me. Innocentius XI. die 27. Septembris anni 1680 Poloniae regis votis indulsit, ut anniversaria die B. Johannis officium et missa sub ritu duplici in urbe Cracoviae, atque in universo Poloniae regno recitari, ac celebrari posset: Quae tamen B. Joannis veneranda memoria per sacrorum rituum congregationem paullo post justis de caussis translata fuit ad diem 19. Octobris. Sub haec absoluto processu specialis inquisitionis, validoque comperto, quum scripta quaedam in processu compulsata B. Joanni Cantio falso tribuerentur, eadem rituum congregatio declaravit die 17. Septembris 1730. Non constare quod opera in processu apostolico compulsata Beato attributa, essent ipsius Beati; ideo procedi posse ad ulteriora. Die postea 4. Julii 1733. eadem congregatio virtutum heroicarum excellentiam asseruit, atque approbavit.

§. 10. Inter haec B. Joannes electus fuit in compatronum principalem regni Poloniae, et magni ducatus Lithuaniae, eamque electionem ipsa rituum congregatio ratam habuit die 16. Februarii 1737 concesso praeterea officio sub ritu duplici primae classis cum octava, ac die 31. Martii 1739. oratione, et lectionibus propriis secundi nocturni de eodem probatis.

Servus Dei in compatronum Regni Poloniae eligitur, probante sacra Rituum Congregatione.

§. 11. Porro ventum est ad examen duorum miraculorum, quae B. Joannis intercessione divinitus patrata ferebantur, et primum quidem illa in generali congregatione die 3. mensis Augusti anni 1745. coram fel. record. Benedicto XIV., deinde in particulari coram nobis die 22. Aprilis superioris anni perpensa fuere: et quamvis omnium suffragantium vota in affirmantem sententiam convenirent; nihil tamen nobis statuendum visum fuit, donec super aliis miraculis coram nobis in simili generali congregatione examinandis comunes animi sensus percepissemus. Quum igitur die 11. mensis Decembris ejusdem anni 1766.

Continuatio processus pro Canonizatione B. Joannis.

super novis miraculis similis generalis congregatio coram nobis coacta fuisset, quamquam cunctis suffragiis digna omnino visa essent, quae probarentur, nihilominus ad divinam implorandam opem, et supernae gratiae lumen, eorum approbationem ad kalendas Januarii mensis proxime elapsi distulimus. Quae quidem dies circumcisioni Dominicae, et augustissimo Jesu nomini consecrata ad eam rem maxime opportuna videbatur. Quatuor autem ex propositis miraculis in tertio genere probavimus, et haec sunt.

Referuntur miracula per hujus Servi Dei intercessionem operata.

§. 12. Primum, instantanea sanatio pueri Sebastiani Luzark a transmissa vitio parentum et confirmata phthisi. Alterum, subita sanatio puellae Heduigis Paskowna ab acuta febri cum integra atque absoluta virium instauratione. Tertium, impetrata momento temporis sanatio Mariae Gawlikae ob gravem perniciosam febrem in extremum vitae discrimen adductae. Quartum, subita, et perfecta sanatio Antonii Olexowic a grandi, et profundo ulcere, quod a jugulo ad fauces usque perductum praeter tendines, et majora vasa nihil intactum reliquerat, et foetidissima sanie scatebat cum dejectione alimentorum e parte gutturis perforata. His autem accedit unum in secundo genere; cujusmodi est: mercium in flumen Sola prolapsarum, et procul aquarum impetu et vi raptarum, ad locum, ubi demersae fuerant adverso flumine regressus.

Pontificis decretum pro canonizatione B. Joannis.

§. 13. Quae cum ita se haberent, Nos, fusis ad Deum precibus, ut, menti nostrae necessaria ab eo lux affulgeret, tandem die 11. Februarii vertentis anni, quae dies Purificatae Virgini deiparae sacra est, decretum canonizationis B. Joannis Cantii quandocumque peragendae pronunciavimus.

Preces porrectae a proceribus Regni Poloniae, et ab ordine Episcoporum pro B. Joannis canonizatione.

§. 14. Cumque alias christiani principes, quampluresque Episcopi, e Poloniae regni proceres B. Joannis canonizationem peroptantes, communibus votis et postulationibus apud praedecessores Nostros institissent, atque etiamnum apud Nos carissimus in Christo filius Noster Stanislaus Augustus Poloniae rex illustris, et dilecti quoque filii ejusdem regni magnates, praesertim ecclesiastici, Cracoviensis senatus et academiae ejusdem civitatis collegae omnes, et professores iteratis precibus instarent, ut ultimam denique sententiam ferremus super tantopere optata beati viri canonizatione; ut more, institutoque praedecessorum nostrorum tanti momenti rem perageremus, universi primum collegii eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in consistorio secreto die 27. Aprilis proxime elapsi coram nobis congregatorum consilium audiendum duximus: iisque postquam de serie totius caussae ad plenum instructi fuerant, adhortantibus Nos ad illius absolutionem, nedum probantibus, nihil amplius cunctandum rati, venerabiles fratres Archiepiscopos, et Episcopos, non modo propinquiores, sed remotiores etiam per Italiam degentes ad urbem convocandos curavimus, ut nobis de B. Joannis Cantii, necnon beatorum Josephi Calasanctii a matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini a Monte Granario ab Asculo denominati, et Johannae Franciscae Fremiot de Chantal solemni canonizatione, quam sibi Deus inspirasset, sententiam declararent.

Acta Consistorialia referuntur, quae Canonizationem praecessere.

§. 15. Praeterea, ut eximiae B. Johannis virtutes, et probata miracula, necnon in totius caussae discussione adhibitae cautiones notae omnibus fierent, narrationem illarum ex authenticis documentis haustam, et diligenter in compendium redactam, typisque vulgatam patribus omnibus suffragaturis exhiberi mandavimus. Mox indicto coram nobis consistorio publico die 7. Maji vertentis anni, et adstante universo ecclesiasticorum ordinum, et collegiorum coetu, praecepimus, ut dilectus filius Alexander Litta nostrae consistorialis aulae advocatus virtutes et miracula B. Joannis oretenus palam exponeret. Demum convocatis die prima Junii proxime praeteriti in consistorio semipublico eisdem S. R. E Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis qui in urbe convenerant, ab iis quaesivimus, an ad B. Joannis Cantii canonizationem deveniri posse censerent. Ipsi tunc summa animorum consensione, pluribus gravibusque rationibus, in affirmativam sententiam ire comperti sunt. Quocirca a dilectis quoque filiis apostolicae sedis

notariis publica instrumenta confici, et suffragiorum ipsorum exempla a singulis subscripta in tabularium Ecclesiae romanae inferri mandavimus.

licæ pre... indictae ...mploran... ...divinum ...lium in ... Canonizationis ...tio.

§. 16. Ut autem a Deo optimo maximo, quid ei placitum esset dilucide agnosceremus, publicas quoque orationes, et dies generalis jejunii per urbem indiximus, et tres patriarchales basilicas designavimus, in quibus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi per triduum exponi jussimus, omnes hortando, ut postquam sacramentali confessione expiati, et Christi corpore refecti fuissent, in una saltem ex dictis basilicis omnipotentem Deum ad impetrandum Nobis spiritum sapientiae, et intellectus, quo duce manifesta fieret illius voluntas, nobiscum precarentur, indulgentiam ad id plenariam, et peccatorum remissionem concessam. Nos quoque ipsi, praeter eas, quas privatim fuderamus assiduas, et plenas humilis fiduciae preces, publicas quoque in tribus designatis basilicis addendas curavimus, in quo quidem non sine tenero quodam pietatis sensu, atque animi nostri in domino exultatione spectavimus, quanta esset romani hujus populi religio, ac pietas, cum ex omni conditione, atque ordine ad easdem basilicas convenissent, ac sua de solemniori cultu beatis decernendo, vel tacentes, praefervida vota depromerent.

...tifex so... ...ni ritu in ...lica BB. ...ostolorum ...ecretum ...onizatio... evulgat, ...pprobat

§. 17. Demum hac die sacra beatissimae Virgini Mariae de monte Carmelo, qua die coronationis nostrae annua redeunt solemnia; in basilica principis apostolorum splendide, et magnifice ornata, ad quam servata supplicationis publicae forma Nos praecesserunt omnes cleri secularis, et regularis ordines, et ministrorum romanae curiae collegia, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis Archiepiscopis, et Episcopis; priusquam immaculatam hostiam solemni novae legis sacrificio omnipotenti Deo offerremus; instante iterum iterumque dilecto filio nostro Carolo tituli Sancti Clementis S. R. E. presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato, ejusdem S. R. E. camerario, ad canonizationem impetrandam procuratore constituto; decantatis sacris Ecclesiae precibus, ut deiparae Virginis, Angelorum, et Sanctorum omnium cum Christo regnantium intercessione, divinam opem imploraremus, ac paraclyto Spiritu cum gemitibus, ut adesset invocato, ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, authoritate domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et apostolicae authoritatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio, et assensu, ipsum beatum Joannem Cantium sacerdotem secularem una cum beatis Josepho Calasanctio a Matre Dei, Josepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a Monte Granario ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal; sanctum esse decrevimus, definivimus, ac sanctorum cathalogo adscripsimus, illumque ab universis christifidelibus, tamquam vere sanctum, religioso cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore praesentium, definimus, decernimus, et declaramus: statuentes, et concedentes, ut ab universali ecclesia in ejus honorem ecclesiae, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur edificari, et consecrari, et singulis annis praescripta die XIX. mensis octobris ipsius Sancti Joannis Cantii inter sanctos confessores ab Ecclesia memoria recoli possit. Eademque authoritate omnibus christifidelibus, qui eadem die annis singulis ad sepulchrum, in quo corpus ejusdem sancti Joannis requiescit, visitandum accesserint, perpetuo septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino in forma ecclesiae consueta relaxamus.

§. 18. Sub haec aeternum Patrem regemque gloriae Christum dominum patris sempiterni filium, et sanctum paraclytum Spiritum, unum Deum, ac dominum cum debita gratiarum actione venerati, omnibusque christifidelibus ibi praesentibus plenaria peccatorum remissione, et indulgentia concessa, supra beati Petri confessionem, sacrosanctum missae sacrificium solemniter celebravimus,

Indulgentiae elargitas solemnis canonizationis die.

facta eorumdem sanctorum speciali commemoratione.

Quantum praesidii insit, agitatis in Polonia Religionis rebus, et noviter adlecti in Sanctorum numero patrocinium.

§. 19. Caeterum, si inter illustres, quibus vera Ecclesia dignoscitur, notas, non postrema est divinitus patefacta, et testata sanctitas eorum, qui e quovis ordine, et statu in illa floruerunt; aequum omnino, et pietati consentaneum est, ut gratias Deo Patri per Christum Jesum agamus, quod illi placuerit ex eo thesauro, unde quotidie profert nova, et vetera, tot, ac tantas gratiae suae divitias in S. Johannem Cantium effundere, easque deinde ad ornamentum, ac decus Ecclesiae suae palam facere per miracula, quae ad solemnem tam insignis servi sui canonizationem viam, atque aditum aperuerunt. Est praeterea quod gratulemur inclytae Polonicae nationi, quae cum pietati prae caeteris maxime addicta sit, non potest certe non summo exultare gaudio, quod in tanta rerum perturbatione, tantoque Religionis discrimine, novum hoc sibi praesidium accesserit, quo egregia, et generosa suorum indoles magis magisque nullis perterrefacto periculis, romanam fidem adversus finitimos tum haereticos, tum schismaticos, et arcte retineat, et fortiter ut semper magna cum laude praestitit, ad sanguinem usque tueatur. Accademia vero Cracoviensis in hunc olim alumnum, nunc patronum suum, quoties oculos defiget (defiget autem quotidie) propositum sibi praeclarissimum videbit exemplar, unde illius magistri, et doctores, et bene docere, et recte facere discant; dum Johannes defunctus adhuc loquitur, atque ad omne virtutis officium hortatur.

Transumptorum fides

§. 20. Quoniam vero, hisce omnibus peractis idem Carolus cardinalis, et procurator designatus a Nobis quo par erat obsequio postulavit, ut Apostolicas Nostras literas in gestorum omnium perenne monumentum decerneremus Nos petitioni perquam libenter annuentes, praesentes nostras literas edi, et palam fieri demandavimus: statuentes earumdem exempli etiam impressis, ab aliquo ex notariis publicis subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem ab omnibus adhiberi, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si exhibitae, vel ostensae forent.

Sanctio poenalis.

§. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCLXVII. decimoseptimo kalendas Augusti, pontificatus Nostri anno decimo.

✝ Ego Clemens catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ sigilli.

✝ Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

✝ Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinae card. Lantes.

✝ Ego J. F. Episcopus Sabinen. card. Albani.

✝ Ego H. Episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E vicecancellarius.

✝ Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

✝ Ego J. F. Episcopus Praenestin. card. Stuppanius.

✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝

✝ Ego C. tit. S. Clementis Presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.

†
† Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.
†
†
† Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.
† Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.
† Ego P. H. tit. Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.
† Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Coelio presbyter card. de Comitibus.
†
† Ego Fr. L. basilicae Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.
† Ego M. A. tit. Sanctae Mariae de Pace presbyter cardinalis Columna.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.
†
† Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major poenitentiarius.
† Ego L. tit. S. Anastasiae presbyter card. Calinus.
†
† Ego A. tit. Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.
†
†
† Ego P. tit. S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.
†
† Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.
† Ego A. Sanctae Mariae in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.
† Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.
† Ego D. Sanctae Mariae ad Martyres diaconus card. Ursinus.
† Ego Fl. Sanctae Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.
† Ego A. M. Sanctae Agathae ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.
†
† Ego J. C. Sancti Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
† Ego N. Sancti Georgii in Velabra diaconus card. Perrelli.
† Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.
† Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.
† Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.
† Ego X. Sanctae Mariae de Scala diaconus card. Canale.
† Ego B. Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Veterani.
†
†
†
†
†
†

C. Card. Pro-Datarius A. Card. Nigronus.

DCXVII.

Dat. die 16 Aug. 1767 Anno X.

Canonizatio B. Seraphini a Monte Granario ex ordine minorum cappuccinorum.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pretiosa illa super omne aurum, et argentum, ac regnis ipsis, et sedibus praeoptanda sapientia, qua nimirum docemur, caduca omnia despicienda, et non quae super terram, sed quae sursum sunt quaerere, et sapere, tametsi nullam respuat indolem, ac diversis hominum ingeniis aeque se communicet, caelestiaque charismata, quibus affluit, libentissime largiatur: in rudes tamen homines, atque idiotas gaudet aliquando sese

uberius effundere, ut saeculi hujus sapientes, quos nempe scientia inflat, confundat, ac de sapientia sua inaniter gloriantes humiliet. Idcirco fons verae sapientiae verbum Dei Christus Jesus, qui revelare se dixit abscondita a constitutione mundi, exultans olim in spiritu ad eum, cujus unigenitus est, conversus: confiteor, inquit, tibi pater domine rex caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis: atque id quidem in catholica romana Ecclesia ab ejus exordio, ad hanc usque diem, semper videre licuit, apparuitque luculenter, quam vere de sapientiae authore scriptum sit. Et cum simplicibus sermocinatio ejus.

Beati Seraphini virtutes, et merita generatim collaudantur.

§. 2. Mirum vero in modum novissime, superiori scilicet saeculo luculentissime perspectum fuit in beato Seraphino a monte Granario ab Asculo denominato, laico professo ordinis minorum sancti Francisci cappuccinorum nuncupatorum, qui rudis, et literarum omnium expers: cum neque legere nosset, neque scribere, literatos tamen ipsos, atque eruditos longo post se intervallo reliquit, utpote qui ex libro illo scripto intus et foris, hoc est Christo Jesu; docibilis Dei hauserat tantum caelestis doctrinae, ut inter praecipuos divini praeceptoris discipulos propter supereminentem scientiae charitatem numerandus esse videatur. Cum itaque pauper hic apud homines tam dives fuerit apud Deum gratia, et virtutibus, atque ad majorem his laudem, et celebritatem conciliandam evidens accesserit testimonium per miracula, quae omnipotens Deus beati hujus servi sui intercessione patrare dignatus est, nos, nulla re praetermissa, quae in tam gravi caussa servari solet; de consilio et assensu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in romana curia frequenti numero congregatorum, implorata iterum, iterumque Dei ope eumdem beatum Seraphinum utpote civem caelestis Hierusalem publico in Ecclesia cultu prosequendum esse declaramus, et in sanctorum numerum referendum decernimus.

Nascitur anno 1540, et ab infantia futurae sanctitatis indicia praebuit.

§. 3. Seraphinus in oppido montis Granarii Firmanae Dioecesis natus est anno reparatae salutis MDXL. Parentes habuit humiles quidem genere, sed honestos, ac pios. In batismo nomen illi inditum, Felix. Pia et sedula matris optimae disciplina probe institutus ab ineunte aetate proferre coepit futurae sanctitatis indicia. A puerorum oblectamentis, et pravorum sodalium consuetudine alienus nihil ferme puerile habuit, praeter innocentiam. Assiduus in templis erat; ac praeterea ad intentius orandum loca saepe abita acquirebat. A villico, cui operam suam locaverat, demandata armenti custodia impedimento non erat, quin consueta pietatis officia diligentissime obiret. Secretiorem namque sylvarum solitudinem quaerens, ibi de genu fervidas ad Deum preces fundebat, easdemque mox a brevi vespertina coena diu multumque iterabat. Domum a fratre post parentis obitum revocatus, ut in coementaria arte sibi esset ajutor, atque ab effero illius ingenio aspera quaeque perpessus Felix inhumani fratris convicia, verbera, mallei etiam crudeles ictus aequo, diu, atque invicto animo tulit. Neque vero fratris asperitas, et laboriosae artis exercitatio dimovere illum potuit ab eo, quod sibi proposuerat, ut tribus in hebdomadam diebus jejunaret, ac pia precatione, animum per id maxime tempus, quod caeteri laborum socii reficiendo per cibum corpori dabant.

Cappuccinorum familiam ingreditur, ibique severiores Instituti regulas diligentissime observavit.

§. 4. Quam accepta Deo esset servi sui pietas, insigni sane miraculo patefactum est. Quum enim deiparae Virginis, cujus se in fidem, et clientelam tradiderat, sacram Lauretanam aedem inviseret, Potentiae flumen ex aquarum redundantia intumescens, quod nemo sociorum trajicere ausus erat, ipse, obstupescentibus qui aderant, semel atque iterum sicco vestigio transivit. Ex audita lectione de divini judicii severitate tanto motu, ac terrore perculsus est, ut de vita eremitica cogitaret. Sed meliore deinde consilio rigidum cappuccinorum institutum statuit amplecti, quod quidem non sine iteratis precibus, et lacrymis tandem obtinuit. Voti compos, Seraphini nomine assumpto, in tyrocinio ita se gessit, ut peracto anno probationis, in sacrum illum ordinem cooptaretur omnium suffragiis. Novum inde atque arden-

tius perfectionis evangelicae studium in ejus pectore efferbuit. Itaque severioris illius instituti leges omnes, quamdiu vixit, ita observavit, ut diligentiam mirarentur omnes, pauci admodum imitari se posse confiderent. Benignus erga omnes, lenis, affabilis; superioribus vero ita obsequens, ac dicto audiens erat, nullum ut munus, quantumvis arduum, ac laboris plenum defugeret, nihil cunctaretur, nihil perquireret, in id unum intentus, scilicet ut impetrata quae fuerant, ea sequeretur.

[P]aupertate [pr]ecelluit, [c]aeterisque [vir]tutibus.

§. 5. Paupertatem vero ita adamavit, ut ab iis etiam, quibus carere vix possumus, abstineret. Cellulam perpetuo habitavit obscuram, humilem, squallidam, duro lectulo, vili scamno, nulla supellectili instructam. Vestis illi nonnisi obsoleta, ac detrita; eadem et in caeteris rebus, quae corpori operiendo deserviunt, extrema paupertas. Jamvero ea erat vitae innocentia, ut nullo se umquam crimine obstrinxerit, quin etiam a levibus quoque noxis, itaut in sacra exemologesi nihil ferme, quod expiandum esset, afferret. Quidquid enim voluntati Dei consentaneum non esset, non modo cogitare, sed ne audire quidem fas esse ducebat. Diebus fere singulis eucharistico se pane reficere, et sacrificiis, quotquot poterat, adesse, ac ministrare, protensis in formam crucis manibus, solemne habuit. Inexplebile orationis erat studium, ut diurnas plerumque, ac nocturnas horas in ea consumeret. Caeterum, excepto trium dumtaxat horarum spatio, quod quieti corporis negare non poterat, reliquum tempus omne, vel rerum divinarum contemplationi, vel piis precationibus impendebat.

[E]t praecipue [c]haritate er[g]a Deum et [p]roximum.

§. 6. Quum in re qualibet aliquod Dei vestigium agnosceret, inde fiebat, ut ibi esset, quidquid ageret, ad contemplationem rerum caelestium facile raperetur, atque tum etiam oraret, cum aliud agere videbatur. De Christi Domini cruciatibus quotidiana meditatio ita animum afficiebat, ut de ea sine lacrymis nec cogitare, nec loqui, neque audire loquentem posset. Tanta in Deum charitate ferebatur, ut pro illius gloria mortem oppetere vehementer optaret. Itaque superiorem supplex adiit, a quo potestas sibi fieret, in regiones se barbaras conferendi, ut incensam apud eas martyrii sitim expleret. Charitati erga Deum gemina erat, et erga proximos charitas. Quocirca errantes corrigere, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, qua monitis, qua precibus, qua etiam objurgationibus conabatur. Nec vero frustra. Multi enim a perdita vivendi ratione ad bonam frugem redacti, multi a saeculi vanitate, et mundi periculis ad securius religiosae vitae institutum illius opera traducti sunt. Aleas e ludentium manibus non semel extorsit. Intestina, atque inveterata inter Asculanos cives odia, et dissidia homo ut erat humili loco, nullis literis, professione laicus extinxit. Tantum illi auctoritatis a sanctitate perspecta. De miseratione ejus in pauperes, atque egenos illud vere dici potest, quod ore pallente, jejuniis, fame torquebatur aliena, ita quidem ut aliorum memor, immemor sui dimidio in diem pane victitans, quod reliquum erat, cum integro fere obsonio in pauperes erogaret. Quin etiam eo processit, ut in quadam annonae difficultate, ex illo ipso dimidio pane alteram adhuc partem detraheret, qua esurientibus quoquomodo poterat subveniret. Contigit aliquando, ut a praeside reprehensus, quod pro numero pauperum pane non suffecturo, olera ex horto distribuisset, bono illum animo esse juberet: neque propterea enim defuturam religiosae familiae olerum copiam, quae satis fore. Quod quidem eventu non caruit. Succisis enim pridie germinibus, alia subinde mane satis abundeque succrescere conspiciebantur. Illud autem mirandum magis, quod quum horti pars quaedam exigua eidem a praeside peculiariter in usum pauperum attributa esset, plus ea fructuum, quam reliquae, tametsi longe majores, et multo diligentius excultae partes, afferret.

Mortificatione corporis, et cruciatibus carnem continebat.

§. 7. Neque vero in uno, aut altero calamitatis genere Seraphini misericors indoles se continebat. Carceribus enim detentos invisere, sedulo ad patientiam hortari, et quidquid solatii posset, afferre consueverat. Moerentes praeterea solari suaviter, aerumnis pressos in spem erigere, aegris inservire,

assidere lectulo, bene monere, vilissima quaeque ad eos sublevandos ministeria obire, haec illi dulcis cura, jucundaque exercitatio. Jamvero qui tam leni et benigno erga alios ingenio erat, juvat nunc videre quam durus, atque acerbus in sese fuerit. Asperis contextum setis cilicium, velut alteram vestem, quam numquam exueret, ad nudam carnem perpetuo adhibuit. Confecto e clavorum acuminibus flagro utebatur ad quotidianam corporis lanienam, qua fiebat, ut copiosus e laceris membris sanguis deflueret. Sandaliis inferne omni ex parte detritis, cum nudi pedes relinquerentur, pellis nonnunquam derumpebatur, cui ille malo dum acu diruptam pellem consuit, acriori longe malo, ac dolore medicinam faciebat. Fuit aliquando, cum noctes ipsas insomnes traduceret. Caeterum brevissimam illam, quam supra diximus, trium tantummodo horarum quietem non aliter fessis membris, quam vel sedens, vel capite ad scamnum reclinato indulgeret.

Mira ciborum abstinentia, novo carnem cruciatu afficiebat.

§. 8. Diris ejusmodi cruciatibus abstinentiam addidit singularem, crebra et longa sui ordinis jejunia servare, quasi loco ille deliciarum habuisset. Itaque illud adjecit, ut exigua etiam vespertina refectione perpetuo abstineret, et tres hebdomadae dies pane dumtaxat, et aqua transigeret; quod quidem inediae genus jam inde ab adolescentia tolerare consueverat. Reliquis autem diebus ad partem panis exiguam nihil obsonii adhibebat, unica, eademque insuavi, quaeque sociis etiam pridie superfuisset; cinere nonnunquam conspersa, pulte contentus. Atque inde ortum habuisse censendus est malus ille habitus corporis, ex quo fiebat, ut sanguinem mingeret. Inter has macerati corporis asperitates, adjuncta praesertim oculorum custodia, securior in dies, et vividior castitas efflorescebat, quam nulla umquam labe inquinatam, nullaque, vel raro admodum, ut fertur, corporis aut mentis pugnam tentatam servavit.

Humilitatis virtute sublimis, proprium contemptum appetivit.

§. 9. Jamvero si castimoniae custos est humilitas, haec in eo tam alte radices egerat, ut quamvis alieno judicio Sanctus, scelestissimus omnium, ac nequissimus esset suo. Laudis humanae fugitans, contemptus sui appetens quam qui maxime. Cujus quidem rei, haec duo perridicula sint argumento. Prandere aliquando jussus apud nobilem civem, alias ab Asculano episcopo Cardinali, utrobique ita se gessit, ut ludum, et risum tanquam incomptus, et rusticus de se praeberet. Ibi enim ad liquidae pultis esum fuscinula usus est: hic ovum sorbens de industria in barbam effudit. Patientia porro in eo admirabilis plane fuit, tum in fratris, quae dicta sunt, verberibus, et conviciis, tum in iis pene quotidianis multis, ac poenis, quae a religiosis praesidibus infligi solebant. Ab aliis enim ob ingenii tarditatem duriter, ne dicam immaniter, ab aliis ad experimentum virtutis severe, ac rigide multabatur. Atque haec quidem initio turbarunt hominem, sed implorata postea Dei ope confirmatus, aspera quaeque ita ferebat, ut ea beneficii loco duceret, et manus, pedesque illis, qui quoquomodo multassent, oscularetur.

Mansuetudine summa, injurias aequissimo animo tulit.

§. 10. Par fuit in eo lenitas, et mansuetudo, qua illatas sive ab externis, sive a domesticis etiam injurias aequissimo animo tulit, impacta ab nequissimo homine alapha, apprehensa a domestico per contumeliam barba, atque aliquot pilis evulsis, nullum omnino Seraphinus perturbati animi signum dedit. Sed illud longe praeclarius. Cum enim protervus quidam, atque impudens, mali doemonis instinctu, nudum illius caput plumbea lamina tam graviter percussisset, ut Servus Dei prae dolore animo linqueretur, ac pene exanimis humi procumberet, statim ac redditus sibi fuit, ridenti vultu, ac lenissimis verbis percussori, quasi optime de se merito, fausta illi omnia a Domino precatus est. Ad injurias hominum accessit et alia a doemone haud minus dira vexatio. Modo enim protrahere pedibus, dum ille oraret, modo sublime elatum conari ad terram allidere, modo saevissimis plagis aegrum illius, et confectum corpus male multare consueverat. Quas tamen ille molestias, ac teterrimas infestationes ita despiciebat, ut adversarii nequissimi increparet ignaviam, atque ad saeviendum acrius acueret. Qua quidem animi magnitudine doemon adeo victus, et fractus est, ut ejus deinde praesentiam ipsam reformidaret, atque ab obsessis corporibus eo adventante diffugeret.

...ntis praes... virtuti... Servus ...i caelesti...s donis in...nitur.

§. 11. Tantam virtutum praestantiam caelestibus donis Deus inornatam esse noluit: itaque servum suum superno lumine, quo futura praediceret, et cordium secreta penetraret, plurimis etiam raptibus, ac mentis ab usu sensuum alienationibus insignivit. Pluribus quoque etiam, gravissimis morbis laborantibus, adhibito a Seraphino, sanctissimo Crucis signo, sanitas restituta fuit. Quocirca confluentium aegrorum ad montis Granarii coenobium tanta erat multitudo, ut in iis faustâ precatione sanandis non semel dies tota Seraphino abiret. Accedebat e tumultuosa gentium frequentia coenobitis illis molestia non levis. Itaque parum abfuit, quin praeses factam servo Dei potestatem divinitus patrandi prodigia ex obedientia coerceret. Sed ad vitandam molestiam satis visum est, si Seraphinus in Asculi coenobium demigraret. Tam multis igitur, ac tam praeclaris virtutibus, ac donis caelestibus cumulatus apud omnes non vulgares modo, sed etiam summos, ac praestantes viros sanctitatis nomen, et famam adeptus est. Illum consulere, illius se precibus commendare, incedenti per viam non solum deosculari vestes, sed etiam praescindere.

...ndem me...ns refertus caelestem ...riam mi...t.

§. 12. Sed jam dies aderat, quam sanctitas tam excellens aliis longe illustrioribus in Coelo honoribus decoraretur. Gravem pectoris affectionem e corporis maceratione contractam, qua quodam veluti jaculo confodiebatur diu ille dissimulaverat. Sed cum magis magisque ingravesceret, optatissimam sibi ex ea mortem instare superno etiam lumine intelligens, postulavit, ut sanctissimae Eucharistiae viatico muniretur. Abnuebant medicus, et sodales, quod morbi gravitas nondum se prodebat, praesertim cum aeger nec ureretur febri, nec lectulo decumbere cogeretur, sed iteratis precibus obsisti non potuit. Sanctissimum igitur Christi corpus allatum est; quod quidem quo ille animi sensu, quo amoris aestu perceperit, angeli magis, quam homines intelligere potuerunt. Postulat subinde, ut oleo sacro inungatur. Quod pariter cum praeproperum fratribus videretur, affirmat ille quod in praesens negligerent, satis festinanter paullo post omnino facturos. Itaque post fervidas per horam de genu in lectulo fusas preces, sublatis ad coelum oculis Deum obsecrat, ut quandoquidem sodales se loquentem non audiebant, divinis ipsius vocibus auscultantes sanctum ad se oleum afferrent. Precationem hanc deliquium animi statim secutum est cum pallore vultus, aliisque defecturae mox vitae signis, quibus videlicet sodales admoniti, expetita illum unctione propere munierunt. Itaque ad servi Dei solatium cum nihil restaret aliud, placido vultu in conventu sui ordinis civitatis Asculi sanctissimam Deo animam reddidit.

Post mortem Servi Dei, fama sanctitatis illius undique resonavit.

§. 13. Porro coenobii custos veritus (quod assolet in sanctorum hominum funere) tumultuosam confluentis populi multitudinem, nullo edito campani aeris signo, servi Dei pretiosam mortem occulere cogitaret tamdiu, dum justa illi solemnia de more persolverentur. Sed divinitus factum est, ut puerorum voce per urbem Seraphini obitus vulgaretur. Quod cives cum audivissent, ad coenobium omnes accurrere, servi Dei corpus exosculari, vestes tertio, atque iterum superinductas praescindere, pilos auferre, praecidere ungues, quin etiam nec corpori parcere, nisi adhibitis decem custodibus cautum esset, ne sanctum cadaver ab imprudenti multitudine discerperetur. Venerationem auxit non mediocrem suavissimus odor, quem molle, ac flexibile corpus efflabat, donec lignea capsa boloserico intus convestitam inclusum peculiari tumulo, senioribus urbis ita jubentibus, mandatum fuit.

Referuntur acta processus super vita Servi Dei ex instituto S. Rituum Congregationis.

§. 14. Memoriam, quam moriens reliquit sui nominis sempiternam, statim testatae sunt quamplures ejus imagines tum impressae, cum pictae, ac duae potissimum, quarum altera in aedibus magistratus, altera ad tumulum, quod ea aetate licebat, posita fuit. Concursus inde ad sepulcrum, non a propinquis modo, sed etiam a dissitis locis augescebat in dies, prout nova subinde, invocato servi Dei nomine beneficia impertita populorum frequentiam excitabant; ita quidem ut, cum votivis tabellis in pariete spatium deficeret, auferendae fuerint veteres, ut novis fieret locus. Anno deinde domini MDCX. Asculanorum civium precibus piae me: Paulus V. praedecessor Noster annuit, ut ad beati viri sepul-

chrum accensa lampas venerationis publicae testis esset perpetua. Civium pietatem aequavit sedulitas praesulis asculani in cognitione caussae super fama sanctitatis, virtutibus, et miraculis servi Dei; cum igitur processum, quem informativum vocant, explevisset, res in tunc existentium S. R. E. Cardinalium congregatione sacris ritibus praeposita delata fuit, ac ad trutinam revocata, atque, ut ea ferebant tempora, die VII. Junii MDCXXV. impertita fuit facultas specialiter in caussa inquirendi. Itaque auctoritate apostolica, nova caussae cognitio instituta, atque in acta relata, siluit tamen ad annum usque MDCCIV. Sed quum ex decretis interea a ven. mem. Innocentio XI. etiam praedecessore Nostro confirmatis, ad prosequendam rem necessaria esset nova resumendae caussae commissio, non ante id obtineri contigit, quam sub recol. mem. Clemente XI. pariter praedecessore Nostro ad annum MDCCXII. probato deinde cultu, qui, pontifice annuente, beato viro exhibitus fuerat, et casu excepto a decretis rec. mem. Urbani VIII. itidem praedecessoris Nostri tandem fel. rec. Benedictus XIII similiter praedecessor Noster anno MDCCXXVI. peculiari Cardinalium, qui sacris ritibus praesunt, congregationi negotium dedit ut de servi Dei virtutibus examen instituerent.

Interim Officium, et Missa sub Ritu duplici de Beato Seraphino indulgetur.

§. 15. Inter haec ab eodem Pontifice, mense augusto illius anni, facultas concessa est, ut Seraphini corpus a veteri sacello ad alterum recens extructum, ad ejus honorem proprie dicatum publice transferretur. Sed anno demum MDCCXXIX. auctior fuit et servo Dei cultus, et cultoribus ejus laetitia; tunc scilicet, quum laudatus Pontifex benigne indulsit, ut ab universo Ordine minorum sancti Francisci, atque a clero praeterea tum civitatis, et dioecesis Asculanae, tum oppidi montis Granarii officium sub ritu duplici quotannis recitaretur, et missa ad honorem beati viri celebraretur die XII. Octobris, die scilicet, qua ejusdem fortunati obitus, annua memoria recurrebat. Jussu deinde Clementis XII. itidem praedecessoris Nostri, qui, Benedicto praedecessore vita functo, proxime successerat a peculiari quem diximus Cardinalium consessu beati Seraphini virtutum inquisitio ad ordinariam sacrorum rituum congregationem revocata, cum probationibus, ut ajunt, directis, inniteretur, tandem factum est, ut ratae haberentur, ac probarentur.

Deinde miraculorum examen institutum, binaque ex illis probata.

§. 16. Absoluta denique inquisitione, seu processu apostolico super miraculis post indultam B. Seraphino venerationem, a Deo patratis, et comperta die XVII. Septembris MDCCLXIII. processus validitate in ordinaria sacrorum rituum congregatione, cujus decretum nos die XXIV. ejusdem mensis confirmavimus; subinde miraculis ipsis in congregatione antepraeparatoria diei XXVII. Novembris MDCCLXIV. examinatis, atque iterum in praeparatoria congregatione diei IX. Junii. MDCCLXV. Postremo vero in generalibus comitiis coram nobis die XXVIII. Januarii anni proxime exacti, ut moris est, perpensis, atque discussis, duo ex illis in tertio genere IX. Martii ejusdem anni (ad quam usque diem divinam opem imploraturi decretum distulimus), rite approbavimus. Primum nempe instantaneae sanationis Januarii Ranalli a pessimo ulceroso tumore sub sinistram axillam quo per plures jam menses confictatus, frustrata diu chirurgorum industria, nonnisi ferro, aut igne curari posse videbatur. Alterum vero perfectae sanationis a paralysi sinistrae manus, qua correptus fuerat Ugo-Antonius Carletti, dum septuagesimum quartum ageret aetatis annum, quod naturae vi, seu humanae artis ope nequaquam assequi potuisset.

Tandem assueto ritu Canonizationis processum, et dependentia acta consummata.

§. 17. His itaque duobus miraculis cognitis, et approbatis, illud definiendum supererat, an ad solemnem beati viri canonizationem rite procedi posset, quod cum universi patres unanimi suffragio assererent, Nos sancti Spiritus tum propriis, tum aliorum precibus implorato lumine, die XII. Octobris proxime praeteriti decretum in eamdem sententiam edidimus. Cumque dilecti filii civitatis nostrae Asculanae magistratus et incolae, ac religiosissimus ordo dictorum fratrum S. Francisci capuccinorum nuncupat. enixis precibus a Nobis postularent, ut decretam beati Viri canonizationem tandem exequeremur, Nos ut in hoc gravissimo negotio juxta praescriptam a praedecessoribus Nostris agendi nor-

mam procederemus, universi primum collegii eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in consistorio secreto die XXVII. Aprilis proxime elapsi coram Nobis congregatorum sententiam, atque consilium exquisivimus. Quibus post auditam a nobis gestorum seriem, et beati Viri praeclara merita, ad legittimam caussae hujus absolutionem una voce nos adhortantibus non viciniores modo, sed remotiores per Italiam venerabiles fratres Archiepiscopos, et Episcopos monendos curavimus, ut ad Urbem sese conferrent, et nobis de beati Seraphini, nec non beatorum Joannis Cantii, Josephi Calasanctii a Matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, et Joannae Franciscae Fremiot de Chantal solemni canonizatione deliberantibus, consiliorum etiam suorum suffragia, prout spiritus Dei ipsis suggessisset, exponerent.

onsistoria-a acta de -ore coule-a et con-ans senten-a pro Beati Seraphini anonizatione.

§. 18. Ut autem praeclarae beati Seraphini virtutes, et probata miracula, necnon in totius caussae discussione adhibitae cautiones neminem laterent, indicto prius publico consistorio coram nobis universoque ecclesiasticorum ordinum, et collegiorum consessu, mandavimus inibi a dilecto filio Josepho Ascevolini, Nostrae consistorialis aulae advocato virtutes, et miracula beati Seraphini oretenus palam exponi; integrum quoque, et exactum eorumdem compendium ex authenticis documentis fideliter collectum, typisque impressum, omnibus suffragium laturis, exhibendum curavimus. Demum convocatos die X. labentis mensis Julii in consistorio semipublico praefatos S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, qui jam in Urbem convenerant, ab iis quaesivimus, an ad beati Seraphini canonizationem deveniendum esse censerent. Ipsi vero, uno omnes ore, pluribus, gravibusque rationibus in affirmativam sententiam ire comperti sunt. Nosque a dilectis quoque filiis apostolicae sedis notariis publica instrumenta confici, ac praeterea suffragiorum ipsorum exempla, a singulis subscripta, in tabularium Ecclesiae romanae referri mandavimus.

ublicae preces indictae ad Divinum implorandum auxilium in re tam gravi

§. 19. Reliquum erat, ut a Patre luminum quid ei placitum esset edoceremur. Indicto propterea per totam Urbem triduano jejunio, in tribus patriarchalibus basilicis sanctissimum eucharistiae sacramentum publice adorandum exponi mandavimus, omnibusque christifidelibus vere poenitentibus et confessis, sacraque communione refectis, unam saltem ex dictis basilicis visitantibus, atque in ea, ad implorandam in tanto negotio divinam opem plenariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus. Humillimas quoque Nostras, et diuturnas fudimus omnipotenti Deo preces, donec hac die beatissimae Mariae Virgini de monte Carmelo sacra, ad quam scilicet, cum omnipotenti Deo placuit Nos immerentes ad beati Petri cathedram evehere solemnia coronationis Nostrae distulimus, generalis supplicationis ritu ad basilicam S. Petri in Vaticano, ut moris est, procedentes, una cum omnibus praedictis, caeterisque romanae curiae, et nostrae aulae praelatis, universoque clero saeculari, et regulari, et frequentissimo populo divinam opem invocantibus, auditis iterum per dilectum filium nostrum Carolum, tituli sancti Clementis, S. R. E. presbyterum Cardinalem Rezzonico nuncupatum, ejusdem S. R. E. camerarium, postulationum pro canonizatione impetranda procuratorem, enixis precibus, post sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces de more decantatas, ad laudem et gloriam sanctae, et individuae Trinitatis, ad fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis augmentum, authoritate domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri, et Pauli ac nostra, et de praemissorum omnium venerabilium fratrum nostrorum consilio, et assensu praedictum Seraphinum a monte Granario ab Asculo denominatum, laicum ordinis minorum Sancti Francisci capuccinorum nuncupat. expresse professum, de cujus vita pie sancteque traducta, et de virtutibus in gradu heroico, ac miraculis, ejus intercessione, a Domino patratis plenissime constabat et constat, sanctum esse definiendo pronunciavimus, et pro sancto ab omnibus habendum, atque colendum ediximus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omnibusque christifidelibus, qui singulis annis die XII. Octobris vere poenitentes et confessi ecclesiam conven-

Solemni ritu in Basilica BB. Apostolorum B. Seraphini Canonizationis decretum Pontifex evulgat, et approbat.

tus dicti ordinis in civitate Asculana, ubi ipsius Sancti corpus religiose asservatur, devote visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, vel alias debitis poenitentiis eadem authoritate in perpetuum misericorditer relaxamus. Denique in obsequium omnipotentis Dei decantato laudis, et confessionis hymno, incruentam salutis nostrae hostiam ad altare confessionis beatissimi Petri in spiritu humilitatis obtulimus cum commemoratione ipsius sancti Seraphini, necnon sanctorum Joannis Cantii, Josephi Calasanctii a Matre Dei, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, et Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, quos pariter sanctorum albo rite adscripsimus, omnibusque, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus.

E quolibet personarum ordine Sanctos exoriri Divina providentia permittit.

§. 20. Quum autem gratias omnipotenti Deo egimus, quod inter coetera nobis, quamvis immerentibus, collata beneficia, illud etiam datum fuerit, ut beatum Seraphinum sanctorum numero adscriptum definiremus, gavisi pariter fuimus in Domino, eique benediximus, qui Ecclesiam suam perpetua defensione custodiens, manifeste ostendit e quolibet personarum ordine sanctos exoriri perfectionis eximiae, eorumque praeclaris exemplis subinde propositis christianae fidei cultores admonet, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

Transumptorum fides.

§. 21. Quoniam vero post prolatam a Nobis, ut praefertur, hujusmodi Canonizationis, et adscriptionis sententiam ab eodem Carolo Cardinale, et procuratore Nobis humiliter supplicatum fuit, ut super praemissis omnibus apostolicas literas perpetuo valituras edere dignaremur; Nos justissimae petitioni annuentes praesentium literarum tenore, atque ex certa scientia, et apostolicae authoritatis Nostrae plenitudine omnia et singula praemissa, confirmamus, roboramus, atque iterum sancimus, ac decernimus, universaeque Ecclesiae denunciamus, mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent, vel ostensae.

Transumptorum fides.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCLXVII decimoseptimo kalendas Augusti, pontificatus nostri anno decimo.

✝ Ego Clemens catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ sigilli.

✝ Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

✝ Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinae card. Lantes.

✝ Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

✝ Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

✝ Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

✝ Ego J. F. episcopus Praenestin. card. Stuppanius.

✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝

† Ego C. tit. S. Clementis presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.
†
† Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.
†
†
† Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.
† Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.
† Ego P. H. tit. Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.
† Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Coelio presbyter card. de Comitibus.
†
† Ego Fr. L. basilicae Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.
† Ego M. A. tit. Sanctae Mariae de Pace Presbyter cardinalis Columna.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.
†
† Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major poenitentiarius.
† Ego L. tit. S. Anastasiae presbyter card. Salinus.
†
† Ego A. tit. Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.
†
†
† Ego F. tit. S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.
†
† Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.
† Ego A. Sanctae Mariae in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.
† Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.

† Ego D. Sanctae Mariae ad Martires diaconus card. Ursinus.
† Ego Fl. Sanctae Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.
† Ego A. M. Sanctae Agathae ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.
†
† Ego J. C. Sancti Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
† Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perrelli.
† Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.
† Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.
† Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.
† Ego X. Sanctae Mariae de Scala diaconus card. Canale.
† Ego B. Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Veterani.
†
†
†
†
†
†

C. Card. Pro-Datarius A. Card. Nigronus.

DCXVIII.

Canonizatio Beati Josephi a Cupertino Ordinis minorum S. Francisci Conventualium. Dat. die 16 Aug. 1767 Anno X.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus, amoris sui scilicet pignora, ac triumphalis suae monumenta victoriae. Id autem non modo tunc ostendit, quum ex hac terra discedens gloria et honore coronatus, utpote Rex virtutum in coelum rediit, sed etiam per omnes deinceps aetates benignissime praestitit, atque ad consummationem

usque saeculi, pro sua in homines perpetua charitate, ac munificentia praestabit: sed nimirum, si Dominus dives est in omnes, qui invocant illum, in electos utique quosdam servos suos, qui in simplicitate ambulant, atque in toto corde exquirunt eum, divitias sui erga illos amoris effundit: idque tum ut eos glorificet, qui glorificare ipsum unice student, tum ut per eos Ecclesia sua tanquam regina vestitu induta deaurato, ac tam multiplici coelestium charismatum, ac donorum varietate circumamicta, facile a quovis cognosci possit, et magis magisque refulgeat.

Beati Josephi a Cupertino virtutes generatim, et merita laudantur.

§. 2. Hanc autem ipsam coelestium charismatum mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem, si unquam in aliis, non possumus certe non admirari, ac suscipere in Beato Josepho a Cupertino ex ordine fratrum minorum Sancti Francisci conventualium nuncupatorum, quem superiori aetate bonorum omnium largitor Deus Ecclesiae dedit, ut in eo disceremus non esse nos terrae hujus cives sed hospites, ac peregrinos, nostramque proinde in coelis conversationem esse oportere. Hoc ille nempe quandiu vixit, non tam verbis, quam re ipsa pulcherrime docuit, quum terram veluti dedignatus, frequentes, ac prope quotidianas extases patiens sublimis in aera ferretur, ac modo exultabundus celerrimo impetu circumvolans, choreas veluti duceret, modo alios quoque secum sublime raperet, suamque illam, quam induisse videbatur, gloriosam agilitatis dotem communicaret, ita prorsus, ut medius quidam viatores inter, et comprehensores homo esse haud immerito credi posset. Quod autem Beatus Josephus tam frequenter tam facile sublimis ascenderet, quid est, nisi quod descendebat in se demississima humilitate, qua sperni se ac despici, non modo ferebat aequo animo, sed etiam gaudebat? Quod vero, ubi erat impetus spiritus, eo et corpus expers veluti ponderis agillime sequeretur, quid est, nisi quod corpus ipsum inusitata quadam, ac propemodum nimia asperitate in servitutem redigere satagebat? Quae quidem, atque alia id genus Beati Josephi sanctitatis documenta in ea, quam exhibemus, tametsi brevi narratione melius patebunt. Quocirca cum is, qui suscitat de pulvere egenum, Beatum Josephum tam eximiis in vita donis, ac virtutibus tam praeclaris post mortem signis, ac miraculis illustraverit, ut dubitari non possit, quin inter superos cum Deo regnet, cujus conversatio, cum inter mortales ageret, semper in coelis fuit. Nos propterea, qui Christi vices, licet indigni, gerimus, habito prius diligenti virtutum, et miraculorum ejus examine, de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon accedente suffragio Patriarcharum, ac plurimorum Archiepiscoporum, et Episcoporum in romana curia congregatorum, et, quod potissimum est, implorato saepius divini Spiritus auxilio, et lumine, eumdem Beatum Josephum candelabro imponimus, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, eique honorem, et cultum, qui sanctis cum Christo regnantibus exhibetur, tribuendum esse decernimus.

Oritur ex honestis parentibus ineunte saeculi XVII. et in juventutis exordio Religionem ingreditur.

§. 3. Sub initium saeculi a reparata salute XVII. Cupertini, oppido in Salentinis Neritonensis Dioecesis, parentes humiles sortitus, ac pios, in stabulo, quo repentinus pavor matrem compulerat, editus in lucem fuit. A teneris usque annis pietatem coluit, defixis in coelum oculis, et labris hiantibus inter orandum, quod quidem futurae post in adulta ætate altissimae contemplationis vel indicium esset, vel potius initium. A gravi morbo Deiparae Virginis ope liberatus, ad Beati Francisci septa transire constituit. Repulsam passus a fratribus conventualibus, quos primum adierat, ab iis, quos Cappuccinos vocant, exceptus est, sed acerbior deinde fuit ejectio. Nam post aliquot tyrocinii menses, tamquam ineptus ad instituti munia habitus ad suos redire coactus est. Dure acceptus a patruo, qui in conventualium ordine concionator erat, durius a matre religiosae vitae consilium non abjecit. Ad conventuales iterum confugiens tandem obtinuit, ut laicorum ministeriis addiceretur. Sed in novissimo loco libentissime recumbentem, jussit illum Dominus superius ascendere. Patribus enim, qui per triennium praeclaram Josephi, et majora in dies pollicentem virtutem suspexerant, visum est illum referre inter clericos. Longo ipsi, atque improbo labore cum rudi, atque hebeti in-

genio luctandum fuit, ut sacros libros, si minus intelligere, at legere, saltem apte, ac distincte disceret. Post solemnia vota sacerdotio initiatus, divinae hostiae primitias obtulit eo Religionis intimo sensu, ut praesentem ibi Christi personam, non tam credere, quam cernere videretur, novumque sibi ex eo tempore perfectius vitae genus ordiendum proponeret.

In primis aupertatem ...rum in ...odum dile...it.

§. 4. Ergo in coenobio de Cryptula, cui fuerat adscriptus, ita per decennium vixit, ut solitaria maxime loca adamaret, asperrime in corpus saeviret, et coram superiore sola contentus extima tunica, rebus omnibus abdicatis, et crucifixi pedes procumbens, vere illud usurpare posset: ecce Domine propter te omnia dimisi; tu modo sis mihi omne bonum. Sed tam rigidae paupertatis pressus angustiis, ut consumpta jam veste novam sibi unde quaereret non videret; ad piam erga Deum fiduciam abjiciendam sollicitatus ab humanae salutis hoste, nullius praeterea caelestis solatii rore in animum defluente recreatus, ac nimio proinde moerore confectus per biennium in camino humiliationis, velut in fornace persistit, et in humilitate sua patientiam habuit. Denique, cum conversus ad Deum in eas voces erumperet: Ut quid, Deus, dereliquisti me; Servum suum benignissimus Dominus moerore et luctu confici passus non est. Itaque religiosus quidam ignotus (Angelo, ut opinio fuit, ea sub specie apparente, ac statim ex oculis subducente se) novam illi tunicam allatam moerentem erexit, afflictumque recreavit.

...emque pœ...itentiam, et ...rga Christi ...assionem, ...usque Ma...em Beatissimam devo...onem.

§. 5. Ad omnimodam rerum externarum abdicationem asperrimam corporis macerationem adjunxit. Cura illi major animum jejunio, quam cibo corpus reficere. Interdictis sibi, non carne modo, et lacticiniis, sed pane etiam, et vino per longum tempus, insipidis leguminibus, atque amarissimis herbis libenter vesci, quin etiam certos quosdam dies sine ullo prorsus cibo transigere, sola Eucharistiae divina dape satis, abundeque refectus. Ad haec ciliciis, catenis, laminis ferreis, flagris ita se laniabat, ut nudatum aliquando jussu praesidis ipsius corpus adspici sine horrore non posset; tam foede lacerati artus erant, et sanie manantes. Versabatur nempe ei diu noctuque ante oculos, defixusque erat in animo penitus Christus Jesus, qui ad mortificationem ipsius in corpore suo circumferendam extimulabat: quae itidem caussa fuit, cur complura variis in locis humanae salutis signa statuenda curaret. Qua in re illud prorsus mirabile accidit, quod crucem quamdam immanis ponderis, quae simul adhibitis multorum viribus dimoveri vix poterat, unus ipse prodigioso volatu facillime sustulit, atque ubi destinaverat, attonitis prae stupore, qui aderant, collocavit. ejusmodi autem cum volatu extases ita crebrae, et mirabiles in eo fuere, ut patrum, et majorum nostrorum memoriam nemo fortasse facile inveniatur, qui earumdem vel frequentia, vel magnitudine Josephum aequipararet. In celebrioribus numeratur ea, cujus rec. mem. Urbanus Papa VIII. praedecessor Noster spectator, et testis fuit; alia item in Nostra patriarchali basilica Assisiensi, cum depictam in fornice deiparae Virginis Mariae imaginem conspicatus, statim ad eam propius venerandam octodecim e terra palmis sublatus advolavit. Neque vero minus illustris illa, qua in sacello novitiorum festo die Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, quod ille mysterium eximie colebat, praesidem amplexus ac secum trahens in aera paullisper, et mox dimittens ipse altius ascendit, Mariam iterum iterumque pulchram inclamans. Huic volatui geminus est, qui accidit in conspectu aedis Lauretanae, quam item ingredientium, et egredientium angelorum frequentia stipatam eminus vidit. Haec autem, aliaque id genus, quum adeo crebra essent, ut sacris functionibus, sive in choro, sive in ecclesia officere viderentur, praesidibus visum fuit Josephum in abdita loca a conspectu, et consortio hominum segregare. Sed haec, et similia, quae longum nimis esset singula recensere, mirari fideles possunt non assequi, atque imitari. Meliora igitur virtutum charismata Josephus exhibet ad aemulandum.

Inter ejus virtutes enituit præ cæteris obedientia.

§. 6. Ac primum quidem obedientiam, quae caeteras omnes virtutes animo inserit, insertasque custodit. Hujus ille ita studiosus,

erat, ut ne in minima quidem re ab ejus praescripto discederet, solitus idcirco dicere, obedientiae regendum se tradidisse veluti caecum, quem catulus circumducit. Illud autem in hoc genere prorsus mirabile, quod, quum alienato a sensibus animo, sive clamores ederent, sive excuterent ipsum sive etiam adurerent, nihil quidquam sentiret, una praesidis vox, tametsi non audita, visionem abrumpens, statim eum ab extasi revocabat. Atque huic sane tam insigni obedientiae tribuenda est perpetua Josephi tranquillitas, atque idem semper vultus, eademque frons tot inter, ac tantas vicissitudines, dum vel moderatorum ordinis, vel sacrae Inquisitionis jussu hac, illac errare, ac per triennium etiam ablegatus a suis apud fratres capuccinos versari cogitur. Quod quidem divino consilio factum esse non dubitamus, ut illius sanctitas et progressus in diem majores faceret, et plures ad exemplum testes, ac spectatores haberet.

Itemque humilitas, et castitas.

§. 7. Obedientiae humilitas non impar extitit, qua fiebat, ut objurgationes, et probra aequissimo ferret animo et extases quandoquidem dissimulare non poterat, infirmitatis, corporis, somnolentiae nomine obtegere conaretur. Paupertatem adamavit ita, ut perfectum in eo Francisci filium facile quivis posset agnoscere. Quocirca moriturus vere affirmare potuit, nihil apud sese, quod superiori resignaret, ac redderet inveniri. Paupertatem excipit patientia; multa enim indigna ab hominibus; multa diu a daemonibus dura perpessus est, invictus semper, ac similis sui, pari constantia fuit in ariditatibus ac desolationibus, ut ajunt, spiritus perferendis. Castitatem vero, tametsi diuturnam per daemones blandissima quaeque objicientes pugna tentatam, integram semper, atque incontaminatam servavit. Hujus autem indicium erat non dubium, tum suavissimus odor, quem rebus etiam ab se contactis afflabat, tum horror quidam singularis obscoeni flagitii, ut homines eo deturpatos dignosceret, atque ad abluendam, ut ipsi loqui solebat, spurcam atramento faciem adhortaretur. Hoc vero tam egregiae castitatis donum, tametsi tribui magna ex parte possit severissimae sensuum custodiae, et corporis, cui numquam pepercit asperrimis per dies, noctesque macerationibus: Deiparae tamen Mariae Virginis, quam illa veluti matrem unice diligebat, atque ab aliis diligendam summo studio curabat, patrocinio, et clientelae potissimum, acceptum referendum esse non dubitamus. Neque vero illud solum, sed caetera omnia dona, quae Deus in ipsum tam larga congessit manu, a beatissimae Virginis cultu repetenda esse ducebat. Itaque Maria in corde, Maria in ore semper illi erat.

Charitatem erga proximum mirum in modum coluit.

§. 8. Quum autem beatissima Virgo pulchrae dilectionis mater sit, et vocetur, Josephus non modo ipsam suavissime redamare, sed imitari etiam studebat in proximis diligendis. Erga aerumnosos misericors, erga aegros sedulus, erga periclitantes opitulator. Pro scelestis, atque improbis, quorum saepissime occulta flagitia detegens paterne corripuit, corporis sui afflictationes, Deo quasi piacularem hostiam offerebat. Quin etiam eodem charitatis instinctu pro Haereticorum conversione, non sine magna corporis afflictatione, Deum deprecatus, ex iis nonnullos ad catholicae Ecclesiae communionem revocavit. Comis praeterea festivus, hilaris illud in ore habebat, charitate qui praeditus sit, eum, tametsi nesciat, divitem esse. Qua quidem ipse adeo excellebat, ut ex iis, quas affert Apostolus caritatis notas, nullam in ipso requireres. Atque id ipsum ferme dicere licet de iis quae gratiae gratis datae vocantur, quasque divina liberalitas servis suis impertiri consuevit. Non illi prophetia defuit, non cordium perscrutatio, non curatio aegritudinum, non miraculorum facultas, non denique, quod magis mirandum fuit, sapientiae donum, quo abditissima theologiae dogmata homo plane rudis, ac pene idiota perspicue explicabat.

Virtutibus, et meritis onustus moritur an. 1663.

§. 9. Sed annum jam sexagesimum primum agenti Servo Dei tempus aderat, quo in Auximiano coenobio, quemadmodum ipse praedixerat, ab altissima quidem, sed abstractiva ad intuitivam Dei contemplationem evocaretur. Itaque correptus febri, quae mensem, eoque amplius tenuit, quum quinta post die, quae dies erat assumptae in coelum

Virgini dicata, sacrum ultimum ad aram fecisset, editis subinde, praecipue quum mors in propinquo esset, praeclaris patientiae, humilitatis, pietatis, fidei, fiduciae, charitatis actibus, divina eucharistia refectus, sacra unctione roboratus, per idemque tempus raptus, atque extases suavissimas passus, hilari animo, ridenti ore, vultu coelesti luce perfuso, ad Deum, quem unice quaesierat, e corporis vinculis evolavit XVIII. kalendas Octobris anno salutis MDCLXIII.

ur se- torum, fuere illius icatio unda-

§. 10. Statim vero, nec dum tumulato corpore, ac multo magis processu temporis supernaturalibus signis Deus Servi sui gloriam testatam facere coepit. Quae caussa fuit, cur biennio post de Josepho beatis adnumerando ageretur. Quocirca tribus ob eam rem per episcopos Neritonensem, Assisiatem, Auximanum confectis processibus, quibus alter accessit ex authoritate apostolica, eorumdem sinceritate, atque integritate perspecta praedecessor Noster Innocentius XI. ven. mem., qui Josephi adhuc inter mortales agentis sanctimoniam exploraverat, beatificationis illius caussam sacrorum rituum coetui commisit. Satis longo post intervallo, tribus, quae praeire solent, habitis in eadem congregatione comitiis, quibus tum virtutum excellentia, tum miraculorum veritas ad exactam trutinam revocaretur; tandem Clemens XII. die XV. mensis Augusti anno MDCCXXXV. declaravit constare de servi Dei virtutibus in gradu heroico. Quod vero ad miracula pertinet, praedecessor etiam Noster Benedictus XIV. duo prae caeteris insignia decreto suo comprobavit die IV. Octobris MDCCLII. Primum autem ex iis editum fuit in puero duodenni Stephano de Matthaeis, qui ex ictu lapidis vulnerata, ac discissa dexteri oculi pupilla; unde factum erat, ut exhaustis humoribus, oculique proinde orbita introrsus depressa, videndi facultatem amitteret; quum ad beatum Josephum confugens, sepulchro ejus laesi luminis palpebram admovisset, ipsissimo temporis puncto oculum integrum, venustum, atque ad visum aptissimum recuperavit. Alterum vero patratum fuit in Victorio de Matthaeis parente pueri, de quo dictum est. Hic enim, quum per annos ferme sex alterum genu ex humorum, qui obduraverant, confluxu enormiter intumuisset, ut ingredi, procumbere in genu, nonnisi aegre admodum posset, quam humanitus desperatam numquam tentaverat, in beati Josephi ope, ac praesidio sanitatem invenit. Vix namque affecto genu connixus est in suppedaneo altaris, Josephi adhuc ex longo ibi precandi usu vestigia praeferente, quum tumore omni sublato, statim incolume, atque expeditum ad motum genu persensit. Itaque idem Benedictus peculiares ob caussas compendiariam insistens viam, literas apostolicas beatificationis expediri jussit sub die XX. Februarii anni MDCCLIII, quibus publicatis in basilica Vaticana, solemnes beatificationis ejusdem caeremoniae peractae sunt.

Beatificatione expleta, novisque supervenientis miraculis, illico Beati pro Canonizatione agi coeptum est.

§. 11. Cum Josepho esset indulta veneratio, omnipotens Dominus per nova signa de augendo servi sui cultu manifestam suam ostendere dignatus est voluntatem. Propterea que alii tres processus apostolica authoritate super novis miraculis constructi fuere: iisque congregationis sacris ritibus praepositae judicio exhibitis: postquam et processuum validitas, et miraculorum veritas in congregationibus antepraeparatoria die XVIII. Septembris MDCCLXIV, et praeparatoria die X. Decem. MDCCLXV. perquam diligenter expensa fuit; generalem coram Nobis congregationem die XXIII. Septembris anni proxime praeteriti coegimus, in qua venerabilem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum consultorum suffragia excepimus. Sed, ut maturius hac de re deliberaremus, ac Nostris, et aliorum precibus divinum a patre luminum auxilium imploraremus die XII. Octobris proxime praeteriti de tribus sequentibus miraculis per intercessionem beati Josephi a Deo patratis constare decretum edi, atque in acta referri jussimus.

Refertur primum miraculum insigne.

§. 12. Primum miraculum compertum est in Maria Magdalena Panzironi die XXXI. Octobris MDCCLIII. scyrrosus tumor in ore stomachi praegrandis, ac durus pene instar lapidis eo miseram adduxerat, ut motu, colore, pulsus loquela sensim deficientibus; desperata a medicis valetudine justa illi funebria pararentur. Sed implorata, prout in

illo pene ultimo agone potuit, beati Josephi ope, hujusque et reliquia digitis puellae inserta, et imagine mortifero tumori admota, statim convaluit, ac vespera ipsa, qua id contigerat, nullo alterius adminiculo surrexit e lectulo, ac caetera, quae sani, ac vegeti solent, munia obivit.

Itemque secundum.

§. 13. Altera naturae vires exsuperans sanatio contigit in caelibe faemina Benedicta Pierangelini die XVIII. Januarii anno MDCCLVI. Quum enim duae polyposae moles vasis cordis adhaerentes praepedito liberiore sanguinis cursu, per sexdecim annos male illam habuissent, ut creberrima egeret phlebotomia, atque in praefocationis, et mortis discrimine identidem versaretur; ad extremum, morbo per dies quindecim ingravescente cum lethalibus paroxismis, sacris, quae morituros ad felicem exitum juvant, mysteriis munienda fuit. Sub haec nihilominus in spem erecta beatum Josephum animo invocans, praesentissimum ejus auxilium experta est. Applicata enim pectori sacra illius reliquia gravissimo quidem paroxismo corripitur, sed tamen hunc aegra ad valetudinem evasurum interius quodammodo persentiscere videbatur. Tum a chirurgo consueta sanguinis missione facta, quam abnuente medico Benedicta petierat, ex incisa vena, quam salvatellam vocant, polyposae illae duae carnosae substantiae moles mirifice prodeuntes, multiplici supernae virtutis miraculo, sanam illam, ac sospitem momento temporis reliquerunt.

Tandem, et tertium.

§. 14. Miraculo tertio (quod supra numerum vocant) sanitate instantanee donatus est Bernardinus Senogaliese mulio. Huic herpes in ulcus evaserat saevissimo quodam humore manans, qui et carnes scinderet, et pannos ipsos eroderet. Tum ab inguine ulcus ad genu perductum, gradiendi facultate intercepta, dolores praeterea ciebat maximos, ut nullam quietis partem capere liceret. In tanto discrimine, quum pia illius uxor ad beati Josephi opem enixe implorandam in ecclesiam se contulisset, ut mariti in doloris lecto decumbentis precibus et suas adderet; inter haec beatus ipse Josephus coram aegro se sistit, atque illum ad recitandas secum beatissimae Mariae Virginis litanias adhortatur. Josepho igitur praeeunte, respondente aegro ad singulas salutationes, ubi ad eam deventum est, qua Deipara salus infirmorum vocatur, repente simul cum visione morbus omnis abscessit. Bernardinus e lecto prosiliens expedito gradu pergit ad templum, impensas liberatori suo gratias acturus, et postera die suo mulionis ministerio se reddit valens, ac vigens.

Ex approbatione miraculorum, Canonizatio servi Dei a S. Rituum congregatione probata.

§. 15. Approbatione miraculorum sequuta, aliam congregationem itidem generalem die XXVII. Januarii proxime elapsi coram Nobis indiximus, ejusque exquisivimus consilium, an more, institutoque laudabili ipsius congregationis, et juxta opportunas praedecessorum nostrorum constitutiones tuto ad beati Josephi canonizationem procedi posset: Patres omnes in ea suffragium ferentes unanimi sensu, et validis rationum momentis omnia, quae in hujusmodi caussa desiderari possunt, satis abundeque suppetere sunt arbitrati. Verum Nos ab ea die divinum nostris, et aliorum precibus implorantes lumen, die festo purificationis beatae Mariae Virginis decretum, quod ad solemnem beati Josephi canonizationem procedi posset, edidimus.

Ad preces christianorum principum, et ecclesiarum praesulum actum de Canonizatione ipsa tum publico, tum secreto consistorio.

§. 16. Quoniam autem alias aliqui christiani principes, et praesules ecclesiarum B. Josephi canonizationem peroptantes communibus votis, et postulationibus apud praedecessores Nostros, et Nos institerant, et praeclarus ordo fratrum minorum sancti Francisci conventualium nuncupatorum assidue aliorum postulationibus, et suas demississimas adjungere, non desinebat, ut tandem supremam sententiam ferremus. Nos idcirco compendium vitae, virtutum, et miraculorum beati Viri, ex iis, quae sacrorum rituum congregatio praevio severo examine admisit complectens, typisque vulgatum singulis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus distribui curavimus, ac subinde die XXVII. mensis Aprilis proxime praeteriti secretum indiximus consistorium, in quo iisdem S. R. E. Cardinalibus summa virtutum, et miraculorum beati Josephi exposita, eorum consilium exquisivimus, an ad solemnem hujus admirabilis Viri canonizationem esset pro-

redendum. Cumque libentissime eorumdem Cardinalium animi sensus audivissemus oretenus affirmantium, id ipsis placere: ut adhuc in hac re maturius procederemus, venerabiles etiam fratres nostros Archiepiscopos, et Episcopos in Italia degentes de hoc consilio certiores fieri curavimus, eosque hortati fuimus, ut ad Urbem accederent, Nobisque in re tanti momenti adessent: eos quoque per idem compendium typis vulgatum de caussae totius serie, atque virtutibus, et miraculis beati Josephi ad plenum edoceri curavimus, et publico coram nobis die VII. nuper elapsi mensis Maji, habito consistorio, cui praeter S. R. E. Cardinales, Patriarchae quoque, Archiepiscopi, et episcopi in urbe congregati interfuere, in illo de mandato nostro dilectus filius Philippus Durani consistorialis aulae nostrae advocatus dilucida oratione integram caussam exposuit. Hisce itaque praemissis, aliud die XV. mensis Junii subsequentis coegimus consistorium, in quo praeter eosdem S. R. E. Cardinales, et Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, etiam Nostros, et sedis apostolicae notarios, protonotarios nuncupatos, ac duos seniores ex caussarum palatii nostri apostolici auditoribus adstare mandavimus. In eo siquidem Nos ipsi verba fecimus, omnesque rogavimus, ut sensum suum aperirent, an sancti cultus, et honos B. Josepho jure ac merito a nobis decerni posset. Cumque universi summa consensione B. Josephi canonizationem probarent, et singuli benedicentes Domino beatum Josephum inter sanctos numerandum esse responderent, Nos prolatorum suffragiorum exempla a singulis subscripta colligi, et in tabularium S. R. E. inferri, atque ab apostolicae sedis notariis publicum ea de re instrumentum confici mandavimus.

[P]ublicae [preces] indi[cuntur] ad im[plorandum divinum au]xilium.

§. 17. Publicas deinde orationes, et dies generalis jejunii per Urbem indiximus, et tres patriarchales basilicas designavimus, in quibus sanctissimum Christi corpus publicae venerationi per triduum exponi jussimus, omnes christifideles hortando, ut omnipotentem Dominum Nobiscum precantes spiritum sapientiae, et intellectus nobis impertiretur, quo duce quid ei placitum esset dignosceremus.

Tandem solemni Ritu in BB. Apostolorum basilica Pontifex decretum Canonizationis evulgat, et approbat.

§. 18. Hisce omnibus rite absolutis, quae ex sacris constitutionibus, romanaeque Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hac die demum beatae Mariae Virgini de Monte Carmelo nuncupatae dicata, qua a felicis recordationis Gregorio papa IX. etiam praedecessore Nostro beatum Franciscum ejusdem ordinis minorum fundatorem, sanctorum canoni adscriptum fuisse perhibetur, et qua decimus inchoatur annus a peracta coronatione Nostra; in basilica principis apostolorum splendide, ac magnifice ornata, ad quam servata supplicationis publicae forma Nos praecesserunt omnes cleri saecularis, et regularis ordines, et ministrorum romanae curiae collegia, una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis; priusquam immaculatam hostiam solemni novae legis sacrificio omnipotenti Deo offerremus, instante iterum iterumque dilecto filio Nostro Carolo tituli sancti Clementis S. R. E. presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato, ejusdem S. R. E. camerario; ad canonizationem impetrandam procuratore constituto, decantatis sacris Ecclesiae precibus, ut Deiparae virginis, angelorum, et sanctorum omnium cum Christo regnantium intercessione divinam opem imploraremus, ac paraclyto Spiritu cum gemitibus, ut adesset, invocato; ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, authoritate domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri, et Pauli, et apostolicae authoritatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio, et assensu ipsum beatum Josephum a Cupertino sacerdotem ordinis fratrum minorum sancti Francisci conventualium nuncupatorum expresse professum, una cum beatis Joanne Cantio, Josepho Calasanctio a Matre Dei, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a Monte Granario, ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal, sanctum esse decrevimus, definivimus, ac sanctorum cathalogo adscripsimus, illumque ab universis christifidelibus, tamquam vere san-

ctum, religioso cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore praesentium definimus, decernimus, et declaramus: statuentes, et concedentes, ut ab universali Ecclesia in ejus honorem ecclesiae, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari, et consecrari, et singulis annis die a Benedicto praedecessore praefato in literis illius beatificationis praescripto, nempe decima octava Septembris ipsius sancti Josephi a Cupertino inter sanctos confessores ab Ecclesia memoria recoli possit. Eademque authoritate omnibus christifidelibus, qui eadem die annis singulis ad sepulchrum, in quo corpus ejusdem sancti Josephi requiescit, visitandum accesserint, perpetuo septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Indulgentiae elargitae Canonizationis die

§. 19. Sub haec aeternum Patrem, regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiterni filium, et sanctum paraclytum Spiritum, unum Deum ac Dominum, cum debita gratiarum actione venerari, omnibusque christifidelibus ibi praesentibus plenariam peccatorum remissionem, et indulgentiam concessam; supra beati Petri confessionem sacrosanctum missae sacrificium solemniter celebravimus, facta eorumdem Sanctorum speciali commemoratione.

Novum Ecclesiae Dei ornamentum praebet S. Josephus a Cupertino.

§ 20. Laudum igitur, et gratiarum debita omnipotenti Deo praeconia referamus, qui novis semper Ecclesiam suam et exemplis instruit, et decorat ornamentis; ita quidem ut in beatum Josephum intuentes, videant haeretici, et resipiscant, vel fracti pudore contabescant, dum Religionis orthodoxae tam perspicuas notas agnoscunt. Videant praecipue catholici, et imitari studeant quod celebrare delectat: quod si sancti Josephi raptus, atque extases assequi in nostra non est potestate, sed in Dei imperscrutabili voluntate, qui dividit singulis, prout vult; illud tamen profecto conari et possumus, et debemus, ut avulso a terrenis animo, corpore quidem peregrini simus, atque advenae, spiritu vero cives sanctorum, et Domestici Dei. Flagrantissimus illius erga Deum amor vim suam vel in corpus exeruit, perinde quasi in antecessum agilitatis dotem induisset. Nobis illud satis sit, ut per pias, et crebras divinarum rerum meditationes mens expedita, atque alacris ad coelum assurgat.

Transumptorum fides

§. 21. Quoniam vero, hisce omnibus de more peractis, idem Carolus Cardinalis, et procurator designatus, a Nobis, quo par erat obsequio, postulavit, ut apostolicas Nostras literas in gestorum omnium perenne monumentum decerneremus; Nos petitioni perquam libenter annuentes, praesentes Nostras literas edi, et palam fieri demandavimus statuentes earumdem exemplis etiam impressis, ab aliquo ex notariis publicis subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eamdem prorsus fidem ab omnibus adhiberi, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae MDCCLXVII, XVII. kalendas Augusti, pontificatus Nostri anno decimo.

✝ Ego Clemens catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ sigilli.

✝ Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

✝ Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinae card. Lantes.

✝ Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

✝ Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.
† Ego J. F. episcopus Praenestin. Card. Stuppanius.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego C. tit. S. Clementis presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.
†
† Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.
†
†
† Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.
† Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.
† Ego P. H. tit. Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.
† Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Coelio presbyter card. de Comitibus.
†
† Ego Fr. L. basilicae Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.
† Ego M. A. tit. Sanctae Mariae de Pace presbyter cardinalis Columna.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.
†
† Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major poenitentiarius.
† Ego L. tit. S. Anastasiae presbyter card. Calinus.
†
† Ego A. tit. Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.
†
†
† Ego P. tit. S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.
†
† Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.
† Ego A. Sanctae Mariae in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.
† Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.
† Ego D. Sanctae Mariae ad Martyres diaconus card. Ursinus.
† Ego Fl. Sanctae Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.
† Ego A. M. Sanctae Agathae ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.
†
† Ego J. C. Sancti Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.
† Ego N. Sancti Georgii in Velabro diaconus card. Perrelli.
† Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.
† Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.
† Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.
† Ego X. Sanctae Mariae de Scala diaconus card. Canale.
† Ego B. Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Veterani.
†
†
†
†
†
†

C. Card. Pro-Datarius A. Card. Nigronus.

DCXIX.

Dat. die 16. Aug. 1767 Anno I.

Canonizatio B. Josephi Calasanctii fundatoris Clericorum regularium scholarum piarum.

Clemens Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Admirabilis sane omnipotentis Dei providentia, tum in constituenda, tum in sarta tectaque servanda Ecclesia, quam Christus acquisivit sanguine suo, jam inde ab ejus primordio ad hanc usque diem illustribus, et praeclarissimis, ut ab omnibus facile conspici possent, sese prodidit argumentis. Per omnes enim aetates benignissimus Deus homines in ea sanctissimos excitavit, qui studio alienae salutis incensi juvandis quoquomodo fidelibus adlaborarent. Quum autem cujus libet aetatis homines sanctorum virorum studio atque opera indigeant, ne ignorantiae tenebris obcaecati meliora non videant, vel etiam si videant, a concupiscentia sua abstracti, et illecti deteriora sequantur; tenera profecto et puerilis etas singularem quamdam et praecipuam curam requirit, ne sibi relicta atque inculta, voluptatum lenocinio paulatim ad vitia defluat, sensus quippe et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quapropter tametsi Christus Dominus omnes promiscue ad se accedentes humanissime exciperet, pueros tamen eximio quodam amore complectens, sinite, inquit, parvulos venire ad me. Novissime vero cum rediturus ad Patrem beato Apostolo Petro, quem Vicarium in terris suum constituerat, Ecclesiam sibi carissimam regendam, et pascendam committeret, oves quidem, per quas adulti intelliguntur, non amplius quam semel, agnos vero, quibus pueri designantur, semel atque iterum commendavit.

Generaliter efferuntur laudes hujus Beati

§. 2. Itaque quum B. Joseph Calasanctius a Matre Dei, genere, doctrina, virtute praestans, secum animo reputaret in optima puerorum institutione spem reipublicae christianae certissimam positam esse, et pueros videret, inopes praesertim, atque infimae sortis, propterea quod idoneam, et singulari disciplinam carerent, velut agnos sine pastore hac illac errabundos, et vagos facile ad vitia deflectere, pro eo, quo flagrabat, alienae salutis studio hanc sibi, despicabilem forte apud homines, apud Deum vero gloriosam provinciam deposcens, ad eosdem, a teneris usque annis literis ac pietate informandos animum appulit. Et primo quidem suam, atque aliorum ab se conductorum operam usus est ad id muneris, in quo nimirum charitas simul, atque humilitas mutuam sibi operam dabant. At processu temporis reputans pium istud opus defuncto sibi superstes esse non posse; novum in Ecclesia Dei regularem ordinem excogitavit, sapienter, et per summam patientiam instituit, cujus labore atque industria, quod sancte ipse et utiliter inchoasset, in omne deinceps tempus maneret. Quot autem quantosque labores exhauserit, ut cogitata perficeret, quam constanti animo aspera quaeque toleraverit, quam praeclara denique virtutum omnium, cunctis quidem fidelibus, sed suis potissimum filiis monumenta reliquerit, dici vix potest. Quapropter quum bonorum operum author idem, et largissimus remunerator Deus, qui Beatum hunc servum suum tot, et tam praeclaris virtutibus decoravit, easdem subinde, editis per ipsius servi sui invocationem miraculis ostendere, et palam facere dignatus fuerit, nos idcirco virtutum, et miraculorum examine habito perquam diligenti, in consilium adscitis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, auditis etiam Patriarchis, et pluribus Archiepiscopis et Episcopis in Urbe congregatis, ac divino Spiritu humiliter invocato, eumdem B. Josephum Sanctorum numero adscribimus, atque eo, qui domesticos Dei decet, in coelesti curia honore et cultu prosequendum esse statuimus et declaramus.

Referuntur illius natale, patria, virtutesque enunciantur quas ab adolescentia coluit.

§. 3. Beatus igitur hic servus Dei Peraltae Salis Aragoniae oppido non incelebri, anno a reparata salute MDLVI. parentibus natus est antiqua nobilitate clarissimis. Jam inde a teneris annis suavitate morum, lenitate, patientia, precandi studio, cultu Deipa-

rae singulari, qualis futurus esset haud obscure indicavit. Grandiuscula mox aetate pueros munusculis ad sese alliciens, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, ad Dei cultum hortari solebat, ut proinde Sancti apud omnes nomen et famam adeptus, instituendo ab se ordini proludere quodammodo videretur. Humaniorum artium doctrinam satis jam excultus ad praestantiores jurisprudentiae, ac theologiae facultates animum appulit, atque in iis quidem nulli secundus; innocentia vero, castimonia, integritate morum supra caeteros eminebat. Quod enim tempus plerique adolescentum ludis atque otio, religionis ille ac pietatis officiis impertiebat. Solitudinis studiosus continebat se domi, nisi vel ad templum pietas (quod frequens erat), vel necessitudo studiorumque communio ad aequalium quandoque consuetudinem, et colloquium vocaret. Neque vere in illo aut modestiae comitas, aut comitati modestia officiebat. Largissima erat in eo erga inopes, atque egenos misericordia. Ardor animi erga res divinas praesertim cum ad sacra mysteria, uti crebro solebat, accederet, ita ex vultu ipso atque ore emicabat, ut in admirationem sui oculos intuentium raperet. Pudor autem prorsus in eo singularis, ut vel in tenera adhuc aetate, morbo licet urgente, nemini unquam, ne matri quidem corpusculi ipsius partem ullam adspicere nudam licuerit.

...ae ju... praec... eis... gelicae ex... prae-

§. 4. Ilerdae non aliam utique, quam eximiae suae commendatione virtutis, cunctis quum magistrorum, tum condiscipulorum suffragiis universae studiosae juventuti praefectus, ac princeps renunciatus, ejusmodi honore, ac munere sic functus est, ut qua voce, qua exemplo (quod quidem suavissimum, idemque efficacissimum monendi genus est) segnes ad studia, dissidentes ad concordiam, improbos ad virtutem adhortaretur. Et quidem industriae suae fructum tulit, quem maxime optarat. Alia enim jam facies extitit juventutis in scholis, in templis, in nosocomiis, ut propterea qui tam praeclare meritum de scholis, Josephum susciperent, eumdem veluti delapsum e coelo angelum venerarentur.

§. 5. Itaque coram eo nemo erat, qui impudenter dicere aliquid, vel indecore facere auderet. Tam spectatam virtutem, ac praesertim animi castimoniam teterrimus humani generis hostis ferre non poterat. Itaque ad eam labefactandam usus est impudentia nobilis cujusdam foeminae, quam Josephus veterem suae cum familia illius necessitudinem retinens, invisere subinde consueverat. Sed castissimus juvenis blandientis foeminae illecebras tanta animi exhorrescentis constantia elusit, ac respuit, ut non satis haberet, quod e domo illa, tanquam ex infami scopulo sese proripuisset; nisi etiam ex urbe ipsa, uti praestitit, alio demigraret, ut alterius magis, vel famae, vel pudicitiae, quam castimoniae suae periculum declinaret. Post gratias igitur impense actas Deiparae cujus tam praesentem in eo discrimine opem expertus erat, instaurato etiam virginitatis voto, statim Complutum profectus est, ubi novum innoxio quamtumvis corpori ciliciis, inedia, vigiliis bellum indixit.

Mira beati castitas, et illius perpetuo servandae votum.

§. 6. Peracto denique studiorum curriculo, lauream donatus, tametsi nondum sacris majoribus initiatus ab Episcopo Jaccae socius laborum adscitus est, non sine magna dioecesis utilitate. Jamvero mortuo fratre sine liberis, a parente in spem familiae destinatus ad nuptias, morbo interveniente periculoso atque ancipiti, ab iis sese expedivit. Quum enim ad mortem decumberet, in eo temporis articulo facile a parente Josephus obtinuit, ut, si convalesceret, coelibem agere vitam liceret. Itaque praeter omnem opinionem recuperata valetudine sacrorum ordinum susceptione ut primum potuit, totum se Deo mancipavit. Neque vero diu licuit Josepho sibi uni vacare. Cognita enim illius pietas, sapientia, integritas fecit ut a pluribus episcopis in pastoralis sollicitudinis partem advocaretur. Quibus ille quidem non mediocri laborum fructu operam egregie navavit, praesertim in Urgellensi dioecesi, quum commissum sibi peculiaris asperrimorum locorum visitationis munus expleret. Multa sibi relata in melius, multa provisa prudenter, magis propterea exhaustis laboribus, atque adeo non semel adito vitae periculo. Barcinonem deinde regia missus authoritate scis-

Sacris ordinibus insignitus, mira christiana charitate, ad proximi utilitatem laboravit, deindeque ad Urbem venit.

sam in factiones duas civitatem, atque in mutuas mox caedes faedissime ruituram (quod optare magis, quam sperare cives possent) ad concordiam et pacem consilio, et fusis ad Deum precibus revocavit. Charitatis hoc et prudentiae, illud animi demissionis fuit, quod, ut paratus sibi honores defugeret, oculis, atque aspectui plaudentium sibi civium sese subducens, Urgellam statim reversus est, a qua tamen majus quoddam humilitati suae instare ab rege periculum suspicatus, ob rem tantam jam pervulgatam, haud ita multo post proficiscens aetatis suae anno secundo supra trigesimum Romam, quo divinitus vocabatur, se contulit.

Honores quampluribus et in Urbe oblatos respuit, de unis tantum charitatis officiis sollicitus.

§. 7. Vitam in Urbe Josephus absconditam cogitabat: sed a Cardinali Columna, qui praestantiam illius ab Episcopo Urgellensi cognoverat, in aulam suam adscitus est, ut sibi theologus a studiis, ac fratris filio praeterea optimae spei adolescentulo morum magister esset. Verum non is erat Josephus, qui aulae honoribus caperetur, cum non semel dignitates amplissimas repudiaverit. Illud enim sibi proposuerat jamdudum ut Deo maxime, et proximorum saluti inserviret. Itaque, ut ampla laborum, et meritorum seges suppeteret, quinque se celeberrimis Romae sodalitatibus adscribi voluit, earumque sanctissimas leges sublevandis pauperibus, invisendis aegris, erudiendis agrestibus, ac plebeis tam sedulo, ac naviter observabat, ut incenso suo studio caeteros omnes ad eadem charitatis officia inflammaret. Grassante per Urbem lue, hic enim vero, si unquam antea, quid christiana charitas possit, maxime ostendit. Nullum enim ab eo erga aegros, et pauperes officium defuit. Qua quidem in re misericordiae, atque humilitatis assidua erat exercitatio. Talis namque ac tantus vir, onustum cibariis, ac pharmacis asellum per vias agere, et cum sancto Camillo de Lellis, cui se socium addiderat, ad egentium, atque aegrotantium domos deferre nequaquam erubescebat. Neque vero cum juvandis proximis tantum temporis impertiret, spatium illi deerat ad ea, quae cultus Dei sunt, obeunda. Etenim ut praeter caetera, quae sibi proposuerat, Religionis officia, septem Urbis ecclesias, quod a multis jam annis solemnia habebat, inviseret, a nocturna quiete partem sibi maximam detrahebat.

Institutum fundavit ad erudiendos pauperes pueros, quod late diffusum vidit adhuc vivens.

§. 8. Sed majus profecto aliquid, quod non ad Urbem modo, sed ad christianam rempublicam pertineret, Josephus aggressus est. Quum enim vir aeternae proximorum salutis maxime studiosus videret pueros, praesertim infimae sortis necessaria instructione carere; qua ex re cum inscitia passim vitia inolescerent, primo quidem sumpto suo magistros quaesivit, qui pueros, praeeunte ipso, ac pauperrimos sibi deposcente, primis literarum, ac christianae doctrinae elementis imbuerent. Sed quum id ad tempus dumtaxat, et paucis profuturum intelligeret, novum quoddam institutum meditatus est, cujus opera assidua illa charitatis in edocendis adolescentibus exercitatio perpetua maneret: quod quidem institutum, cum peculiarem potissimum profiteatur curam circa puerorum eruditionem, adeo ab omnibus commendari, et expeti coepit, ut ipse Joseph adhuc vivens in septem provincias late per orbem diffusas, benedicente domino, propagatum conspexerit.

Summa patientia persequutiones pertulit, et de illis triumphavit.

§. 9. Sed quam multas, quam acerbas ob eam rem a domesticis ipsis, nedum ab aliis injurias, calumniasque pertulerit, haud facile dictu est. Illud sit instar omnium quod felicis recordationis Benedictus XIV. praedecessor Noster, ut perhibent, aspera quaeque atque indigna, quae servo Dei ad extremam usque aetatem subeunda fuerunt, animo reputans, Josephum Jobum alterum appellare non dubitavit. Hujusmodi autem incredibilis patientia, atque animi aequitas tunc maxime enituit, cum ex infanda calumniatoris nequissimi delatione comprehensus, ac tota spectante Urbe satellitum manu stipatus, ad carceres perductus fuit, ut hominibus quidem ludibrio, angelis vero admirationi esset et gaudio. Etenim mitissimo atque humillimo viro, qui statim compertus innocens, ut impactae calumniae labes abstergeretur, summo cum honore cunctis plaudentibus domum reductus est, expetendum id magis visum fuit, quam dolendum. Illud utique dolendum maxime, atque acerbum accidit, quod vi-

neam ab se tanto labore, ac studio plantatam, quaeque palmites suos longe lateque extenderat, dissipatam jam, atque a singulari fero pene exterminatam conspexit.

...m beati ...otiam ...nia mul- ...odigia ...narnut.

§. 10. Attamen in his etiam rerum asperitatibus ne vestigium quidem de gradu constantiae dejectus, ostendit quam vere scriptum sit: Justum non contristare quidquid acciderit. Contumeliis enim et conviciis lacessitus impudentissimis, ita se gerebat, ut iis delectari videretur. Obtrectatoribus suis, quos coercere facile potuisset, non aliam rependit vicem, quam quae a Christo praescripta est, ut bene scilicet precaretur iis, quibus injuriam acceperat. Sed et Deus ipsi tam admirabili patientiae coelestem aliquam vel in terris mercedem rependit. Deiparam enim cum puero Jesu videre meruit sibi, et commissis suae disciplinae adolescentulis benedicentem. Illius modo vultus inter orandum, modo corpus totum, dum sacris operatus, coelesti lumine circumfusum, atque e terra sublime conspectum est. Illum in cubiculo preces fundentem beatissima Virgo adspectu, alloquioque suo recreavit. Dono praeterea prophetiae non caruit, qua vel futura praediceret, vel arcana cordium penetraret. Absentibus invocatus praesto erat. Filiis suis pariter longo licet intervallo disjunctis, aderat, ut vel moneret, siquid forte deliquissent; vel parantibus ad eum scribere in ipso articulo temporis responderet. Ejus item contactus aegrotantibus salutaris erat, praesentia doemonibus formidolosa.

Extremum ...m vidit ...lus prae- ...tibus ...odigiis.

§. 11. Sed jam suprema dies aderat, qua Josephus ejusdem praescius, post labores tam multos, post tam longas aerumnas sempiterna quiete ac beatitudine potiretur. Itaque correptus morbo, quem medici levem, et ultimum ipse affirmabat, christianarum virtutum, earumque maxime, quae id tempus posceret, in occursum domini parare se impense studebat. Morbi autem vim non patientia modo ipsius, atque animi aequitas, sed etiam beatissimae Virginis, aliorumque coelitum visiones suavissimae leniebant. Inter eas porro illa utique jucundissima, quae eadem Dei Mater sese illi conspiciendam dedit, complurium, qui religiosae illius disciplinae alumni fuerant numero comitata. Alia praeterea visione servum suum Deipara cum sanctissimo filio suo recreavit, pollicita insuper fore ut ordo ab ipso institutus, de quo sollicitus erat, ne forte interiret, protegente se refloresceret. Quod quidem, cum ad erigendos in spem suos magnopere pertineret, existimavit se salva modestia posse id eisdem palam facere, atque adeo debere. Sanctissimo deinde corporis Christi viatico roboratus quatuor e suis alumnis in Vaticanum mittendos duxit: duos quidem qui sancti apostolorum Principis aeneam statuam venerati pium illius pedibus osculum darent, ceu testem catholicae romanae fidei, in qua emori, uti vixerat, Josephus optabat: alios vero duos, qui a summo Pontifice Christi vicario plenam culpae omnis, ac poenae remissionem, ipsius nomine peterent, atque impetrarent. Sacra demum unctione munitus, lacrymas inter, ac preces suorum, sublatis ad coelum oculis, et pendentis e cruce Christi imaginem osculatus, post invocationem suavissimi Jesu nominis ter iteratam, sui compos, et sensibus valens, pacatissimum conditori suo spiritum reddidit, octavo kalendas Septembris anni domini MDCXLVIII. Illud autem sane admirabile, quod e tam cari parentis obitu non maeror, ut assolet, sed inusitata quaedam laetitia filiorum ipsius animos repente occupavit, manantibus jam prae gaudio lacrymis, quas antea dolor expresserat. Defuncti corpus majestatem quamdam praeseferens rapiebat oculos, suavemque, ac caelestem utique odorem afflabat. Jamvero virginalis illius eximii pudoris etiamsi alia nulla, dum inter mortales ageret, indicia extarent, illud unum satis abundeque foret, quod mortuus edidit plane admirandum. Quum enim cadaver, detracto ut ablui posset indusio, nudatum esset, manus illius dextera, nullo alterius impulsu, statim partes eas cooperuit, quas verecundia conspicere vetat: atque ut evidentius adhuc tam singulare pudoris studium appareret, dimota, per eos, qui aderant, mortui dextera, sinistra pariter nemine impellente ad partes eas obtegendas dexterae vicem supplevit.

Beati miraculorum praescriptio indicitur, et processus acta incoantur.

§. 12. Jamvero, cum servi Dei corpus ad sacram aedem sancti Pantaleonis afferretur, quadriennis puer en sanctus inclamavit, ore lactenti, en sanctus advenit. Magnus deinde concursus totius ferme Urbis ad funus illius celebrandum, praesertim post miracula, quae complura statim patrari per invocationem servi Dei coepta sunt. Quae cum ad aures felicis recordationis Innocentii Papae X. praedecessoris Nostri pervenissent, tum ipsius, tum Cardinalis in Urbe, ejusque districtu vicarii nomine religiosis ipsius filiis, qui spectatores, ac testes extiterant, demandata cura est, ut ea fideliter, atque accurate perscriberentur, ad eorum deinde, quorum interest, examen debitum revocanda. Quum autem novis in dies miraculis servi Dei sanctitas coruscaret, ejusque fama increbesceret, Cardinalis primum in Urbe vicarii, apostolica deinde auctoritate coeptum est agi de virtutum illius excellentia. Quae quidem cum in congregatione S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praeposita, communi patrum judicio ad heroicum gradum pertigisse constaret, sanctae memoriae Benedictus XIII. praedecessor Noster eorumdem judicium decreto suo confirmavit die octava Septembris MDCCXXVIII. In miracula deinde auctoritate apostolica per tres Episcopos inquisitum, iisque rite in acta relatis, ac duobus ex illis patrum suffragio dignis probatu compertis, ejusdem memoriae Bened. XIV. Noster item praedecessor, consulto multis precibus Deo, Patrum judicium, accepta divinitus auctoritate, ratum habuit, atque approbavit die Maji decima anni MDCCXLVIII.

Beatorum albo adscribitur a Benedicto XIV. post patratorum miraculorum examen.

§. 13. Ac primum quidem miraculum patratum est in Margarita Tanteri virgine Florentina, quae decenni aneurismate in ultimum vitae discrimen adducta, post imploratam Josephi opem, puncto temporis integram valetudinem recuperavit. Miraculum alterum conspectum est in Christina Ceccherina virgine ex eadem itidem civitate moniali, inter eas, quae cappuccinae vocantur. Haec enim per septemnium variis simul morbis implicita, ut immobilis jam citra spem ullam decumberet, opitulante Josepho, perfecte atque integre, divinitus repetente convaluit. Quum igitur de Josephi virtutum heroica excellentia, et perspicua miraculorum nota satis abundeque constaret, laudatus Benedictus XIV. nihil amplius cunctandum ratus, die septima Augusti anni ejusdem MDCCXLVIII. datis apostolicis literis, Josephum beatorum fastis adscripsit.

Nova beati miracula, quae pro fundamento illius canonizationis fuere.

§. 14. Sed novis subinde coelestibus signis, servi sui sanctitatem Deo declarante, ut reliqui summi honores Josepho decerni possent, auctoritate apostolica de recentioribus, quae ferebantur per eumdem patrata miracula, quaestio de more instituta est; qua feliciter expleta, duo potissimum prae caeteris patrum sacrorum rituum congregationi praepositorum calculo probatu digna sunt habita, et nos ipsi probavimus die XXV. Maji MDCCLXVI. Ac primum quidem editum est in Maria Constantia Caminati Genuensi virgine, moniali in monasterio ordinis sanctae Clarae extram aenia civitatis Tuderti. Phtisim illa jamdudum paterna in domo contraxerat, quam aliquamdiu dissimulatam celare amplius non potuit. Per undecim ipsos annos, assidua febris deteriora in diem symptomata tertium morbi illius gradum clare indicantia; Scirrhus in jecore duro extrinsecus, et late fuse tumore se pandens, aliaque exinde subnascentia morborum genera eo jam aegram adduxerant, ut pelle dumtaxat, atque ossibus; nulla praeterea corporis parte constare videretur. Itaque non semel extremo saeramentorum subsidio munita, nibil jam aliud apperiri poterat, quam ut e consumpto corpore anima demigraret. Sed desperatam humanitus valetudinem pia monialis per beatum Josephum divinitus est consecuta. Quum enim brevi, quam morbus in lectulo sineret, novemdiali prece illius se patrocinio commendasset, die ipsa, quae nona et postrema erat institutae precationis, placide consopita, et somno (quod numquam antea contigerat) diu producto, morbi vim omnem discussam sensit. Eodem tempore color vultui, vires corpori redditae, quodque magis utique mirandum fuit, caro non modo restituta, sed ea visa est addita, quae fortasse nunquam extiterat. Neque vero integra tantum fuit valetudo, sed etiam perpetua. Altera superans naturae vim sanatio contigit Vincentiae Buada Valentinae. Haec

enim tres vel quatuor annos nata, ex gravi lapsu, (dum per ludum ab imprudenti quopiam jactatur in aera, et excipitur) luxatis aliquot spinalis medullae vertebris, gravibus primum morbis, perfecta dein comprehensa fuit paralysi, ita quidem ut crura ob interclusos succi vitalis meatus, arida jam, ac pene lignea motum et sensum omnem amisissent. Conversa igitur puella ad coelestem opem, quandoquidem in humanis remediis nulla jam reliqua spes erat, novemdiali obsequio beati Josephi auxilium implorat. Eo peracto, nondum tamen compos voti facta erat: Sed patre admonente, brevi adhuc fusa prece, ea ipsa die, momento temporis motum, sensum, et quod mirandum est magis, carnem recuperavit.

tifex deut tuto cedi posse beati canonizatione.

§. 15. Post haec ejusdem congregationis generalis die XXIII. mensis Septembris anni proximi elapsi coram Nobis habitae consilium audivimus, an juxta consultissimas leges a praedecessoribus Nostris ipsi congregationi praescriptas, tuto ad beati Josephi canonizationem procedi posset, et quamvis in ea suffragium ferentes unanimi consensu id affirmaverint, nihilominus, ut accuratius causam perpenderemus, precibusque cum nostris, tum aliorum in re tanti momenti divinum promeremur auxilium, nonnisi die XII. subsequentis mensis Octobris decretum, quo ad solemnem beati Josephi canonizationem, servatis servandis, quandocumque procedi posset, edi jussimus.

stulatio pro celebeati canonizatione.

§. 16. Interim vero charissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, ut hoc decretum ad effectum perduceretur, se summopere optare nobis significavit: ac dilecti filii ordinis Clericorum regularium scholarum piarum superiores proprio, et cunctorum illius professorum nomine assiduas nobis preces porrigebant humillimas, ut eum, a quo divini numinis afflatu leges exemplo suo confirmatas acceperant, supremo tandem cultu decoratum conspicerent, et venerarentur.

Feruntur consistorialia, de more canonizationis quamque praemant.

§. 17. Ut itaque quod supererat, ad sacrorum canonum normam et juxta venerabilia eorumdem praedecessorum nostrorum instituta perficeremus, universi primum collegii fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilium exquisivimus in consistorio secreto die XXVII. Aprilis proxime praeteriti habito, in quo Nos ipsi summam virtutum, et miraculorum beati Josephi, nec non seriem eorum omnium, quae in ejus causa gesta fuerant, ipsis exposuimus, cunctisque adsentientibus, ut ad supremam gravissimo huic negotio manum imponendam progrederemur quamplures venerabiles fratres Archiepiscopos, et Episcopos ex universa ferme Italia in Urbem accivimus, eos quoque antequam definitivam sententiam ferremus, in consilium adhibituri. Hi omnes causam totam perdidicerunt, tum ex peroratione in consistorio publico die VII. mensis Maji proxime praeteriti coram Nobis habita a dilecto filio Alexandro Tozzi nostrae consistorialis aulae advocato, tum ex plena, accurataque relatione gestorum, et virtutum beati Josephi, cum miraculis e tabulario saepedictae congregationis sacrorum rituum desumpta, quae typis impressa singulis tradita fuit. Coacto propterea die prima proxime etiam elapsi mensis Junii semipublico consistorio, in quo praeter eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium collegium, omnes itidem Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi, qui hac ipsa de causa in Orbe aderant, sessionem habuere, factaque omnibus dicendae sententiae potestate, spectabilem hujusmodi consacerdotum coronam summa consensione audivimus ad beati Josephi canonizationem nos adhortantem. Qua de re omnium suffragia proprio singulorum chirographo subscripta colligi, et in tabularium romanae Ecclesiae referri jussimus: mandantes praeterea dilectis filiis sedis apostolicae notariis, ut super solemni actu publica instrumenta conficerent.

In BB. Apostolorum basilica solemnitas canonizationis perficitur.

§. 18. Indictam deinde ad perficiendum canonizationis actum hodierna die, qua solemnia coronationis nostrae recurrunt, postquam superiori hebdomada per triduum omnes christifideles ad jejunium hortati fueramus, tribus patriarchalibus basilicis designatis cum plenariae indulgentiae concessione, ut ad impetrandum divini Spiritus lumen fideles ipsi suas nostris adderent preces. Hac demum die congregatis in Vaticano omnibus utriusque cleri ordinibus, et curiae, ac aulae

nostrae proceribus, praecipue vero venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis; solemni supplicatione divinam majestatem exorantes ad basilicam principis apostolorum processimus. Ibi autem cum dilectus filius noster Carolus tituli S. Clementis S. R. E. presbyter Cardinalis Rezzonico nuncupatus ejusdem S. R. E. Camerarius, pro canonizatione impetranda procurator designatus enixa christianorum principum, antistitum, capitulorum, ecclesiarum magistratuumque, ac totius ordinis clericorum regularium scholarum piarum vota, atque preces Nobis obtulerit pro solemni canonizatione ipsius beati Josephi, ac etiam beatorum Joannis Cantii, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini a monte Granario, ab Asculo denominati, et Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, Nosque semel, iterum, ac tertio rogaverit, ut exoptatam dudum sententiam pronunciantes, commune gaudium expleremus. Ideo Nos implorato prius universae coelestis curiae praesidio, et advocato cum gemitibus paraclyto Spiritu, eoque sic ispirante, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum; authoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, B. Josephum Calasanctium a matre Dei ordinis clericorum regularium scholarum piarum fundatorem, omni christianarum virtutum genere ornatum, de re christiana optime meritum, caelestium donorum copia, et miraculorum gloria praelustrem, sanctum esse definiendo pronunciavimus, et una cum praedictis Joanne Cantio, Josepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a monte Granario, ab Asculo denominato, et Joanna Francisca Fremiot de Chantal sanctorum Ecclesiae fastis adscripsimus. Decernentes, juxta Benedicti XIV. praedecessoris praefati literas, ipsius sancti Josephi Calasanctii memoriam sexto kalendas Septembris, qua nimirum die illius corpus tumulo demandatum fuit, in universa Ecclesia quotannis recolendam esse, ac ritu debito celebrandam. Ac omnibus christifidelibus, qui in Ecclesia sancti Pantaleonis de Urbe nostra, ubi sancti Josephi mortales exuviae coluntur, eadem designata die religiose accedent ac Deum optimum maximum juxta nostram, et piae matris Ecclesiae mentem precati fuerint, indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenarum perpetuo in forma ecclesiae consueta concessimus.

§. 19. Mox decantato pro debita gratiarum actione laudis, et confessionis hymno, ad aram basilicae maximam supra sacratissimam principis apostolorum confessionem incruentam salutis humani generis hostiam oblaturi reverenter accessimus, et facta eorumdem sanctorum speciali commemoratione post evangelicam lectionem a diaconibus latina, et graeca lingua decantatam, justa et sancta exultatione spiritus sensimus nos impelli, ut venerabilem sacerdotum coronam, et populum universum; quem religionis studium, atque apostolicae sedis reverentia non ex Urbe modo, sed ex longinquis etiam regionibus attraxerat; ad eorumdem sanctorum virtutes imitandas, et patrocinium promerendum, paterno affectu breviter adhortari, et accendere conaremur. Denique inexhausti Ecclesiae thesauri divitias in eos qui adstabant fideles veluti effundentes, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concessimus. *Pontifex solemnitate expleta, fideles alloquitur, eisque plenariam indulgentiam impertitur.*

§. 20. In hac autem tum nostra, tum populi totius fidelis justissima exultatione nostrae huic Urbi dilectissimae alia profecto quaedam peculiaris est causa, cur non modo S. Josepho, sed etiam sibi magnopere gratuletur. Solatium est enim non parvi utique faciendum, quod venerabile Josephi corpus apud nos extat, quasi amoris erga nos sui perenne pignus, et monumentum. Nam etsi ubique terrarum coelites clientibus suis opem impertiant, ibi tamen et uberius id, et frequentius praestare solent, ubi corpore hoc est aliqua sui parte adhuc resident. Ad Josephi ergo tumulum in angustiis, in periculis, in rebus dubiis quisque accedat, per haec praesertim tam plena aerumnis, et calamitatibus tempora, nec dubitet, quin cum ex iis, quae passus est, tam multa, tam aspera, patientiam didicit in terris agens; regnantem modo gloriosum in supernis aedibus pium erga se, et propitium experiatur. *Adhortatio ad novi sancti patrocinium implorandum.*

insum- m fides. §. 21. Quoniam vero post prolatam a Nobis canonizationis sententiam ab eodem Cardinale procuratore Nobis humiliter supplicatum fuit, ut super praemissis omnibus apostolicas literas perpetuo valituras decernere, et edere dignaremur; ideo Nos justissimae annuentes petitioni, praesentium tenore, omnia et singula praemissa, confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, atque universae catholicae ecclesiae denunciamus. Mandantes, ut earumdem praesentium exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

tio poe- §. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae MDCCLXVII. decimoseptimo kalendas Augusti pontificatus nostri anno decimo.

† Ego Clemens catholicae Ecclesiae Episcopus.

Locum ✠ sigilli.

† Ego C. A. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Cavalchini sacri collegii decanus.

† Ego F. M. episcopus Portuen. et S. Rufinae card. Lantes.

† Ego J. F. episcopus Sabinen. card. Albani.

† Ego H. episcopus Tusculan. card. dux Eboracensis S. R. E. vicecancellarius.

† Ego F. episcopus Albanen. cardinalis Serbellonus.

† Ego J. F. episcopus Praenestin. card. Stuppanius.

†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

† Ego C. tit. S. Clementis presbyter card. Rezzonico S. R. E. camerarius.

†

† Ego F. M. tit. Sancti Silvestri in Capite presbyter cardinalis de Rubeis.

†
†

† Ego J. M. tit. S. Alexii presbyter card. Castelli.

† Ego C. tit. Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Elephantutius.

† Ego P. H. tit. Sanctissimae Trinitatis in monte Pincio presbyter card. Guglielmi.

† Ego P. P. tit. S. Stephani in monte Coelio presbyter card. de Comitibus.

†

† Ego Fr. L. basilicae Sanctorum XII. Apostolorum presbyter card. Ganganelli.

† Ego M. A. tit. Sanctae Mariae de Pace presbyter cardinalis Columna.

†
†
†
†
†
†
†

† Ego S. tit. S. Joannis ante portam Latinam presbyter card. Buonaccorsi.

†

† Ego J. C. tit. SS. Joannis et Pauli presbyter card. Boschi major poenitentiarius.

† Ego L. tit. S. Anastasiae presbyter card. Calinus.

†

† Ego A. tit. Sanctae Mariae in Via presbyter cardinalis Columna Branciforti.

†

†

† Ego P tit. S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Pamphilius.

†

† Ego Ph. M. tit. S. Chrisogoni presbyter card. Pirellius.

† Ego A. Sanctae Mariae in Via-lata prior diaconorum cardinalis Albanus.

† Ego N. S. Eustachii diaconus card. Corsinius.

† Ego D. Sanctae Mariae ad Martyres diaconus card. Ursinus.

† Ego Fl. Sanctae Mariae in Porticu diaconus card. Chisius.

† Ego A. M. Sanctae Agathae ad Suburam diaconus cardinalis Torrigiani.

†

† Ego J. C. Sancti Caesarei diaconus card. Caracciolus de Sancto Bono.

†. Ego N. Sancti Georgii in Velabra diaconus card. Perrelli.

† Ego A. Sancti Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Corsinius.

† Ego A. Sanctorum Viti et Modesti diaconus cardinalis Nigronus.

† Ego Ae. S. Sancti Adriani diaconus card. Piccolomineus.

† Ego X. Sanctae Mariae de Scala diaconus card. Canale.

† Ego B. Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Veterani.

†

†

†

†

†

†

C. Card. Pro-Datarius A. Card. Nigronus.

DCXX.

Dat. die 18 Aug. 1767. Anno X.

Specialis conventio inter Sardiniae Regem, et Episcopum Novariensem, quoad controversa dominia, et jurisdictiones hac constitutione approbatur, et confirmatur.

Clemens Episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani pontifices Ecclesiastica bona, et jura tuentur, illorumque dispersionibus obstant.

§. 1. Regimini universalis Ecclesiae quamquam immeriti, disponente Domino, praesidentes curis angimur assiduis; ut juxta creditae Nobis dispositionis officium bona, et jura pia fidelium liberalitate Deo dicata, ex quibus Ecclesiae dotantur, vel illustrantur, ab earum proprietate abdicare, et in alienum dominium transferre absque nostra, et hujus sanctae Sedis auctoritate contra canonicas sanctiones nemo audeat, vel praesumat. Si quae tamen super eorumdem bonorum, ac jurium possessione dubia nascantur, quae litis anfractum, aut scandalorum parturiant fomentum, tali ducimus salubri consilio componenda, ut et ecclesiarum removeantur gravamina, et earum pastoribus optatae pacis, et tranquillitatis proveniat incrementum.

Referuntur incommoda, et molestiae, quas Episcopi Novarienses afficiebantur quoad controversa dominia, et jurisdictiones.

§. 2. Alias siquidem pro parte venerabilis fratris nostri Marci Aurelii Balbis Bertone moderni episcopi Novariensis nobis exposito, quod inter cheteras, quibus episcopalis ecclesia Novariensis, illiusque antistes pro tempore existens gaudet praerogativas, ea etiam enumeratur cujusdam juris dominii temporalis supra aliquas terras, seu oppida « la riviera di S. Giulio, ed Orta di Gozzano, e Pieve colla signoria di Soriso » vulgo denominata. Verum quamvis dominii hujusmodi decor spectabilis esset, non laevia tamen illius causa Novariensis ecclesiae episcopi pro tempore existentes sentiebant onera, non modo quia iis carebant praesidiis, quae ad illorum populorum regimen, et gubernium necessaria fuissent, sed eo magis ob controversias super supremo dictarum terrarum, seu oppidorum dominio cum tunc existentibus Mediolani ducibus identidem exortas. Quamobrem posteriorum duorum saeculorum decursu iidem episcopi gravibus incommodis, ingentibusque sumptibus non absque animi perturbatione, ac pastoralis ministerii detrimento, obnoxii fuere.

removen- controsias protas, ex- judiciali ituta tra- ione, cibatio cinnata

§. 3. Quare, sicut eadem expositio subjungebat, cum veteres illae, quae prius a ducibus Mediolani excitatae fuerunt, nuper a carissimo in Christo filio nostro Karolo Emmanuele Sardiniae rege illustri motae fuerint controversiae, et lites, et regius fiscus ejusdem dicti Karoli Emmanuelis regis, qui idem jus in terris, et oppidis supramemoratis. quod alias Mediolanenses duces allegabant sibi competere contendebat, eumdem Marcum Aurelium episcopum coram Senatu Taurinensi in judicium vocasset, ipse vero Marcus Aurelius episcopus, qui caeteroquin hujus controversiae jura coram Senatu deducere renuebat sibi magis opportunum existimaret absque alicujus judicii forma diu agitatam componere controversiam post necessariam a Nobis impetratam licentiam cum regiis specialiter ad id designatis ministris rem pertractare coepit, et post plures habitos congressus, in quibus utriusque partis jura deducta, et serio perpensa fuere, datum tandem fuerit conventionis articulos, praeservato nostro, et sedis apostolicae beneplacito concordibus animis scripto exarare, et super iisdem solemne instrumentum compositionis conficere, cujus quidem instrumenti tenor talis est, qui sequitur » Carlo Emanuele per grazia di Dio re di Sardegna, di Cipro, e di Gerusalemme, duca di Savoja ec. Avendo noi veduto l' istromento di convenzione stipulato in Torino li 15. del mese corrente di Giugno dal conte Caissotti di Santa Vittoria nostro ministro di stato, e primo presidente del Senato nostro di Piemonte, e dall' avvocato nostro generale Pejretti deputati per parte nostra, e del vescovo di Novara Marco Aurelio Balbis Bertone tutti debitamente autorizzati per un amichevole disimpegno delle controversie, e pendenze vertite fin' ora tra il nostro fisco, e la mensa vescovile di Novara relativamente al supremo, ed alto domino della riviera di San Giulio, e d' Orta, il quale istromento di convenzione è del tenore seguente » L' anno del Signore mille settecento sessantasette indizione decima quinta, ed alli 15. del mese di Giugno alle ore 11. circa di Francia della mattina in Torino nell' appartamento, in cui alloggia monsignor vescovo infrascritto del palazzo del signor marchese Morozzo di Bianzè posto nel cantone della Santissima Annunziata avanti me notajo, e dell' eccellentissimo real Senato, segretario civile, ed alla presenza degl' illustrissimi signori marchesi Niccolò Argentero di Berzé, e D. Gaspare Filippo Morozzo di Bianzè testimonj richiesti, adibiti, ed astanti. Ad ognuno sia manifesto, che essendosi secondo le graziose intenzioni di S. M., e le buone disposizioni, che ha pure dimostrato monsignor Balbis Bertone vescovo di Novara intrapresa coll' annuenza anche di sua Santità una trattativa per l' amichevole disimpegno, e adequamento della pendenza, che vi era tra il regio fisco, e la chiesa vescovile di Novara per la riviera di S. Giulio, ed Orta, dopo essersi in più congressi esaminata la materia: e bilanciate le ragioni rispettivamente esposte siasi tra lo stesso monsignor vescovo, e li ministri perciò destinati dalla M. S. proposto, ed inteso l' infrascritto piano di convenzione stato poi da essi firmato, nel quale si sono combinate le reciproche convenienze, che potevano essere adattate al caso, avuto altresì un distinto riguardo alla utilità della chiesa. Ed essendosi dal detto monsig. vescovo trasmesso a sua Santità il suddetto piano, e rassegnatane dalli detti ministri la relazione a S. M. siasi degnata la Santità sua per mezzo di lettera dell' eminentissimo sig. Cardinale Torrigiani suo segretario di stato delli 6. di questo mese di autorizzare il suddetto monsig. vescovo a stipulare solenne istromento in conformità del divisato piano, e siasi parimenti degnata S. M. con suo reale biglietto delli 13. corrente di deputare li signori marchese Caissotti di Verduno ministro di stato, e primo presidente del Senato di Piemonte, ed avvocato generale della prefata M. S. Pejretti per stipulare in suo real nome l' istromento di detta convenzione. A questo effetto perciò costituiti personalmente avanti di me notajo, e segretario civile dell' eccellentissimo Senato di Piemonte l' Illustrissimo, e reverendissimo monsig. Marco Aurelio Balbis Bertone vescovo della città, e diocesi di Novara, e sua eccellenza il sig. marchese Carlo Luigi Caissotti di Verduno conte di santa Vittoria, e di

(margin at "quitur »": quitur te- concor- se.)

santa Maria, ministro di stato, e primo presidente di detto Senato; e l'illustrissimo sig. avvocato generale di S. M. Chiaffredo Pejretti, i quali per il rispettivo interesse di detta chiesa di Novara, e del regio fisco hanno convenuto, transatto, ed accordato, e per il presente pubblico istromento convengono, transigono, ed accordano in tutto, e per tutto come siegue. »

1. « Che il supremo dominio della riviera di S. Giulio, e d'Orta, Gozzano, e Pieve, e dell'intiero territorio di Soriso appartenga a S. M. ed a suoi reali successori con l'esercizio di tutti li regali diritti, e prerogative, che ne dipendono; a qual fine da monsig. vescovo in nome della sua mensa sia ceduto, e dismesso, come per il presente cede, e dismette abdicativamente, e translativamente, ed in ogni miglior modo a favore di S. M. e suoi reali successori stipulanti per essi, ed accettanti li detti sigg. regi deputati ogni, e qualunque ragione, che al vescovado, ed alla suddetta chiesa abbia potuto, e possa competere per detto supremo dominio, e sue regalie, mediante però l'infra espresso correspettivo, e la riserva altresì delle prerogative, diritti, e regali infra specificati in favore di detto monsig. vescovo, e suoi successori nel vescovado. »

2. « I vescovi di Novara avranno, e goderanno perpetuamente il titolo di principi di S. Giulio, e d'Orta senza che siano tenuti a prendere per detto principato alcuna investitura, e così prestare il giuramento di fedeltà vassallitica alla predetta M. S., e suoi reali successori, restando eziandio sciolti, e liberi anche in tempo di guerra da ogni peso, ed obbligazione a cui per diritto delle leggi feudali, e municipali siano sottoposti, e sottoporre si possano i feudatarj. »

3. « I vescovi di Novara resteranno altresì signori pienamente nel temporale di tutti i luoghi della suddetta riviera compreso anche quello di Soriso colla totale giurisdizione, mero, e misto impero, e la cognizione privativa di tutte le cause civili, criminali, e miste, le quali saranno come infra conosciute, e decise dai giudici, ed uffiziali, che verranno da essi deputati. »

4. « A quest'effetto non potrà in essi luoghi nè a riguardo delle persone in quelli abitanti, nè rispetto alli possessori de' beni in essi situati allegarsi, nè aver luogo il decreto del maggior magistrato. E dovranno pure la riviera, e luoghi suddetti restare separati da qualunque altro territorio, contado, e distretto. »

5. « Saranno anche riserbate a vescovi, e così a giudici, che saranno da essi deputati la prima, seconda, e terza istanza nelle cause civili, e conseguentemente la prima, seconda, ossia ultima appellazione, salvo solamente dalle sentenze di ultima appellazione il ricorso al Senato, il quale non potrà perciò avocare alcuna di dette cause in prima, od altra istanza per qualunque titolo, o causa, e detto ricorso non si ammetterà salvo colla clausola « parito judicato », e nelle cause eccedenti la somma, ed il valore di lire 250. di Piemonte. »

6. « Continuerà perciò ad appartenere a vescovi la libera elezione del castellano, o castellani e così de' giudici di prima istanza, ed anche di quelli di prima, e seconda appellazione, ed anche de' sindacatori, o d'altri simili offiziali, i quali eletti per assumere l'esercizio de' respettivi uffizj, basterà, che presentino al Senato le loro deputazioni per essere solamente registrate nella segreteria civile di detto magistrato, e senza costo di spesa alcuna anche per la registrazione, ed a questa presentazione non saranno però obbligati que' soggetti, a quali i vescovi stimassero per giusti motivi di commettere, o delegare qualche causa. »

7. « Potranno parimenti i vescovi deputare liberamente gli attuarj civili, e criminali, i fiscali, fanti servienti, camparj, ed altre persone necessarie al servizio della giustizia, bastando quanto agli attuarj, e fiscali, che se ne rimetta una nota alla segreteria del Senato, la quale sarà ricevuta senza costo di spesa. »

8. « Continueranno pure i vescovi ad esercitare privativamente per mezzo de' loro uffiziali la giurisdizione criminale in tutti i casi di delitti comuni senz'altra eccettuazione, che di quelli di lesa maestà di primo, e secondo grado, con dichiarazione, che qualora

si tratterà di cause, il titolo delle quali possa importare la pena di morte, o di galera dovranno le sentenze del castellano, od altri uffiziali suddetti portarsi in giudizio di conferma avanti il Senato, e nelle altre di minor pena non si farà luogo d' appello al Senato. »

9. » I vescovi continueranno altresì nella libera facoltà di far grazie non solamente di pene pecuniarie appartenenti al loro fisco, ma anche di pene afflittive, e corporali purchè siano minori di anni dieci di galera, seguita però che sarà la sentenza, e la conferma di essa ne' casi come sopra riservati e basterà, che dette grazie siano presentate al Senato per essere registrate. Potranno inoltre una volta ogni anno fare una grazia di galera perpetua, la quale sarà interinata dal senato. »

10. » Apparterrà inoltre a' Vescovi di ricevere il giuramento di fedeltà dagli uomini delle suddette terre, e di godere le preeminenze, ed onoranze solite prestarsi alli medesimi dalle comunità, e particolari; così pure di ricevere il giuramento dalli loro castellani, o giudici di prima, e seconda appellazione, sindicatori, ed altri uffiziali, o subalterni, o similmente da notaj, che verranno come infra da medesimi creati, ed ammessi ad esercitare il notariato nelle medesime terre. »

11. « Godranno i vescovi liberamente di tutti i mezzi necessarj per l' esercizio di detta giurisdizione, mero, e misto impero, e così anche per fare eseguire le sentenze criminali di corda, berlina, ed altre simili. »

12. » Potranno altresì i vescovi concedere restituzioni in tempo, e proroghe per le istanze, e termini nelle cause di primo, e ulteriori giudizj, e la dilazione di tre mesi ai debitori per pagare ne' casi non privilegiati, come d' alimenti, mercedi d' operaj, e simili, concedere, prorogare, ed abbreviare i fatali, prorogare il termine di riscatto per le rendite, che non ecceda quello di sei mesi, e commettere le cause colla clausola « *summarie simpliciter de plano sine strepitu, et figura judicii, et soli facti veritate inspecta.* » Dispensare dalla osservanza delle ferie, dalle solennità prescritte, dalli statuti, ed anche dalla disposizione delli statuti medesimi, quando in qualche caso così stimino per la più pronta e facile amministrazione della giustizia, dispensare il figlio, che possa convenire in giudizio il padre, la donna, che possa maritarsi dentro l' anno del lutto, concedere licenza d' alienare, ed obbligare i beni, e ragioni de' minori, delle donne, ed altre persone, alle quali non è permesso senza di ciò praticare. Approvare i bandi, che le comunità della riviera sieno in possesso di fare, regolare le tasse sopra gli onorarj, sportule, e salari degli uffiziali, costringere a prestare sicurtà di ben vivere, e concedere salvacondotto per venire a fare il testimonio per gl' inquisiti d' altro delitto, concedere mercati, ammettere borghesi, ossia vicini, mancipare, adottare, deputare tutori, e curatori, e quelli rimuovere dopo dati, o scusarli. »

13. » Spetteranno a' vescovi tutte le multe, pene, e confische per i delitti comuni, ed anche ne' casi di precetti penali d' ordine del Senato, quando a termini di questa convenzione possa usare una tale autorità, escluse però quelle, che procedono da delitti di lesa maestà di primo, e secondo grado, e spetteranno pure alli stessi vescovi li beni, che si tolgono agl' indegni. »

14. » Potranno inoltre creare notaj sino al numero di venti tra tutti li suddetti luoghi, li quali saranno esaminati, ed approvati dal castellano, ed altri de' suddetti giudici, che a ciò verranno commessi da vescovi, e detti notaj potranno solamente esercitare il notariato in dette terre senza che altri possano ivi esercitarlo. Il castellano della riviera farà ogni anno, e sempre che così stimi, la visita delle filze, e protocolli di detti notaj per riconoscere se sono tenuti in buona forma, e provvederà secondo, che i casi potranno richiedere, ed in caso di morte di alcuno di detti notaj farà intanto bisognando, assicurare le dette filze, e protocolli per cautela del pubblico. »

15. » Le leggi di S. M. lasceranno sempre in osservanza li statuti de' luoghi della riviera che si sono fatti, e confermati da vescovi,

onde avranno solamente luogo ne' casi, che per detti statuti, o per il presente stabilimento non siasi provveduto. »

16. » Continuerà a ritenersi nelle terre della riviera quella milizia, che ivi è stabilita per onorare i vescovi all' occasione singolarmente del loro primo ingresso nella riviera, e per mantenervi la pubblica tranquillità, e per inseguire anche, ed arrestare, occorrendo, ogni malvivente, che fosse per infestarla. E potranno i vescovi concedere agli ascritti a detta milizia la facoltà del porto delle armi lunghe, ed alli fanti, e soldati di giustizia anche quello delle corte. »

17. » Potranno altresì dar licenza del porto delle armi lunghe a chi stimeranno o per sicurezza nel far viaggio per la riviera, o pure per andarvi a caccia, o per il riguardo di qualche altra persona, che potesse meritarsi questa distinzione. Se però S. M. per qualche oggetto di buon governo, e così per una pubblica indennità stimasse intorno a ciò di dare qualche generale provvedimento, i vescovi per un effetto del proprio zelo si adatteranno anche alle disposizioni della M. S. »

18. » Continueranno i vescovi a godere specialmente li seguenti regali, salve solamente le ragioni di ogni terzo se vi sono. Il gius di esigere i dazj, che sogliono pagarsi a vescovi per l' introduzione, estrazione, e transito delle merci per i suddetti luoghi, e quelle de' mercati, che ivi si fanno. La ragione de' laghi, torrenti, e fiumi, acque, e discorsi d'esse, tanto per i porti, e dazj, che per qualunque altro effetto. Il diritto delle miniere anche d'oro, e d'argento, e di qualunque altro metallo, e semimetallo, pietra, calce, marmi, ed insomma di tutte le miniere propriamente, ed impropriamente dette, come anche de' tesori. Il diritto de' forni, e de' molini, ed il solito pagamento, che si esige per i molini. Il diritto della caccia, e pesca con la ragione di proibirle, e tutte le altre regalie minori. »

19. » Quanto ai pesi, e misure starà ferma l' osservanza della grida a tal riguardo ultimamente pubblicata da monsignor vescovo insino a che S. M. stimi di dare un provvedimento per stabilire l' uniformità de' pesi, e misure fra la provincia di Novara, e le terre della riviera per maggiore agevolezza, e regola di commercio. »

20. » In conseguenza delle suddette riserve a favore de' vescovi come sopra potranno essi pubblicare, e stampare le opportune gride per la conservazione di detti diritti, e regalie con proibizione ad altri di pregiudicarle, ed imposizione di pene in caso di contravvenzione, e così pure formare bandi campestri, e politici specialmente per le tasse de' commestibili, ed altri generi necessarj al vivere umano, e commetterne l' esecuzione al castellano, ed altri uffiziali, che stimeranno, senza obbligo di presentarle al senato per l' approvazione. »

21. » In ordine alle strade, e ponti il castellano della riviera procederà ne' tempi debiti alla visita, e farà eseguire sul campo i provvedimenti, che stimerà necessarj. »

22. » Saranno pure riserbati a vescovi il castello, e palazzo di S. Giulio, e quello di Gozzano colli beni, prestazioni, canoni, ed altri redditi, di cui gode presentemente il vescovado. »

23. » Quanto si è disposto a riguardo de' vescovi dovrà anche aver luogo in tempo di vacanza della sede vescovile a favore del capitolo della cattedrale, ed a questo effetto continuerà in tal tempo il suddetto capitolo ad eleggere un governatore per l' esercizio della giurisdizione temporale nelle terre, e luoghi della riviera. »

24. » Oltre le prerogative regali, o diritti riserbati alli vescovi ne' precedenti capi, promettono detti signori regj deputati in nome di S. M. che la M. S. in correspettivo del presente accordo concederà a monsignor vescovo, e suoi successori il feudo di Vespolate nel basso Novarese in feudo retto, e proprio inalienabile per esso monsignore, e suoi successori nel vescovado col titolo, e dignità marchionale, mero, e misto impero, e totale giurisdizione, e così colla prima, e seconda cognizione di tutte le cause civili, criminali, e miste con autorità di deputare li giudici, segretarj, fiscali, ed ogni altro inserviente alla giustizia, con che per l' esercizio della seconda cognizione si deputi il pre-

tore regio secondo i stabilimenti, che vi sono per i feudi, che da S. M. si concedono in quel paese, e con le pene altresì, multe, e confische, che seguiranno in detto feudo, e territorio, come ne godono gli altri vassalli, ed anche coll' esenzione dal' maggior magistrato, e col diritto della caccia, e ragione di proibirla. E promettono altresì in nome come sopra, che S. M. assegnerà in perpetuo, ed in accrescimento delle rendite della mensa vescovile l'annua somma di scudi ottocento romani, che fanno lire quattromila di Piemonte, la quale sarà invariabile, e non mai soggetta per qualunque eventualità ad alcun ribasso, e detta annualità si cederà dalla M. S. sul tributo, che paga la città di Novara in piena proprietà a favore de' vescovi, onde sarà per il suddetto effetto smembrata dal regio patrimonio colla facoltà alli suddetti vescovi di esigerla di propria mano mediante soltanto la loro quietanza, riserbando solamente S. M. a sè, e a suoi reali successori la facoltà di assegnare a favore di detta chiesa invece del reddito un altro fondo di eguale reddito liquido, ed invariabile in tutto, e per tutto come sopra. E che la M. S. si degnerà parimenti di compartire in tutte le occorrenze a vecovi la reale sua assistenza, e protezione, affinchè possano i medesimi godere pacificamente dell' esercizio della giurisdizione, e diritti riserbati per conseguirne l'effetto. »

25. « Ed essendo intenzione di S. M. di fare in questa occasione sentire alla comunità, ed uomini della riviera Gozzano, sua Pieve, e Soriso, anche in considerazione de' buoni uffiej di monsignor vescovo un effetto distinto delle sue grazie, si degnerà S. M., come detti signori regj deputati in di lei nome promettono, di esimerli per sempre da ogni tributo ordinario, e straordinario, e così anche da ogni alloggio, contribuzione, e qualsivoglia altro peso, la mente di S. M. essendo, che godano di tutti que' privilegj, e franchigie, delle quali hanno finora goduto, oltre l'osservanza della convenzione 5 Ottobre 1640 rispetto al sale. Riservandosi eziandio la M. S. di far loro provare in tutte le occorrenze altri effetti della reale sua protezione, e beneficenza, siccome avrà sempre a cuore, che si promova nella riviera tutto quel commercio, che possa sempre più fiorirvi per via di manifatture, ed altri mezzi, che siano valevoli ad aumentare il ben' essere di quelli abitanti, e di dare altresì tutti i più favorevoli provvedimenti per facilitare la provvista, ed introduzione nella riviera de' generi necessarj al vivere umano, e l'estrazione da essa delle mercanzie, ed altre simili robbe. »

26. « E rispetto alla somma stata pagata dagli uomini della riviera in occasione della transazione del 1647. si aspetteranno i deputati della medesima per intendersi circa il rimborso di detta somma. »

27. « Si dichiara, che tutti li capi sopra stabiliti avranno il loro effetto, ed esecuzione dal giorno del presente istromento, e saranno sempre inalterabili, e perciò detti signori regj deputati ne promettono in nome di S. M. la perpetua, esatta, ed inviolabile osservanza per detta M. S., e suoi reali successori nella corona coll' obbligo di tutti i beni della medesima, e con tutte le clausule più ampie, ed opportune per questo effetto, e così pure monsignor vescovo per se, e suoi successori nel vescovado promette una simile osservanza per quanto gli appartiene sotto l'obbligo pe' beni di detto vescovado, e con tutte le clausole come sopra: riservandosi bensì detto monsignor vescovo di riportare il beneplacito apostolico della presente convenzione, di cui detti signori deputati regj promettono, che S. M. si degnerà spedirne la ratificanza in buona forma, dichiarando, che la suddetta ratificanza, e l'interinazione, che si farà da magistrati della presente convenzione dovranno indi consegnarsi a monsignor vescovo spedite in debita forma senza costo di spesa alcuna. Del che tutto così richiesto io suddetto notajo, e dell'eccellentissimo real senato segretario civile ne ho ricevuto il presente istromento da detto monsignor vescovo, e signori regj deputati, e da signori testimonj come sopra nominati, sottoscritto, come siegue « Marco Aurelio Balbis Bertone vescovo di Novara » Caissotti di Santa Vittoria » Peiretti avvocato generale di S. M. » Niccolò Argentero di Berzè testimonio » D. Ga-

spare Filippo Morozzo di Biansè testimonio » Emanuele Musso notaro, e segretario civile del Senato » Ed avendo noi considerato, ed esaminato l'istromento suddetto di convenzione l'abbiamo approvato in tutti li suoi articoli, ed avendolo per grato, rato, valido, e fermo l'abbiamo ratificato, come per le presenti per noi, e nostri reali successori lo ratifichiamo, promettendo in parola di re di farlo esattamente osservare in tutto ciò, che esso contiene, e di non permettere, che vi sia giammai contravvenuto in cosa alcuna. In fede di che abbiamo segnate le presenti, e fatte contrassegnare dal cavaliere D. Carlo Flaminio Raiberti primo uffiziale della segreteria nostra di stato per gli affari esterni, con avervi fatto apporre il nostro solito sigillo. Dato, ec. alla Veneria li 16. del mese di Giugno l'anno del Signore 1767, e del nostro regno il trentesimo ottavo » C. Emanuele » Loco ✝ signi » Raiberti. »

Pontificem supra relatam concordiam confirmat, et approbat.

§. 4. Hinc est quod Nobis humiliter supplicatum fuit, ut supremam auctoritatem nostram adhibendo praemissa omnia, quae a Nostro, et Sedis apostolicae beneplacito dependent, vim, et validitatis robur adjicere, et impertiri dignaremur. Nos igitur post maturam rei considerationem ad componendas adeo molestas controversias, ut ecclesiarum antistites liberius suo muneri incumbant, perspectam quoque habentes dicti Karoli Emanuelis regis eximiam religionem, atque in Nos, et Sedem apostolicam singularem observantiam, eique rem gratam gerere intendentes hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum publicum istrumentum, quod quidem ab eodem Karolo Emanuele rege die XVI. dicti mensis acceptatum fuisse novimus cum omnibus, et singulis pactis, et conditionibus, atque conventionibus in eo contentis, et expressis harum serie specifice, et espresse apostolica auctoritate perpetuo approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus, ac compositionem super dicto dominio, et cessionem ab eodem Marco Aurelio episcopo, nec non assignationes nomine dicti Karoli Emanuelis regis respective factas, omnesque conventiones initas, et declarationes emissas validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus ex nunc perpetuis futuris temporibus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri debere, nec ab illis, aut eorum aliquo resiliri, aut recedi ullatenus unquam posse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Nec non praesentes ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque quantumvis magno, et inexcogitato defectu notari, vel impugnari posse, sed semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, et functuros etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane respective decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, et fel. rec. Pauli II. praedecessoris Nostri de rebus ecclesiae non alienandis, ac de forma in alienationibus bonorum, et jurium ecclesiasticorum servanda, et quibusvis aliis apostolicis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus ordinationibus, nec non ecclesiae Novariensis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis; privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eo-

rumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, eorum tenores Praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, harum quoque serie derogamus. Volumus autem, quod intuitu dictae summae octingentorum scutorum dictae monetae mensae episcopali Novariensi hujusmodi annuatim, ut praefertur, persolvendae, et assignandae, taxa ecclesiae Novariensis praedictae in libris camerae apostolicae descripta non augeatur.

Sanctio poenalis. §. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, quintodecimo kalendas augusti, pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXI.

..die 21 . 1767. . X. Indulgentia plenaria elargitur omnibus christifidelibus visitantibus aliquam ecclesiam fratrum ordinis praedicatorum, et confessis, ac sacra communione refectis aliqua feria sexta ex septem praecedentibus festum S. Vincentii Ferrerii, in reliquis autem feriis sextis, indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum.

Clemens PP. XIII.

Universis christifidelibus
praesentes litteras inspecturis salutem,
et apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus in ecclesiis fratrum ordinis praedicatorum pia erga sanctum Vincentium Ferrerium, praesertim in septem feriis sextis ejusdem S. festum immediate praecedentibus, devotio introducta fuerit, prout de praesenti etiam viget: Nos ad eam confovendam, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poeniten., et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dicti ordinis in una ex praedictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligenda devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis sextis hujusmodi iisdem christifidelibus etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis aliquam ex praedictis ecclesiis, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria praedictarum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque praesentium earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI. Augusti MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

DCXXII.

Indulgentia plenaria indulgetur omnibus christifidelibus confessis, et sacra eucharistia refectis, qui aliquam ecclesiam visitaverint ordinis fratrum praedicatorum una ex quindecim feriis tertiis institutis in honorem S. Dat. die 21. Aug. 1767. Ann. X.

Dominici auctoris rosarii beatae Mariae Virginis; et indulgentia pariter centum dierum pro caeteris quatuordecim hebdomadis.

Clemens Papa XIII.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum sicut accepimus, erga S. Dominicum ordinis fratrum Praedicatorum fundatorem, et rosarii beatae Mariae Virginis auctorem devotio introducta fuerit, prout de praesenti etiam viget, qua permulti Christifideles tertis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata sua confiteri, ac sacrosanctae Eucharistiae sacramentum sumere, necnon ipsa feria tertia, aut die illi immediate antecedenti jejunare consueverunt: Nos, ut de caetero pium opus hujusmodi fructuosius peragatur, ac ad augendam fidelium devotionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis christifidelibus, qui de caetero vere poenitentes, et confessi in aliqua dicti ordinis ecclesia in una ex praedictis feriis tertiis per eos ad sui libitum eligenda sacrosanctum Eucharistiae sacramentum devote sumpserint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis tertiis hujusmodi iisdem christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis in aliqua ex praedictis ecclesiis, et ibidem ut supra orantibus, qua feria praedictarum id egerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium; quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI. Aug. MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno Decimo.

DCXXIII.

Rescripta quaedam approbat congregationis de propaganda Fide, spectantia ad disciplinam praescriptam in synodo Libanensi pro clero Maronitarum. Dat. die 22. Aug. 1767. Anno X.

Venerabili fratri Josepho Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Ejus studium commendat, quo Ecclesiae dignitas, et decus exoptat conservare, et ampliare Libanensis Synodi exequutione.

§. 1. Quamquam pro comperto habeamus te communibus suffragiis in Patriarcham inclitae Moronitarum Nationis electum, et a Nobis deinde confirmatum, omnem in eo curam, atque operam impensurum, ut cum fide Orthodoxa inter circumfusos hostes egregie servata, etiam disciplinae studium floreret, quo Ecclesiae dignitas et decus innititur, tamen haud modice laetati sumus simul ac intelleximus, tibi nil esse antiquius, quam ut synodi Libanensis decreta a Praedecessore Nostro fel. rec. Benedicto XIV. approbata plenum exequutionis robur obtineant, et ab omnibus et singulis tam cleri saecularis, et regularis quam populi fideliter adimpleantur. Haec enim aperte ostendunt ea postulata, quae pio, laudabilique zelo commotus ad VV. fratres Nostros S. R. E. Cardinales fidei propagandae negotiis praepositos deferre voluisti, quaeque ab eisdem post maturam rei discussionem congrua, et consentanea reperta in hunc modum se habent.

-runtur lata pa- hac sa- congre- -ri Pro- -dae Fi- -recta, -ondem -tiones

I. Ut juxta constitutionem S. M. Benedicti XIV. quae incipit « Apostolica » sedes episcopales ad octo dumtaxat reducantur sub poena suspensionis et excommunicationis contra respective inobedientes. II. Ut Episcopi, qui sunt adhuc in vivis, et quibus dioeceses ab antecessore Patriarcha distributae fuerunt in congregatione Bachatensi, ad easdem redire cogantur utq. in illis quae nunc vacant modernus patriarcha novos episcopos constituat, quos magis idoneos, utilesque putaverit. III. Ut Patriarcha, episcopi et clerus tam saecularis, quam regularis, nec non universa Maronitarum Natio decreta synodi Libanensis omnino adimplere teneantur. IV. Ut monasteria omnia, et monachi, sive eremitae quicumque tam Patriarchae pro tempore, quam respectivis locorum episcopis subjaceant juxta eorum regulas et synodi Libanensis decreta. V. Ut monachi, et moniales non regulares ea omnia et singula diligentissime servent, quae ipsis in praedicta synodo praescribuntur. Itaque cum suprememorati VV. fratres Nostri unanimi sententia rescripserint « *Ad I. et II. servetur omnino decretum Synodi Libanensis quoad assignationem Dioecesum juxta instructionem Patriarchae mittendam adjecta poena in casu contraventionis, si S. S. D. N. ita placuerit, suspensionis ab exercitio pontificalium quoad collatorem, et ordinantem, et suspensionis a divinis quoad ordinatum, quo vero ad episcopos titulares serventur praescripta ejusdem instructionis. Ad III IV. et V. serventur decreta praefatae synodi, et supplicetur Sanctissimo pro expeditione brevis hortatorii quoad omnia, et singula in dicta instructione contenta.*

-ifex -orium dirigit -archae -nomo- -requu- -resolu- sacrae -egatio-

§. 2. Nos eorum voto, et consilio inhaerentes, non solum ejusmodi rescripta auctoritate Nostra apostolica confirmavimus, sed in omnibus etiam ratum habuimus, et comprobavimus, instructionem adjungendam nostris his litteris in quibus pro summi, atque universalis Pastoratus officio, fraternitatem tuam hortamur in Domino, ut susceptum semel tanto cum honoris tui cumulo negocium, ecclesiae disciplinae in utroque clero juxta synodi regulas concinnandae, ac perpetuo stabiliendae ad exitum optatum perducas, idque in primis cures, et viriliter urgeas, ut omni suspensione e medio sublata, reductio Diaecesum in octo, secundum limites unicuique assignatos, et ad normam praescriptam in synodo Libanensi antedicta, inter episcopos, quos magis idoneos gregi Dominico utiliter pascendo compereris, quam celerrime perficiatur. Haec te solerter alacriterque praestiturum tua Nobis perspecta virtus, et religionis amor eximius abunde spem facit et pollicetur. Interim tibi, ven. frater, totique clero, ac populo Maronitae apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima secunda Augusti MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

DCXXIV.

Archiepiscopum Coloniensem laudat ob edictum ad reformandos Cleri sui mores.

Dat. die 29 Aug. 1767 Anno X

Venerabili fratri Maximiliano Friderico
Archiepiscopo Coloniensi S. R. I.
Principi electori,

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Maximo romani pontifices solamine afficiuntur ob Episcoporum sollicitudinem ad commissi gregis incolumitatem.

§. 1. In hac nostra universalis Ecclesiae procuratione, quae graviores Nobis solicitudines in dies affert et curas, magnum experimur nostrarum molestiarum levamentum, cum ad VV. fratres Epicopos advertimus animum, qui pastorali vigilantia gregem sibi commissum sedulo custodiunt, nec salutaribus modo praeceptis et monitis, sed etiam, quo nihil ad gregis incolumitatem conducibilius, suis ipsorum pascunt probatissimis moribus et exemplis; idque praeterea maxime student, ut inferioris ordinis sacri ministri, et dispensatores mysteriorum Dei ipsi pariter virtutum suorum lumen populo exhibeant.

Archiepiscopi laudat edictum ad denuo erigendam prolapsam cleri disciplinam.

§. 2. Quam quidem curam tibi ven. frater, cognovimus esse praecipuam, ex illo edicto tuo, quo prolapsam in clericis, et quod magis dolendum, in sacerdotibus tuae dioe-

cesis disciplinam volens erigere, non modo vocationis suae immemores, et abeuntes in vias saeculi, severioribus verbis castigas, et ad vivendi rationem ecclesiastico homine dignam revocas, irrogata multa adversus eos, qui parere detrectent, sed etiam jubes, ut singulis annis, per spiritualia exercitia spiritum renovent suae vocationis: Quae tua episcopalis prudentia sapientiae tuae, tuique in gregem tibi concreditum pastoralis amoris indicium facit. Satis enim significas, sanctificandarum animarum summo te studio teneri; et prudentissime judicas, te id minime posse consequi, nisi prius sanctificentur ipsi tui in sacro ministerio cooperatores, qui docendi populi inanem certe operam sumunt, nisi, quam tradunt disciplinam, vita et moribus comprobent. Quamobrem de hoc saluberrimo edicto tuo, quod Nobis vehementer probatur; fraternitatem tuam valde amamus et laudamus, tuumque studium reformandi ecclesiasticorum hominum mores magnopere optamus, ut finem, quo intendit, benedicente Domino, consequatur, et in clero tuo excitetur spiritus sanctitatis; quae si absit fieri non potest, ut populus probos christianosque induat mores. Interea tibi summopere gratulamur, Ven. frater, quod isto divini cultus et gloriae flagrantissimo zelo tuo facis, ut de ista Dominici gregis parte, a Nobis fidei et curae tuae commissa quieto et tranquillo animo simus, et in episcopalibus tuis virtutibus conquiescamus. Et fraternitati tuae, quam tanti est egregia tua virtus, hoc est maximi facimus, omni cordis nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Augusti MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

DCXXV.

Dat. die 31. Aug. 1767. Anno IX.

Portugalliae Reginam obsecrat, ut omni studio curet reintegrationem concordiae inter Romanam Sedem, et Regium ejus virum, atque Portugalliae Regnantem.

Carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Anne Victoriae Portugalliae et Algarbiorum Reginae fidelissimae.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo filia Nostra, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Propriam pontifex sollicitudinem exprimit pro reintegranda concordia cum Portugalliae regno multis ab hinc annis disrupta.

§. 1. De redintegranda inter Nos et carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliae, et Algarbiorum Regem fidelissimum, virum tuum, mutua amicitia jam ab illo usque tempore vehementer soliciti, cum apud vos interdictum est Nobiscum omne commercium, dies noctesque in ea semper fuimus cogitatione qui tandem possit inter utrumque nostrum sarciri concordiam. Hanc solicitudinem eo experimur amariorem, quo procedente tempore miserae hujus disjunctionis malum ingravescit, nec diutius pati posse videmur carissimi filii desiderium. Quamobrem Deum per hos annos adsidue flagrantissimis orationibus deprecati, ut haerentem paterno cordi Nostro tam acerbum stimulum aliquando Nobis eximeret, ipsi Nobis videmur divino nutu esse admoniti, ut expeditissimum consilium caperemus scribendi ad optimum Principem, eumque admonendi de gravissimo dolore quem Nobis attulit, et in dies graviorem facit ista haec a Nobis calamitosa disjunctio. Ac mitissimi Principis mansueto ingenio confisi futurum speramus, ut in hoc Nostro occursu veterem in animo suo filialem excitari sentiat amorem et obvium sibi venientem Patrem amantissime excipiat.

Pro hac reintegranda concordia, reginae auxilium exquirit, penes regium virum suum

§. 2. Sed tamen tuo, carissima in Christo filia Nostra, Nobis est opus auxilio, de quo regiam majestatem tuam rogamus majorem in modum. Enitere, quaesumus, quantum potes, ut remedium aliquod denique afferatur hujus vestrae a Nobis sejunctionis malo, quo hoc gravius angimur, quo magis inveterascit. Non putamus necesse Nobis esse majestati tuae ostendere, quantopere piam Deoque gratam operam dederis, Nos et dilectissimum Nobis filium redigendo in mutuam gratiam. Ipsa enim tua erga Nos filiali pietate et in hanc sacram B. Petri sedem religiosa devotione satis intelligis, quaecumque in eam rem officia et studia contuleris, ea omnia jure posse te existimare in ipsam Ecclesiam contulisse. Deum enixe precamur, qui non Deus

est dissentionis sed pacis, ut Regiae majestati tuae Nobis opitulanti ipse divino suo praesto sit auxilio. Tibique carissima in Christo filia Nostra, quam ob studia religionis atque pietatis praecipue prosequimur charitate, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur, Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXXI. Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXVI.

Dat. die 31. Aug. 1767. Anno X.

De eodem argumento agit cum Portugalliae regio Infante.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Petro Clementi regio Portugalliae Infanti.

Clemens PP. XIII.

Dilectissime in Christo Fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Dolet jam multos effluxisse annos a quibus omne interruptum fuit commercium inter S. Sedem, et Portugalliae regnum.

§. 1. Cogitantibus Nobis, et magno cum animi Nostri moerore considerantibus, tam multos annos inter Nos et carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliae et Algarbiorum regem fidelissimum fratrem tuum, omne interruptum esse commercium, et omnes propemodum aditus ad redintegrandam pristinam inter Nos amicitiam obstructos, non inconsultum visum est consilium ad Regiam ejus majestatem directo denique scribere, et optimum Principem mitissimoque ingenio praeditum ad sarciendam inter Nos concordiam omni animi Nostri affectu perlicere. Profecto nihil dolendum magis qua cum praeclara et immortalia gloriosissimorum Lusitaniae regum in S. Ecclesiam merita summam inter eos et Romanum Pontificem effecerint necessitudinem, nunc ac tam multo tempore tantam nobiscum conjunctionem esse diruptam. Nos quidem regi fratri tuo cor Nostrum effudimus, et vere verbis illis Beatissimi Pauli possumus uti » *ex* (1) *sinceritate et sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquuti sumus* » Novimus » *cor* (2) *regis esse in manu Domini, qui quocumque voluerit inclinabit illud.* »

Regium obsecrat infantem, ut omni cura studeat pro concordiae reintegratione cum regio fratre suo.

§. 2. Itaque cum in hac re nihil spectemus, quam Dei gloriam et Ecclesiae aedificationem, valde confidimus, carissimum in Christo filium Nostrum, dei numine permotum, ejusque delinitum gratia, Nostras literas eo prorsus suo animo accepturum quo scripsimus. Qui summam religiosissimi animi tui fiduciam habemus, te, dilectissime in Christo fili Noster, obtestamur in Domino et obsecramus: enitere et omni ope et opera tua contende ut in regis animo filialis erga Nos amor denique reviviscat, ut Nobis ipsi gratulari debeamus, quod in optima tua erga Nos voluntate non frustra spem posuerimus, Nostram tibique maximam Nos debere gratiam profiteamur, quod hujus concordiae reconciliationem rogatu Nostri perfeceris. Ceterum quantum perspicere possumus vix est, in quo egregium tuum divini honoris et gloriae studium praestare quidquam possit Deo gratius, et Ecclesiae praestabilius. Quidquid igitur ad eam rem, dilectissime in Christo fili Noster, contuleris dubitare non potes, quin idcirco mercedem a Deo sis accepturus amplissimam: tibique, dilectissime in Christo fili Noster, et Regiae conjugi tuae tuisque suavissimis liberis quos omnes in paternae charitatis gerimus sinu, apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXXI. Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXVII.

De eodem argumento agit cum Ulyssiponensi Patriarcha, cui bullam cruciatae dirigit.

Dat. die 31 Aug. 1767 Anno X.

Dilecto filio Nostro Francisco S. R. E. Cardinali Saldagna Patriarchae Ulyssiponensi.

(1) Ad Corint. 2. 17.

(2) Prov. XXI. 5.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili Noster salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Nunciat plures perscripsisse epistolas pro reconcilianda unione inter S. Sedem, et Portugalliae regnum, easque epistolas patriarchae mittit, ut eas reddendas curet

§. 1. Cum diu multumque consideraverimus, quonam tandem modo ad ineunda pacis Nobiscum faciendae consilia carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliae et Algarbiorum Regem fidelissimum traheremus, visum tandem Nobis est directe ad optimum principem scribere, cui gratius fore speramus, Nos illi, nullis adhibitis arbitris aut sequestribus ultro occurrere; eamque rationem ab illo prae aliis quibuscumque probatum iri, quae plurimum exhiberet paterni erga illum amoris Nostri, eique esset argumento nullibi Nos nisi in filiali ejus voluntate et mitissimo animo habere fiduciam. Itaque literas ad eum Nostras in forma brevis, et ad carissimam in Christo filiam Nostram reginam ejus conjugem, tum ad dilectissimum itidem in Christo filium Nostrum Petrum Clementem regis fratrem, et ad dilectum filium nobilem virum comitem de Oeyras dilectioni tuae mittimus, teque rogamus, ut easdem literas, suas cuique eorum quos diximus reddendas cures.

Patriarcham obsecrat ut concordiae, reintegrationem curet, eique bullam Cruciatae remittit.

§. 2. Nec grave tibi, dilecti fili Noster, futurum existimamus, quod ex dilectioni tuae afferatur occasio; quod possis luculentissime declarare promptissimo te esse animo, ut debes, ad quaecumque praestanda officia Romanae Ecclesia, in qua tam excelsum obtines locum. Et certe de egregio tuo in hanc S. Sedem studio plurimum Nobis pollicemus, nec dubitamus, quin omnes zeli tui nervos ad navandam tam piam operam sis adhibiturus. Quemadmodum autem usque adhuc Nostri moeroris es et fuisti particeps, ita si res prospere succedat, et ex sententia, aequum est, ut de laetitia Nostra participes, quae ad animum tuum eo perveniret uberior, quod ad eamdem laetitiam Nobis conficiendam, dilecte fili Noster, praecipuam operam tuam contuleris. Denique cum memoratis literis, quos ut diximus abs te reddi maxime cupimus, tibi etiam mittimus nostro nomine tradendam Regi bullam cruciatae, qua fidelium conscientiae consultum volumus. Quam apostolicam providentiam Nostram regiae illius majestati argumento fore confidimus, quantopere illum ejusque regnum amemus, geramusque in visceribus Jesu Christi. Tibi denique, dilecte fili Noster, apostolicam benedictionem omni nostri cordis affectu impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXXI. Augusti MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXVIII.

Idem argumentum agit cum comite de Oeyras regio Portugalliae consiliario.

Dat. die 31. Aug. 1767. Anno X.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili noster salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Inter acerbiores suas calamitates pontifex enunciat disjunctionem concordiae multis ab hinc annis inter apostolicamSedem, et Portugalliae regnum.

§. 1. Etsi plurimae et aliae super alias quotidie fere pontificatui Nostro inciderunt calamitates, nulla tamen fuit eritque Nobis acerbior, quam quae amicitiam disrupit, qua Nos et carissimus in Christo filius noster Josephus Portugalliae et Algarbiorum rex fidelissimus arctissimo vinculo jungebamur, doluimus incredibili dolore et dolemus, Nostri et hujus apostólicae Sedis amantissimum regem, in quo sicut et pater in filio complacet sibi, ita Nobis ipsi complacebamus, se a nobis sejunxisse, et in ea disjunctione etiam nunc permanere. Qui dolor etsi nobis est omnium acerrimus, non tamen ita nos fregit, ut animum de sarcienda aliquando amicitia atque concordia disponeamus. Permulta enim sunt quae Nostram hanc spem alunt atque sustentant: humanissimum ingenium et mansuetudo, quem minime credimus aeternas velle gerere simultates; tum ipsa ejus religio, quæ non patietur longiore sejunctione diruptum cum hac apostolica Sede commercium; clarissimorum etiam majorum exempla, quae illi redigant in memoriam quanta illos inter principes et Romanos Pontifices praedecessores Nostros semper fuerit charitas et necessitudo.

Maximam pontifex spem reponit pro concilianda nova animi conjunctione in regii consiliarii auxilio, et cooperatione.

§. 2. Illud vero in quo maximam spem constituimus, tuum est, dilecte fili nobilis vir, auxilium. Omnia tibi suppetunt ad hanc inter Nos et regem amicitiam reconciliandam; in quibus jure optimo illam praecipue numeramus, quam ipse rex habet in consiliis tuis fiduciam. De tua etiam voluntate plurimum nobis pollicemur, qua pro sapientia tua nihil cupidius expetes, quam pacem atque concordiam; scriptum est « *beatus* (1) *homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentiam, viae ejus pulchrae et omnes semitae ejus pacificae* ». Et praecipua quidem tibi erit laus opera tua et virtute, immo vero, te sequestre et auctore, Romanum Pontificem et potentissimum regem redisse in mutuam gratiam: cujus rei, ut auctor esse potuisset praeter te nemo, sic tibi, dilecte fili nobilis vir, maxima a nobis habebitur gratia, maxima itidem ab omnibus debebitur gloria. Denique scribendi finem facimus in illis verbis « *suscipe* (2), *fili senectam patris tui, et non contristes eum in vita ipsius* ». Deum rogamus, dilecte fili nobilis vir, et impensissimis precibus obsecramus, ut in cor tuum immittat quae ad hanc rem faciunt, saluberrima quaeque consilia: et nobilitati tuae benevolentiae erga te Nostrae pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die trigesimaprima Augusti MDCCLXXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCXXIX.

Dat. die 12. Sept. 1767. Anno X.

Ordini senatorio regni Poloniae res religionis commendat contra dissidentium conatus, quoad liberam cultus exercitationem.

Quoad hanc ipsam materiam videnda etiam epistola Poloniae regi directa die 18. *Aprilis hujus anni, relata superius sub num. DLXXXVI.*

Dilectis filiis nobilibus viris ordini senatorio regni Poloniae.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii nobiles viri salutem, et Apostolicam benedictionem.

Senatores Poloniae hortatur Pontifex ne ad regni utilitates in proximis comitiis animadvertant, cum regni Christi dispendio.

§. 1. Quo proprius tempus illud advertat, cum extraordinaria comitia Varsaviae habebuntur, de servanda in inclito isto regno catholica religione, et de animabus vestris, ex apostolici muneris nostri officio vehementer solicitos, eo validius urget charitas Christi, ut vos nunc, cum maxime est opus, in visceribus Christi moneamus, in illis comitiis aeternam salutem vestram in idem adductum iri discrimen, quo catholica religio venerit. Si enim (quod Deus prohibeat) eo redirent vestra consilia, ut temporales regno vestro pararentur utilitates cum regni Christi dispendiis, videte quaesumus, dilecti filii nobiles viri quam demum spem coelestis haereditatis habituri sitis in regno Dei. Quamobrem ad utilitates reipublicae sic animum adjiciatis oportet, ut numquam mentis oculos a rationibus rei catholicae dejiciatis; vobisque providendum in primis ut Christi fidelis, deinde boni civis officiis a catholica Ecclesia et a vestra republica quisque vestrum satisfecisse censeamini.

Quo status religionis firmior servatur, eo reipublicae stabilitas magis consistit.

§. 2. Cum igitur ad ea comitia nobilitates vestrae convenerint, eo vos spectare oportet, ut catholicae Religioni sua maneat incolumitas et integritas, nec illi quidquam depereat ornamentorum, quae in eam majores vestri contulerunt; quo enim ejusdem Religionis statum feceritis firmiorem, hoc validiora habebit respublica stabilitatis suae fundamenta, atque ita istius regni tranquillitati, sine qua hominibus vita ipsa non potest esse vitalis, securitatique publicae providebitis, et viam illam munietis, quae ad aeterni regni immortalem beatitudinem ducit. Omnia enim, dilecti filii nobiles viri, quaecumque in hac nostra mortali vita agimus, illuc a nobis sunt referenda, quo in suis operibus Deus

(1) Prov. III. 13.

(2) Eccl. III. 14.

ipse respexit, ejus nimirum honorem et gloriam. Sed ab his christianae disciplinae monitis et consiliis mentem suam avertunt, qui nihil nisi terrena sapiunt. Nec novum accidit Nobis, in medio vestri homines extitisse qui claudicantes in semitis suis tam multas excitaverunt turbas, et ambulantibus per semitas justitiae tanta scandala obiecerunt. Scriptum est enim « *necesse est ut veniant scandala* ». At magna Nos caperet admiratio, si qui hactenus singulari fuerant in catholicam Ecclesiam fide, obedientia, et amore, in ea se scandala implicarent, eaque novis legibus condendis et propagarent latius et corroborarent validius, et perennia facerent. Vae, dilecti filii nobiles viri, vae nationi vestrae universae, si tale quid accidat. Sed multo potiori jure vae illis per quos scandala inducuntur, nec iis tantum qui ipsimet de industria scandala parant, sed illis quoque, qui ea cum summovere possent, vel negligerent vel dissimularent. Annon Christus Dominus judex vivorum et mortuorum ab his qui ad talia vel oscitarent, non modo ab iis suas eorum, sed etiam innumeras alias animas requireret; a quibus, si praesentibus malis necessaria adhibuissent remedia, aeternam perniciem depulissent?

Confidit Polone Senatores majorum emulaturos exempla pro firma religionis observantia.

§. 3. Sed longe vos arbitramur ab ejusmodi perniciosa vel oscitatione, vel dissimulatione abhorrere; quin etiam existimamus vos religionis acerrimo sensu commotos, et minime volentes majoribus vestris propugnatae catholicae fidei gloria esse impares, falsa rejecturos humanae prudentiae consilia, nervos omnes in id intendendo, ut regnum Christi apud vos servetur incolume, prae qua Beatissimus Paulus arbitratus est omnia ut stercora. Pro Christo (1) legatione fungentes, tamquam Deo exhortante per nos haec habuimus ad vos scribere. Videte quaesumus (2) quid faciatis: non enim hominis exercitis judicium sed Domini; et quodcumque judicaveritis in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum et cum diligentia omnia facite. Idque in Domino confidimus vos praestituros, et in eorum sermonibus surdos, qui sua quaerunt non quae sunt Christi, divinae illi voci vestras aures praebituros; quaerite primum regnum Dei; Denique dilecti filii nobiles viri, ex Dei virtute alacres ite in comitia. Vester in oculis verus honor sit et solida gloria, vestrae reipublicae salus vestrorum omnium, qui sunt, quique erunt animae earumque aeterna vel felicitas vel aerumna, ut bene vel male catholicae Religioni contigerit a vobis esse consultum. Haec vero quae hactenus scripsimus, a ven. fratre Archiepiscopo Ancyrano apostolico nuncio nostro audietis explicata copiosius, cui nostro nomine de his rebus vobiscum agenti omnem fidem velimus adhibeatis: vobisque omnibus auspicem rei bene gerendae apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die duodecima Septembris MDCCLXVII. pontificatus nostri anno decimo.

DCXXX.

Poloniae Regi illustri res Religionis commendat adversus dissidentes.

Dat. die 12. Sept. 1767. Anno X.

Vide epistolam superiori numero relatam et adnotationem ibi appositam.

Carissimo in Christo filio nostro
Stanislao Augusto Poloniae
Regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo Fili noster salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Suum studium Pontifex significat pro Poloniae regni felicitate.

§. 1. Quantopere incliti istius regni tui, tuarumque rerum felicitati studeamus, regiae majestati tuae existimamus esse perspectum. Sed quae appropinquanti generalia vestra comitia, nimio plus quam arbitrere curas nostras adaugent. Ubi enim de aeterna tua et orthodoxae istius gentis felicitate agitur cum caducae hujus vitae opes et fluxa potentia ne conferri quidem possit cum caelestibus bo-

(1) II. Cor. V. 10.

(2) II. Paralip. XIX. 6.

nis, quibus perpetuo duraturis futura tibi sit vita beatissima, infinite acuantur Nobis necesse est adsiduae solicitudines, quas pro regia majestate tua, tuoque regno suscepimus. Vigilantiam quidem tuam et industriam cum summa prudentia conjunctam probe novimus, quam catholicam Ecclesiam eripere studio ex iis periculis, quae illi a dissidentibus intenduntur. Scimus S. hanc Ecclesiam ea potissimum causa tibi esse carissimam, quod pro certo habeas nemini spem ullam salutis esse posse, qui sit ab ea segregatus: exploratum itidem habemus, illud te ab initio regni tui imbibisse, labefactatis vere sinceraeque fidei rationibus rempublicam stare non posse, et attritis rebus catholicae religionis et maximis opibus plerumque eversa esse potentissima regna.

Poloniae commonet regem, ut in proximis Comitiis omni studio curet dissidentium conatibus resistere.

§. 2. Verum etsi praeclaros hosce regii animi tui sensus cognovimus tamen rei magnitudine commoti, et ipso in quo eadem res versatur periculo perterrefacti, temperare Nobis ipsi non possumus, quin te, carissime in Christo fili noster, sedulo moneamus, te in proximis comitiis ad gravissimas dimicationes et contentiones esse objectum, ac proinde paratissimum animum abs te illuc afferre oportere ad validissimos dissidentium impetus sustinendos quibus nec sine magno labore queas obsistere, nec sine Dei ope et auxilio pervincere. Quod tamen auxilium a sponso suo Jesu Christo tibi impetrabit amantissima tui S. Mater Ecclesia, cum viderit te carissimum sibi filium pro ejus salute et incolumitate nihil laboris, nihil curae et solicitudinis recusantem. Strenue igitur divina ope fretus causam Dei tuere, carissime in Christo fili noster; tentat quidem regiam majestatem tuam Deus in tanto discrimine, sed isthaec tentatio indicium facit a Deo te diligi. Sic Tobiae ab Angelo dictum est: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Sed fidelis est Deus, qui non patietur tentari te supra id quod potes, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possis sustinere*. Quinam autem uberior proventus qui felicior tentationis exitus, quam cum a Deo adjutus victor evaseris cum ingenti et ad omnem posteritatem producenda tui nominis gloria?

Eumdem Regem hortatur ut firma patientia, atque constantia triumphum religionis expectet.

§. 3. Itaque oportet modicum nunc contristari te in variis tentationibus, ut fides tua per patientiam probata praeclarior fiat, quemadmodum igne examinatum aurum habetur probatus, et pretiosa inveniatur in laudem et gloriam et honorem tum Deo tum etiam tibi nobilissimum reportanti triumphum, finem nimirum tuae fraternitatis, salutem animarum. In hac autem sita est vera felicitas; quam tuum est, carissime in Christo fili noster, parare populo, quem tibi Deus regendum, custodiendumque commisit. *Denique usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Et regnum quidem tuum si vis incolume et tutum *quaerere primum Regnum Dei, et haec omnia, ait Dominus Jesus, adjicientur tibi*. Id vero ad hanc rem, de qua agimus S. Celestinus praedecessor Noster explicavit qui ad Theodosium Augustum scribens: *Major, inquit, vobis fidei causa debet esse, quam regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quae Deo sunt cariora, serventur*. Hos animi Nostri sensus, nostrarumque fiduciam, quam in tua pietate et religione, carissime in Christo fili noster, maximam collocavimus, uberiore tibi sermone apostolico Nuncius noster Ven. Fr. Angelus Archiepiscopus Ancyranus exponet, cui ad communem finem assequendum, quo omnes intendimus, ut faveas, omniaque tua praestes officia, regiam majestatem tuam rogamus majorem in modum: Tibique carissime in Christo fili noster, quem in visceribus Jesu Christi gerimus, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die duodecima Septembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXI.

Catholicae Religionis res commendat cunctis in Poloniae regno Archiepiscopis, et Episcopis contra dissidentium conatus.

Dat. die 12 Sep. 1767 Anno X

Vide epistolam praecedentem, et adnotationem in ea appositam.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et Episcopis regni Poloniae.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Praecedentes epistolas hac super ipsa re perscriptas commemorat.

§. 1. In hac tanta calamitate, quam in isto regno catholicae Ecclesiae cernimus imminere, plures ad vos literas dedimus, quibus vos cohortabamur, ut non modo stateris in episcopali excubia, ne iis quae a dissidentibus catholicae rei parantur insidiis vestrae fidei et vigilantiae commissi greges intercluderentur, sed etiam ut paratissimo animo essetis ad resistendum eorum conatibus, qui catholicae Ecclesiae infensi sepem illam moliuntur evertere, quae vineam Domini isthic apud vos custodivit incolumem. Ab ac vinea sua Dominus, quod illi gravissimum periculum impendet, dignetur avertere. Hanc ab illo ejusdem vineae tutelam in humilitate cordis nostris flagrantissimis precibus petimus. Verum si constituerit vineae Dominus, nonnisi verbis impigre et efficaciter operantibus ab impendenti malo eam eripere videtis, venerabiles fratres, vobis ad episcopatum vocatis a Domino quanta esse debeat cura, quanta sollitudo ut ejus impleatur voluntas, quam tum declaravit cum dixit « *ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat.* » Itaque nunc, cum maxime est opus « *attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* », vestrum unicuique dictum existimare « *esto vigilans et confirma cetera, quae moritura erant. In mente habe qualiter acceperis, et audieris, et serva. Si non vigilaveris veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* »

Eos obsecrat, ut voces extollant, neque sinant silentio suo dissidentes in contentione triumphare.

§. 2. Denique nolite esse tanquam canes muti non volentes latrare, sed voces viae gentis istius universae auribus insonent. Ne patiamini quemquam silentio vestro deceptum, et in hac dissidentium contentione nihil mali subesse falso existimantem cum suae ipsius animae pernicie in errorem abduci. Neque a culpa vos abesse arbitremini, si vel taceatis, aut quod idem est, in gravissimo catholicae rei periculo conniveatis. Denique idem plane sentimus, quod praecessor noster S. Celestinus I. cum scribebat ad episcopos Galliae « *Timeo, inquit, ne magis ipsi loquantur qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: qui occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi* » sed nostri animi sensus super hac re vobis explicatius exponet Ven. Frater Archiepiscopus Ancyranus noster apostolicus Nuncius, cui mandavimus, ut vobis in tam periculoso tempore praesto sit quibuscumque poterit officiis, studiis, atque consiliis. Vobisque omnibus, vestro zelo vestrae pietati et religionis studio Dei causam enixissime commendante, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die duodecima Septembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXII.

Equestri Poloniae ordini res religionis commendat adversus dissidentium conatus. Dat die 12. Sept. 1766. Anno X.

Vide epistolam supra relatam, et adnotationem in ea appositam.

Dilectis filiis ordini equestri regni Poloniae.

Clemens Papa XIII.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Ex quo dissidentes foedam istam commoverunt procellam, qua nunc vehementissime jactatur apud vos catholica Ecclesia, Deo nunquam offerre destitimus enixissimas preces nostras, ut vobis laborantibus subveniret, et increparet ventum et tempestatem, *Pontifex preces Deo obtulit ad dissidentium procellam avertendam.*

et tranquillitas fieret, et in eo quidem spem omnem posuimus, qui Nos per regium prophetam monitos voluit, ut nostras in eum solicitudines rejiciamus; curam illi esse de nobis; et in eo fidentibus ipsum quae opus sunt praestiturum « *revela Domine*, inquit, *vias tuas, et ipse faciet* » sed tamen adjutoria hominum non sunt negligenda, quibus misericordiae suae Deus plerumque velut instrumentis quodammodo utitur. Circumspicientibus igitur nobis auxilia, quibus catholica Religio apud vos e praesentissimo periculo eripiatur, statim occurrit spectatissimus vester equestris ordo, dilecti filii, semper quidem flagrantissimo Dei et catholicae Ecclesiae zelo vestro illustris, sed in universa christiana republica nuper nobilitatus in primis, cum in proxime habitis comitiis egregia vestra in rem catholicam studia, summamque voluntatem constantissime prestitis praeclarum sane spectaculum, tantam hominum multitudinem, tanto animorum consensu in unum corpus adeo fortiter coaluisse, ut nullis adversariorum dolis, nullisque minis disjici unquam potuerit. Quae quidem omnium validissima vis est, religionis, si quae verae pietatis vinculo invicem se adstrinxerint.

Equestris ordinis ardorem animi requirit appropinquantibus generalibus regni Comitiis.

§. 2. Quos igitur jam ab eo tempore luculenter apparuit, res omnes fortunasque vestras catholicae rei devovisse, nunc maxime cum appropinquant extraordinaria comitia, illum ipsum a vobis animorum ardorem ad Dei causam defendendam requirimus. Injurius esset vestrae fidei, vestrae pietati, vestrae constantiae, vestrae denique laudi et gloriae, quam ipsi vobis peperistis, quae de animi vestri fortitudine, vel paullulum suspicaretur. Nec sane in tantam gravitatem, quantum tum temporis exhibuistis, cadere potest levitatis ulla suspicio. Nos quidem eam habemus de religione vestra opinionem, ut non dubitemus, quin eamdem in proximo habendis comitiis praestituri sitis alacritatem atque constantiam, quam in proxime habitis praestitistis. Si aliter de vobis sentiremus, minus aptos regno Dei vos a Nobis existimari, oporteret qui cum manum jam miseritis ad aratrum, suspicaremur ne retro respiceretis; quam suspicionem vehementer abhorret, et plane abominatur animus noster. Quin enim de fidei vestrae sinceritate eam fiduciam habemus, ut non dubitemus, quin Deus, qui tum vos adhibuit in sua causa adjutores, nunc opera vestra, quam fidelem dedistis et strenuam, apprime contentus, iisdem vobis in tanto discrimine adjutoribus sit usurus. Novit Dominus Jesus, vocem illam suam haerere cordibus vestris « *Qui non est mecum contra me est* » Novit vos ab eorum consiliis longissime abhorrere, qui falsa decepti prudentia medium quemdam in rei catholicae deliberationibus cursum tenent. Illud igitur spectabitis, dilecti filii, quod unum est necessarium et aeternae vestrae vestrorumque liberorum, et conjunctissimorum saluti in posterum prospicietis.

Ad contrarius evertendas insidias nil magis confert, quam animi in unum sensum conjunctio.

§. 3. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Sed praetermittere nullo modo possumus vos admonere, ut sedulo caveatis ne sit schisma in corpore, quod Corinthiis suis tantopere commendabat Beatissimus Paulus, sed idipsum pro invicem solicita sint membra. Denique, filii, de summo zelo vestro nihil nobis non pollicemur in posterum, qui studiossimae vestrae in catholicam Religionem voluntatis tam praeclara pignora in proxime praeteritis comitiis habuimus. Haec vero, quae hactenus scripsimus, copiosius vobis explicabit apostolicus Nuncius noster ven. frater Archiepiscopus Ancyranus, cui nostro nomine vobiscum de his rebus loquenti omnem adhibebitis fidem. Vobisque omnibus, quos in visceribus gerimus Jesu Christi, intimo paterni cordis affectu apostolicam benedictionem paramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die duodecima Septembris MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXIII.

Dat. die 14 Sept. 1767. Anno X.

Approbatio dismembrationis trium monasteriorum congregationis S. Bernardi ordinis cisterciensis a provincia Romana, atque eorum unio, et incorporatio provinciae Calabriae ordinis ejusdem.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Commissi Nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut religiosos viros altissimi obsequiis sub suavi monasticae vitae jugo mancipatos, peculiari paternae charitatis benevolentia prosequentes, illorum felici regimini, ac in via mandatorum Domini progressui, regularisque observantiae conservationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Quum in commoda esset trium monasteriorum unio Provinciae Romanae, proposita eorumdem incorporatio fuit provinciae Calabriae, cui superiores monasteriorum obstiterunt.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Abbas, et Praeses, caeterique abbates regimenti nuncupati provinciae Romanae congregationis Sancti Bernardi ordinis monachorum cisterciensis, quod cum in tribus monasteriis, nempe Realvalle, Laferrara, e Casa nuova, vulgo nuncupatis, congregationis, ordinis, et provinciae praedictorum in regno Neapolitano consistentibus, superiores memoratae provinciae Romanae, sive ob locorum distantiam, sive alias ob causas, viros zelo regularis observantiae praestantes, qui tria monasteria praedicta regerent, ac gubernarent, eligere, ac eis praeficere nequiverint, inde evenit, ut monasticae disciplinae observantia magnum passa fuerit detrimentum, quocirca nonnullis ab hinc annis actum fuit de eorumdem trium monasteriorum separatione, ac divisione a provincia Romana praedicta, eorumque respectiva unione et incorporatione cum alia provincia Calabriae congregationis, et ordinis praedictorum, cui quidem unioni, et incorporationi acriter se se tunc opposuerunt superiores majores trium monasteriorum hujusmodi.

Verum deinde superiores idem novae incorporationi assensum praebuere sub specialibus legibus.

§. 3. Verum deinde ipsimet superiores praedicti probe noscentes non aliter sane monasticae disciplinae observantiam in monasteriis praedictis restitui, ac reintegrari posse, quam si memorata monasteria provinciae Calabriae praedictae uniantur, et incorporentur, hinc praefati superiores dictorum trium monasteriorum suam operam ad id praebentibus dilecto filio moderno procuratore generali totius ordinis Cisterciensis, et dilecto itidem filio moderno Abbate monasterii sanctorum Viti, et Modesti hujus nostrae almae Urbis tamquam procuratoribus duarum congregationum ordinis cisterciensis, ad hoc specialiter, ut asseritur, deputatis, convenerunt, ut accedente ad id apostolica Nostra auctoritate, tria monasteria praedicta dividenda, ac separanda essent a memorata provincia Romana, ac respective provinciae Calabriae praedictae unienda, et incorporanda sub sequentibus tamen conditionibus, videlicet: Primo, quod eadem provincia Calabriae persolvere debeat provinciae Romanae praedictae, et in manibus dilecti filii nostri Andreae S. R. E. diaconi cardinalis Negroni nuncupati dicti ordinis apud nos, et hanc sanctam Sedem protectoris totam illam quantitatem, quam idem Andreas cardinalis, et protector, dispunctis calculis, debitam esse censuit: Secundo, quod praefata provincia Calabriae suppeditare teneretur expensas itineris monachis dictae provinciae Romanae ad eam redeuntibus, ac ipsis vestiarium persolvere, quatenus illud usque adhuc solutum non fuisset: Tertio demum, quod memorata provincia Calabriae non solum sibi unire, ac in ea retinere debeat eos monachos, qui in regno Neapolitano praedicto orti sunt, sed etiam dilectum filium Petrum Urbani sacerdotem expresse professum ordinis, et congregationis hujusmodi, ac in gentem, et nationem Neapolitanam allectum eidem provinciae pariter ipsa benigne unire, et incorporare velit.

Preces hinc Pontifici porrectae pro memorata dismembratione, et nova unione, quas Pontifex benigne excepit.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes sub pactis, et condictionibus hujusmodi a memorata provincia Calabriae admittendis, et exequendis, dicta tria monasteria a praefata provincia Romana separari, ac dismembrari, et provinciae Calabriae praedictae per nos uniri, et incorporari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut, infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas

forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, qui supplicem libellum Nobis porrectum cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad eumdem Andream cardinalem et dicti ordinis protectorem remiserunt, consilio, audito etiam ipsius Andreae cardinalis voto: motu etiam proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tria monasteria praedicta, videlicet Real Valle, la Ferrara, e Casa nuova, vulgo nuncupata, provinciae Romanae congregationis sancti Bernardi monachorum ordinis cisterciensis tenore praesentium perpetuo separamus, et dismembramus, illaque sic dismembrata, et separata cum omnibus, et singulis bonis mensarum conventualium, juribus, et oneribus provinciae Calabriae monachorum congregationis, ut ordinis praedictorum itidem perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ea tamen lege, ut provincia Calabriae praedicta quantitatem, ut praefertur, a se debitam memoratae provinciae Romanae solvere, ac illam de ea reintegrare omnino teneatur, expensasque itineris praedictis monachis ad provinciam Romanam hujusmodi redeuntibus suppeditare, ipsisque vestiarium, dummodo illud solutum adhuc non sit, persolvere debeat, et praeter monachos natos in regno Neapolitano supradictum quoque Petrum tamquam allectione Neapolitanum dicta provincia in se recipiat, et admittat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, et inconcusse observari, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, infringi, aut in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et dictae sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quaesito, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, et aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et congregationis, ac monasteriorum, et provinciarum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam pro eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis mentio facta fuisset, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris di decima quarta septembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXIV.

Confirmatio binarum resolutionum consilii civitatis Tusculanae super assignatione an- Dat. die 17. Sept. 1767. Anno X.

nuae praestationis per communitatem persolvendae conservatorio nuncupato, del rifugio, ipsius civitatis.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur antiqua hujus conservatorii fundatio, ejusque institutum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater noster Henricus Benedictus S. R. E. presbyter Cardinalis Dux Eboracensis nuncupatus, episcopus Tusculanus, quod inter caetera pia opera in dicta civitate Tusculana fundata, et erecta, extat una pia domus, seu conservatorium refugii nuncupatum, ad id instituta, ut scilicet expensis ejusdem loci pii duodecim puellae parentibus orbatae alerentur, earumque honestas in tuto posita esset.

Quod sane conservatorium postmodum reformatum, et annua praestatione a communitate Tusculana ditatum.

§. 2. Verum quia bo. me. Petrus dum vixit, S. R. E. presbyter cardinalis Corradinus nuncupatus tunc Episcopus Tusculanus probe novit, nullam in eadem pia domo reperiri magistram, quae puellas praedictas bonis moribus informaret, easque edoceret, ac dictae piae domus fructus, et redditus adeo tenues esse, ut ad substentationem duodecim puellarum hujusmodi minime sufficerent, idcirco idem Petrus cardinalis, et episcopus minuendum esse censuit dictarum puellarum numerum, eoque ad medietatem redacto, loco aliarum sex puellarum hujusmodi subrogavit, atque substituit duas pias mulieres, et magistras, quae bonis moribus, ac christiana pietate puellas praedictas imbuere tenerentur atque a communitate, et hominibus dictae civitatis annuum subsidium valoris duorum rubrorum frumenti juxta pretium publico pistori civitatis Tusculanae constituendum domus praedictae concedi, et assignari obtinuit, ac alias prout in resolutione publici consilii ejusdem civitatis a congregatione bono regimini communitatum, et universitatum status nostri Ecclesiastici praeposita die V. Martii. MDCCXXXV. approbata uberius dicitur contineri. Postquam igitur in memorata pia domo duo magistrae praedictae reperiebantur ad earum scholas tusculani cives proprias filias mittere ceperunt, ut ibidem bonis moribus instruerentur, sed adeo filiarum hujusmodi numerus excrevit, ut in Episcopatu praedicto successores a publico progressu, et bono, quae ex educatione hujusmodi promanabant, et a pastorali eorum zelo commoti aliam tertiam piam magistram propriis sumptibus in eadem pia domo alere, ac retinere consueverunt, prout nunc quoque ab ipso Henrico episcopo, et cardinali tertia haec pia magistra alitur, ac retinetur.

Quam annuam praestationem communitas adauxit, ut deficientibus occurreret conservatorii redditibus.

§. 3. Verum quia ex numero exiguo redditumm, ac fructuum memoratae piae domus, una cum praedicto annuo subsidio a praefata communitate, ut prefertur, concesso perpetuo dictae duae piae magistrae, ac sex puellae juxta legem praescriptam a memorato Petro cardinali, et tunc episcopo Tusculano ali, ac retineri nequibant, quippe quia quamplures eleemosynae, quae annuatim a quibusdam piis viris et benefactoribus eidem piae domui suppeditari solebant, defecerunt, atque tota Tusculana civitas praedicta probe noscens quantum boni optimae filiarum educationi inde eveniret, ac simul grave praejudicium, quod ex deficientia piarum magistrarum hujusmodi sibi obventurum esset, hinc in publico consilio ejusdem civitatis habito die X. Augusti MDCCLXVI. statutum fuit, ut piae domui, seu conservatorio praedicto aliud subsidium triginta scutorum monetae quotannis praestandum esset, adjecta obligatione praedictis magistris piis, nulla soluta mercede, gratis admittendi in earum scholas, nemine excepta, omnes indistincte puellas cives, et in dicta civitate habitantes, ac sub expressa conditione, et lege, ut cessante publica, ac gratuita scholae hujusmodi retentione in dicta pia domo ab eisdem piis magistris peragenda, statim quoque cessare deberet praedicta annua praestatio scutorum triginta, ac alias prout in resolutione praedicti publici consilii die subinde XXIII. ejusdem mensis Augusti MDCCLXVI. a memorata congregatione approbata uberius itidem dicitur contineri.

Quae assignationes quum satis non essent, easdem de proprio adauxit Episcopus Tusculanus.

§. 4. Sed cum ex duabus annuis praestationibus hujusmodi, simulque ab exiguis fructibus, et redditibus praefatae piae domus, seu conservatorii annuus illius introitus in summa tantummodo scutorum centum triginta, ac obulorum triginta constituatur, et

haec sane quantitas satis profecto non sit, ad hoc ut juxta legem praescriptam a memorato Petro Episcopo, et Cardinali, duae piae magistrae, et sex puellae in eadem domo, seu conservatorio alantur, et retineantur, itaut ipsa pia domus in ea semper necessitate fuerit, novum aes alienum contrahendi; absque spe illud deinde dimittendi, hinc idem Henricus Benedictus Cardinalis, et Episcopus ea, qua pollet pietate, charitate, religionis zelo, ac pastorali vigiliantia, et salutis animarum desiderio, postquam experientia compertum habuit, necessariam omnino esse ejusdem piae domus conservationem, ut in ea usque ad certum tempus pauperes pullae orphanae retineri possint, earumque honestas in tuto deponatur, ac simul ipse agnovit quantum pia haec domus utilitatis afferat publico bono in filiabus Tusculanorum civium optima educatione instituendis, ut erga suam dioecesim praedictam sibi carissimam novum hoc amoris signum praestaret, piam domum, seu conservatorium hujusmodi perpetuam reddere cogitavit, ut episcopis Tusculanis pro tempore existentibus nunquam deficiat locus, et modus, quibus honestati pauperum puellarum consultum sit, eaque a periculis omnibus libera, ac immunis reddatur, civibus vero Tusculanis tribuatur facultas, et commoditas ad scholas in eadem pia domo, seu conservatorio existentes proprias filias mittendi, ut una simul cum puellis ibidem commorantibus fidei rudimentis, et christianis virtutibus, quae difficilius alibi ediscere et acquirere nequirent, ipsae imbuantur, et informentur. Qua de re dictus Henricus cardinalis, et Episcopus in eam sententiam venit, dandi scilicet, et assignandi ex suis propriis bonis, et substantiis piae domui, et conservatorio praedicto certum, ac tutum annuum redditum scutorum ducentorum, et octo in tot locis montium non vacabilibus ad hoc praecipue, ut perpetuo in eadem civitate praedictum conservatorium habeatur, atque in eo constituta sit alia tertia pia magistra, sine qua omnes filiae civium, et habitantium Tusculanorum haud commode bonae educationis utilitatem assequi possent, simulque praedicto numero sex puellarum orphanarum, alias tres puellas hujusmodi augendi, ita ut in domo, seu conservatorio praefato reperiatur praescriptus numerus duodecim mulierum, trium nempe piarum magistrarum, et novem puellarum praedictarum, quae cum fructibus, et redditibus ejusdem piae domus annuorum scutorum centum triginta, et obulorum triginta una simul additis supradictis scutis ducentis, et octo, summam in totum scutorum tercentorum triginta octo, et obulorum triginta constituentibus ali, et retineri ibidem poterunt. Ad celeriorem vero hujusmodi pii operis respicientis publicum bonum executionem, idem Henricus episcopus, et cardinalis jam aes alienum in summa ducentorum scutorum, et ultra a dicta pia domo, seu conservatorio contractum persolvit, praetereaque domum ei finitimam praetio scutorum quingentorum quinquaginta, ut illius aedes ampliores, et commodiores redderentur aere proprio comparavit.

Ne autem annuae praestationes a communitate rependi solitae, futuris temporibus quacumque ex causa deficerent, earum approbationem, perpetuamque confirmationem a Pontifice Tusculanus Antistes requisivit.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tractu temporis evenire possit, ut annuae praestationes valoris nempe duorum rubrorum frumenti juxta pretium publico dictae civitatis pistori constituendum, et annuorum insuper scutorum triginta a communitate, et hominibus praedictis, ut praefertur, promissae in dubium sub quovis colore, ac etiam sub quocumque insubsistenti praetextu revocari, et in controversiam adduci possent, quo casu eadem pia domus, seu conservatorium, vel novum aes alienum contrahere teneretur, vel pias magistras praedictas alere et retinére minime posset hinc ut hisce malis opportunum modo adhibeatur remedium, easdem annuas praestationes, sicut praefertur, promissas per Nos approbari, et confirmari idem Henricus cardinalis, et episcopus summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, annuasque praestationes perpetuo a communitate conservatorio huic persolvi jussit.

§. 6. Nos igitur ejusdem Henrici cardinalis, et episcopi pietatem, charitatem, et religionis zelum plurimum in Domino commendantes hujusmodi supplicationibus inclinati praedictas annuas praestationes, valoris nem-

pe duorum rubrorum frumenti juxta pretium publico pistori civitati Tusculanae constituendum, et annuorum scutorum triginta favore dictae piae domus, seu conservatorii refugii nuncupati ejusdem civitatis ab illius communitate, et hominibus in dictis publicis consiliis, ut praefertur, promissas, et assignatas donec, et quousque piae domus, seu conservatorii praedicti existentia in eadem civitate Tusculana duraverit, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, easdemque annuas praestationes memoratae piae domui, seu conservatorio anno quolibet, ut praefertur, a dicta communitate, et hominibus Tusculanis perpetuis futuris temporibus dandas, et subministrandas esse volumus, ac mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae civitatis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum non intendimus per praesentes dicti conservatorii institutum, seu denominationem in aliquo approbare. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XVII. Septembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostro anno decimo.

DCXXXV.

Dos Prioratus Alverniae Hospitalis Hierosolymitani commutatur cum dote Bajulivatus Lugdunensis Hospitalis ejusdem.

Dat. die 28 Sept. 1767 Ann. X.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponuntur rationes hujus permutationis explendae.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii procuratores linguae Alverniae hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod cum lingua praedicta propter nonnullas justissimas causas congruam, ac convenientem agnoverit permutationem dotis prioratus Alverniae ejusdem hospitalis cum dote Bajulivatus Lugdunensis Hospitalis praedicti, assignando propterea dotem Bajulivatus hujusmodi eidem Prioratus, et dotem Prioratus praefati dicto Bajulivatus constituendo, petendam esse censuit a dilectis itidem filiis magno Magistro, et Hospitalis praedicti consilio approbationem, et confirmationem hujusmodi permutationis, sub conditionibus, et declarationibus expressis, ac contentis in deliberatione hac super re habita, prout re ipsa ab eisdem magno Magistro, et consilio decretum petitioni conforme eadem lingua obtinuit, tenor autem deliberationis, ac decreti hujusmodi est, qui sequitur videlicet.

Exponitur tenor deliberationis pro postulata permutatione.

» Frater Emanuel Pinto, Dei gratia sacrae domus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, et militaris ordinis Sancti Sepulchri Dominici Magister humilis, pauperumque Jesu Christi custos: universis, et singulis praesentes nostras literas visuris, lecturis, et auditoris salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellaria nostra conservato, in quo similia notari, et registrari solent; quod quidem

in hanc publicam formam extrahi, et redigi jussimus, ut ubique tam in judicio, quam extra, eidem plena, et indubitata fides adhibeatur; cujus tenor est, qui sequitur, videlicet. »

« Die XVIII. mensis Augusti 1767. Perlectis precibus procuratorum venerandae linguae Alverniae una cum ejusdem venerandae linguae deliberatione, quarum tenor est, qui sequitur videlicet: Altezza eminentissima « Li procuratori della veneranda lingua d'Alvernia umilissimi servitori, et obbedientissimi religiosi di V. A. E. espongono riverentemente, che la predetta veneranda lingua riconoscendo mediante la relazione de' commissarj, e di essi oratori essere vantaggioso il progetto di permutare i titoli delle due dignità del priorato d'Alvernia, e del Baliaggio di Lione, ossia di permutare li beni di una dignità con quelli dell'altra, assegnando li beni del Baliaggio per dote del Priorato, e li beni di questo per dote di quello, incaricò li detti procuratori di ricorrere, e praticare le diligenze opportune per ottenere l'approvazione di tale sua deliberazione, sotto però le condizioni, ossiano dichiarazioni insinuate dai predetti commissarj, e dagli oratori nella succitata loro relazione, quale fu anche sottoscritta dal procuratore dell'attuale venerando Balì maresciallo, e come meglio si rileva dall'annessa copia della detta deliberazione delli 8. del corrente mese di Agosto. Che però essi oratori a nome suddetto ricorrono all'A. V. E. umilmente supplicandola degnarsi col suo sagro consiglio approvare, e confermare la detta deliberazione, e ordinare l'esatta esecuzione della medesima in tutte le sue parti, e della grazia rimarranno obbligatissimi.

« Extrait des registres de la venerable langue d'Auvergne le 8. Août 1767. Par permission d'eminentissime et reverendissime monseigneur fr. D. Emanuel Pinto tres digne grand Maitre de l'ordre de S. Jean de Jerusalem, et du S. Sepulcre, s'est tenue la venerable langue d'Auvergne presidant en si elle monsieur le chev. fr. Gilbert de Montaignac Bord commandeur de Celles et de Doles. Dans la quelle messieurs les chevaliers de Chauvance, de Lancosme, et les procureurs de la venerable langue commissaires ci-devant nommés pour examiner le projet, touchant l'echange des dignités du grand prieuré d'Auvergne, et du baillage de Lion, ont fait la relation suivante. Illustrissimi signori. Li signori procuratori di quella veneranda lingua presentarono alla medesima un progetto di permuta dei titoli del Priorato d'Alvernia, e del Baliaggio di Lione, mediante la quale eriger si dovesse il Baliaggio in Priorato, e ridursi questo in Baliaggio. Li motivi principali, dai quali furono indotti li predetti signori procuratori sono li seguenti: primo la segregazione dei beni, quali compongono il detto Priorato, distanti fra loro, e di difficile amministrazione, massime da persone avanzate in età, come sogliono essere li venerandi Priori. Secondo il difetto di casa priorale nella città di Lione, ove si congregano li venerandi capitoli, e venerande assemblee provinciali: e terzo il pessimo stato, nel quale si trovano le fabbriche dei beni spettanti al detto Priorato, quali necessitano pronto riparo, senza che possa a tali spese supplire il venerando Priore a riflesso del tenue reddito del Priorato aggravato di varj pesi; quando che il Baliaggio di Lione è di rendita notabilmente maggiore, meno gravato di spese, e con casa residenziale nella città di Lione. Tale progetto inteso da questa veneranda lingua, piacque alla medesima addossare a noi l'esame di quello; il che avendo eseguito colla più seria, ed esatta attenzione, ci diamo l'onore di riferire unitamente coi signori procuratori suddetti, che li motivi dai medesimi addotti, verificati, e risultanti dagli atti dell'ultima visita priorale fatta dal venerando gran Priore de Thiange nel 1753. 1754. e 1755. sono validissimi, di maniera che a noi sembra, che questa veneranda lingua non solo prestar deve il suo consenso alla proposta permuta, ma si bene incaricare li stessi signori procuratori, ricorrere a S. A. E. e al sagro consiglio, e supplicare il decreto corrispondente per la pronta effettuazione della medesima. E perchè una tale permuta di titoli delle suddette due dignità possa eseguirsi senza pregiudizio di ve-

run individuo di questa veneranda lingua, ci facciamo lecito insinuare le condizioni, ossiano piuttosto dichiarazioni da apporsi, quali riduciamo a sole tre. Prima, chè se vacherà in primo luogo il Priorato di Alvernia, in tal caso sarà a quello promosso il venerando Maresciallo, il quale dovrà godere il titolo, e tutti i diritti, preminenze, e prerogative annesse alla dignità di gran Priore, e scorso il mortorio, e vacante, entrerà nell'amministrazione, e godimento di quei beni vacati, e dal giorno della di lui promozione al Priorato suddetto aver dovrà principio il quinquennio per la prerogativa di conferire, o ritenere commenda; con questo però, che vacando in appresso il Baliaggio di Lione, il detto venerando Priore come sopra provisto ritenendo sempre lo stesso titolo il gran Priore, abandonerà (scorso peraltro il mortorio, e vacante del Baliaggio suddetto) l'amministrazione, e godimento dei beni del detto Priorato, e conseguirà l'amministrazione, e godimento di quelli del Baliaggio suddetto, quali saranno in appresso repotati per dote del detto Priorato d'Alvernia. In riguardo poi al quinquennio per la collazione, o ritenzione di commenda di grazia priorale non dovrà il medesimo aver nuovo principio, ma sibbene dovrà continuare a computarsi dal primo giorno della promozione al Priorato suddetto. Seconda, dandosi all'incontro il caso, che vacasse in primo luogo il Baliaggio di Lione, dovrà al medesimo esser promosso il venerando Balì maresciallo col titolo, e prerogative di Balì di Lione. Succedendo però in appresso la vacanza del Priorato di Alvernia, il detto venerando Balì, ritenendo li beni del Baliaggio suddetto, permuterà il titolo di Balì con quello di Priore di Alvernia, ed il venerando Balì maresciallo d'allora sarà promosso al titolo del Baliaggio rinunciato, da denominarsi Baliaggio di Bourganeuf, che è il membro principale di tutti quei beni, e scorso il mortorio, e vacante dei medesimi, entrerà in rendita di essi, ed in tutti li tempi da venire tali beni, altrevolte priorali, saranno annessi alla detta dignità di Balì di Bourganeuf, e quelli altre volte bajulivali alla dignità di Priore d'Alvernia. In quanto poi al quinquennio per la prerogativa di conferire, o ritener commenda, a noi sembra, che in questo secondo caso aver dovrà il suo principio dal giorno, che il detto venerando Priore, rinunciato il titolo di Balì, conseguirà quello di Priore, e ciò ad oggetto di non aumentare il numero delle collazioni con aggravio di questa veneranda lingua, poichè in caso contrario, lo stesso tempo correrebbe per due venerandi Priori, e potrebbe un venerando Priore conferire negli ultimi giorni di sua vita, e subentrar l'altro a conferire d'un subito. La terza finalmente, che sebbene tanto il venerando Priore d'Alvernia, che il venerando Balì de Bourganeuf sono tenuti ne' termini prescritti della nostra sagra Religione a rinnovare li cabrei, adempire li precetti priorali, e giustificare li miglioramenti da essi fatti in tutti li beni, dai medesimi goduti; tuttavia in difetto de' miglioramenti non fatti, dei cabrei non rinnovati, e di ogni altro obbligo non adempito, anzi lo stesso debito col venerando comun tesoro non potrà essere di ostacolo all'effettuazione della detta permuta; di maniera che, se il venerando Priore primo eligendo sarà contumace nell'adempimento degli obblighi suddetti, anzi debitore del detto venerando comun tesoro, ciò non ostante dovrà entrare nell'amministrazione, e godimento de' beni del Baliaggio, quali si assegnano mediante la detta permuta per dote del Priorato; siccome pure se il Balì primo eligendo sarà, come sopra, contumace, e debitore, dovrà tuttavia sempre permutare il titolo di Balì con quello di Priore, e ciò senza che intender si debbano essi venerando Priore, e Balì esenti dall'adempimento di quegli obblighi, al che (tolta la pena dell' incapacità per questo solo caso) saranno tenuti in conformità di quanto dispongono li statuti, ed ordinazioni della nostra sagra Religione, e specialmente il decreto del sagro consiglio delli 14. Ottobre 1731. come anche ad indennizare li loro successori per le omissioni, e deteriorazioni occorse nei beni da essi rinunciati secondo le nostre regole, e consuetudini, e non altrimenti. Per ultimo ci crediamo nell'obbligo di assicurare questa veneranda lingua

aver noi in conformità di quanto viene insinuato dai detti signori procuratori comunicata questa nostra relatione al Sig. Commendatore de' Montaignac Bord procuratore dell'attuale venerando maresciallo Balì de Brison, a nome del quale ha egli prestato il suo consenso, e settoscritta la medesima. Questo è quanto in esecuzione dei loro riveritissimi comandi ci diamo l'onore di riferire, con sottoporre sempre questa nostra relazione ad ogni più savia deliberazione di questa veneranda lingua. • Le Chev. de Montaignac Bord. • Le Chev. de Chauvance. • Le Chev. de Lancosme. Les procureurs de la Ven. Langue d'Auvergne. Le Chev. de Boisredon. • Le Chev. de Monts. Cequ'ouy per la Ven. Langue a eté du sentiment de messieurs les commissaires, et procureurs, et consent a l'echange des dignités proposé, vû l'avantage, et le bien qui en doit resulter, et charge messieurs les procureurs de faire les demarches necessaires auprés de S. A. E. et son sacré conseil pour approuver, et confirmer le dit projet; et çe par voix et ballotes N. D. Les procureurs de la Ven. langue d'Auvergne. Le chev. de Mons. Fr. Zaccarie Vella Secret. de la Ven. langue. Eminentissimus, et Reverendissimus Dominus Magnus Magister, et vener. concilium praeinsertis precibus inherentes, prout petitum, et supplicatum fuit cum suff. scrut. nem. diste. approbaverunt, et confirmaverunt; atque deliberationem venerandae linguae in omnibus ejus partibus executioni demandari jusserunt. Et quia ita se habet veritas, ideo in hujus rei testimonium bulla nostra magistralis in cera nigra praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro, die mense et anno supradictis.

Preces porrectae pro praesentis permutationis approbatione, quae benigne a Pontifice fuerunt exceptae.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes praemissa omnia quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati praeinsertam ejusdem linguae deliberationem a magno Magistro, et consilio Hospitalis praedicti approbatam, et confirmatam auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium, quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud

Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima octava Septembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXVI.

Dat. die I. Oct. 1767. Anno X.

Peculiares redditus assignantur pro alendis, et instruendis in aliquo Seminario ecclesiastico pueris subditis jurisdictioni abbatiae S. Rufilli oppidi Fori Pompilii, nullius dioecesis.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Maximae utilitates Ecclesiae Dei dimanarunt ex institutione seminariorum.

§. 1. Plurimas inter et maximas, quas Ecclesiae Dei Tridentina synodus attulit afferetque deinceps utilitates, non postremo utique loco habenda est, quae ex seminariorum institutione percipitur: ibi etenim lubrica aetas, atque ad voluptates saeculi consectandas proclivis, a blandis arcetur vitiorum illecebris, et religione ac bonis artibus informatur, ut postquam juvenes in sortem Domini vocati in iis satis profecerint, et morum castimoniae doctrinaeque specimen praebuerint, alii alio translati, in suo quisque munere, ecclesiis, quibus fuerint addicti, ad Dei gloriam et populorum spiritualem salutem inserviant. Itaque praedicta synodus, cum ad eorumdem seminariorum erectionem omnino animum adjecisset, mirandum non est, quod in eam rem ecclesiasticos redditus aliqua ex parte converterit. Quod quidem et Nos reputantes atque in votis summopere habentes, quemadmodum alias, juxta exhibitas Nobis preces, nostra usi auctoritate eorum institutioni et dotis augmento consulere non praetermisimus; ita nunc in satis amplo territorio, ad optimae spei adolescentes literis ac pietate informandos, quandoquidem seminario carent, faciendum duximus, ut iisdem de alio quodam aeque opportuno subsidio prospiceremus.

Referuntur incommoda obvenientia ex deficientia ecclesiasticarum personarum in abbatia S. Rufilli.

§. 2. Sane a dilectis filiis capitulo et canonicis basilicae Principis apostolorum de Urbe Nobis nuper expositum fuit, quod inter ceteras ipsis eorumque capitulari mensae apostolica auctoritate perpetuo annexas, abbatia etiam enumeratur sancti Rufilli, oppidi Fori-Pompilii nullius dioecesis provinciae Ravennatensis, in qua ipsi ejusque territorio ordinariam quasi episcopalem supra clerum et populum exercent jurisdictionem. Quamvis autem capitulum et canonici praedicti spiritualibus omnium indigentiis per idoneos ecclesiae ministros quovis tempore consulere curaverint, nihilominus deficiente presbyterorum copia eorum praesertim, qui ad excipiendas sacramentales christifidelium confessiones, et ad apostolica ministeria satis idonei sint, vix unquam adepti sunt, quod tantopere optabant.

Ad quam deficientiam removendam plurimum conferre posset si iis qui ecclesiasticae optant militiae haud subsidia deessent pro congrua instructione.

§. 3. Ut igitur clerus eam, qua praeditus esse debet, scientiam addiscat, cum de seminario erigendo ob ingentes sumptus cogitari nequeat, satis illi consultum fore arbitrati sunt, si adolescentibus clericali militiae adscribendis subsidia non deessent, quibus in propinquis atque ecclesiastica disciplina praestantioribus seminariis educarentur, Nobis propterea humiliter supplicarunt, ut super mensae illius abbatialis, quamvis illa in actu annexionis a Pio PP. IV. praedecessore nostro a quavis impositione immunis reddita fuerit, atque omnium beneficiorum, etiam quibus cura imminet animarum, et bonorum ecclesiasticorum in ejusdem abbatiae territorio existentium, fructibus, juxta concilii Tridentini, et Romani anno jubilaei MDCCXXV. celebrati, ac literarum felicis record. Benedicti PP. XIII. praedecessoris nostri incipientium « *creditae*, « dispositiones, annuam taxam imponere; nec non in ipsius taxae supplementum tria infrascripta perpetua simplicia et personalem residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica, in territorio ejusdem abbatiae fundata, quorum collatio provisio et omnimoda alia dispositio, juxta litteras recol. mem. Pii PP. IV. praedecessoris nostri, personis idoneis, ad instar beneficiorum ecclesiasticorum, beneficiatuum et clericatuum nuncupatorum in dicta basilica existentium,

ac pro tempore existentes ipsius basilicae archipresbyterum ac capitulum et canonicos, turno conferendi inter archipresbyterum pro una, ac capitulum et canonicos praedictos pro altera vicibus, per hebdomadas diviso spectat et pertinet; unum videlicet sancti Josephi in ecclesia sancti Rufilli Foripompilii, modo per obitum quondam Matthaei Sendi ultimi illius possessoris vacans, tunc in turno conferendi existente venerabile fratre nostro Henrico Benedicto Maria Clemente episcopo Tusculano sanctae romanae Ecclesiae Cardinali duce Eboracense nuncupato ipsius basilicae archipresbytero, qui, eo quo flagrat singulari zelo, capituli et canonicorum votis obsecundans, a dicti beneficii collatione se abstinuit: alterum vero sub invocatione seu ad altare sancti Jacobi de Monda nuncupatum, quod dilectus filius Petrus Antonius Tioli presbyter cappellanus secretus et familiaris noster: tertium demum sub titulo sancti Jacobi de Tombis, quod dilectus etiam filius Laurentius Brandi clericus seu presbyter respective obtinent, ut infra, supprimere; quaeque ad fidelem proventuum administrationem, necnon alumnorum delectum, eorumdemque progressum in literis ac pietate maxime opportuna viderentur, constituere dignaremur.

Pontifex approbat ad optatum effectum impositionem specialis taxae ex bonis ecclesiasticis.

§. 4. Nos igitur, qui idcirco in hac sede divinitus locati sumus, ut ex ea, quadam veluti specula, fidelibus quidem omnibus, sed iis maxime pastoralis nostrae sollicitudinis curam impenderemus, qui a Deo vocantur, ut sint presbyteri in populo Dei, a quibus pendet anima illorum: propterea, capituli et canonicorum praedictorum studium magnopere collaudantes, iisdem libenter concedimus, quinimmo expresse praecipimus et mandamus, ut ipsi, per eorum vicarium in territorio abbatiae Foripompilii in spiritualibus generalem, cum consilio duorum ex collegiatae ecclesiae sancti Rufilli canonicis, et aliorum duorum de clero oppidi Meldulae, ex fructibus integris mensae abbatialis et parochialium ecclesiarum, necnon beneficiorum quorumcumque, etiam quorumvis ordinum et militiarum, etiam hospitalium, regularium, etiamsi jurispatronatus cujuscumque fuerint, et illa per quoslibet etiam venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, necnon etiam nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et camerae nostrae apostolicae clericos, ministros, et officiales quoscumque, praesentes et futuros, modo obtineantur, et in posterum obtenta fuerint; necnon aliis fructibus in dictae synodi decreto, et enunciata constitutione Benedicti praedecessoris praedicti contentis, taxam juxta ejusdem constitutionis formam, personae ut infra deputandae annuatim libere persolvendam, absque nova nostra et sedis apostolicae licentia et approbatione, ad infrascriptum effectum tantum, auctoritate nostra, perpetuis futuris temporibus imponant et praefigant.

Itemque suppressionem trium beneficiorum.

§. 5. Quoniam vero taxae hujusmodi impositio ut praefertur facienda, impar erit ad plures alendos alumnos, eorum sustentationi quantum in Domino possumus consulere volentes, primodictum ut praefertur vacans, cujus LX. ex nunc; secundo vero et tertio dicta beneficia, quorum cujuslibet XXIV. ducatorum auri de camera respective fructus redditus et proventus, secundum communem aestimationem, valorem annuum ut accepimus non excedunt, ex nunc prout ex tunc, et cum primum illa per cessum, etiam ex causa permutationis, etiam in nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus faciendae, vel decessum seu privationem aut dimissionem vel amissionem dictorum Petri Antonii et Laurentii, aut alias quovis modo apud sedem apostolicam, etiam ex quocumque decreto vacationis, seu cessationis juris, vel in aliquo ex mensibus Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti sedique apostolicae praedictae, per constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas editas vel edendas, vel alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus per easdem apostolicas constitutiones, aut cancellariae praedictae regulas, aut alia privilegia et indulta concessa hactenus et in posterum concedenda competentia, vacare contigerit; etiamsi actu nunc ut praefertur, aut alias quovis modo, quam etiamsi quaevis ex illo generalis reservatio quamvis in corpore juris clausa resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso; etiamsi Petrus Antonius

et forsan Laurentius, noster aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cujusvis S. R. E. Cardinalis familiares, continui commensales, seu Romanae curiae officiales, vel alias quamcumque reservationem seu affectionem quomodolibet inducentes extiterint, aut assequutionem aliorum beneficiorum eis quavis auctoritate collatorum, vacent; etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque beneficia dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata existant, et super eis inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa: illorumque titulum collativum, naturam, et essentiam, itaut, quoad primodictum ex nunc, quo vero ad secundo et tertio dicta beneficia, ex nunc prout ex tunc, et cum primum ut praefertur vacaverint, collativa esse desinant, et uti talia in titulum collativum conferri non possint, apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo supprimimus, et extinguimus; ita quod liceat personae a capitulo et canonicis dictae basilicae ut infra deputandae, quoad primodictum ex nunc, quo vero ad secundo et tertio dicta beneficia, cum primum ut praefertur vacaverint, corporalem realem et actualem omnium et singulorum dictorum beneficiorum, bonorum et annexorum, juriumque et pertinentiarum praedictorum, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere; fructus autem redditus, et proventus beneficiorum, ut praefertur suppressorum, percipere, exigere, levare, ac in infrascriptum usum convertere, supportatis tamen omnibus et singulis beneficiorum praedictorum oneribus.

Ex redditibus approbatae taxae, et suppressorum beneficiorum jubet Pontifex ut totidem juvenes alantur in aliquo ecclesiastico seminario.

§. 6. Porro, cum ex proventu taxae super abbatialis mensae et beneficiorum omnium ac bonorum in dicto territorio existentium fructibus imponendae, atque ex primodicti, et subinde ex secundo, et tertiodictorum beneficiorum ut praefertur suppressorum bonis, is adolescentium numerus, quem redditum quantitas feret, in seminariis ecclesiasticis alicujus civitatis illarum partium educari et erudiri debeat; iisdem capitulo et canonicis per praesentes injungimus, ut proventus hujusmodi in substentationem adolescentium integre et non in alios usus convertant, et absumant, propereaque aliquam ecclesiasticam personam in administratorem bonorum et exactorem taxae deputent. Ille quoque alimenta seminariis, in quibus juvenes degent, persolvet, atque onera etiam missarum, et alia si quae essent, beneficia ut praefertur suppressa alias obtinentibus, incumbentia adimplere curabit. Verum annis singulis pro tempore illic existenti vicario capituli et canonicorum praedictorum in spiritualibus generali, cum interventu eorumdem duorum canonicorum, et aliorum duorum de clero, integram exactamque rationem reddere debeat et teneatur, atque de oeconomico statu totius administrationis, etiam annis singulis, capitulum, et canonici praedicti reddantur instructi.

Normae praebentur pro alendorum puerorum admissione.

§. 7. Quo vero ad numerum adolescentium, seminariorum selectionem, ac tempus permansionis in iis, et quidquid ad totius rei directionem visum fuerit opportunum, demandandi, plenam dictis capitulo et canonicis pro tempore existentibus tribuimus facultatem: statuentes nihilominus, quod electio futurorum alumnorum, praevio examine coram vicario praedicto faciendo, expleatur; quodque ipsi alumni ad presbyteratum temporibus debitis se promoveri facere, idoneamque cautionem reddendi alimentorum sumptus, in eventum quod ad laicalia vota aspirarent, aut vilibus ministeriis addicerentur, praestare debeant, et teneantur.

Pontifex bona, et redditus ut supra assignatos, ab omni liberat impositione.

§. 8. Caeterum eorumdem capituli et canonicorum, necnon, ut major adolescentium numerus omni tempore in dictis seminariis ali queat, ipsos capitulum et canonicos, et administratorem ab eis deputandum, bonaque beneficiorum ut praefertur suppressorum, a quovis solutione et contributione dimidiae annatae, et quindenniorum, et aliorum quorumcumque jurium, collegiis officialium de annatis participantium, et camerae nostrae apostolicae, ratione beneficiorum suppressionis, eorumque fructuum redituum et proventuum applicationis, quomodocumque debitorum, deinceps et in perpetuum

etiam tenore praesentium liberamus, absolvimus, et eximimus, ac liberatos, exemptos, et immunes esse, neque ad aliquam solutionem annatae seu quindenniorum propterea faciendam, teneri, aut obligatos existere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Ipsas quoque praesentes literas ullo umquam tempore, et ex quavis causa quantumvis juridica et legitima, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, annullari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque juris vel facti aut gratiae remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus limitationibus derogationibus aut aliis dispositionibus, etiam per Nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem apostolicam, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere legatos, vel vicelegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, respective decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus Lateranensis concilii, suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure praefixis fieri prohibentis, et dicti Pii praedecessoris, aliisque apostolicis, nostrisque et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, et de exprimendo vero annuo valore in suppressionibus, ac de causis committendis ad partes, vocatis quorum interest; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quibusvis concessis, quibus omnibus et singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum latissime et plenissime hac vice dumtaxat derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Peculiares dispositiones quoad beneficia suppressa.

§. 11. Volumus autem, quod dicti Petrus Antonius et Laurentius, in praejudicium suppressionis hujusmodi, secundo et tertio dicta beneficia in manibus nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel cujusvis alterius, seu etiam coram notario publico et testibus, vel alias quomodolibet in cujuscumque personae favorem, etiam ex causa permutationis, resignare vel cum aliquo desuper concordare nequeant; quodque resignationes, aut concordiae hujusmodi si fiant, in suppressionis hujusmodi, et in praemissorum, non tamen aliorum favorem, factae sint, et esse censeantur.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri praecepti, mandati, suppressionis, extinctionis, facultatum, concessionis, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis octobris pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXVII.

Dat. die 2. Octob. 1767. Ann. X.

Dies festos imminuit pro civitate, et dioecesi Arborensi, servata tantummodo obligatione audiendi missam.

Venerabili fratri archiepiscopo Arborensi.

Clemente Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Sancta Sedes consuevit ea attemperare quae nec praeceptis Evangelicis, nec Sanctorum Patrum auctoritati adversantur.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro conditione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat, temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut perfrigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore, contemnuntur.

Preces porrectae pro festorum dierum reductione.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, Dioecesis Arboren. adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persaepe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adjicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex designatis peculiaribus diebus in quibus integra servanda est observantia, caeteras festivitates imminuit, servato tantummodo audiendae Missae praecepto.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandum, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in praedicta civitate, et dioecesi existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non Sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus, integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festis sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo, vacare possint, auctoritate nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praefatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et li-

teris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et, sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die secunda octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXVIII.

Dat. die 2 Octob. 1767. Anno X.

Idem imminutionis dierum festorum indultum pro dioecesi Turritana elargitur.

Venerabili fratri Archiepiscopo Turritano.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Quaedam in Ecclesiastica disciplina sunt, quae pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore, contemnuntur.

Preces porrectae pro festorum dierum reductione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Turritana adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii qui in sudore vultus sui panem comedunt persaepe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adjicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, peculiaribus designatis festivitatibus plene servandis in reliquis indicto onere audiendi Missam.

§. 3. Nos itaque qui christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in praedicta civitate, et dioecesi existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus Dominicis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum; praeterea quinque dicatis, Beatae Mariae Virgini, sci-

licet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non Sancti Patroni, aut Tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc S. Sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ulla prorsus conscientiae scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praefatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXXXIX.

Dat. die 2. Oct. 1767. Anno X.

Idem imminutionis dierum festorum indultum pro Dioecesi Vssellensi elargitur.

Venerabili fratri Episcopo Vssellensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Apostolica Sedes consuevit in rebus disciplinaribus indulgere quod praeceptis Evangelicis, et Sacrorum Patrum decretis minime adversatur.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore, contemnuntur.

Preces porrectae pro festorum dierum imminutione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Vssellensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adjicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex precibus annuit, dies festos imminuit sub precepto audiendi Missam, caeterosque dies designat religiose servandos.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos

habitatores, et incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quám colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in praedicta civitate, et dioecesi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Commemorationis omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non Sancti Patroni, aut Tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praefatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Octobris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXL.

Idem, imminutionis dierum festorum indultum pro Dioecesi Algarensi elargitur.

Dat. die 2. Oct. 1767. Anno X.

Venerabili fratri Episcopo Algarensi.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontifices rigorem disciplinae temperarunt pro consideratione aetatum, et pro necessitate rerum.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro conditione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur, adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere; quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque con-

vertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore, contemnuntur.

Preces porrectae pro festorum dierum imminutione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitatibus, et dioecesibus Algarensi, et Civitatensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persaepe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adjicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex dies festos imminuit servata lege audiendi Missam, caeterosque dies designat religiose servandos.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in praedicta civitate, et dioecesi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, sancti Joannis Baptistae, sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti Patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc Sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo, vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praefatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXLI.

Idem imminutionis indultum pro Dioecesibus Ampuriensi, et Civitatensi invicem perpetuo unitis elargitur.

Dat. die 2. Oct. 1767. Anno X.

Venerabili fratri Episcopo Ampuriensi et Civitatensi ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Multa sunt in Ecclesiastica disciplina, quae pro conditione aetatum, aut pro necessitate rerum oportet temperare.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro conditione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in his auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium, luxuriamque convertantur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore, contemnuntur.

Preces porrectae pro festorum dierum imminutione.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitatibus, et dioecesibus Ampuriensi, et Civitatensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persaepe cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mecanicis se se adjicere pro pane lucrando, et id facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex dies festos imminuit, servata tamen audiendi Missam obligatione, caeteros vero peculiariter designat in quibus integra manet praecepti observantia.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus; dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut postquam certe constiterit, quod otiosa plebs dies festos in publicis tabernis deturpat magis quam colat, omnibus utriusque sexus christifidelibus in praedicta civitate, et dioecesi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, et sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, sancti Joannis Baptistae, sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti Patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festis, sive per hanc Sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo, vacare possit, auctoritate Nostra apostolica concedas, indulgeas, et permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praefatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel

quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Octobris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXLII.

Dat. die 7. Nov. 1767. Ann. X.

Electi Romanorum Imperatoris adjutrices opes requirit pro afflictis catholicae religionis rebus in regno Poloniae.

De hac ipsa rerum ecclesiasticarum eversione in Poloniae Regno agunt quamplures pontificiae Literae superius relatae, quarum postrema hoc Tomo sub num. DCXXXII, quae videnda est, cum adnotatione ibidem annexa.

Carissimo in Christo filio nostro Josepho in Romanorum Imperatorem electo.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili Noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

Dissidentium designat conatus, quibus persequutionem patiuntur obsistentes pro catholica fide.

§. 1. Afflictae in Poloniae regno prostrataeque res catholicae Ecclesiae magnam ex oculis nostris eliciunt vim lacrimarum. Qui enim possumus sine fletu rei catholicae statum in illo regno contemplari? Orthodoxam gentem verae fidei tenacissimam, et pro ea defendenda nihil non recusantem videmus desertam ab omnibus, et si qui de eadem gente vel in Ecclesia, vel in republica primores, dissidentium consiliis et conatibus strenue obsistebant, nunc ad Nos pervenit rumor, ab Ecclesiae et reipublicae sinu eos avulsos abreptosque raptari eo terrarum, ubi laboranti catholicae religioni nullam ferre opem queant.

Imperatoris romanorum auxilium requirit cui proprium est catholicam Ecclesiam defendere.

§. 2. Sed tamen, carissime in Christo fili noster, in caesaream majestatem tuam adhuc respicimus, cui cum ex augusta dignitate proprium munus sit catholicam tueri Ecclesiam, vehementer confidimus, te tacitas non praetermissurum injurias, quibus non tam Polonae reipublicae libertas opprimitur, quam ipsa nostra sacrosancta Religio. Nec animum inducere possumus te omisso animo tantam Ecclesiae spectaturum calamitatem. Rogamus te, carissime in Christo fili noster, ut ad pietatis tuae sensus, quos ex hoc misero Ecclesiae statu non dubitamus in te vehementer excitari, religiosissimum animum tuum adjicias, et Ecclesiae catholicae in tanta ejus aerumna, re, consilio, et ope succurras. Nec audias, si qui te deterrent ab adjuvanda Polona republica, cujus rebus minime si opportunum te implicari Ecclesia una est toto terrarum orbe diffusa, ubi non est nec Judaeus, nec Barbarus, nec Schyta, sed omnes sunt Christi. Adjuvanda est igitur a caesarea majestate tua ubicumque terrarum persecutionem patiatur, eique quoquo modo subveniendum Nos quidem non cessamus diu noctuque in humilitate cordis nostri rationibus iram Domini placare, quod unice auxilium Ecclesiae ferre possumus in his malis. Vestrum est, quibus Deus maximas opes tribuit et potentiam; unde vobis oritur summa auctoritas, minime pati sanctam matrem vestram tam atrocibus injuriis pati. Deum omnipotentem confidimus, carissime in Christo fili noster tibi affuturum, ut ea in hac re capias consilia, quae Ecclesiae sint salutaria; solidamque tibi tuoque augusto nomine dignam gloriam pariant. Et caesareae majestati tuae, quam in visceribus gerimus charitatis intimo paterni amoris nostri affectu apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die septima Novembris MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCXLIII.

De eodem argumento agit cum Maria Theresia Romanorum Imperatoris matre.

Dat. die 7. Nov. 1767. Anno X.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae nec non Bohemiae reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae viduae.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo Filia nostra salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Infelicem religionis statum in regno Poloniae describit, et persequutiones quas patiuntur qui dissidentium conatibus resistere sunt nisi.

§. 1. De Catholicae Religionis statu in Poloniae regno vehementer sollicitos, et de extraordinariis comitiis, unde eamdem Religionem in praesenti rerum discrimine merito existimabamus suas rationes habere suspensas, magnopere trepidantes horribilis Nos ex improviso perculit rumor, fortissimos rei catholicae in eo regno propugnatores, ubi perspectum est, nullis quamtumvis atrocibus minis posse perterrefieri, et vitam fuisse potius amissuros, quam a vera defendenda religione destitutos, a Moschorum copiis violenter captos, et a patria sede abstractos abreptosque raptari, quo terrarum incertum, ne in comitiis quis quam amplius sit, qui pro catholica re invicto animo se objiciat dimicationibus dissidentium. Quo nihil injurium magis, nihil atrocius: nobilissimum regni praesidem, venerabilesque episcopos eosdemque primarios republica senatores per vim non modo a publico removeri consilio, sed armata manu a reipublicae sinu avulsos abigi et asportare quo libitum fuerit eorum inimicis, qui tamen a Polona republica plane extranei nullo jure (quod maxime est omnium intollerabile) sese in polonicis rebus implicaverunt. Illud autem omnium maxime dolemus, neminem fuisse adhuc neque esse catholici nominis, qui potens opibus et potentia has injurias ab Ecclesia curaverit amoliri.

Imperatricis auctoritatem, et patrocinium requirit in tanta religiosarum rerum angustia.

§. 2. Quamobrem in ea re Dei et Ecclesiae honorem foedissime proculcatum, nudatam defensoribus religionem, dejectos catholicorum animos et Religionem in manu inimicissimorum desertam, amare deflentes ad regiam majestatem tuam, carissima in Christo filia nostra, quae tam multa tamque praecipua Deo et Jesu Christo ejus filio debes, confugimus, et universae Ecclesiae nomine praepotentem opem a te imploramus ad labentem in Poloniae regno catholicam fidem ea qua potes ratione sustentandam. Magnam regiae majestati tuae auctoritatem maximae tribuunt opes, et longe lateque diffusa potentia. Quam auctoritatem tuam si alacriter adhibueris, et diserte profiteare minime placere tibi, sic catholicae Religioni illudi, et catholicis ipsis fraudi esse in sua ipsorum patria pro eo ac debent religionem quae regnat, et quam profitentur defendere, magnopere confidimus ejusmodi regii animi tui significatione plurimum de furore inimicorum Ecclesiae restinctum iri. Sed nostrum non est quid in ea re facto opus sit regiae majestati tuae suggerere. Illud tuto possumus affirmare, quidquid consilii, auxilii, et opis ad hanc rem impenderis, Deum, carissima in Christo filia nostra, augendis tuis opibus et potentia regiae majestati tuae centuplum redditurum. Nos interea Deum enixissimis orationibus obsecrabimus, ut eam tibi det mentem, qua tibi persuadeas unam ubique terrarum esse S. Ecclesiam, eamque ubicumque laboret, ab iis praesertim qui maxime pollent opibus et potentia adjuvandam recreandamque; nec temporalibus rationibus, quae ex regnorum divisione oriuntur, aeternam illam rationem posse pervinci, nimirum ab omnibus qui Christo suum dederint nomen sanctam ejus Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo defendendam ubique conservandamque, atque etiam augendam et propagandam quo quisque poterit modo. Et regiae majestati tuae quam paterni cordis nostri praecipua prosequimur charitate, apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die septima Novembris MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCXLIV.

Dat. die 26. Nov 1767. Anno X.

Alumnis collegii Anglorum Duacensis indulget, ut extra tempora ad ordines promoveri possint, et absolvi a censuris.

Dilecto filio Gulielmo Green moderno, ac pro tempore existenti rectori collegii Anglorum Duacensis.

Clemens Papa XIII.

Dilecte fili salutem, et Apostolicam Benedictionem.

De tua singulari fide, prudentia, et doctrina plurimum in Domino confidentes, ea tibi concedenda duximus, quae infrascripti collegii, ac alumnorum illius commodo, et utilitati profutura esse cognoscimus. Itaque de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa republica christiana contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sede apostolica specialiter deputatorum consilio, tibi moderno, ac pro tempore existenti rectori ad quinquennium proximum tantum, et interim quamdiu rectoris munere in isto collegio Anglorum Duacensi fungeris, seu rector hujusmodi pro tempore existens fungetur. Quo ipsius scholares alumni post longos studiorum labores, sacerdotali ministerio pro loci, ac temporis necessitate fungi, et functionibus sacris assuescere, ac ecclesiae dicti collegii officia divina praestare, seu uti operariis fructuosius mitti valeant, eisdem alumnis, ut de tuo consensu, et examine praecedente, ac absque literis dimissoriis suorum ordinariorum, ac non obstante quocumque natalium defectu, super quo cum illis gratiose dispensamus, clericali militiae adscribi, et aliquibus quatuor etiam feriatis, ac continuis, vel interpolatis, seu unica diebus ad quatuor minores, nec non tribus dominicis, seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio arbitrio tuo definiendo interpolatis) etiam absque ullo beneficii, seu patrimonii titulo ad sacros etiam presbyteratus ordines extra tempora a jure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a sacro concilio Tridentino designatis, ac absque eo, quod antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primoque suscepto ministrare, aut alicujus servitio ecclesiae adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, concedere, et indulgere; nec non tibi, ut per te, vel confessorem idoneum, quem eligendum duxeris, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, aut causa latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, a quibusvis peccatis, et excessibus, ac delictis quantumque gravibus, et enormibus, etiam in casibus die coenae Domini legi solitis consuetis (conspirationis in personam, vel statum romani Pontificis, falsitatis literarum, et scripturarum apostolicarum, delationis armorum aliorumque prohibitorum ad partes infidelium, ac injectionis manuum violentarum in praelatos duntaxat exceptis) absolvere, et pro commissis poenitentiam salutarem, ac alia injungere eis, et cum illis super irregularitate per eos quomodolibet (praeter quam occasione homicidii voluntarii, bigamiae, haeresis) contracta dispensare libere, et licite valeas, dictusque rector pro tempore existens valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Praesentibus post lapsum quinquennii hujusmodi minime valituris. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus, conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque, Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima sexta Novembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, pontificatus nostri anno decimo.

DCXLV.

Nobili viro Comiti de Kaunitz intimo Imperatoris Romanorum consiliario significat expulsionem clericorum regularium Socie- Dat. die 5. Dec. 1767. Anno X.

tatis Jesu ab utraque Sicilia, ejusdem provocat officia penes caesaream majestatem.

De persequutionibus perpessis a clericis regularibus Societatis Jesu plurimas dedimus pontificias epistolas, quarum postrema hoc Tomo sub N. 589, quae videnda ad opportunitatem est cum adnotatione ibidem apposita.

Dilecto filio nobili viro Comiti de Kaunitz.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

De hac ipsa re certiorem fecisse Imperatricem Mariam Theresiam Pontifex enunciat.

§. 1. De clericorum regularium Societatis Jesu calamitate, qui utraque Sicilia sunt exturbati, nobilitas tua jam cognoverit. Qua vero ratione e Neapolitano regno in nostram ecclesiasticam ditionem fuerint compulsi, ibidem non ignoras. Sed quoniam, cujus maxime interest, illi quivis existimet factum illud esse exploratius, ven. fr. Archiep. Ephesino apud istam caesaream aulam apostolico nuncio injunximus, ut carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae apostolicae distincte, fideliterque, exponat, quemadmodum, et quam contra jus et fas, et quanto cum nostrae pontificiae in Ecclesia auctoritatis contemptu, quanta etiam despectione majestatis summi nostri in Ecclesiasticam ditionem imperii ea res gesta sit. De qua propterea scribendum existimavimus eidem carissimae in Christo filiae nostrae, cujus pietati et in hanc sacram B. Petri sedem devotioni minime placere arbitramur cum visibili Ecclesiae capite agi tam indignis modis.

Imperialis consiliarii provocat officia penes Caesaream majestatem ut reparationem obtineat laesae pontificiae majestati.

§. 2. Quot quantasque graves injurias in spiritualem temporalemque potestatem haec complectatur injuria, pro sapientia tua, dilecte fili nobilis vir, facile intelliges, ubi totam facti narrationem a memorato Nuncio nostro explicatam habueris. Rogamus nobilitatem tuam, ut apud memoratam reginam apostolicam consilia officiaque tua omnia ea conferas, ut laesae dignitati Nostrae, quemadmodum aequum est, ab iis qui eam tanto cum contemptu collabefecerint, satisfiat. Existimamus omnium praesentium maxime interesse, ne pessimi exempli imitatione lex quodammodo constituatur, ut qui fortior sit ei liceat quisvis, quod libitum sibi fuerit, in aliena ditione designare. Permulta alia sunt quae possumus gravissime conqueri. Sed nunc de injuria, quae inter eas, quas in hac una re accepimus, certe non est omnium maxima, petimus, ut vulnus nostro in ecclesiasticam ditionem imperio inflictum sarciatur. Prudentiam tuam tuumque justitiae amorem minime nosse videremur, si vel te excitando vel quo ea res pertineat admonendo prolixius nobilitati tuae scriberemus.

Societatem Jesu jam multo divexatam commendat imperiali consiliario.

§. 3. Sed in tanta clericorum regularium Soc. Jesu calamitate, ipsi Nobis temperare non possumus, quin eamdem Societatem tantopere divexatam tibi, dilecte fili nobilis vir, commendemus majorem in modum. Siquidem ex omni natione venerabiles fratres episcopi de illius Societatis incolumitate solliciti, testes nobis fuerunt, in suis quisque dioecesibus ad animas sanctificandas magnas ab iis capere utilitates; et ipsi nostris oculis cernimus, eos qua hic habemus, accurate pii sui instituti rationem sequi. Tuam vero opem illis non defuturam confidimus, quod eosdem ibidem apud vos tales esse et existimari comperimus, quales esse oportet, qui juventutem religione et bonis artibus erudire profiteantur, et sacramentis administrandis, Deique verbo annunciando omnem suam operam praebeant. Tibique, dilecte fili nobilis vir, quem ob maximarum rerum usum sapientiam, atque pietatem magni facimus, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quinta Decembris MDCCLXVII, Pontificatus nostri anno decimo.

DCXLVI.

De eodem argumento agit cum comite Colloredo Imperatoris Romanorum consiliario. Dat. die 5 Dec. 1767. Ann. X.

Vide epistolam praecedentem, et adnotationem in ea appositam.

Dilecto filio nobili viro comite Colloredo.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Injuriam acceptam ex expulsione clericorum regularium societatis Jesu ab utraque Sicilia Pontifex enunciat.

§. 1. Cum ex utraque Sicilia clerici regulares societatis Jesu pulsi sunt in exilium, duplicem ex ea re injuriam accepimus; quarum altera magnam contentionem habet et despectionem nostrae in Ecclesia apostolicae potestatis; altera summi nostri in ecclesiasticam ditionem imperii majestatem imminuit. Duplicem hanc potestatem nostram gravissime laesam nobilitas tua intelliget e sermone, quem de hoc acerbissimo casu tecum habebit ven. frater Antonius Eugenius Archiepiscopus Ephesinus apud istam caesaream aulam apostolicus nuncius noster, qui ejus facti narrationem latius tibi exponet et explicatius. De injuria pontificiae potestati nostrae, insta quamquam longe gravior est, quam quae temporali nostro imperio inflicta est, nunc non est animus conqueri; non quo in ea leviorem experiamur acerbitatem, sed contra cum longe Nobis videatur acerrima, idcirco eam querelam in alium praecipuum locum et tempus rejiciendum existimamus.

Specialiter hic de injuria illata temporali Pontificis potestati quaeritur, et hac de re romanorum Imperatori literas misisse significat.

§ 2. Nunc autem de altera injuria querimur, qua despecta, et propemodum pro nihilo habita est temporalis nostra potestas in loca ecclesiasticae ditionis nostrae; de qua injuria scribimus ad caesaream majestatem carissimi in christo filii nostri Josephi, qui pro summa, quam in christiana republica obtinet dignitate, Romanae Ecclesiae protector et advocatus eam praeter ceteros catholicos principes tueri debet, ejusque temporalem ditionem, quam potissimum ejus constituitur patrimonium, defendere ad hanc rationem, quae illi praecipua est, quamobrem Nobis opitulari velit, ut illata Nobis injuria sarciatur, accedit alia causa, quae illi cum ceteris principibus est communis. Si enim id jus esse debet, quod illi placitum fuerit, qui viribus sit edictior, facile quivis intelligit nullam esse cuique principi securitatem. Atque haec nobilitati tuae leviter attingimus, tum quod pro eximia sapientia tua arbitramur satis te quod volumus assequi, tum quod uberius hac de re tecum loquetur memoratus Archiepiscopus ephesinus.

Caesareum hortatur consiliarium, ut sua officia interponat ad consequendam, illatarum injuriarum sarcitionem, eique societatem Jesu commendat.

§. 3. Itaque, qui caesareae majestati consiliorum socius et comes hanc causam, ut putamus, cognosces, te, dilecte fili nobilis vir, in Domino rogamus et obsecramus, ne Romanam Ecclesiam, quantum consilio vales et gratia, patiaris disertam cum tanto dedecore et probro. Sed de pietate tua erga hanc Ecclesiam et devotione, deque tuo in justitiam studio, et amore ea Nobis opinio et fiducia est, ut pro certo habeamus, nulla te studia et officia praetermissurum, quo tanta Nobis facta injuria eo modo quo par est, revellatur. Neque tamen de temporalibus Ecclesiæ rebus tantopere sumus solliciti, ut spiritualia ejus mala obliviscamur. Gravissima enim adsidue urimur aegritudine, quod nunc, cum maxime inimicus homo in dominico agro superseminat zizania, ab eo colendo perpurgandoque propellantur clerici regulares Soc. Jesu, quorum operam tamen ecclesiasticae esse frugiferam et ipsi Nos testes sumus, et ex omni fere lingua et natione plurimi Episcopi Nobis per literas gravissimum testimonium perhibuerunt. Hos tibi, dilecte fili nobilis vir, summopere volumus commendatos; atque eo fidentius speramus illis tuam opem non defuturam, quod intelleximus illos istbic apud vos non eo quo alibi, odio flagrare, nec eos esse, quales in regionibus unde pulsi fuerunt. Magnae sint vires oportet magnaque solertia in iis, qui Societatem illam defendendam suscipiant; non enim modo validissimis opibus, sed clanculum et per cuniculos indesinenter oppugnatur. Quamobrem talibus, cujusmodi et defensoribus opus est eidem Societati; qui sapientia aeque polles ac auctoritate et apud augustum principem gratia. Tibique, dilecte fili nobilis vir, intimo paterni cordis nostri affectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die quinta Decembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXLVII.

Dat. die 21. Dec. 1767. Anno X.

Indulgentia plenaria elargitur christifidelibus visitantibus Ecclesiam fratrum ordinis S. Francisci conventualium die 18. Septem. cujusque anni sacra B. Josepho a Cupertino nuper in sanctorum numero adlecto.

Literae apostolicae canonizationis B. Josephi a Cupertino relatae a nobis sunt hoc Tom. sub Num. DCXVIII.

Clemens PP. XIII.

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris, et domini nostri Jesu Christi, qui gloriosos, et saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, et coelestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, et fovendam erga eosdem beatos coeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem sanctissimae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, et christianae religionis incrementum de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporumque in Urbe nostra existentium consilio beatum Josephum a Cupertino confessorem, ac ordinis fratrum minorum sancti Francisci conventualium nuncupat. Professorem auctoritate Nobis a domino tradita sanctum esse decreverimus, et definiverimus, ac sanctorum catalogo solemni ritu adscripserimus: hinc est, quod Nos ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum, monasteriorum, et domorum regularium tam fratrum, quam monialium praedicti ordinis sancti Francisci conventualium nuncupat. hactenus erectis, et in posterum quandocumque erigendis, et ubique locorum existentibus die decima octava mensis Septembris festo ejusdem S. Josephi a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI. Decembris MDCCLXVII. pontificatus Nostri anno decimo.

DCXLVIII.

Dat. die 23. Dec. 1767. Anno X.

Confirmatur praecedens rescriptum quo indulgetur ut in quavis ecclesia ordinis fratrum minorum S. Francisci cappuccinorum in provincia Picena, celebrari valide possint missae, quae in ecclesia conventus Gradarae ejusdem ordinis, et provinciae integre celebrari intra annum nequeunt.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur causa praecedentis pontificii rescripti, cujus tenor refertur.

§. 1. Alias pro parte tunc existentis ministri provincialis ordinis fratrum minorum sancti Francisci cappuccinorum nuncupatorum provinciae Picenae Nobis exposito, quod conventus loci de Gradara nuncupatus Pisaurensis dioecesis ordinis, et provinciae praedi-

ctorum ex dispositione quondam Ubaldi Cervini pluribus abundabat eleemosynis missarum in altari; apostolico privilegio decorato, celebrandarum; e contra vero alii circumstantes conventus dictae provinciae hujusmodi eleemosynis missarum ita indigebant, ut eorum necessitatibus occurri minime posset: qua de re missas, quae in ecclesia dicti conventus ad hujusmodi altare celebrari nequibant per ministrum provincialem pro tempore existentem memoratae provinciae, ejusque definitorium in aliis altaribus simili privilegio decoratis ecclesiarum conventuum ejusdem provinciae, qui hujusmodi eleemosynis magis indigebant, celebrari facere posse summopere desiderabat. Nos, omnibus perpensis, rescribendum mandavimus quemadmodum sequitur, videlicet » Ex audientia Sanctissimi diei 7. Decembris 1763. Sanctissimus, attentis expositis, ac visis super iisdem informatione, et voto, ut supra, P. provinciali, ac ejus definitorio introscriptae provinciae Picenae pro tempore existen. opportunas, et necessarias facultates tribuit ad hoc, ut eas omnes missas, quas introscripti conventus Gradarae religiosi in satisfactionem indicati oneris ad enunciatum altare per annum celebrare non poterunt in aliorum conventuum ejusdem provinciae Picenae ecclesiis, ac præsertim in iis, quae missarum eleemosynis magis indigent, ad altaria tamen apostolico privilegio decorata celebrari facere possint, et valeant. Dummodo superiores locales hujusmodi conventuum respective praedicto provinciali, ejusque definitorio pro tempore existenti legitima, et authentica documenta de exacto missarum adimplemento transmittant. Ac servata in reliquis omnibus voluntate testatoris. » In quorum fidem ec. Datum ex dicta secretaria memorialium hac die 1. Octobris 1766.

Loco ✝ Signi C. Card. Rezzonico.

Preces porrectae pro praecedentis rescripti confirmatione, quibus Pontifex apostolica auctoritate assentitur.

§. 2. Nuper autem dilectus filius modernus minister provincialis memoratae provincia Picenae ordinis hujusmodi Nobis supplicari fecit, ut pro majori praemissorum firmitate ea approbare, et confirmare, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati praeinsertum rescriptum nostrum, ac omnia, et singula in eo contenta, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem, praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, et Provinciae hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam

Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima tertia Decembris millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCXLIX.

Dat. die 29. Dec. 1767. anno X.

Cum Cardinali Sersalio conqueritur ab eo nihil Pontifici scriptum de calamitate clericorum Soc. Jesu ab utraque Sicilia expulsorum.

Vide hac de re epistolam pontificiam relatam superiori num. DCXLVI, et adnotationem in ea appositam.

Dilecto filio nostro Antonino tit. S. Pudentianae presbytero S. R. E. Card. Sersalio nuncupato.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem.

[...]uum dolorem exprimit [...]ro clericorum regularium societa[...]s Jesu expulsione.

§. 1. Incredibilem Nobis dolorem clericorum regularium Soc. Jesu gravissimus casus, quorum ecclesiis, et domibus noctu ex improviso militari manu circumsessis, ipsi comprehensi totoque isto Regno properantur pulsi in exilium, et ad regni fines abrepti, tandem projecti sunt in ecclesiasticam nostram ditionem. In quo quanta sacrae immunitati ecclesiarum rerum personarumque, quanta potestati Nobis divinitus traditae, quanta etiam imperio, quod in ditione nostra tenemus, inflicta fuerit injuria, nunc non est animus in his nostris litteris conqueri.

[...]ed Pontifi[...]is dolorem [...]auxit Car[...]inalis silen[...]um in tanta [...]alamitate.

§ 2. Sed illud tibi profitemur doluisse Nobis atrociter, quod in tanta calamitate nulla ad Nos notitia pervenerit, nonnihil esse commotum. In ore et oculis tuis violati sacri ministri, profanata loca sacra, in fortunas invasum et bona sanctuarii. Non clam te erat, tuum ipsum vicarium generalem iis conventibus, in quibus tam iniqua consilia suscipiebantur, cum secularibus ministris adesse, et patiebare. Nec tibi certe fuit ignotum, complures ex ecclesiasticis tuis hominibus, eos praesertim, qui praecipuae pietatis speciem offerentes videntur idcirco arctiore tibi vinculo esse devincti satis ostendisse gravissimo isto casu non mediocriter se delectari, quos tamen minime novimus, a te fuisse reprehensos. Verum siluisse te isthic metu ne a secularis potestatis excideres gratia, profecto mirum, qui non ignoras, quae scribit Beatissimus Paulus » *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* » Longe autem major cepit Nos admiratio, quod ea praeditus dignitate, qua nulla in Romana Ecclesia praestantior, de tristissimo casu et omnium lacrimis deplorando ne verbum quidem ad Nos scripseris, saltem Nobiscum ut dolorem tuum cum nostro communicares, quem existimare debueras Nos e tanta calamitate acerbissimum accepisse. Hoc, dilecte fili noster, inviti ulcus tangimus. Sed ille est omnium dolor acerrimus in rebus adversis, quo se vehementissime cruciari S. Jobus ostendit, cum queritur » *necessarii quoque mei recesserunt a me* » qui maximus dolor facit, ut Nobis ipsi temperare nequeamus quin hanc de isto silentio tuo proferamus querelam quod silentium interea vide, dilecte fili noster, quonam tandem pacto cum ea necessitudine quae inter Nos interest et cum officio tuo erga Romanam Ecclesiam, cui omnia debes, pro tua existimatione possis componere. Et dilectioni tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, Die XXIX. Decembris MDCCLXVII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCL.

Easdem quaerimonias Episcopo Aliphano dirigit, eumdemque objurgat, quod in consiliis fuerit eorum, qui Jesuitarum expulsioni operam dederunt.

Dat. die 29. Dec. 1767. Anno X.

Vide epistolam superiorem, et adnotationem in ea appositam.

Venerabili fratri Philippo Episcopo Aliphano.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

§. 1. In ea, quam clerici regulares Soc. Jesu acceperunt in isto Regno, calamitate, gravissimum Ecclesiae vulnus inflictum vehementer doluimus, et dolemus; qui videamus quanto sit in contemptu ejusdem Ecclesiae, in iis, quae divinum cultum sacrasque personas et bona Deo dicata respiciunt, divina potestas. Sed illud omnium acerrime nostrum animum urit quod iis consiliis, quibus agebatur de tanta Ecclesiae imponenda injuria, eaque subinde confirmanda, novisque rationibus augenda, adesse non verita sit fraternitas tua, quam tamen ab ejusmodi conventibus longissime abfuisse oportuit. Et sane valde te commovere debent fidelium voces, qui magnam se accepisse clamitant offensionem, quod nonnullos Episcopos ibi adfuisse resciverit, unde tanta ad Ecclesiam injuria pervenerit, eorumque auctoritatem laicae potestati suffragantem effecisse, ut in res et bona Ecclesiae eadem secularis potestas violenter irrumperet. An non eadem S. mater Ecclesia jure queritari potest « filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me? » Cum autem minime pati possimus, tantam haerere diutius episcopali ordini maculam, sedulo fraternitatem tuam hortamur atque monemus, tibi primum ut consulas, si quid adversus conscientiam tuam feceris, deinde ne amplius sub quocumque praetextu vel ab-sequendi majoris boni, vel fugiendi gravioris mali ad tales conventus in posterum convenire audeas, quo sane venire non possis sine magno Ecclesiae detrimento, gravissimo fidelium scandalo, turpissimoque episcopalis ordinis dedecore et probro. Tibique ven. frater apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die XXIX. Dec. MDCCLXVII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCLI.

Poloniae regi iterum de dissidentium loquitur conatibus, et de damnis toto Poloniae regno quoad Religionem futuris. Dat. die 6. Jan. 1768. Ann. X.

De hac ipsa materia agit epistola relata supra num. DCXXXII. et quamplures aliae prout ex adnotatione ibidem apposita.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto Poloniae regi illustri.

Clemens PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Causas designat cur ad novas has epistolas mittendas adigitur.

§. 1. Mirum regiae majestati tuae esse non debet, quod in tantis quibus apud vos Religio et res catholica versatur malis, frequentius ad te scribamus. Urget Nos apostolatus divinitus Nobis injunctum officium; urget erga inclitam gentem praecipuus amor, urget nostra de regio nomine tuo sollicitudo et cura, te ut moneamus in istius Ecclesiae calamitate quam graviter innumerae propemodum animae de aeterna salute periclitentur, quanti etiam gloriae tuae intersit, ut luculentissima nunc maxime prodas argumenta, a sacrilegis pactionibus gravissimo cum Fidei catholicae detrimento jamjam fortasse conficiendis, te longissime abhorrere.

Pactiones initae cum dissidentibus injuriosae Deo, et Ecclesiae omnino adversae.

§. 2. Quid enim ab ejusmodi pactionibus abest, quin Deo sint injuriosae, ejusque S. Ecclesiae prorsus adversae, regno tuo periculosae, tuoque imperio subjectis, quorum longe maxima pars catholicae Fidei tenacissima est, summopere invisae, regio denique tuo nomine indignae? Ita ne vero juxta arcam Domini deinceps isthic Dagon adsideat? Ecquisquam est catholicorum, qui non acerbissime doleat non procul esse, cum Ecclesiam sanctam apud vos occupabit abominatio desolationis? Nullo prorsus Religionis sensu tangi illum oportet, qui non ferat atrociter, id nunc agi, ut qua data porta, in Christi gregem irruant lupi? et quod non sine maximo

horrore commemorari potest, contendi, ut indignissimis pactionibus ipse subscribas.

...uncta su... ...eunda peri... ...ula potius ...tam rem ...eri Religio... adversam.

§. 3. An non subeunda potius omnia pericula, et perferendae omne genus aerumnae: an non millies mori praestat, quam reum fieri aeternae damnationis populatissimae gentis? cujus tu, carissime in Christo fili noster, regnum adeptus non modo vitam et fortunas quovis tuo periculo tueri debes, sed etiam hoc praecipuo officio obstringeris multo validius, ut quidvis laboris et molestiarum, quidvis etiam sustineas aerumnarum, ne populus tuus in catholica fide altus et educatus, tuaeque custodiae concreditus per hanc luctuosissimam vestrae reipublicae conversionem, infinite quantum pretiosorem mortali et caducà fluxisque mundi fortunis aeternam vitam et immortalia bona amittat.

...impedi... ...dum dissi... ...ntium tri... ...phum Rex ...cumbere ...m debet sui exti... ...tione.

§. 4 Et quamquam haec sunt, quo omnium maxime spectare debet regia majestas tua, ad ipsam tui existimationem etiam respicere debes, et qua ex altitudine animi, nihil tibi recusandum, quominus tui nominis gloria commaculetur. Non dubitamus quin verae laudis et gloriae cupidus posteritatis judicium perhorrescas, quae regnum tuum tanquam epocham constituet, cum, rege te, puncto temporis fuerint deletae saluberrimae leges, quibus constituendis longo seculorum spatio orthodoxa Polonorum Natio tantopere insudavit; factisque pactionibus, quas omnes praedecessores tui invicto animo semper repudiarunt, refracta fuisse omnia repagula, quibus dissidentes coercebantur, eorumque potestati universam proditam esse catholicam Ecclesiam, et Polonam rempublicam. Semperque, ex quo ista exorta est tam foeda tempestas, existimavimus ipsa tua religio et existimatio talibus et harum similibus cogitationibus regium animum tuum acerrime remorderet.

...ae futura ... damna ...venientia iniqua ...m dissi... ...tibus pa... ...one.

§. 5. Quamobrem, carissime in Christo fili noster, cujus in ore et oculis iniquissima isthaec agitantur consilia, considerato illuc rem esse deductam, ut nullus amplius verae Fidei cultoribus silentio aut dissimulationi relictus sit locus. Id enim agitur, ut regnum Christi minuatur et labefactetur adsidue; contra regnum Satanae corroboretur et amplificetur in dies. Omnes latissimi regni istius anguli patebunt errori; nullus intra perpaucos annos erit locus (quae est diabolica haeresis industria) quo pestilentissima errorum aura non pervaserit. Itaque, carissime in Christo fili noster, in eum te articulum conjecit iniquitas temporum, in quo data tibi optio est, utrum velis esse cum Christo an contra Christum: cujus tamen oraculum non ignoras, qui non mecum, contra me est. Injurius Religioni regioque animo tuo esset quisquis dubitaverit, utrum malit regia majestas tua.

§. 6. Quod si insuperabilis vis et necessitas, quos adhibueris conatus ad hanc Ecclesiae catholicae avertendam calamitatem, infregerit, palam sit universae catholicae Ecclesiae iniquas adversus eam pactiones invicto te animo esse aspernatum, easque disertissime repudiasse. Atque id erit tuae religionis, tuae fidei, tuae magnanimitatis nobilissimum monumentum, quo luculenter ostenderis, non sic tibi cordi esse terrenum regnum, ut cum eo celeste regnum commutes, nec regii fastigii te esse tantopere studiosum, ut illud tenere velis cum dedecore et probro. Si id igitur pervincere nequeas, ut falsis religionibus in tuum regnum aditus obstruatur, noli quaesumus, carissime in Christo fili noster, tantam honori, regioque nomini tuo maculam imprimi te vel consentiente catholicam Religionem in isto regno accepisse gravissimam plagam. Et regiae majestati tuae apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die sexta Januarii MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

Interest Regiae majestati, ut palam sit, invito illius animo pactiones religioni injuriosas initas fuisse.

DCLII.

De eodem argumento agit cum Archiepiscopis, et Episcopis regni Poloniae.

Dat. die 6. Jan. 1768. Anno X.

Vide epistolam praecedentem, et adnotationem in ea appositam.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et Episcopis regni Poloniae.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres salutem,
et apostolicam benedictionem.

Pontificiam suam sollicitudinem exponit, qua pluries de avertendis imminentibus malis epistolas dedit.

§. 1. Summa, quae Nobis insidet sollicitudo de universo christiano grege tuendo, et de fratrum nostrorum, qui varias illius partes administrant, curis adjuvandis, pro diversis Ecclesiae temporibus Nos excitat, ut eosdem sive instruamus, sive cohortemur, seu commoneamus. Perfuncti sane vobiscum saepe sumus, venerabiles fratres, hujusmodi apostolatus nostri officiis; potissimum ex quo illas animo praevidimus tempestates, quas constari jampridem sentiebamus ad labefactandam regni istius religionem; pro qua sarta tecta tuenda gentis vestrae tam egregia hactenus merita extiterunt. Veruntamen ea, quam verebamur, calamitas jam advenit, graviusque etiam opinionem ac tenore nostro incubuit; propterea et acriore Nationis istius studio nunc commovemur; et, quo pro vestra praesertim salute, qui duces caeterorum estis, inflammamur, ardor pleniorem nunc ac vehementiorem vocem desiderat, ut in animis vestris caelestis illi gratiae motus excitentur, quam in episcopatus inauguratione divinitus immissam suscepistis, cum hoc certe tempus illud sit, quo supremus paterfamilias debitos ac necessarios suorum munerum fructus a vobis expetat atque adeo efflagitet.

Suum dolorem significat pro iniquis pactionibus cum dissidentibus initis.

§. 2. Incredibili cum dolore accepimus, iniri in isto regno nefarias pactiones quarum pravitate cum errore veritas, lucis splendor cum squallore ac tenebris componatur; ut haec rerum inter se disjunctissimarum coagmentatio fidelem populum facile ad perniciem impellat, et abominationem desolationis in locum sanctum inducat. Verum ad hunc animi nostri angorem maxima accessio fieret si in hac rerum perturbatione Episcoporum voces obmutescere, si eorum esse neminem videremus, qui praesto esset ad populorum mentes a contagione revocandas, atque in doctrinae veritate confirmandas; ac maxime si quis aut metu, aut prava hominibus magis quam Deo placendi voluntate adductus dignitatem atque auctoritatem, quae vobis omnibus ad defendendam atque ornandam Ecclesiam est tradita, ad eandem opprimendam converteret. Sed nullo modo persuaderi Nobis patiemur, accidere unquam posse, ut in labiis divini verbi praedicatione semel consecratis defutura sit vis atque virtus ad repellendum mendacium, dum in ipso Dei templo sedem sibi audet ac triumphum exposcere; ut manus Christi corporis contrectatione nobilitatae ad erroris audaciam ac licentiam propugnandam scribendo adhibeantur; ut aures denique suavissimis Ecclesiae vocibus tantummodo assuetae, Satanae fraudes atque insidias auscultaturae sint. Nihilominus humani generis adversarii molitiones eo usque progressas videmus, ut nihil fere non sit timendum. Atque utinam nonnulli errore ac dolis non adeo sese abripi patiantur, ut, quoniam impares sese agnoscunt ad retinendos, quibus opprimuntur impetus; idcirco pastoralis officii legibus solutos etiam sese censeant: ut abjecta persona ab ipsa Ecclesia sibi imposita, aliaque magistratus ac reipublicae retenta, ultro illatis sibi detrimentis idem ipsi consentiant, quasi separari ac sejungi geminae illae munerum partes possint, neque omnino illam huic praeponendam reputare constanter debeant.

Commonet Episcopos eorum muneris esse caecos ad viam veritatis dirigere.

§. 3. Quapropter omnipotentis Dei nomine, cujus vicariam auctoritatem licet indigni sustinemus, hoc vobis declaramus, eum qui in hanc fraudem atque errorem traduci se sinat, caecum omnino esse, ac caecis ducatum praebere, et ob nullam ex his quas praetexit, causis excusatum esse posse, et propter ipsam episcopalis muneris ignorationem, a Deo condemnatum iri, ut Oseae IV. 6. X; « *quia scientiam repulisti a me repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: oblita es legis Dei tui; obliviscar filiorum tuorum et ego.* Quamobrem, ven. fratres, nulla ignorantiae, nulla erroris, nulla metus, nulla humanarum rerum ratio vos ab episcopali naviter prosequendo officio removeat. Tametsi hujus saeculi potestatem vires atque copiae ad Ecclesiae perniciem ingruant, sacrorum tamen pastorum facta omnia atque consilia ad normam ab evangelicis praeceptis, a traditione atque

ab ecclesiastica disciplina praescriptam, unice erit dirigenda.

Episcopalis ministerii est omni studio contra dissidentium conatus resistere.

§. 4. Norint siquidem has primas ministerii sui partes esse, ut se ipsi tanquam murum pro domo Israel contra omnes adversariorum impetus firmissime objiciant. Sui se gregis Ecclesiae ac Dei desertores futuros arbitrentur, si inimicorum fraudibus obsecundarint aut quoquo modo illorum machinationibus connivendo patiendoque consenserint. Maximae quidem istent calamitates, exilia, bonorum, fortunarum, vitae ipsius jactura consequantur. Æquo animo perferant, dum ne ipsae sacerdotales manus alieni sceleris consensione inquinentur, aut de religionis integritate semetipsis auctoribus quidpiam imminuatur, ac Sanctuarium ipsum contaminetur. Ac sane beatissimus is erit reputandus, qui hac judicis constantia brevem ac fluxam hujus vitae conditionem cum infinita atque aeterna mercede commutare possit, dignusque babeatur, qui immarcescibilem illam coronam accipiat, quam ab optimo pastorum principe paratam illis credimus; qui animas suas pro ovibus suae fidei commissis posuerunt. Haec habuimus ven. fratres de quibus in re gravissima atque ad vestram gregisque vestri salutem pernecessaria vos commoneremus Dominus Noster Jesus Christus suae gratiae praesidio hos in vobis sensus confirmet atque roboret, qui vocationi vestrae consentanei sint; paremque vobis ad eam adimplendam alacritatem atque animi magnitudinem afferant. Dum hanc divinorum vobis munerum ubertatem imploramus, eorumdem auspicem apostolicam vobis benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die sexta Januarii MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

DCLIII.

Dat. die 6. Jan. 1768. anno X.

Idem argumentum agit cum Gnesnensi Archiepiscopo.

Vide epistolam supra relatam, et adnotationem in ea appositam.

Venerabili Fratri Gabrieli Archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem
et apostolicam benedictionem.

Maximam in spem se se erexit Pontifex dum ad Poloniae Ecclesiae Primatum hunc Archiepiscopum designavit.

§. 1. Cum te, ven. fr. ad regendam Gnesnensem Ecclesiam et ad amplissimum istius regni primatum designaremus, plurimam animo conceperamus spem, fore ut ad tuendam sustinendamque istis difficillimis temporibus catholicam Religionem te nemo opportunior, nemo instructior esse posset. Cum enim ad ea plurima atque illustria naturae dona, quibus exornatus es maxime, accessisset amplissimi gradus, ac muneris splendor et auctoritas, nihil tibi defuturum putabamus, quo praesidio esset et Collegis tuis diu cum adversa tempestate luctantibus, et Nobis ipsis ad Petri naviculae gubernaculum sedentibus, quam in eo discrimine esse videmus, ut nisi mutuo praesentique inter nos auxilio subveniamus, illisque fulciamur potentia, qui mari ac ventis imperat, eadem e tantis evadere fluctibus, ac naufragio subtrahi plane non possit.

Hanc Pontificis spem confirmavit Archiepiscopi juramentum in suae inaugurationis actu emissum.

§. 2. Hae nostrae de te ven. fr. spes erant, hoc cupiebamus, hoc intendebamus animo cum te ad dignitatem istam eveheremus; hoc propositum de te nostrum non tibi solum, istique Polonae Nationi, sed toti etiam christiano orbi patefactum perspectumque esse volebamus. Tu vero, quae tum Nobis pollicitus sis quantoque fidei vinculo obstrictus Deo ac Ecclesiae fueris solemni illo jurejurando, quod in tua inauguratione conceperas ac nuncupares, recenti adhuc memoria oblivisci minime potes: atque hoc scilicet illud erit chirographum aeterno a te judici in hujus caducae ac mortalis vitae tuae fine repraesentandum. Adest jam tempus ven. fr. ac ipsa rerum urget necessitas, ut ea omnia, quibus fidem obstrinxisti tuam, sedulo accurateque praestes, ut pro tua aliorumque salute in certamen prodeas ac decertes.

Fidei datae praestandae occasio se

§. 3. Quas enim in orbis oras tristis illa non pervasit fama, quae animo nostro luctuo-

praebet adversus iniquas pactiones cum dissidentibus initas.

sissimum angoris vulnus inflixit, fieri jam ab heterodoxa potestate in istam orthodoxam Nationem impetum, quo eidem tandem jugum imponat, quod nec ipsa, nec patres sui ferre unquam potuerunt, ac inferat irritum, ac falsum pacis nomen inter veritatem erroremque ac in istud Regnum intrudat, unoque lucem ac tenebras foedere societ, et iniquissimis conjungat pactionibus, quae evangelicae sanctitati omnino adversentur, adducturaeque sint fidelem populum in summam rerum perturbationem, locumque sanctum in abominationem desolationis. Minus profecto mirum videri posset, si, qua audacia sunt, isti Ecclesiae hostes arctare hujusmodi pactionibus ac irretire contenderent Polonam Nationem vel invitam, et si nonnulli ex ejusmodem Ecclesiae filiis fortunarum suarum spe ambitione aliove errore decepti darent nomen, foedusque promoverent; scriptum est enim, oportet *haereses esse*, *necesse est ut eveniant scandala*; neque ignoramus permixtam semper esse electo frumento zizaniam.

In Episcopatus dedecus convertitur, quod ii sileant tamquam canes muti, quorum esset alto suas voces extollere

§. 4. At ut istud iniquitatis mysterium magis in dies vires atque incrementa sumat, neque interea vigiles, speculatoresque qui Dei custodiunt civitatem, ejusque tutelae excubare debent, vocem extollant suam neque insurgant pastores in lupos, gregibus sibi commissis insidiantes, sed sint tamquam canes muti, qui latrare nesciant; id vero Nos prae horrore stupentes attonitosque reddit, ac incredibiliter dolorem nostrum cumulat et exagerat. Quod si hi ipsi dexterae suae ministerium adhibeant ad subscribendum, et ea temporali dignitate, quam iis ad aedificationem non ad destructionem Ecclesiae suae Christus inesse voluit, ita abutantur, ut vim, auctoritatem firmitatemque nefariis legibus adjiciant, quid jam tum Nobis reliquum esse poterit, quam ut amarissime tale tantumque eorum commissum deflentes reputemus, eos tamquam sal infatuatum quod projici foras debeat ac conculcari ab hominibus; et interea tamen mundos Nos esse ab ipsorum sanguine declarantes, non desinamus unquam, dum vita in Nobis superstit, monere cum lacrimis unumquemque eorum, et ad poenitentiam provocare, ac ipsorum Salvatoris nostri verborum terrore concutere atque excitare, qui ait « *qui me erubuerit, ac meos sermones, hunc* » *Filius hominis erubescet, cum venerit in ma-* » *jestate sua et Patris et sanctissimorum An-* » *gelorum* » Quare ven. fr. formidare debes ac toto animo contremiscere, dum in tantae jacturae discrimine constitutam Nationem istam intueris, ne quid adversi scilicet accidat vel culpa vel patientia tua, oriaturque aliqua ex te offensio, quae in universam Ecclesiam propagatura sit perenne ac perniciosissimum scandalum. Magnae gravesque sint quantumlibet ex alia parte intentatae formidines, ac minae, extremae, quibus versaris, angustiae, infinitaeque consequentur perturbationes. Num idcirco victae dandae sunt a te manus? minus ne obviam omni vi ac contentione eundum erit, ac invicto apostolici animi robore decertandum, quemadmodum animae tuae tuorumque incolumitas ac episcopale munus vehementer a te requirit ac postulat?

Dum inutiles sunt Episcoporum conatus ad mala vitanda, tunc cavendum saltem est ne videatur eos malis ipsis assensum praebuisse.

§. 5. Quod si neque mederi tantis ingruentibus malis, neque quidquam proficere ulla vi ac conatu posse certissime videris; at cavendum tum maxime tibi erit, ne quid opera tua efficias, quo adversariis partibus adherere ac favere ullo modo videaris. Per summam igitur constantiam et eorum factionibus praesentia et auctoritas tua deneganda est, et manus ab illis subscriptionibus amovendae, quibus ullum possit pondus funestis ac fatalibus decretis accedere. Est, ut ipse probe nosti, eritque Jacobi Ucangii praedecessoris tui in benedictione justorum memoria, propterea quod simili in causa conservandae tuendaeque Religionis mirum in modum contendit ac laboravit. Noli te degenerem ab eo ostendere cujus ut dignitatis potiris gradu, ita aemularique debes hujusmodi exempla virtutum illustria.

Episcoporum gloria est pro Christo Jesu pati, vitamque suam in discrimen adduci.

§. 6. Vera ac solida sacrorum pastorum gloria in eo potissimum est posita, ut pro Jesu Christo digni efficiantur in hoc saeculo pati. Nihili homines dignitatesque mundi hujus sunt estimandi, contemnendae opes ac fortunae omnes (quae apostolus Paulus omnia reputabat ut stercora, ut lucri faceret Christum) sanguis etiam, si necesse sit, cum vitam profundendus, ut impolluti ab indignissimo sce-

lere sacri pastores perseverent, neque haeresi, aut schismati per eos gloriandi causa detur hujusmodi, statuisse se pestilentiae cathedram super ruina veritatis annuente, ac etiam consentiente illo, qui constitutus est magister in Israel. *Esto* igitur *vigilans*, tibi Nos dicimus, in angelo qui erat Sardis, annunciatum fuit in Apocalypsi, *et confirma cetera quae moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis et audieris, et serva et poenitentiam age.* Sed jam cum te, ven. fr. vehementer confidamus huic Nostrae sponte consensurum adhaesurumque sententiae, actionesque tuas ad hanc praeclaram evangelici spiritus regulam directurum, ac ad eandem tuos collegas omnes exemplo verboque inducturum, Deum O. M. oramus et obsecramus, ut animi tui vires fulciat ac roboret, et salutari caelestis gratiae munere semper confirmet. Demum apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Jan. MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

DCLIV.

Dat. die 30. Jan. 1768. Anno X.

Abrogantur, cassantur, ac nulla, et irrita declarantur nonnulla edicta in Ducatu Parmensi, et Placentino edita, libertati, immunitati, et jurisdictioni ecclesiasticae praejudicialia.

Alias sancta Sedes abrogavit edicta a laica potestate evulgata, queis Ecclesiae immunitatibus injuria inferebatur. Sic contra sanctiones a Genuensi republica promulgatas habemus Constitutionem hujus Pontificis diei 25. Maji 1760. relatam in hac continuatione pag. sub n. CXLIV. quae consulenda ad opportunitatem est cum ibi apposita annotatione.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur tenor primi edicti diei 25 Octobris 1764.

§. 1. Alias ad apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestia, pervenit in ducatu Nostro Parmensi, et Placentino a saeculari illegitima potestate edicta quaedam contra Ecclesiae jura, et libertatem prodiisse, in quorum altero edito Parmae die 25 Octobris anni 1764 sub gravibus poenis prohibebatur, ne quis cujuscumque status, gradus, et conditionis aliquem fundum, census, loca montium, bona tum immobilia, cum mobilia, pecuniam, jura, et actiones in ecclesias, coetus ecclesiasticos, aliaque loca pia, quae nomine *di mani morte* nuncupantur, exceptis dumtaxat Xenodochiis, et Brephotrophiis, atque etiam in singulares personas ecclesiasticas quocumque titulo, sive testamenti, sivi successionis ab intestato, donationis inter vivos, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum transferre, distrahere, atque alienare posset, praeter vigesimam partem proprii cujuscumque patrimonii, dummodo non excederet summam tercentorum scutorum Parmensium, eamque solum in numerata pecunia; vetita semper quacumque in dictas ecclesias, aliaque loca pia translatione, et respective acquisitione cujuscumque fundi, vel quorumlibet bonorum stabilium, etiam ex causa adjudicationis per judicis decretum, aut ad longum tempus locationis, aut devolutionis, aut emptionis, aut cujuslibet alterius tituli. Praeterea in eodem edicto praecipiebatur, quod omnes, qui in aliquo regulari ordine, conventu, monasterio, aut congregatione religiosam professionem emittere voluissent, omnium bonorum suorum, ac jurium abdicativam, atque extinctivam renunciationem facere tenerentur, vel si, non facta ejusmodi renunciatione, praefatam professionem emisissent, perinde censerentur, ac si in humanis nunquam extitissent, quemadmodum haec omnia sub quibusdam conditionibus, et poenis constituta in eodem edicto, aliisque successivis declarationibus et ordinationibus fusius continentur.

§. 2. In altero autem edicto die 13. Januarii anni 1765. Parmae similiter promulgato jubebatur, ut omnia bona, quae in postremis generalibus catastris Parmae, et Placentiae, vel Guastallae exaratis, sub laicorum nomine descripta reperiebantur, atque propterea omnibus tam ordinariis, quam ex- Refertur tenor secundi edicti diei 13 Januarii 1765.

traordinariis collectis, et oneribus de eo tempore subjiciebantur, iisdem pariter deinceps forent obnoxia, quamvis in ecclesiasticas personas, vel ecclesiasticorum societates et coetus ab hujusmodi oneribus immunes vel jam pervenissent, vel imposterum pervenire contingeret, perinde ac si penes laicum possessorem inscripta adhuc essent, cum aliis conditionibus, et restrictionibus, quae in eodem edicto plenius habentur.

Idemque tenor notificationis die 8 Februarii 1765.

§. 3. Ut autem hujusmodi edicta, et omnia, quae in eis erant disposita, promptius et celerius executioni demandarentur, per quamdam notificationem editam die 8. Februarii anni ejusdem 1765 statutum est, ut assertus quidam magistratus super conservatione regiae, ut vocant, jurisdictionis per quoddam aliud decretum nulliter, et illegitime constitutus diligenter cognosceret, ac definiret omnes, et quascumque controversias super praefatis duobus edictis ortas, vel orituras, cum amplissima facultate ea etiam edicta interpretandi, et quae ad illorum executionem spectassent, exequendi summarie, et absque ulla forma, et figura judicii.

Necnon alterius edicti diei 20 Februarii 1765.

§. 4. Tandem alio quodam evulgato decreto sub die 20 Februarii ejusdem anni juxta praescriptum praefati secundi edicti die 13. Januarii sancitum est, ut sublatis quibuscumque privilegiis et immunitatibus, omnia bona in Parmensi ducatu existentia, quae in catastro incaepto anno 1561., et absoluto anno 1568. descripta fuissent, collectis pendendis essent obstricta, quamvis ab ecclesiis, locis piis, aut personis ecclesiasticis in praesens possiderentur, ipsis quoque injuncto onere nuntiandi laicis ministris quid, quantum, et a quo tempore quis possideret sub nonnullis poenis, et conditionibus ibidem expressis.

Per biennium Pontifex officia cuncta adhibuit ad praejudicium quodcumque avertendum.

§. 5. Habita igitur per nos horum edictorum notitia, et quod praeterea varii, gravesque alii abusus in praejudicium ecclesiasticae immunitatis, et jurisdictionis per dictam saeculi potestatem inducebantur, priusquam ad ea remedia intenderemus, animum, quae pastoralis officii nostri ratio postulabat, et quae curandis vulneribus, injuriisque repellendis, quibus Ecclesiae auctoritas, et libertas impetebatur, aptiora et efficaciora videbantur, ad ea potius, quae pacis sunt, cogitationes, et consilia nostra convertimus, atque propterea integro fere biennio non praetermisimus, omnibus, quibus potuimus, officiis, et oblatis etiam ad sublevandas populorum necessitates aequitatis, ac longanimitatis nostrae argumentis, suadere et deprecari, ut, quae publicata fuerant, edicta revocarentur, Ecclesiae dignitas, et laesa jura restituerentur; omnia demum, quae injuste, et illegitime acta fuissent, tollerentur, et corrigerentur.

At universa Pontificis officia in irritum cesseruut.

§. 6. Dum vero monitionibus, et cohortationibus nostris plene quidem Nos profecisse in domino gratulabamur, res quippe eo devenerat, ut exhibita Nobis fuerint novorum edictorum exempla, quibus vetera illa supra memorata, tum etiam ea, quae contra jura, et rationes ecclesiastici ordinis indebite, atque attentate per saecularem potestatem gesta fuerant, revocabantur, atque retractabantur; dumque Nos ipsi parati eramus communitates, atque homines ducatuum Parmae, et Placentiae, et Guastallae peculiaribus favoribus, et gratiis prosequi; repente praeter omnem expectationem irrita facta sunt vota, et consilia nostra, et quae Ecclesiae libertati, ac juribus inflicta pridem fuere vulnera, non modo iis, quae promissa fuerant, sanata non sunt medicamentis, sed superimposita sunt nova, atque graviora.

Imo novi edicti publicatione novum vulnus rei Ecclesiasticae accessit.

§. 7. Nam, sicut accepimus, eadem saecularis potestas novo primum edito edicto sub die 12. Januarii praeteriti anni, priora illa, pro quibus suspendendis fides data fuerat, renovavit, confirmavit, atque exequi jussit, nisi quod facultatem, quam in edicto diei 25. Octobris 1764. nulliter, atque indebite in totum ademerat, in hoc altero recentiori edicto restituit quidem ecclesiasticis personis acquirendi bona stabilia, et mobilia, quae ipsis obventura forent vel haereditario jure suorum ascendentium, et collateralium, vel alio emptionis, aut permutationis titulo; sed adjectis contra Ecclesiae leges, et instituta durissimis conditionibus; quod scilicet earumdem ecclesiasticarum personarum successio in haereditate ascendentium et collateralium non ultra quartum gradum proten-

deretur; quod insuper sese obligarent, earumque obligatio in actis alligaretur, pro hujusmodi bonis recenter acquisitis omnia onera vel imposita, vel deinceps imponenda subeundi, laicum forum non declinandi, eademque bona Ecclesiis, seu ut vocant, manibus mortuis nullo modo transmittendi. Mox vero alia sub die 26. Martii ejusdem praeteriti anni edita notificatione, eadem saecularis potestas quemdam assertum praefectum, nuncupatum superintendentem regium, designavit, qui facultate sibi nulliter attributa praeesset bonorum ad ecclesias, et coetus ecclesiasticos regulares, ac saeculares spectantium administrationi, erogationi reddituum, observantiae etiam institutorum, et praecipuarum legum cujuscumque ordinis regularis circa ea, quae ad externum eorumdem ordinum decus, Religionis cultum, et populorum exemplum conservandum, et amplificandum spectassent.

...exaspera...a vulnus ...t. per laici ...ibunalis ...putatio...no in rebus ...lesiasticis.

§. 8. Ad haec insuper alia quoque promulgata fuit, atque etiam typis edita instructio, in qua, quaenam essent eidem regio praefecto commissa munia circa personas, bona, redditus, impensas singulorum conventuum, monasteriorum, collegiorum, congregationum, confraternitatum recensentur, quidam alii secundarii ministri, appellati regii conservatores, et commissarii, deputantur, ut in exequendis mandatis a supradicto incompetenti magistratu regiae, ut appellant, jurisdictionis quandocumque dandis, suam operam praestent, plurima alia demum eidem praefecto, et supradictis ministris suis adjutoribus curanda, et reformanda demandantur, tam quoad numerum regularium utriusque sexus, tam quoad monialium dotes, sumptusque faciendos in ingressu in religionem, tam denique quoad ecclesiarum solemnitates, et festa, parochorum congruam, compluraque alia, quae nullo modo, uti exploratum est, a saeculari potestate propria authoritate, et arbitrio statui, et decerni possunt, sed ad ecclesiasticam potestatem omnino spectant, et pertinent.

...i laici ma...ratus plupatrarunt ...tra eccle-siasticam potestatem.

§. 9. Hinc autem factum est, ut non modo praedictus magistratus assertae regiae jurisdictionis, sed praefati quoque praefectus, aliique laici ministri commissam sibi incompetentem, atque illegitimam potestatem in ecclesias, atque personas, et bona ecclesiasticorum exercentes, non dubitaverint; sententiam proferre super celebratione missarum, super sacramentorum administratione in ecclesiis parochialibus; super adimplemento piorum legatorum; Episcoporum praeterea potestatem imminuerint, contempserint, atque impedierint, illis, qui temerariis eorum ausibus quoquo modo restiterunt, et juxta canonicarum sanctionum normam obedire recusarunt, saepius intentatis minis carceris, exilii, terrorem incusserint, quandoque vero inflicta etiam poena vim intulerint, complures denique actus gesserint, quibus non veriti sunt ecclesiasticae potestatis fines invadere, et sacerdotii praerogativas, ac jura violare.

Insuper aliud contumeliosum edictum evulgatum fuit die 14. Januarii anni 1768.

§. 10. Post haec, cum Nos charitati nostrae diuturniori longanimitate indulgentes, expectabamus ab alto opportunam opem, et jugibus lacrymis a Domino precabamur, ut qui illa admiserant, in eam, a qua tam longe aberraverant, justitiae viam, agnita tandem veritatis luce, redirent, non modo nullum cepimus charitatis et patientiae nostrae fructum, sed incredibili animi moerore, atque intimo cordis sensu nova atque acerbiora gravamina in priorum cumulum adjecta fuisse cognovimus. Nam sub die 16. labentis hujus mensis Januarii Parmae prodiit edictum, in primis quidem contumeliosum, atque calumniis refertum, dein vero perniciosum, atque tendens ad schisma, quod christifideles a supremo Ecclesiae capite, oves a pastore avertere, et quasi separare studet, ecclesiasticam jurisdictionem opprimit, et sanctissime stabilitam hierarchiam infringit, quod jura, et praerogativas hujus S. Sedis imminuit, et ab omnibus debitam ejus mandatis, decretis, ac legibus obedientiam saeculari potestati subjicit, quod demum Ecclesiam Dei, quae libera est, facit ancillam. In eo enim praecipitur, ne subditi Parmensis, et Placentini, necnon Guastallae ducatuum, quicumque illi sint, saeculares, aut ecclesiastici, universitates, conventus, religiosae domus tam virorum, quam mulierum, nemine

excepto, suas lites, etiam ecclesiasticas, in nullo extero tribunali, videlicet, neque in metropolitanis curiis, neque apud apostolicam Sedem, quemadmodum ibidem expresse cavetur, ullo modo agere vel tueri possint, nisi prius ab eadem saeculari illegitima potestate venia impetrata: praeterea omnibus prohibetur, ne apud exteros principes, ditiones, ac tribunalia, non excepta apostolica Sede, quasi exterum illud catholicis tribunal sit, recursus ullus instituatur, neque etiam pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis, pensionibus, commendis, in iisdem ducatibus sitis, nisi prius praefatae potestatis consensus praecesserit: statuitur etiam beneficia ecclesiastica, etiam consistorialia, pensiones, abbatias, commendas, dignitates, et munera jurisdictionem adnexam habentia, quaecumque illa sint, et quacumque speciali appellatione commemoranda forent, non ab aliis, praeterquam a subditis consequi posse; ita tamen, ut pro illis etiam idem consensus, et venia praefatae potestatis prius intercedat. Tandem ne quaelibet scriptura, mandatum, epistola, sententia, decretum, bulla, breve, aut alia provisio, quae ab apostolica Sede emanaverit, exequi ullo pacto possit in iisdem ducatibus, nisi impetrato exequatur, ut vocant, a saeculari potestate.

Pontifex apostolica sua potestate cuncta relata edicta, talium que magistratuum acta irritat, nulliusque efficaciae declarat.

§. 11. Quum autem tum haec postrema praesertim, tum praemissa omnia, nimium sane per nos huc usque tolerata, libertatem, immunitatem, ac jurisdictionem ecclesiasticam, hujus sanctae apostolicae Sedis jura ac praerogativas, ipsas denique sanctissimas Ecclesiae leges, instituta, et potestatem manifeste laeserint, ac violaverint, ac laedant, et violent; tum etiam in ipsorum magistratuum, judicum, officialium, aliorumque tam mandantium, quam consulentium, exequentium, illisque favorem, et auxilium quoquo modo praestantium, aut approbantium, et, quum possint, non impedientium, nec corrigentium perniciem, ac propterea in scandalum plurimorum tendant, et christifidelium animae, de quibus districtam Deo reddituri sumus rationem, in gravissima pericula conjecerint, et deplorandis malis involvere pergant. Hinc est, quod Nos, qui ex commissi Nobis divinitus pastoralis muneris debito, ecclesiasticae libertatis vindices, nec non omnium Romanae, aliisque inferioribus ecclesiis, aut quibusvis personis, et bonis ecclesiasticis competentium jurium assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque christifidelium curam, et sollicitudinem suprema dispositione gerimus, ne in tanta Ecclesiae oppugnatione diutius silentes, otiosi, ac desides incumbenti Nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, ac nimia longanimitate, proditae ecclesiasticae libertatis, desertaeque turpiter Dei causae, nec non negligentiae in tuendis, ac defendendis hujus apostolicae Sedis juribus rei efficiamur, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis ac exemplis insistentes, nec non generalium conciliorum decretis, sacrorum canonum dispositionibus contra violatores ecclesiasticae libertatis, et eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, ac praesertim iis, quae in die coenae Domini legi, et promulgari solent, firmiter inhaerentes, atque omnium, et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias etiam aggravantes, nec non ministrorum, magistratuum, judicum, officialium, aliorumque praefatorum qualitates, dignitates, nomina, et cognomina, aliaque quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac exactissime et accuratissime specificatis habentes; motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione habita cum nonnullis ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, de eorum consilio, et assensu, et de apostolicae potestatis plenitudine, praefata omnia, et singula edicta, decreta, ordinationes, mandata, ac alia quaelibet a ministris, magistratibus, judicibus, et officialibus supradictis, aliisque quibusvis personis specifica, et individua mentione dignis, in praemissis, seu eorum occasione in praejudicium libertatis immunitatis ecclesiasticae, atque auctoritatis apostolicae, nec non hujus S. R. E., Archiepiscoporum, et Episcoporum ju-

rium respective, quovis modo emanata, edita, acta, gesta, et perpetrata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan, quod Deus avertat, quandocumque secuturis penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris ac momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec ea a quopiam observari posse vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum aut possidendi, seu quasi possidendi, vel praescribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si numquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, et abundantiorem cauthelam, et quatenus, opus sit, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus et omnino vacuamus, et pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

Prohibet ...copis ...ensi, ...entino, ...urgi S. ...nini ne ...fata edi... exequu... com... sinant.

§. 12. Quocirca ven. fratribus Episcopis Parmensi, et Placentino, et Burgi S. Donnini, nec non caeteris ordinariis praecipimus, et mandamus; ne edicta, decreta, ordinationes, et notificationes hujusmodi executioni mandari permittant; omnibus vero, et singulis eorumdem ducatorum personis tam laicis, quam ecclesiasticis, sive saecularibus, sive regularibus respective prohibemus, atque interdicimus, ne praefata edicta, decreta, ordinationes quovis modo exequantur, vel iis obtemperent, aut obtemperari faciant, multoque minus praefati magistratus, aut ejusdem ministrorum, seu alterius laicalis tribunalis foro sese subjicere audeant, vel praesumant.

Monet singulos, qui relatis actis causam dedere in censuras incurrisse ab uno tantum romano Pontifice absolvendos.

§. 13. Coeterum cum notorii, et explorati juris sit, eos omnes, qui edicta, decreta, ordinationes, mandata praedicta ediderunt, promulgarunt, aut quoquo modo pro iis insteterunt, vel illis usi fuerunt, eaque executioni demandarunt, ac alia praemissa, vel eorum aliqua perpetrarunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictorum executionem procurantes, vel per se ipsos exequentes, atque illegitimam potestatem supradictorum magistratuum, judicum, officialium, conservatorum, et superintendentis assertae jurisdictionis in personas, res, bona, et jura ecclesiarum, vel Episcoporum, Praelatorum, ac regularium facto agnoscentes, censuras ecclesiasticas a sacris canonibus, generalium conciliorum decretis, et apostolicis constitutionibus, ac praesertim literis die coenae Domini singulis annis legi, et promulgari solitis inflictas, nec non omnium, et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet forsan concessorum amissionis poenas, eo ipso incurrisse, nec a censuris hujusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, ac insuper inhabiles et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur, donec supradicta decreta, ordinationes, mandata, edicta, omniaque in executionem gesta, atque sequuta, ex quomodolibet attentata publicer etractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, eaque novis edictis, ordinationibus, mandatis, atque decretis e medio sustulerint, ac omnia in pristinum statum plenarie, et cum effectu reintegraverint, vel alias debitam, et condignam Ecclesiae, ac Nobis, et huic S. Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint; idcirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione, et abolitione decretorum, edictorum, aliorumque praemissorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiae, ac Nobis, et dictae Sedis sa-

tisfactione realiter, et cum effectu in eisdem praemissis exhibenda, praesentium literarum, seu alio quocumque praetextu minime liberos, et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore, et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore praesentium decernimus, et pariter declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Decernentes etiam, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod praefati, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeminentiae, et dignitatis existant, seu alias specifica, et individua mentione, et expressione digni illis non consenserint, sed ad ea vocati, citati, et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet causa, colore, praetextu, et capite, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, ac alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis praedictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, et alias quomodolibet et in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, coeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium litterarum efficacia ex una tantum earumdem publicatione.

§. 16. Cum autem eaedem praesentes litterae in ditione Parmensi, et Placentina, et Guastallae nequeant tute publicari, uti notorie constat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis, et basilicae Principis Apostolorum, nec non cancellariae

apostolicae, curiaeque generalis in monte citatorio, et in acie campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas, omnes, et singulos, quos illae concernent, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent.

Transumptorum fides. §. 17. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, et gentium tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXX. Januarii MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCLV.

Dat. die 4. Feb. 1768. Anno X.

Probibetur sub poena excommunicationis ne figurae profanae ponantur in altaribus ecclesiarum dioecesis Pacensis in Indiis.

Venerabili fratri episcopo Pacensi in Indiis.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Exponitur usus profanarum imaginum in ecclesiis Pacensis dioecesis, illaeque prohibentur in posterum sub censurarum poena.

§. 1. Cum, sicut accepimus, in altaribus ecclesiarum, oratoriorum, et cappellarum conventuum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum istius civitatis, et dioecesis Pacen. abusus irrepserit ponendi, sive ornatus titulo, sive aliaquacumque de causa formas, seu figuras vere deridendas faunorum, avium sylvestrium, simiarum, aliasque immagines illis similes, quae loci bujusmodi sanctitati minime conveniunt, et in istis partibus, ut asseritur, nomine *Mamarrachos* vulgo appellari solent. Nos huic malo opportune remedium adhibere volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, memoratas profanas imagines, formas, seu figuras non solum a dictis, sed etiam a quibuscumque aliis altaribus omnium ecclesiarum, oratoriorum, et cappellarum totius dioecesis tuae praedictae omnino removeri, et ne in posterum ullo unquam tempore praefatae immagines, formae, seu figurae in altaribus bujusmodi ponantur, et collocentur, prohiberi sub censurarum poena ipso facto in utroque casu per inobedientes, seu contravenientes incurrenda, auctoritate nostra apostolica tenore praesentium mandes, statuas, atque decernas.

Derogatio contrariorum. §. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictarum ecclesiarum statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die nona Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLVI.

Dat. die 5. Feb. 1768. Anno X.

Canonici, et mansionarii infirmi metropolitanae ecclesiae Beneventanae admittuntur ad consequutionem distributionum relictarum pro officio Mariano, eisque tribuitur facultas substituendi alios in casum legitimi impedimenti.

Venerabili fratri archiepiscopo Beneventano.

Clemens Papa XIII.
Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Benedictus XIII dum Archiepiscopatum Beneventanum regebat pium opus instituit recitationis officii Mariani, et dotem a canonicis, et mansionariis statuatim consequendam tradidit.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici istius metropolitanae ecclesiae Beneventanae, quod ex institutione praescripta a fel. rec. Benedicto papa XIII. eo tempore, quo, dum ipse in minoribus erat eidem ecclesiae praesidebat, dictum capitulum inter horas canonicas officium quoque parvum beatae Mariae Virginis in choro recitare tenetur: pro dote vero ejusdem pii operis memoratus Benedictus praedecessor summam ducatorum vigintiquinque mille, ac novem centum, et decem in pluribus vicibus assignavit, ad hoc ut erogata hujusmodi quantitate in tot fructiferos census ad rationem tunc solitam scutorum quinque pro quolibet centenario, et anno, quisque ex canonicis, et dignitatibus annua ducata triginta sex, et quisque ex mansionariis annua ducata decem, et octo quotidianae distributionis titulo obtineret.

Quam dotationem idem Benedictus XIII. adauxit et omni studio curavit ne imminutionem in posterum perpeti posset.

§. 2. Ad pontificatus apicem deinde evecto eodem Benedicto praedecessore, pro augmento quotidianarum distributionum hujusmodi alia quoque ducata viginti mille ipse pariter assignavit, unde quilibet ex canonicis, et dignitatibus ducata sexaginta, et unum, ac quilibet ex mansionariis ducata triginta sex assequi valeret. Quoniam vero firmitatem, ac stabilitatem distributionum praedictarum idem Benedictus praedecessor exoptabat, hinc animo secum reputans, vel quod capitalia censuum praedictorum in aliqua parte amitti, vel eorum fructus minui poterant, alia ducata bis mille assignavit, ad effectum illa convertendi in capitalia fructifera: cum lege, quod eorum fructus semper sub vinculo multiplici esse deberent pro rata nempe ducatorum mille quingentorum in securitatem, seu defensionem utriusque quotae titulo quotidianarum distributionum, ut praefertur, assignatae, pro alia vero rata ducatorum quingentorum ad hoc ut canonici metropolitanae ecclesiae praedictae paramenta, pro ipsis habentibus usum mitrae, necessaria possent comparare.

Jussit autem pius fundator ut distributione dotis perfrui capitulares nequirent nisi praesentes servitio essent, illisque substitutionis facultatem ademit.

§. 3. Praedictis tamen distributionibus quotidianis idem Benedictus praedecessor voluit, ut illi tantum frui, et gaudere deberent, qui revera personaliter choro interfuissent, semper, ac generaliter per modum regulae absentibus etiam ratione malae valetudinis, aut alias legitime impeditis a consecutione hujusmodi distributionum exclusis, ac praeterea ipse prohibuit, ne quis alium in sui locum substituere posset, demumque mandavit, ut omnes indistincte subjecti essent punctaturis applicandis, non quidem beneficio aliorum, qui interfuissent, sed sacrario ecclesiae praedictae, ac dumtaxat permisit; ut mense quolibet quisque canonicus vacatione octo dierum; quisque vero ex mansionariis vacatione tantum dierum quatuor potiri valeret; quam sane memorati Benedicti praedecessoris dispositionem, et voluntatem, ea, qua par erat diligentia, et fide dicti exponentes executioni demandare usque adhuc non omiserunt.

At tractu temporis quum constitutae dotationis fructus imminutionem sint perpessi, supplices hinc preces porrexerunt pro consequenda distributione etiam in casu absentiae legitimae, nec non pro facultate sese substituendi.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praeter amissionem nonnullorum capitalium hujusmodi, annui quoque eorum fructus admodum deinde sint diminuti, tam propter quantitatem hujusmodi fructuum, quae a summa ducatorum quinque pro quolibet centenario ad summam ducatorum tantum quatuor successu temporis postea pervenit, quam propter impositiones, ac onera annua, quibus capitalia hujusmodi subjecta reperiuntur, ita ut omnia praedictorum fructuum diminutio quantitatem ducatorum quadrigentorum sexaginta quinque attingat. Hinc praefati exponentes dispositionem, ac legem a dicto Benedicto praedecessore, ut praefertur, praescriptas in ea tantum parte, qua statuitur, ut absentes etiam causa infirmitatis punctaturis subjiciantur: ac simul praescribitur, ne unus alium in sui locum substituere possit, per Nos moderari, ac absentes ex causa dumtaxat infirmitatis hujusmodi distributionum participes, et tam canonicos, quam mansionarios alios sui respective gradus, qui eo tempore in diebus vacationum, ut praefertur, assignatis recitationi officii parvi praedicti interesse minime debent, substituere posse per Nos declarari summopere deside-

rant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex ...via derogatione functionis legis a Benedicto XIII. constitutis, ...ecibus sibi ...rectis annuit.

§. 5. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuae, per praesentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, eisdem canonicis, et mansionariis nunc, et pro tempore existentibus dictae metropolitanae ecclesiae legitime impeditis secundum dispositionem textus *in capitulo consuetudinem de clericis non residentibus*, et sacri concilii Tridentini praedicti sess. 24. cap. 12. de reformatione potestatem percipiendi emolumentum officii Mariani, auctoritate apostolica, tenore praesentium pro tuo arbitrio, et conscientia concedas, et indulgeas, nec non eisdem petitam facultatem substituendi alterutrum ejusdem tamen ordinis, et dummodo substitutus non teneatur pro se ipso interesse praefato officio Mariano, auctoritate et tenore praedictis tuo pariter arbitrio, et conscientia tribuas, ac impartiaris.

...ausula su...ata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus memorati Benedicti praedecessoris dispositione, et voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, eique derogamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et dictae metropolitanae ecclesiae statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno decimo.

DCLVII.

Praevia abrogatione constitutionis Clementis XII diei XXVI Octob. MDCCXXX collegium Castri de Ozzier ordinis minorum S. Francisci de observantia, unitur provinciae Sardiniae ejusdem ordinis.

Dat. die 6. Feb. 1768. Anno X.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Collegium hoc in ipso institutionis exordio sub immediata subjectione ministri generalis ordinis reperiebatur.

§. 1. Alias fel. rec. Clementi Papae XII. praedecessori Nostro pro parte tunc existentis procuratoris conventus de Ozzier in provincia Sardiniae ordinis fratrum minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum exposito, quod dictus conventus ante quadraginta annos in collegium, sive seminarium missionum sub immediata subjectione, et dispositione pro temporis existentis ministri generalis ordinis praefati, cum regulis, constitutionibus, et ordinationibus ad praescriptum quarumdam literarum piae memoriae Innocentii Papae XI itidem praedecesso-

ris Nostri incipien. « *Catholicae Ecclesiae* » erectum fuerat.

At Benedictus XIII collegia cuncta missionum hujus ordinis, exceptis illis in Indiis, et binis in Lusitania subjecit ministris provinciarum in quibus reperiebatur erecta.

§. 2. Verum quia a congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum die VI Septembris MDCCXXVIII. prodierat decretum subinde a rec. me. Benedicto Papa XIII praedecessore etiam Nostro per suas in simili forma brevis expeditas literas confirmatum, per quod, exceptis collegiis, seu seminariis fratrum missionariorum hujusmodi erectis, seu erigendis in provinciis Indiarum pro conversione infidelium, ac demptis duobus in regno Lusitaniae existentibus, caetera, quae in provinciis Hispaniarum sub dominio Regis catholici erecta reperiebantur sub obedientia, et regimine ministrorum provincialium reducta fuerunt.

At collegium hoc quum situm minime esset in provinciis Hispaniarum, comprehendi minime debere in praecedenti benedictina constitutione, declaravit Clemens XII.

§. 3. Hac itaque de re, licet dictum collegium de Ozzier in istiusmodi decreto, ac literis comprehensum non videretur, quia in provinciis Hispaniarum sub dominio Regis catholici situm non reperiebatur, et rationum momenta, quae causam praebuerant enarratae reductioni locum sibi minime vindicabant in collegio praedicto, dum superiores ordinis in ejus gubernio nullam difficultatem experti fuerant, nilque detractum videbatur salutari instituto ab illius fratribus professo, ac obedientiae ab eis promissae, imo cum incremento regularis observantiae praedicti fratres uberrimos fructus in sacris missionibus obeundis referebant, nihilominus ad quamcumque dubitationem submovendam praedictus tunc existens procurator ejusdem collegii, illud in dictae congregationis decreto, ac praefatis literis memorati Benedicti praedecessoris, nequaquam comprehendi, sed sub dispositione priorum literarum Innocentii praedecessoris remanere debere ad instar aliorum collegiorum in provinciis Indiarum existentium declarari summopere desiderabat. Idem Clemens praedecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium dictis negotiis propagandae Fidei praepositorum, praefatum collegium, seu seminarium Castri de Ozzier sub jurisdictione, obedientia, regimine superioris generalis ordinis praedicti juxta formam literarum dicti Innocentii praedecessoris constituendum esse statuit, et declaravit, ac alias prout in memorati Clementis praedecessoris in simili forma brevis die XVI Octobris MDCCXXX. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expressum, et insertum haberi volumus, uberius continetur.

At postmodum supplicatum fuit pro praefati collegii unione provinciae Sardiniae.

§. 4. Nuper autem pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Emmanuelis Sardiniae regis illustris expositum fuit, quod absoluta a venerabili fratre nostro Julio Caesare Archiepiscopo Turritano, visitatione apostolica auctoritate sibi demandata dictae provinciae Sardiniae memorati ordinis minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum, antequam idem Julius Caesar Archiepiscopus ultimam manum imponat decretis, numerumque statuat fratrum, ac domum pro novitiatu, professorio, studiisque constituat, opportunum ipse censuit unionem dicti collegii, seu seminarii Castri de Ozzier cum praefata provincia Sardiniae proponere, quam sane unionem memoratus etiam Karolus Emmanuel rex plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut revocatis praedictis Clementis praedecessoris literis, in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex praevia abrogatione literarum Clementis XII, collegium hoc provinciae Sardiniae perpetuo unit, et incorporat.

§. 5. Nos igitur piis ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui tam relationem dilecti filii nostri Ferdinandi Mariae ipsius S. R. E. presbyteri Cardinalis De Rubeis nuncupati, quam dilectum etiam filium nostrum Josephum Mariam ejusdem S. R. E. presbyterum Cardinalem Castelli pariter nuncupatum congregationis negotiis propagandae fidei praepositae praefectum audiverunt, atque insuper relationem super praemissis a dicto Julio Caesare Archiepiscopo ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt consilio, praedictas Clementis praedecessoris literas auctoritate apostolica tenore praesentium re-

vocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuamus, et proinde dictum collegium, seu seminarium Castri de Ozzier memorati ordinis fratrum minorum de observantia praedictorum provinciae Sardiniae ejusdem ordinis auctoritate, et tenore praedictis perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus. Salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum.

ula su- et de- m irri- §. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, èt ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae sedis praedictae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

rogatio trario- ..o. §. 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis, et provinciae hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die sexta Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo.

DCLVIII.

Investitura sextae partis Castri Valdinoce directo dominio Ecclesiae Ravennatensi spectanti favore principis Andreae ab Auria Pamphyli confirmatur, et approbatur. Dat. die 29. Feb. 1768. Anno X.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Andreas princeps ab Auria Pamphyli, quod inter caetera bona, quae ipse possidet in provincia nostra Romandiolae, et quae in eum ex primogenitura, ac fideicommissis domus Pamphyliae coaluerunt, numeratur quoque medietas, seu sexta pars Castri vulgo Valdinoce nuncupati, cum omnibus suis membris, ac pertinentiis positi in dioecesi Brictinoriensi et ad directum dominium mensae archiepiscopalis Ravennatensis pertinentis, cujus quidem medietatis, seu sextae partis Castri hujusmodi, simul cum quadam domo, ac uno petio terrae in oppido, ac respective territorio Saviniani existente idem Andreas a a cla: me: Nicolao, dum vixit, S. R. E. Cardinali Oddi nuncupato dictae Ecclesiae Ravennatensis Archiepiscopo pro se, suisque filiis, ac nepotibus masculis tantum ex instrumento die IV. Februarii MDCCLXV. per acta Donati Antonii Lancioni notarii A. C. desuper confecto renovationem investiturae obtinuit. Exponitur status antiquae investiturae.

§. 2. Verum quia in instrumento hujusmodi idem Nicolaus Cardinalis, et Archiepiscopus reservaverat facultatem praedictae Ecclesiae Ravennatensi puniendi, corrigendi, et mulctandi quoscumque malefactores, rebelles, et inobedientes juxta formam antiquarum investiturarum, et solitum, hac attenta reservatione, ipse contendere coepit, quod ab eo deputandus, et mittendus esset Exponuntur nonnullae controversiae jurisdictionales deinde enatae, et transactio deinde conciliata.

gubernator Castri hujusmodi, qui saltem jurisdictionem criminalem in eo exercere deberet, e contra vero praefatus Andreas exponens jurisdictionem hujusmodi jure sibi competere putabat propter possessionem, in qua tam ipse, quam ejus antecessores semper fuerunt: in hoc itaque rerum statu, serio perpensis juribus hinc inde deductis, idem Andreas, ut longam, ac sumptuosam litem effugeret, censuit potius ad amicabilem concordiam cum dicto Nicolao Cardinali, et Archiepiscopo per instrumentum die IV. Julii MDCCLXVI. a memorato Lancioni confectum devenire, in quo quidem instrumento admissum fuit favore ipsius Andreae liberum exercitium plenae jurisdictionis dicti Castri tam civilis, quam criminalis, ac in quibuscumque licet gravibus delictis; e contra vero idem Andreas scuta quadrigenta monetae romanae persolvit, ac alias prout in praedictis duobus instrumentis die IV. Februarii MDCCLXV. et die IV. Julii MDCCLXVI, ut praefertur, confectis, quorum omnium tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectae pro praefatae transactionis confirmatione, quae a Pontifice conceditur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat in utroque ex instrumentis praedictis apostolica nostra approbatio, et assensus expresse fuerint reservata, atque idcirco idem Andreas illa per Nos approbari, et confirmari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Andream specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, tam praefatum instrumentum renovationis investiturae a memorato Nicolao Cardinali, et Archiepiscopo Ravennatensi pro medietate, seu sexta parte dicti Castri Valdinoce, una cum domo, ac petio terrae praedictis eidem Andreae pro se, suisque filiis, et nepotibus masculis tantum concessae, quam praedictum aliud instrumentum concordiae inter eosdem, ut praefertur, initae, una cum omnibus, et singulis in instrumentis hujusmodi contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, ac facti, et solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. ac aliorum romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et quatenus opus sit, rec. me. Urbani papae VIII. praedecessoris pariter nostri investituras bonorum jurisdictionalium ad ecclesias devolutorum renovari prohibentibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae Ravennatensis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum

hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXIX. Februarii MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLIX.

ie 29. 1768. x.

Confirmatur investitura quatuor Castrorum in provincia Romandiolae facta ab episcopo Sarsinatensi favore principis Andreae ab Auria Pampbyli.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

onitur hujus urae, que ssus

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir Andreas princeps ab Auria Pampbyli, quod inter caetera bona, quae ipse possidet in provincia nostra Romandiolae, et quae in eum ex primogenitura, et fideicommissis domus Pamphyliae coaluerunt, numerantur quoque quatuor parva Castra, nempe Seguno, Cigno, Pozzolo, et Bucchio, vulgo nuncupata pertinentia ad directum dominium ecclesiae episcopalis Sarsinatensis, quae ab anno usque MDCI. in quon. Joannem Franciscum ex principibus Aldobrandinis devenerunt ex venditione sui favore a quon. Karolo Felice Marchione, et aliis de Malatesta, praevio, ut asseritur, beneplacito, et assensu fel. rec. Clementis Papae VIII. praedecessoris Nostri expleta, ac alias prout in instrumento venditionis hujusmodi die XXX. Maji ejusdem anni confecto per acta Fontiae tum notarii A. C. uberius dicitur contineri. Deinde vero praedictae venditioni accessit consensus, et nova investitura a tunc temporis existente episcopo Sarsinatensi elargita eidem Joanni Francisco pro se, suisque filiis, ac nepotibus ad renovandum; cumque obitus memorati Joannis Francisci postea supervenerit praedictus tunc temporis existens episcopus investituram, seu novam concessionem hujusmodi favore quon. Olympiae senioris principissae de Aldobrandinis viduae praefati Joannis Francisci defuncti tanquam matris, tutricis, et curatricis bo: me: Silvestri, Joannis Georgii, Hippolyti, et Petri, ejus, ac dicti Joannis Francisci filiorum renovavit, ac alias prout in instrumento renovationis hujusmodi die XXXI. Augusti MDCII. per acta ejusdem Fontiae confecto uberius pariter dicitur contineri. Extincta autem linea masculina familiae de Aldobrandinis bo: me: cognominatus Bovius tunc existens episcopus Sarsinatensis die VII. Martii MDCXLV. iterum dicta quatuor Castra cum omnibus eorum membris, juribus, et jurisdictionibus favore quon. Olympiae de Aldobrandinis unicae natae ex memorato Joanne Georgio filio praedicti Joannis Francisci pro se, ejusque filiis, ac nepotibus ad renovandum juxta formam antiquarum investiturarum in emphyteusim denuo concessit, ac alias prout in instrumento eodem die desuper exarato per acta memorati Fontiae uberius itidem dicitur contineri; ac deinde post ejusdem Olympiae obitum ab anno usque MDCLXXXIII. una cum pluribus aliis bonis in dicta provincia positis, quatuor quoque memorata Castra a quon. Joanne Baptista principe Pampbyli illius filio, et a quon. Camillo, ac successive à quon. Hieronymo dicti Joannis Baptistae filiis quiete, ac pacifice possessa fuerunt. Demum sequuto obitu praefati Hieronymi, ac per Nos avocata possessione bonorum omnium domus Pampbyliae, possessio hujusmodi deinde per decreta diebus XXII. Junii, et V. Octobris MDCCLXIII. edita a dilecto filio nostro Andrea S. R. E. diacono Cardinali Nigrono nuncupato tunc temporis nostro pro-auditore dimissa fuit favore bo: me: Joannis Andreae principis ab Auria Pamphyli patris ejusdem exponentis uti successoris tam in primogenitura domus Pampbyliae, quam in fideicommisso, et primogenitura dicti Joannis Baptistae Pamphyili, ac idem Joannes Andreas actualem eorum possessionem adeptus fuit, et cum venerabili fratre Joanne Baptista episcopo Sarsinatensis de obtinenda renovatione investiturae pro quatuor Castris praedictis cum suis adnexis jam agere coeperat.

Preces porrectae pro confirmatione nuper renovatae investiturae, et pontificia approbatio.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, sequuto interea obitu memorati Joannis Andreae, postmodum dictus exponens illius filius a praefato episcopo Sarsi-

natensi pro quatuor Castris praedictis novam investituram pro se, suisque filiis, et nepotibus tantum ad renovandum, soluto laudemio solito, et annuo canone, ac reservata insuper nostra approbatione, et assensu, obtinuerit, ac alias prout in instrumento desuper die XXV. Maji MDCCLXV. confecto per acta quon. Donati Antonii Lancioni notarii A. C. cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; ideoque ipse Andreas instrumentum renovationis investiturae hujusmodi, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Andream specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibus excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati praefatum instrumentum renovationis investiturae a memorato Joanne Baptista Episcopo Sarsinatensi, pro dictis quatuor Castris, nempe Seguno, Cigno, Pozzolo, et Bucchio vulgo, ut praefertur, nuncupatis, cum eorum adnexis dicto Andreae pro se, suisque filiis, et nepotibus tantum ad renovandum concessae, una cum omnibus, et singulis in eodem instrumento contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, ac facti, et solemnitatum defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., ac aliorum romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et quatenus opus sit, rec. me. Urbani Papae VIII. praedecessoris pariter nostri investituras bonorum jurisdictionalium ad Ecclesias devolutorum renovari prohibente, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae Ecclesiae Sarsinatensis aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima nona Februarii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLX.

Concordia inter Episcopum, et Capitulum cathedralis ecclesiae Legionensis confirmatur, et approbatur.

Dat. die 19 Apr. 1768 Anno X.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Controversiae obortae inter Episcopum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater Pascalis Episcopus Legionensis et

ionen- et ca- am ejus- civitatis concor- sublatæ

dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis Ecclesiae Legionensis quod ipsi enixe cupientes nonnullas controversias alias inter eos excitatas componere ac super eisdem perpetuam reddere pacem ope concordiae a carissimo quoque in Christo filio nostro Karolo Hispaniarum rege catholico quam maxime volitae, ac divinum servitium, animarum quietem, et a diuturnis, ac sumptuosis litibus liberationem respicientes, post varios tractatus, ac resolutiones desuper habitas, undecim conventi, et constituti fuerunt articuli relati in publico instrumento, cujus tenor est qui sequitur, videlicet » Ego infrascriptus scriba, et notarius major numerarius curiae ecclesiasticae hujus civitatis, et dioecesis Legionensis testor, fidemque facio, qualiter per acta mei sub die 22. Augusti currentis anni Illustrissimus, et Reverendissimus DD. Paschalis Erreros Dei, et sanctae Sedis apostolicae gratia Episcopus hujus diœcesis, regiusque consiliarius ex una, et DD. Decanus, et Capitulum Ecclesiae cathedralis hujus civitatis, eorumque nomine, ac uti deputati, et procuratores sufficientibus facultatibus muniti DD. doctor D. Antonius Garzia de Brizuela scholasticus, et doctoralis, ac licentiati D. Paulus de Mendoza prior pœnitentiarius, D. Dominicus de Gaztagnaga et Vrquia, et D. Joseph Arnaez de Revillas lectoralis, ejusdem cathedralis Ecclesiae canonici, idemque D. Paulus de Mendoza nomine ac facto proprio, uti prior poenitentiarius supradictus, ex altera partibus, desiderantes pacem inter D. suam illmam. et Capitulum praefatum efficaciter, et in perpetuum restituere, mediante concordia de et super controversiis alias motis ineunda ad tramites jussionis a D. sua illustrissima ipsis insinuatae per epistolam sub die 14. Augusti anni proxime praeteriti, ad effectum docendi apud regiam catholicam majestatem, quod ipsi totis viribus, animique conatu curarunt modum opportunum ad hujusmodi concordiam ineundam reperire ad effectum procedendi inter se mutua et reciproca pace, ac tranquillitate, quam eadem regia majestas ipsis tantopere insinuaverat, praesertim propter servitium Dei optimi maximi, animarumque quietem, et ad evitandas diuturnas, sumptuosasque lites, praeviis variis praeliminaribus articulis, tractatibus, ac resolutionibus desuper habitis, tandem devenerunt ad stipulationem instrumenti publici concordiae super sequentibus, nimirum: »

itur tenor concor-

« 1. Quoad controversiam agitatam super dubio: an poenitentiarius ratione dignitatis prioratus, tamquam rigorose parochus sit habendus; et quatenus affirmative: an ad formam sacri concilii tridentini, examini synodali sit subjiciendus; illustrissimus, et reverendissimus, D. episcopus, DD. deputati, ac D. poenitentiarius proprio nomine convenerunt, qualiter expositis sanctissimo domino nostro papae utriusque partis respectivis praetensionibus, ad effectum quodcumque dubium, et scrupulum ambarum partium evitandi, de et super eo, an prior sit, nec ne parochus, unanimi consensu eidem sanctissimo domino nostro supplicetur pro dispensatione ab examine synodali, quoad priorem modernum, ejusque successores, et quatenus etiam hujusmodi prior vere parochus censendus esset, sufficiat in posterum concursus, sive examen, quod habeatur, ad effectum obtinendi poenitentiariam, ut sine alio concursu, sive examine poenitentiarius pro tempore obtinere, ac exercere valeat, prioratum eidem poenitentiariae, rigore bullae suppressionis unitum, et annexum. Itemque quod in vacatione prioratus, a capitulo deputetur aliquis ex capitularibus pro suo arbitrio, ad effectum exercendi functiones priorales intra ecclesiam, et pro caeteris functionibus ab eodem capitulo deputetur, sive proponatur presbyter habilis, et idoneus sibi benevisus, qui prioris vices gerat; ea tamen conditione, quod hujusmodi nominatio in vicesgerentem prioris ab ordinario approbetur, propter dubium, an prior sit necne parochus: insuperque, quod in edictis pro quacumque vacatione prioratus relaxandis exponantur in genere onera, quibus hactenus subjecti fuerunt, subjicique debuerunt priores, quodque sufficiat exercitium poenitentiariae ad prioratum obtinendum, et exercendum. »

« 2. Quoad controversiam, sive dubium suscitatum: an nimirum post unionem de

prioratu factam poenitentiariae vigore bullae suppressionis paenes ordinarium resideat facultas conferendi absque ulla dependentia, et per se solum dignitatem prioratus; seu potius sufficiat collatio, quae de praebendis de officio nuncupatis in capitulo simultanee fieri solet a reverendissimo domino Episcopo, sive ejus vicario generali, ac decano, sive primicerio tamquam conjudicibus; quod quidem dubium irresolutum remansit in tractatibus praeviis, quia regia camera resolutio expectabatur, quae jam aedita fuit: ut ad illius exequutionem solicite, et remota omni dilatione, ac scrupulo procedatur, conveniunt supradictae partes, tamquam in re tutiori, magisque opportuna, comprehensis etiam caeteris tribus dignitatibus, praebendis de officio nuncupatis, unitis, et adnexis quod respective ad modernum priorem poenitentiarium, dummodo tamen impetretur apostolica dispensatio, de qua in praecedenti capitulo, prout etiam quoad caeteros modernos canonicos de officio nuncupatos, necessaria nequaquam sit, nec censeatur, aliqua nova collatio, aut ulla caeremonia, sive actus, ut ipsi dignitates adnexas exerceant, praeter collationem, caeremonias, actusque ab ipsis jam respective habitam, peractas, et exercitos ad effectum obtinendi praebendas, quas obtinent; quoniam D. sua illustrissima approbat, et extendit collationem ab ipsis, caeterisque dignitatibus receptam, ad effectum obtinendi praebendis, quae illis uniuntur, et adnectuntur: quo vero ad successores canonicos de officio nuncupatos, supradictae partes conveniunt, quod per unam, eamdemque collationem praebendae, quam a proviso recipi contigerit, intelligatur quoque, ac censeatur ab ipso recepta collatio de dignitate unita, et adnexa; ea tamen sub distinctione, ut quoad collationem dignitatis unitae, et adnexae, intelligatur, et censeatur recepta ordinarii auctoritate tantum; atque hi duo respectus accurate explicentur in actu capitulari ea die celebrando; neque proinde reverendissimus dominus Episcopus, ejus tribunal obligare valeant provisum ad separatim, aut alia sub forma recipiendam collationem dignitatis; quoniam unico actu, et modo praemisso ambae collationes absolute peragi debent. »

« 3. Quoad controversiam super eo, quod possessio immemorabilis, quae capitulo assistit in exercitio jurisdictionis ecclesiasticae in oppidis Gordoncillo, Villanueva, et Palanquinos, nequeat esse manutenibilis, capitulum praefatum hac super re concordiam inire, litesque evitare cum reverendissimo domino Episcopo desiderans, ex nunc pro tunc, et e contra sub beneplacito apostolico, hujusmodi jurisdictiones eidem reverendissimo domino Episcopo cedit, reservato tantum sibi jure visitandi ecclesias dictorum trium oppidorum; ea tamen sub conditione, quod a capitulo praefato sua peragi visitatio nequeat, nisi post annum a visitatione habita a reverendissimo domino Episcopo, ac vicissim iste suam visitationem habere nequeat in dictis locis, nisi post annum a visitatione per capitulum peracta; addita etiam hac alia conditione, quod etiamsi reverendissimus dominus Episcopus suam non peragat in dictis locis visitationem, nihilominus valeat capitulum suam indiscriminatim peragere de biennio in biennium; et decreta, quae edi contigerit in visitatione capitulari, revocari nequeant, praeter quam in alia visitatione, vel a tribunali ecclesiastico, in judicio tamen ordinario, non vero summario, minusque provisionali. Reservat pariter sibi capitulum merum actum collationis omnium beneficiorum, et cappellaniarum nunc, et pro tempore in dictis tribus oppidis existentium; ordinario remanentibus caeteris actibus antecedentibus, et consequentibus ad collationem, quam tamen peragere valeat reverendissimus dominus Episcopus, sive ejus vicarius generalis de beneficiis, quae ad praesentationem serenissimi regis in octo mensibus reservatis providentur. Et quoniam nullum occurrit dubium circa præsentationem ad beneficia, quorum jurispatronatus in praedictis oppidis capitulum obtinet, praesentibus declaratur, idem capitulum manutenendum esse in possessione hujusmodi juris, et quoniam unum ex praeliminaribus conventis, illud est quod usque ad reportationem confirmationis apostolicae super omnibus hujus concordiae par-

tibus, res de quibus agitur, in eisdem statu, et terminis, in quibus modo reperiuntur, perseverent, hinc ad quodcumque removendum dubium, quinam sint, hujusmodi status, et termini, sicut supradictus dominus doctoralis deputatus reperitur ad exercendam jurisdictionem in oppidis Gordoncilli, et Sillaenovae, ac dominus Joseph Flores canonicus, tamquam modernus administrator hospitalis exercere debet jurisdictionem in oppido de Palanquinos; ita Dominatio sua illustrissima suum praéstat consensum, ad hoc ut prosequantur exercitium hujusmodi jurisdictionum, donec confirmatio apostolica obtineatur. »

» 4. Cum Dominatio sua illustrissima in praecitato epistolio diei 14. Augusti capitulo exposuerit, quod in arrendamentis ad vitam arrendatariorum, quae inire solebat capitulum de redditibus, quos percipit ex locis Sillaenovae, et Villaenovae de Monzanas, nequaquam comprehendi possunt, aut debent, prout hactenus gestum est, jurispatronatus, et caetera jura spiritualia; hinc significavit capitulum, se hanc in re adimplevisse quaecumque promisit, atque resolvit in primis tractatibus habitis; nam canonicus D. Didacus Escobar eidem capitulo cessit jura spiritualia oppido Villaenovae de Manzanas adnexa, eamdemque cessionem pariter admittet capitulum, quatenus illam peraget D. Michael Chicarro Vitero de juribus spiritualibus Sillaenovae, ad quam cessionem faciendam Dominatio sua illustrissima se instituram promittit. »

» 5. Quoad controversiam, in qua capitulum supponendo se existere in possessione praetendebat quod in omnibus expeditionibus, quae a curia ecclesiastica relaxantur ad effectum compulsandi scripturas ex suo archivio capitulari, apponeretur clausula, canonicum nempe archiviarum scripturas de permissu capituli compulsare; idque a Dom. sua illustrissima, tamquam suae jurisdictioni adversum, impugnatur; conveniunt ambae partes, ut, quatenus contingat, reverendissimum dominum Episcopum, ejusve vicarium generalem expeditiones relaxare pro faciendis compulsationibus ex archivio capituli, apponatur in eis clausula, qua injungatur notario compulsori ut ante notificationem expeditionis per medium canonici procuratoris generalis urbane agat cum capitulo, ad effectum ut congregetur, et verbaliter mandet archiviario, quod contenta in expeditione exequantur. »

» 6. Quoad controversiam, in qua Dominatio sua illustrissima exponebat, suae jurisdictioni liberam esse deputationem promotoris fiscalis, et notarii in causas, in quibus de exequutorialibus agitur, et e converso id impugnabatur a capitulo, attenta consuetudine, qua in hujusmodi causis promotoris fiscalis officium exercetur a suo procuratore generali, notarii vero ab uno ex canonicis causarum a secretis, qui deputantur in electionibus officialium, quae sub initium cujuslibet anni fieri solent, conveniunt ambae partes, quod in causis exequutorialium, quae quidem de solis criminalibus intelliguntur, promotoris fiscalis munus exerceri debeat a procuratore generali capituli nunc, et pro tempore existente, notarii vero officium ab uno ex secretariis causarum in electione officialium deputatis, quatenus vero contingat aliquam causam criminalem efformari contra eosdem secretarios deputatos, eligatur a capitulo alius, quem magis idoneum judicaverit, ejusque electio ad notitiam reverendissimi domini Episcopi deducatur, quo facto, et absque controversia, hujusmodi electus ad exercendum officium notarii habilitatus remaneat. »

» 7. Quoad nominationem examinatorum synodalium, quam Dominatio sua illustrissima suae jurisdictionis brevi, aut rescripto munita, actum facultativum esse contendit, ut eos nominet ex corpore capituli, vel extra, idque impugnat capitulum propter consuetudinem, quae semper viguit, in hujusmodi examinatores deputandi capitulares personas tantum, et non obstantibus juribus per capitulum deductis, Dominatio sua illustrissima in exposita opinione persistit. Hinc ambae partes conveniunt, quod etiamsi Dominatio sua illustrissima, praefatam obtineat facultatem hujusmodi examinatores nominandi, illa tamen non utetur, sed nominationes co-

hibebit ad solum corpus capituli, ut tali pacto ostendat suam praeconceptam opinionem, ac observantiam, quod nimirum inter capitulares suae Ecclesiae, qui praesertim sunt in copioso numero quadragenario, habiles existunt, et reperiuntur ad omnia loca hujusmodi examinatorum implenda. »

« 8. Quoad dubium occursum in ultimo concursu ad praebendam lectoralem habito super admissione cujusdam dispensationis ab uno ex concurrentibus productae; prout etiam quoad examen, et recognitionem jurium, et documentorum, quae in concurrentibus necessaria sunt, utraque pars convenit, quod Reverendissimus dominus Episcopus, sive ejus vicarius generalis unum tantum suffragium ferre valeant, sicut quicumque alius ex caeteris judicibus concursus a capitulo deputatis, pro eo, quod attinet ad recognitionem jurium, et documentorum, illorumque admissionem, et probationem, ac caeteros quoscumque actus, in quibus contentiose non agatur; at vero in iis actis, in quibus lis emerserit inter concurrentes super aliqua materia ad concursum spectante, privative in illa agat, et sententiam ferat Reverendissimus dominus Episcopus, sive ejus curiae officialis. »

« 9. Quoad praetensionem Reverendissimi domini Episcopi circa observationem caeremonialis, usum baldacchini, sedis, et super ejus receptione, quae omnia fuerunt impugnata a capitulo propter contrariam consuetudinem, caeterasque rationes adductas, idem Reverendissimus dominus Episcopus cedit, atque desistit ab usu baldacchini in ecclesia, sedisque gestatoriae in processione Sanctissimi Sacramenti, aliisque processionibus generalibus; quovero ad ipsius receptionem occasione accedendi ad ecclesiam celebrandi causa divina officia, aut missam pontificalem, capituli urbanitati eam relinquit; remanente tamen in suo robore, et vigore, consuetudine associandi in egressu, prout etiam recipiendi Reverendissimum dominum Episcopum ad aulam capitularem pergentem. »

« 10. Quoad aliam praetensionem Reverendissimi domini Episcopi, in eo consistentem, quod scilicet non obstante possessione, in qua capitulum existit, praesentandi ad suas parochiales, et beneficia, ab eodem Reverendissimo domino Episcopo minime impugnata, declaretur tamen in judicio proprietatis, seu petitorio, hujusmodi jus spectare, et pertinere ad episcopalem dignitatem; praefatus Reverendissimus dominus, Episcopus amodo cedit, atque desistit ab hujusmodi praetensione, remanente tamen in suo robore, et vigore provisione parochialium mediante concursu, et Reverendissimus dominus Episcopus tres ex approbatis proponat. »

« 11. Quatenus Reverendissimus dominus Episcopus necessariam, et opportunam fore putaret suae cathedralis ecclesiae visitationem, petiit a capitulo jura, et acta ad ipsam spectantia, ea tamen sub conditione procedendi hac in re summa cum bona pace desuperque plura dubia occurrerunt; Dominatio sua illustrissima, ingravescentem suam aetatem, gravesque proprio officio adnexas necessarias occupationes, totum hominem exigentes, attendens, ac de caetero necessariam saltem pro nunc nequaquam existimans ejusdem ecclesiae cathedralis visitationem, quoniam in illius specula constitutus reperitur nihilque remedio dignum in ea animadvertit; immo quaecumque negotia concorditer geruntur absque solemnitate visitationis et quotannis una cum capitulo interest discussioni rationum fabricae, operumque piorum majoris relevantiae: praemissis quidem attentis, eadem Dominatio sua illustrissima convenit, ut quatenus necessariam, seu opportunam fore existimaverit praefatae ecclesiae visitationem, eamque peragere sibi sinant propria valetudo, et occupationes, illam non aliter peracturus erit, quam ad formam concordiae bo: me: Episcopi Sanctis de Risoba, et ultimi status, ac sub protestationibus in illa contentis, aliisque, quas opportunas judicaverit; quo casu ad effectum hujusmodi visitationem peragendi ostendenda erunt jura, et acta, quae paenes capitulum habeantur, et necessaria existimentur. »

« Quae omnia prout superius expressa sunt, et in citato concordiae instrumento continentur, ambae partes se obligarunt observaturas, et ad literam adimpleturas abs-

que ulla transgressione, decreveruntque Sanctissimo Domino Nostro supplicare, ut benigne dignetur respicere justa desideria, et supplicationem ipsorum transigentium, concordiam hujusmodi approbando, et confirmando, suasque apostolicas literas confirmationis desuper expediendo ad perpetuam rei memoriam, ne scilicet ulla ex partibus transigentibus, minusque ipsarum successores adversus id, quod transactum est, actionem instituere, aut ullatenus contraire praesumant, ad quem effectum Reverendissimus dominus Episcopus, et DD. Deputati procuratores mihi infrascripto mandarunt, ut de praemissis authenticum testimonium perhiberem, quod cum praesentibus, et relatione ad originalia, tam dictae concordiae, poenes me in officio mei existentis, et supradicti epistolii die 14. Augusti mihi exhibiti, rogatus in fidem trado, signo, ac subscribo. Legione in Hispaniis die 9. Septembris 1767.

Loco † Signi

Franciscus Rodriguez Not. rog. in fidem etc.

...s por- pro ...tae ...diae ...atione ...ificis ...us ad- ...specia- ...decla- ...ibus.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius in dictis undecim articulis, et in instrumento hujusmodi contenta subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri dicti exponentes summopere desiderent; Nos ipsorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus Nobis eorum nomine humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpetrum, qui votum dilecti filii nostri Andreae S. R. E. diaconi Cardinalis Corsini nuncupati ad negotium hujusmodi examinandum ab ipsis deputati perpenderunt consilio, praeinsertos articulos, et instrumentum cum omnibus, et singulis in eis contentis in hunc, qui sequitur modum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, voluntes nempe, quod primum articulum, quod poenitentiarius ratione dignitatis prioratus novo examini subjiciendus non sit, dummodo praecedenter in obtinenda poenitentiaria legitimi examinis experimentum subierit, et in casu vocationis prioratus, is qui interim deputabitur, idoneus, ac legitime approbatus sit ad exercitium curae animarum. Quoad tertio, quod salva semper, et illaesa remanere debeat jurisdictio Episcopi, sive ordinaria, sive delegata in iis saltem casibus, qui vel ad corrigendos mores, vel ad disciplinam restaurandam nullam patiuntur moram, sed celeri subitoque remedio reparandi sunt. Quoad quartum, quod facultas eligendi promoterem fiscalem, et notarium semper in Episcopo residere debeat, verum uterque de capituli gremio eligendus, et seligendus sit. Quoad septimum, quod servetur quidquid in eo conventum est durante tantummodo vita dicti Paschalis moderni Episcopi, et dummodo in examinatoribus synodalibus eligendis de gremio capituli concurrant requisita praescripta a sacro concilio Tridentino sess. 24. cap. 13. de reform. Quoad nonum, quod firma, et illaesa remanere debeant generalia decreta tam dictae, quam alterius congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, eaque in casu servanda sint, ne quid suae dignitatis remittat Episcopus, neque capitulum graviori, quam quod debet, gravetur obsequio. Quoad ultimum denique articulum, quod in eo contenta, salvis, firmisque remanentibus juribus utriusque partis per modum provisionis, et durante vita ejusdem Paschalis hodierni Episcopi contemporanee tantum exequenda sint, et in reliquis omnibus articulos praedictos exequendos esse volumus, atque decernimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate primodictae congregationis Cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces exi-

stere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae Cardinales etiam de latere legatos, et ejusdem sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alia judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit ecclesiae, et capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIX. Aprilis MDCCLXVIII., pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXI.

Dat. die 20. Aprilis 1768. Anno X.

Confirmatio nonnullorum decretorum pro bono regimine congregationis Caelestinorum ordinis S. Benedicti.

Clemens Papa XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Referuntur decreta edita a definitorio

§. 1. Injuncti Nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam religiosorum virorum altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae instituto mancipatorum curam gerentes, ea, quae pro felici, prosperoque illorum regimine, et gubernio provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, quo firmiori stabilitate permaneant, apostolici muniminis praesidio roboremus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas generalis congregationis Coelestinorum ordinis sancti Benedicti, quod in nupero capitulo generali ejusdem congregationis habito mense Maji anni MDCCLXV. ab ejus definitorio nonnulla decreta edita fuerunt, quae meliorem, utilioremque praefatae congregationis directionem respiciunt, quaeque apostolica auctoritate approbari, et confirmari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

congre[illegible] tis, [illegible] tum [illegible] fieri po[illegible] tes.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito voto venerabilis fratris nostri Karoli Alberti Guidoboni presbyteri Cardinalis Cavalchini nuncupati Episcopi Ostiensis, et Veliternensis, ac ejusdem congregationis apud Nos, et sedem apostolicam protectoris, nec non simul audita relatione venerabilis fratris Francisci Archiepiscopi Patracensis congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositae secretarii, preces desuper Nobis porrectas eidem Karolo Alberto Guidobono Cardinali et protectori remissimus, ut pro suo arbitrio, et prudentia petitam confirmationem eorumdem decretorum indulgeret; ipse vero Karolus Albertus Guidobonus Cardinalis, et protector decreta praedicta in hunc, qui sequitur, modum extendenda esse censuit, videlicet.

Pontifex [illegible] ut confirmanda arbitrio Cardinalis protectoris.

« 1. Lectores omnes tam philosophiae, quam theologiae, prout alias decretum fuit a

Sequuntur decreta confir[illegible]

n ab rote- capitulo generali anni 1725., post emensum duodennale lecturae curriculum (nisi pro rerum, ac temporis opportunitate definitorio generali, vel diaetae provinciali visum fuerit, ut eorum alicui novae concedantur literae patentes pro diuturniori lecturae exercitio) ab ea vacabunt, ac uti emeriti fruentur privilegiis omnibus, quae lectoribus a nostris constitutionibus tribuuntur, excepto illo exemptionis a choro, iique subsidio aliquo, si indigeant, donabuntur arbitrio reverendissimi patris Generalis. Praecedentiae vero locum habebunt emeriti quidem lectores philosophiae supra lectores actuales pariter philosophiae, ac emeriti lectores theologiae, cedentque tantum lectoribus actualibus in exercitio lecturae antiquioribus, ac etiam (si lectores emeriti philosophiae fuerint) lectoribus actualibus theologiae juxta pristinum morem religionis. »

» 2. Monachi, qui per integrum duodennium cancellarii munus in nostro Corropolitano monasterio laudabiliter exercuerint, voce gaudeant passiva ad abbatias, ad instar abilitationis pro-cancellarii archicaenobii sancti Spiritus de Murrone. »

» 3. Professorum magistri diligenter incumbant custodiendae, servandaeque professoriorum clausurae, in quibus iidem professi detineantur, donec studiorum cursum compleverint, etiamsi presbyteratus ordine fuerint insigniti; ad hunc tamen nullus in posterum promoveatur ante annum vigesimum quartum completum juxta sacrorum canonum praescripta. »

» 4. Oblati nostrae congregationis, quemadmodum decreto in capitulo generali alias edito cavetur, nullatenus ad professionem admittantur, nisi postquam per integrum decennium a die religiosi habitus juxta constitutiones ordinis suscepti inchoandum, vitam laudabiliter duxerint in religione. »

» 5. Ut Archicaenobium sancti Spiritus de Murrone quoquomodo sublevetur a gravissimis sumptibus, quos substinet pro celebrandis capitulis generalibus, confirmatur taxa ducatorum decem in antecedentibus provincialibus diaetis imposita, et a PP. Abbatibus in quolibet capitulo generali solvenda in ejusdem Archicaenobii beneficium. »

C. A. Cardinali Cavalchini protector.

Loco ✠ Signi

§. 3. Ut autem praemissa omnia decreta firmius subsistant, et serventur exactius, ea cum omnibus, et singulis in praeinsertis decretis contentis tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium. *Pontifex praemissa decreta confirmat, et approbat.*

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. *Derogatio contrariorum.*

Datum Romae apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

DCLXII.

Dat. die 20. Aprilis 1768. Anno X

Praevia commutatione ultimae voluntatis quondam Fatii Pongelli, ejus bona haereditaria applicantur hospitali pauperum, et expositorum civitatis Camerini.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor dispositionis Fatii Pongelli.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni deputati hospitalis civitatis Camerinensis, quod alias tunc in humanis agens quon. Fatius Pongelli ex oppido Belforti nuncupato, Camerinensis dioecesis in suo ultimo testamento condito die XIV. Decembris MDCCLV. per acta dilecti filii Dominici Petruccini notarii post obitum Karoli sui filii sine filiis legitimis, et naturalibus, vulgariter, pupillariter, et per modum strictioris fideicommissi vocavit, et substituit animam tam propriam, quam sui patris, et avi, mandavitque, ut in posterum fructus, et redditus suae haereditatis vendendi essent, atque ex praetio a venditione hujusmodi retrahendo (demptis expensis, etiam ministri vulgo fattore nuncupati) in perpetuum, ac infinitum quot annis tot missae celebrari deberent pro animabus dicti testatoris, suique patris, et avi, soluta eleemosyna obulorum viginti pro qualibet missa: administrationem vero suae haereditatis atque jus celebrari faciendi hujusmodi missas dictus Fatius testator reliquit, et concessit Ludovico Valeriani, suisque filiis, et successoribus in infinitum, semper inter eos majorem caeteris praeferendo, ac ita de descendentia in descendentiam servandum esse mandavit, tributa omnibus praedictis facultate nominandi sacerdotes, eosque ad nutum, et sine causa removendi, aliosque subrogandi pro celebratione hujusmodi missarum peragenda in una, seu pluribus ecclesiis, prout praedictis Ludovico administratori, suisque filiis, et successoribus, videbitur, designandis, et commutandis, ita ut celebrationem hujusmodi missarum ab una seu pluribus ecclesiis ipsi in alias ecclesias cujuscumque loci, et civitatis toties, quoties eis visum fuisset, transferre possent, ac valerent, et alias prout in dicti Fatii testamento, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Praecedictae applicationis haereditatis Pongelli hospitali pauperum.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praedictus Karolus ejusdem Fatii testatoris filius, sine filiis decesserit, ideoque volitae substitutioni hujusmodi locus factus fuerit; memoratum vero hospitale tot oneribus, et expensis gravatum undique sit, ut illius bonorum fructus, ac redditus impares omnino ad ea subeunda dignoscantur, neque aliunde sane ullus suppetat modus, quo opem, auxiliumque aliquod hospitali hujusmodi praestari possit, et ne opus istud publicae populi dictae civitatis, suaeque dioecesis tranquillitati, ac expositorum infantium alimoniae, et aeducationi, faeminarumque expositarum dotationi, ac pauperum infirmorum in eo curandorum levamini, admodum utile, ac quam maxime necessarium propter redditaum tenuitatem deficiat, dicti exponentes omnia bona, et quaecumque jura, ac credita ad haereditatem dicti Fatii pertinentia, una cum eorum fructibus, redditibus, et proventibus eidem hospitali perpetuo per Nos concedi, assignari, et applicari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex ... cibus ... exceptis ... nullis bo... et injun... hospitali ... onere ... missarum quolibet ... pro testat... suffragio.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii nostri Petri Pauli S. R. E. presbyteri Cardinalis de Comitibus nuncupati ejusdem hospitalis protectoris super hoc humiliter porrectis incli-

natis praedicta omnia bona, credita, et jura quaecumque haereditaria memorati Fatii testatoris ubicumque posita, et existentia, ac ad haereditatem illius quocumque modo spectantia (demptis, et exceptis bonis inferius exprimendis) praedicto hospitali civitatis Camerinensis in ejus subventionem, et auxilium auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo concedimus, assignamus, et applicamus, ac una cum aliis ejusdem hospitalis bonis dicta auctoritate, et tenore unimus, annectimus, et incorporamus, ea tamen lege, ut nunc, et pro tempore existentes ejusdem hospitalis deputati, ac ministri quotidie duas missas in suffragium animae tam praedicti testatoris, quam ejus patris, et avi in ecclesia hospitalis hujusmodi perpetuo celebrare facere debeant, ac dicti hospitalis communitas die qualibet pro anima tam ipsius testatoris, quam aliorum, ut praefertur, ab ipso nominatorum, psalmum de profundis recitare teneatur.

...nulla ...assi- ... in ...uum ... ad- ...atoris ...tae a ...c.

§. 4. Praeterea indemnitati quoque omnium de familia Valeriani praedicta, ejusque successorum, quibus tam administratio bonorum haereditariorum hujusmodi, quam jus nominandi ecclesias, ac eligendi presbyteros pro celebratione missarum relictum fuerat a dicto Fatio testatore, ut praefertur, paterna benignitate consulere volentes pro tempore existenti Episcopo Camerinensis per praesentes committimus, et mandamus, ut reddita prius coram eo per dilectum filium Josephum Valeriani ratione administrationis hactenus gestae jurium, et bonorum omnium haereditariorum dicti Fatii testatoris, eidem Josepho, nec non etiam dilecto filio Stephano Valeriani ejus fratri pro se, ac eorum successoribus quibuscumque, accedente ad id consensu dictorum exponentium, una cum domo urbana ejusdem testatoris existenti in dicto oppido Belfortis, sive in ejus suburbiis, ac mobilibus omnibus cujuscumque generis in domo hujusmodi extantibus, praedium in territorio nuncupato, di Borgiano, una cum suis adnexis ad haereditatem pertinens dicti Fatii testatoris, memoratus Episcopus auctoritate, et tenore praedictis perpetuo concedat, et assignet.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint sufficienter adductae, et justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam enormis enormissimae laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, et retractari, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus supradicti Fatii testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die vigesima prima Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXIII.

Confirmatio fundationis hospitalis in civitate Laudensi, et conventionum, et pactorum initorum cum religiosis S. Joannis de Deo.

Dat. die 21 Apr. 1768 Anno X.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Generalis, et definitores gene-

Fissiraga super erectione facienda novi hospitalis.

rales fratrum ordinis sancti Joannis Dei, quod alias tunc in humanis agens Antonius Fissiraga nobilis Laudensis civitatis in suo ultimo testamento jussit, et mandavit, ut ex portione bonorum sui patrimonii in sua propria nobili domo paterna in dicta civitate existente erigi, constitui, et fundari deberet unum hospitale sub nomine loci pii charitatis cum decem, et octo pro nunc cubilibus et cum obligatione quod auctis redditibus bonorum ab ipso relictorum, cubilium quoque hujusmodi numerus augendus esset, in quo sane hospitali admitti, et curari deberent dumtaxat presbyteri saeculares, clerici in sacris ordinibus constituti, nobiles quoque Laudenses in pauperiem prolapsi, ac cives denique ejusdem civitatis, qui egeni, et civilis essent conditionis. Administrationem autem, et curam hospitalis hujusmodi idem Antonius testator reliquit fratribus dicti ordinis, qui in pauperibus infirmis curandis, eisque spiritualibus, ac temporalibus subsidiis adjuvandis singularem adhibent magna cum ipsorum laude charitatem. Denique præmissorum omnium complementum ea, qua fieri posset, celeritate testator ipse suis executoribus testamentariis commisit, ac alias prout in dicti Antonii testamento, cujus tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

In fundatoris voluntatis implementum peculiares conventiones conciliatae fuere cum religiosis viris S. Joannis de Deo.

§. 2. Ut igitur ea, quae idem testator praescripserat executioni demandarentur praefati exponentes publico desuper confecto instrumento diei VI. Februarii currentis anni per acta Vannoj notarii curiae Capitolii almae hujus Urbis elegerunt, ac nominarunt dilectos filios Julium Sormanni nunc provincialem provinciae Mediolanensis, et Joannem Evangelistam Pincitolli ex-procuratorem generalem, ac modo priorem conventus, et hospitalis sancti Antonii Bononiensis ordinis hujusmodi, eisque facultatem tribuerunt ineundi contractum fundationis, et curae hospitalis a dicto testatore, ut praefertur, voliti, cum illius executoribus, aliisve, ad quos pertinebat, ac sub iis pactis, capitulis, et conditionibus, quae inter partes statutae, ac conventae fuissent, et alias prout in dicto instrumento, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Quapropter, annuente carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Romanorum, ac Hungariae apostolicae, et Bohemiae regina illustri, inter dictos Julium, et Joannem Evangelistam procuratores ab ipsis exponentibus, ut praefertur, constitutos, et dilectum filium Arnulphum Fissiraga congregationis clericorum regularium sancti Pauli decollati Barnabitam nuncupatum professorem, ac haereditatis dicti Antonii testatoris ejus fratris administratorem super fundatione, et cura hospitalis hujusmodi die XII. Martii currentis anni per scripturam ab eisdem Julio, Joanne Evangelista, et Arnulpho subscriptam conventae fuerunt fundationis, et curae hospitalis praedicti leges, conventiones, et pacta in hunc, qui sequitur, modum videlicet.

Sequitur conventionum.

» 1. Che la detta religione di S. Giovanni di Dio, e per essa li detti molto RR. PP. Procuratori constituiti dalla stessa siano tenuti accettare, ed in se assumere l' obbligo di assistere alla cura degl' infermi nel suddetto ospedale, come hanno accettato, ed assumono con li patti, modi, e condizioni infrascritte. »

» 2. Che dalla detta eredità Fissiraga debba farsi edificare, ossia adattare la casa del nobile Fissiraga in Lodi nella contrada di S. Francesco isola di S. Egidio in ospedale, chiesa, ed abitazione per li religiosi, che come sopra dovranno assistere agl' infermi del medesimo ospedale, secondo la pianta, che verrà conciliata, ed approvata anche in vista de' suggerimenti de' medesimi padri per ciò, che si credesse più adattato, ed opportuno ad un pronto, ed esatto servigio degl' infermi. »

» 3. Il suddetto ospedale porterà il titolo di luogo Pio della carità, e sopra la porta del medesimo dovrà esser posta una lapide di marmo nero scolpite le seguenti parole a tenore del disposto dal preaccennato pio fondatore » *Olim Fissiraga domus nunc locus pius charitatis anno Domini* » Quest' ospedale precisamente dovrà essere aperto, e servire per li poveri infermi sacerdoti, chierici

posti in sacris, nobili decaduti, ed altre persone civili a norma del disposto del pio testatore, quali dovranno essere da' suddetti religiosi assistiti colla maggior carità, ed attenzione dal quale ospedale saranno assolutamente esclusi gl' infermi di morbo gallicó, etici, tisici, idropici, asmatici, e pazzi. »

« 4. Sarà a carico della predetta religione di S. Giovanni di Dio, e de' religiosi, che verranno trascelti al detto ospedale la cura degl' infermi come sopra, il vitto di questi, il vitto, vestiario, e viatici de' religiosi medesimi, che come sopra saranno assegnati a detto ospedale, e che dovranno assistere giorno, e notte agli accennati infermi, e la manutenzione de' mobili tutti, e supellettili tanto per servizio dell' ospedale, ed infermi, quanto per proprio uso de' medesimi religiosi, niente affatto eccettuato, provvisti che saranno della detta eredità, come abbasso. »

« 5. All' incontro sarà a carico dell' eredità Fissiraga la prestazione di tutti li medicinali tanto per servizio degl' infermi dell' ospedale, quanto in caso s' infermasse alcuno de' religiosi assistenti, e per questa somministrazione dovrà l' eredità convenire con uno de' migliori accreditati speziali della città di Lodi. »

« 6. Sarà pure a carico dell' eredità suddetta il stipendiare un medico alla cura degl' infermi, che saranno ammessi al suddetto ospedale, e de' religiosi assistenti, così pure un chirurgo per servizio dell' ospedale, e casi particolari, specialmente per li casi di feriti, o simili, ove abbisognasse fare giudizio, o relazione al foro secolare, e ciò che conviene più a questi, che ad un religioso, il quale medico, o chirurgo come sopra dovranno essere eletti dai sigg. deputati, e questi dovranno procedere nella cura degl' infermi con dipendenza de' predetti religiosi assistenti troppo necessaria al buon ordine, e vantaggio degli ammalati. »

« 7. Per correspettivo di tutte le cose, ed obblighi come sopra assunti, e da assumersi qui abbasso da detti RR. PP. Procuratori in nome della predetta loro religione si pagheranno a' medesimi religiosi, che saranno destinati per detto ospedale, ossia al loro superiore dalla predetta eredità Fissiraga annue lire quattrocento in tanti zecchini gigliati di giusto peso a lire quindici per cadauno d' essi zecchini e per ciascun letto, che verrà posto in detto ospedale, che per ora si fissano in numero di diciotto a norma dell' ordinato del testatore, e queste ripartitamente, ed anticipatamente di trimestre in trimestre sino in perpetuo, a condizione però, che a religiosi, che saranno assegnati, e risiederanno in detto ospedale all' assistenza degli infermi se li debba pagare dalla religione lire quindici annue di più di quello, che la medesima suole passargli a titolo di vestiario, e questo per maggiormente eccitare la loro carità alla diligente cura degli accennati infermi, avendosi a ciò avuto riguardo nella fissazione di detta annua pensione. »

« 8. La deputazione de' religiosi tutti, che dovranno assistere all' ospedale dovrà farsi da' superiori della religione, senza che alcuno in questa parte possa ingerirsi. »

« 9. Sarà a carico dell' eredità il provvedere li mobili necessarj all' instrumento di detto ospedale, cioè per ogni letto dovrà provvedersi la lettiera di ferro con colonne simili, suo baldacchino, ossia trabacca (secondo il modello, che si concilierà) colle sue tendine, e coperta compagne, tre tavole alla longa, un pagliariccio, due matarazzi, un capezzale, due cuscini, tre coperte di lana, tre paja di lenzuola, sei foderette, sei tovaglioli, dodici tovaglie per l' apparecchio della mensa degl' infermi, con dodici sciugatorj per dar da lavare le mani agl' infermi prima del pranzo, e cena, due camice per letto, quattro berrettini, due di bombace per l' inverno, e due di tela per l' estate, due vesti di camera, una di panno per l' inverno, ed una di tela rigata a colori per l' estate, un pajo di pianelle: tra un letto, e l' altro un tavolino fermato nel muro con due cassetti, un cassabanco, che servirà di comodo anche per riporvi gli orinali per maggiore pulizia, e che serviranno a due letti per metà: oltre le suddette cose necessarie per cadaun letto, dovrà prestarsi qualche scorta sufficiente, massime de' materassi, che servir dovranno

per mutare gli aggravati di male in caso di bisogno. »

« 10. Si dovranno pure provvedere dalla detta eredità tutti li rami, stagni, ed altro necessario per servizio dell' ospedale, cucina, e refettorio secondo la nota conciliata, e da inserirsi nel futuro istromento, tanto per quello possa abbisognare all' ospedale, che a' religiosi. »

« 11. Si dovranno parimenti provvedere dall' eredità stessa tutte le supellettili a' religiosi, che saranno assegnati al succennato ospedale per uso della loro rispettiva stanza, cioè per ognuno di essi un letto di tre banche con pagliariccio, due materazzi, tre cuscini grandi, due paja di lenzuola; sei foderette, due coperte di lana con una sopra copertina di colore, un cantarano, un tavolino, un genuflessorio, ed una comoda con quattro sedie. »

« 12. Non potranno li succennati religiosi approfittare in modo alcuno, nè per qualunque titolo de' panni di quegli infermi, che moriranno nell' ospedale, nè tampoco del denaro, che si trovasse, ma dovranno gli uni, e gli altri conservare per consegnarli ai signori deputati da' quali se ne farà quell' uso, che loro crederanno. »

« 13. Avrà pure l' obbligo l' eredità, ridotta che sarà la chiesa annessa al detto ospedale, al suo essere, di provvedere tutti gli arredi sacri, che saranno necessarj per l' instrumento, e decoro della medesima, e per l' altare che sarà eretto nella crociera, anzi si consegneranno al superiore, e religiosi, che saranno assegnati a detto ospedale li sei candelieri d' argento, con li quattro vasi, sua croce, tre tavolette, calice, e patena d' argento, che si tenevano in vita dal testatore ad uso della propria privata cappella, e per disposizione comunicata al succennato M. R. P. Fissiraga fratello, destinati ad uso, ed ornamento della chiesa di detto ospedale, con dichiarazione, che detti argenti sempre sino in perpetuo rimaner debbano ad uso ed ornamento come sopra, senza che mai per qualunque titolo, e causa anche delle più impensate si possa da detti religiosi distrarli, o convertirli in altro uso, e neppure imprestarli ad alcuno sotto pena della rifusione del loro valore, e dell' immediato rifacimento, tale essendo stata la mente del defonto testatore. »

« 14. Provvisti che saranno li detti arredi sacri, ne sarà pure a carico de' preaccennati religiosi, o religione di S. Giovanni di Dio la perpetua loro manutenzione in forma lodevole, senza ulteriore obbligo, benchè menomo di detta eredità per essersi avuto a tutto l' opportuno riguardo nell' assentamento dell' annua pensione di lire 400, come sopra. »

« 15. Alle riparazioni, e manutenzione di tutta la fabbrica, cioè dell' ospedale, abitazione de' religiosi, e chiesa sarà tenuta la predetta eredità Fissiraga fino in perpetuo, come in perpetuo saranno tenuti li religiosi di S. Giovanni di Dio alla manutenzione dei mobili, supellettili, ed arredi come sopra. »

« 16. Ridotta, che sarà la casa come sopra in ospedale, ed abitazione de' religiosi, e provvista de' mobili, e supellettili come sopra, si farà luogo all' immediata esecuzione di quanto resta nella presente reciprocamente convenuto, ed entrando li detti padri alla cura di detto ospedale saranno tenuti ricevere la consegna di tutti li mobili, e supellettili, di cui come sopra verrà instrutto il detto ospedale, stanze de' religiosi, chiesa, e cappella per mantenerli in forma lodevole come sopra, facendo l' opportuna ricevuta a favore della detta eredità acciò in ogni tempo possa costare della loro quantità, e qualità. »

« 17. Li religiosi predetti dovranno assistere giorno, e notte agl' infermi secondo il prescritto dal loro santo fondatore Giovanni di Dio, regole, consuetudine della religione, ed ordinazioni de' loro superiori. »

« 18. Ogni lunedì uno de' due sacerdoti, che saranno assegnati a detto ospedale dovrà applicare la S. messa per le anime de' defonti nel detto ospedale, senza che possano per questa messa pretendere alcuna elemosina: saranno altresì tenuti far celebrare ogni giorno la messa nell' ospedale per l' anima del succennato pio fondatore Fissiraga, ed anche a beneficio degl' infermi, che saranno nel-

l'ospedale medesimo, per la qual messa quotidiana sarà tenuta l'eredità corrispondere a' detti religiosi l'annua elemosina stabilita dal fondatore fu don Antonio Fissiraga in lire quattrocento compresa la manutenzione. »

» 19. Li religiosi sacerdoti, che saranno come sopra assegnati al detto ospedale avranno l'obbligo a tenore anche delle regole, e costituzioni della loro religione di assistere spiritualmente gl'infermi, cioè confessarli, comunicarli, estrema unzione, ed assistere li moribondi, ed in tutt'altro, che fosse necessario per la salute dell'anime loro a norma della instituzione, e privilegj concessi alla religione dalla santa Sede. »

» Le premesse convenzioni si riterranno mai sempre fra se correspettive, ed individue, e dovranno ratificarsi per pubblico, e giurato istromento, mediante l'opportuno beneplacito apostolico da riportarsi da detti RR. PP. di S. Giovanni di Dio, ed intanto per l'inalterabile osservanza, ed adempimento delle medesime li predetti molto RR. PP. Sormani, e Pincivoli, quali procuratori come sopra hanno obbligato, ed obbligano li beni di essa loro religione, ed il detto M. R. P. Fissiraga ne' modi come sopra li beni, e sostanze tutte lasciate dal detto fu sig. D. Antonio Fissiraga di lui fratello, a tenore anche del da lui disposto, dovendo frattanto la presente restare nelle abbreviature dell'infrascritto signor notaro, con facoltà di darne copia, rimossa ogni eccezione, sotto rifazione ec. e per fede ec. »

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat quo firmius hospitalis hujusmodi fundatio, ac erectio, et praemissae desuper leges, conventiones, ac pacta subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio dicti exponentes communiri plurimum desiderent. Nos ipsis exponentibus specialem gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati hospitalis hujusmodi fundationem cum praeinsertis pactis, et conventionibus, aliisque in eis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces, existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublata, et decretum irritans.*

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXI. Aprilis MDCCLXVIII. Pontificatus Nostri anno decimo. *Derogatio contrariorum.*

DCLXIV.

Brevia Innocentii XIII. quibus privilegia alias concessa fuere militiae B. Mariae *Dat. die 28 Apr. 1768 Anno X.*

Theutonicorum confirmantur et approbantur.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium. §. 1. Sacrosancti apostolatus solicitudo, quam meritis licet, et viribus longe impares, auctore Deo gerimus, postulat, ut ea quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus in militarium ordinum maximo christianae reipublicae bono anteactis temporibus institutorum decus, et incrementum constituta, et provide ordinata fuisse noscuntur. quo firmiorem obtineant vim nostrae confirmationis patrocinio, dum id a Nobis petitur, roboremus, prout cognoscimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem a fel. rec. Innocentio Papa XIII. emanarunt literae in simili forma brevis tenoris sequentis, videlicet. » Innocentius Papa XIII. »

Tenor primi brevis Innocentii XIII. » Ad perpetuam rei memoriam. Inescrutabili divinae sapientiae, atque clementiae arcano, in apostolicae dignitatis fastigio constituti, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in favorem ordinum militarium ad christiani nominis tutelam pie, salubriterque institutorum fideli dispensatione, prudentique liberalitate emanarunt, ut firma semper, atque stabilia persistant, apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur libenter roboramus. Dudum siquidem fel. rec. Gregorius PP. XV. praedecessor noster omnia, et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, et gratias tam per se, Sedemque apostolicam, quam per rec. me. Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Pium V, Gregorium XIII, Sixtum V, Gregorium XIV, Clementem VIII, et Paulum V Romanos Pontifices similiter praedecessores nostros, dilectis filiis Magno Magistro, et conventui hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, illiusque Prioribus, Bajulivis, Praeceptoribus, Commendatariis, Fratribus militibus, subditis, vassallis, colonis, et presbyteris curam animarum exercentibus concessa, et respective confirmata Hospitali domus Beatae Mariae Theutonicorum, ejusque Magistro, Prioribus, Bajulivis, Praeceptoribus, Commendatariis, fratribus militibus, subditis, vassallis, colonis, et presbyteris curam animarum exercentibus concessit. Decernens Hospitale Beatae Mariae Theutonicorum, illusque Magistrum, Priores, Bajulivos, Praeceptores, Commendatarios, fratres milites, subditos, vassallos, colonos, et presbyteros nullis aliis privilegiis, gratiis, et indultis, quatenus in hujusmodi concessione non comprehenderentur, quovis praetextu, et ex quacumque causa uti, frui, et gaudere posse, nec debere, quin imo illa omnia cessare, et irrita, et nulla, nulliusque roboris, et momenti esse, et fore, prout in dictis Gregorii praedecessoris in forma brevis desuper sub die XXIII Decembris MDCXXII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresse haberi volumus, plenius continetur. Et subinde piae memoriae Urbanus VIII, Clemens IX, Clemens X, et Innocentius XI Romani Pontifices etiam praedecessores nostri per suas pariter in forma brevis die XIX Januarii MDCXXIV, et die IX Junii MDCLXVIII. ac die XXX Augusti MDCLXX, nec non die VIII Januarii MDCLXXVII. respective expeditas literas, quarum tenores praesentibus itidem haberi volumus pro expressis, jam dictas Gregorii praedecessoris literas sub certis modo, et forma tunc expressis confirmarunt, et approbarunt. Cum autem sicut dilectus filius Noster Damianus Hugo S. R. E. Cardinalis de Schonborn nuncupatus, Ecclesiae Spirensis ex concessione, et dispensatione apostolica praesul pro parte dilectorum filiorum Magni Magistri, et fratrum militum dicti Hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum, cujus dictus Damianus Hugo Cardinalis, et praesul ex simili concessione, et dispensatione magnus Praeceptor, seu Commendatarius existit, Nobis nuper exposuit, praefatae quidem Gregorii XV, ac Urbani VIII, Clementis IX, Clementis X, et Innocentii XI praedecessorum literae in viridi sint observantia, quia tamen firmiora sunt ea, quae frequentiori Sedis apostolicae praesidio roborantur, idem Magnus Magister, et fratres milites literas hujusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent;

Nos ipsorum Magni Magistri, et fratrum militum votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et assolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatas Graegorii XV, ac Urbani VIII, Clementis IX, Clementis X, et Innocentii XI praedecessorum literas, omniaque, et singula in eis contenta, tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, decernentes praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum ordinarii ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidare ullatenus posse, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, et plenarie redintegratas esse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, quo circa venerabilibus fratribus Moguntino, et Salisburgensi, Archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiae, camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorumdem magistri, et militum, ac fratrum dicti Hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes, ejusque in praemissis efficaci defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra eos praesentium literarum commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere non permittentes eos per ordinarios praefatos, aut quoscumque alios contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus censuras, et poenas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae dicti Gregorius, ac Urbanus, Clemens IX, Clemens X, et Innocentius XI. praedecessores in suis literis praefatis respective voluerunt, non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sancta Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. »

« Eorumdem autem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes volumus, quod Pii V. XXII. Septembris anno sexto, et Gregorii XIII. sub annulo Piscatoris XXV. Novembris anno nono, nec non Gregorii XV. praedecessorum praedictorum sub datum nonis Februarii anno secundo pontificatuum suorum expeditis literis in suo robore, et efficacia permanentibus *praesentes* literae non comprehendant *neque ecclesias*, neque *personas* in his, quae ad curam *animarum pertinent*, in quibus *decreta Concilii Tridentini*, ac *in praedicta Gregorii XV.* constitutione *contenta* omnino *servari debeant*, ac quod praesentium literarum transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis in judicio, et etiam extra illud ubique locorum plena, et indubitata, eademque prorsus fides

adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die vigesima quarta Julii millesimo septingentesimo vigesimo primo pontificatus nostri anno primo. »

F. Cardinalis Olivierius.

Sequitur tenor alterius brevis Innocentii XIII

Subinde vero aliae in simili quoque forma brevis ab eodem Innocentio praedecessore emanarunt literae, quarum tenor est, qui sequitur, nempe.

Innocentius Papa XIII.

« Ad futuram rei memoriam. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, Divina dispositione praesidentes, inter caeteras apostolicae servitutis curas in eam peculiari studio invigilamus, ut ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in favorem militarium ordinum ad sanctae fidei catholicae defensionem, et propagationem pie, salubriterque institutorum provide emanasse noscuntur, quo solidius perennent apostolici muniminis praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus, aliasque disponimus, prout conspicimus in Domino rationi esse consentaneum: dudum siquidem a S. memoriae Papa Pio V, praedecessore nostro emanarunt literae in simili forma brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet. »

Pius Papa V.

Inseritur tenor alterius brevis Pii V. quod ab Innocentio XIII confirmatur.

« Ad futuram rei memoriam. Promeretur fides, et devotio dilectorum filiorum Magistri et fratrum militum militiae beatae Mariae Theutonicorum, ut eos specialibus favoribus, et gratiis, quantum cum Domino possumus libenter prosequamur: hic est, quod precibus Magistri, et militum militiae hujusmodi Nobis per dilectum filium nobilem virum comitem Prosperum ab Arcu ejusdem militiae Commendatorem; et serenissimi Maximiliani electi Imperatoris apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem humiliter porrectis inclinati, Magistro, et militibus Theutonicis praedictis, ut ipsi post hoc eadem privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, quas, et quae dilecti filii magister, et fratres milites militiae ordinis hospitalis sancti Joannis Hierosolimitani in quibuscumque impositionibus decimarum, subsidiorum, seu aliorum quorumcumque onerum per Nos, et Sedem apostolicam quomodolibet ex quibusvis etiam urgentissimis causis pro tempore impositorum quoquomodo habent, et eis utuntur, potiuntur, fruuntur, et gaudent; seu habere, uti, frui, et gaudere possint, et debeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus pariter, et indulgemus: mandantes quibusvis impositionum hujusmodi exactoribus, et collectoribus, ne eosdem Magistrum, et milites Theutonicos super solutione decimarum, subsidiorum, et aliorum quorumcumque onerum praedictorum contra tenorem praesentium molestare, aut perturbare audeant, vel praesumant, sed nostras hasce literas eis inviolabiliter observent et ab omnibus firmiter observari curent, et faciant: Nos enim irritum decernimus, et inane quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis personis quomodolibet in contrarium forsan concessis, et confirmatis, seu in posterum concedendis, et confirmandis, quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decimatertia Martii millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno tertio. »

« Cum autem sicut dilectus filius noster Damianus Hugo S. R. E. presbyter Cardinalis de Schonborn nuncupatus frater miles, et Magnus Praeceptor, seu Commendatarius hospitalis primodictae militiae Nobis nuper expo- Prosequitur secundum Breve Innocentii XIII.

suit, ipse praeinsertas Pii praedecessoris literas, quo serventur exactius apostolicae confirmationis nostræ præsidio communiri, ac alias opportune, ut infra a Nobis indulgeri summopere desideret. Nos ipsius Damiani Hugonis Cardinalis, et Magni Praeceptoris, seu Commendatarii votis hac in re favorabiliter annuere volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de congregationis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, et Romanae curiae praelatorum a Nobis specialiter deputatae consilio, praeinsertas Pii praedecessoris literas cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, hac tamen adjecta declaratione ut, sicuti in impositionibus, si non sunt expresse nominati fratres milites dicti hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, non censentur comprehensi, ita etiam fratres milites Theutonici nunquam censeantur comprehensi, nisi sint specialiter nominati: decernentes easdem praesentes, et praeinsertas literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, nec non omnibus, et singulis illis, quae in literis praeinsertis concessa sunt, non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die decima Novembris millesimo septingentesimo vigesimo primo, pontificatus nostri anno primo. »

F. Cardinalis Oliverius.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius nobilis vir Karolus Alexander ex Lotharingiae, et Barri ducibus, ac Magnus Magister ejusdem hospitalis beatae Mariae Theutonicorum Nobis nuper exponi fecit, majorem obtineant firmitatem ea, quae saepius apostolico praesidio sint roborata, quo circa praeinsertas dicti Innocentii praedecessoris literas per Nos approbari, et confirmari plurimum desideret. Nos ipsius exponentis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati Innocentii praedecessoris literas, cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, confirmamus, et innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus. *Preces porrectae pro huchusqu relatorum brevium confirmatione, quibus Pontifex benigne annuit.*

§. 3. Decernentes praesentes, ac praeinsertas literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublato, et decretum irritans.*

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac omnibus, et singulis, quae in praeinsertis literis concessa sunt, non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, *Derogatio contrariorum.*

eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die vigesima octava Aprilis millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno decimo.

DCLXV.

Dat. die 29. Aprilis 1768. Anno X.

Beatificatio Servi Dei fratris Bernardi a Corleone Siculi, laici professi ordinis minorum S. Francisci cappuccinorum.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Decet, servos Dei, eorumque merita in quibus triumphavit virtus Altissimi, condigna laudatione celebrari, ut fidelibus ulteriora suppetant ad imitationem exempla, et qui bono certamine certato, cursu consumato, haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem in coelis consequi meruerunt, de nostra solliciti salute a bonorum omnium largitore Deo pia, potentique intercessione Nobis impetrent praesidia, quibus et Nos legitime certare, et aeternae beatitudinis bravium accipere valeamus; ita Nos, quibus divina dignatione, nullis nostris suffragantibus meritis, ovilis dominici cura mandata est, honorificum non modo, sed nihil opportunius in hac temporum conditione esse intelligimus, quam ut Dei benignitatem, et ejus sanctitatis memoriam in virtutibus servorum suorum praedicantes, eorum cultum promovere satagamus, qui postquam sub severioribus disciplinae instituto hic in terris pro coelestis sponsi honore tantum laboris impenderant ab ergastulo carnis soluti de ejus manu coronam gloriae, in coelis acceperunt, quod signis etiam et miraculis Deus ipse illustrare dignatus est.

Ex unanimi voto Cardinalium congregationis sacris Ritibus praepositorum, Servus Dei in beatorum albo adscribitur, et quoad officium, et solemnia peculiariter disponitur.

§. 2. Cum itaque mature, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris Ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis apostolicae licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Bernardum a Corleone, laicum professum ordinis fratrum minorum sancti Francisci capuccinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita, patrata fuisse, dicebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuit, posse quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei Servum, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice beatum declarari cum solitis indultis; hinc est, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum antistitum, universitatum, ac totius memorati ordinis fratrum minorum sancti Francisci capuccinorum, et nominatim Nicolai a Lacu-libero ejusdem ordinis sacerdotis professi hujus causae, prout aliarum omnium causarum servorum Dei dicti ordinis, postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem concedimus, atque impartimur; ut idem Dei Servus Bernardus a Corleone Beati nomine nuncupari, ejusque corpus, et reliquias venerationi fidelium, non tamen in processibus circumferendas, exponi, imagines quoque radiis, et splendoribus exornari, officiumque, et missam de eo in singulis annis die XIV. Januarii, utpote illam felicis ejus transitus immediate sequenti non impedita, tamquam de communi confessorum non pontificum juxta ritum missalis, et breviarii Romani recitari libere, et licite possit, ac valeat. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine minorum sancti Francisci capucinorum utriusque sexus; Panormi, ubi venerabile ejus corpus requiescit, et unde ad suprema gaudia evolavit, ac in civitate Corleonis, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam secularibus, quam

regularibus, qui ad horas canonicas teneantur, et quantum ad missas attinet etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus; praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet, post praesentes literas emanatas, et quoad Indias a die, qua eaedem literae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis ordinis, et praefatarum civitatum solemnia beatificationis ejusdem Servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XV. sequentis mensis Maji assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii praefatae congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die XXIX. Apr. MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCLXVI.

Dat. die 7. Maji 1768. anno X.

Moniales monasterii S. Mariae providentiae succurrentis, terrae Pharae dispensantur a quotidiano usu ciborum quadragesimalium, et eis tibialium gestandarum facultas tribuitur.

Dilecto filio Nostro Dominico S. R. E. diacono Cardinali Ursini nuncupato.

Clemens Papa XIII.

Dilecti filii noster, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Referuntur gravia valetudinis incommoda harum monialium, et causa eorumdem indigitatur.

§. 1. Nuper Nobis exposuisti, quod dilectae in Christo filiae moniales monasterii sanctae Mariae Providentiae succurrentis nuncupat. instituti quondam Franciscae a Jesu Farnesiae pariter nuncupat. Terrae Pharae nullius diaecesis provinciae Romanae, quarum tu apud Nos, et Sedem apostolicam protector existis, gravia quoad earum valetudinem incommoda semper, ac praesertim novissimis temporibus expertae, ac passae sunt propter scyrros in sthomaco, et aneurismata, seu venas dilatatas, vel ob internas perturbationes, quae ipsis cibum retinere minime sinunt, vel demum propter apoplexias, quocirca ad eum statum ipsae devenerint, et modo reperiantur, ut maximo cum earum maerore regularem observantiam in actibus communibus, quibus, obstrictae sunt, exequi, et adimplere nequaquam valeant. Serio itaque re perpensa, requisitaque insuper sententia in arte medica peritorum, ut origo, seu causa tot malorum hujusmodi deprehendi, ac dignosci posset, iidem periti, ac prae caeteris ejusdem monasterii medicus censuerunt, ac putant, id totum tribuendum esse, vel deficientiae tibialium, quae a dictis monialibus sub rigidissimo caeteroquin Coelo viventibus non deferantur, quamvis ad hoc a Capitulo IV. §. VIII. earum constitutionum tantummodo hortentur, vel quotidiano usu ciborum quadragesimalium, ovorum, ac lacticinorum a Capitulo XVI. §. 1. praedictarum constitutionum injuncto, quantoquidem ex monialibus hujusmodi eae, quae Marthae, nuncupantur, etsi sub eodem caelo vitam ducant, ac majores labores substineant, nihilominus quia tibialia deferunt, et carnem comedunt praedicta incommoda mala ac infirmitates subire minime solent, sed bona, ac firma valetudine fruuntur, et quamvis ab antiquo quidem tempore inter alias quoque moniales, Magdalenas nuncupatas, consuetudo irrepserit etiam in casu, quo ipsae infirmitatibus minime detineantur, nec audito earum medico, bibendi, et comedendi jus, cum quo juscula conficiunt, ac hujusmodi consuetudinis initium tribuitur apostolicae derogationi, et facultati, super qua tamen nullum monumentum reperitur nec ejusdem initii memoria superest, nihilominus id totum haud sufficiens modo dignoscitur, quippe quia adhuc praemissa in-

commoda, et mala, ac infirmitates praedictae moniales patiuntur.

Preces porrectae pro dispensatione quoad usum ciborum, et usum tibialium, quibus Pontifex benigne annuit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut in posterum moniales praedictae actus communes regularis observantiae explere possint nostra, et hujus sanctae Sedis dispensatione super esu ciborum hujusmodi, et quatenus etiam opus sit pro delatione tibialium, omnino indigeant. Nos ipsorum monialium incolumitati prospicere cupientes, ut ipsae corpore firmae mente, ac spiritu libentius, ac ferventius Deo valeant inservire, easdemque moniales specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsarumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus super hoc humiliter earum nomine Nobis porrectis inclinati circumspectioni tuae per praesentes injungimus, ut attentis narratis, cum eisdem monialibus super esu ciborum quadragesimalium, ovorum, ac lacticinorum, diebus tamen minime probibitis, ac etiam quatenus opus sit super non usu, ac delatione tibialium, ita ut, praemissis non obstantibus, ipsae carnes salubres, ut praeferunt, comedere, ac tibialia deferri libere, et licite possint, et valeant, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium pro tuo arbitrio, et prudentia dispenses, praedictis capitulis constitutionum dicti monasterii pari auctoritate derogando.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii etiam juramento, et confirmatione apostolica roboratis statutis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die septima Maji millesimo, septingentesimo, sexagesimo, octavo, Pontificatus nostri anno decimo.

DCLXVII.

Confirmatio statutorum, eorumdemque reformationum pro spirituali, et temporali regimine monialium S. Spiritus Oppidi Pontis Reginae Pampilonensis dioecesis.

Dat. die 13. Maji 1768. Anno X.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur recens statutorum ordinarii approbatio, et recentissima in minimis eorumdem reformatio.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Priorissa, et moniales ordinis canonicorum regularium sancti Spiritus nuncupatae sub regula sancti Augustini Oppidi Pontis Reginae Pampilonensis diaecesis, quod alias die nempe X. Septembris MDCCLXII. lectae, et in dictarum exponentium monasterio publicatae fuerunt novae constitutiones pro regimine spirituali, ac temporali ejusdem monasterii conditae, et in triginta quatuor capitula distributae quas postmodum bo. me. Gaspar dum vixit Episcopus Pampilonensis approbavit, atque insuper omnibus, et singulis monialibus dicti monasterii toties, quoties illas, aut aliquam illarum partem legissent, indulgentiam quadraginta dierum concessit; novissime vero, die videlicet XIV. Martii currentis anni dictae exponentes pauca nonnulla in hujusmodi constitutionibus disposita, quae pro meliori ejusdem monasterii regimine correctione digna esse putarunt, minutissima quaedam in illis delendo, aut addendo, correxerunt, et alias prout in praefatis constitutionibus, quarum tenorem praesentibus pro inserto haberi volumus uberius dicitur contineri.

Preces porrectae pro dictorum statutorum approbatione apostolica, quam Pontifex indulget.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat quo firmius memoratae constitutiones sic correctae subsistant, et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri dictae exponentes plurimum desiderent. Nos ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibus-

vis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati easdem constitutiones sic, ut praefertur, correctas, omniaque in eis contenta, justa tamen, et rationabilia, et quatenus regulari observantiae, sacris canonibus, aliisque apostolicis constitutionibus, et Concilii Tridentini decretis minime adversentur, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

...usula su...a, et de...am irri...

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio ...ontrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Maji MDCCLXVIII., Pontificatus nostri anno decimo.

DCLXVIII.

... die 21 ...ii 1768. ...no X.

Instrumentum, et conventiones, quibus confraternitas Sanctissimi Sacramenti Civitatis Fabriani concedit hospitale infirmorum ejusdem Civitatis fratribus ordinis S. Joannis de Deo confirmantur, et approbantur.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

...iconfra...itas Fa...anensis

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni rector, et deputati archiconfraternitatis Sanctissimi Corporis Christi, et Beatae Mariae Virginis Civitatis Fabrianen. quod pro pauperibus infirmis curandis eadem archiconfraternitas unum habet hospitalem in civitate praedicta, ad hoc vero ut miseris aegrotis auxilium, majori, qua fieri posset charitate praeberetur a viris, qui apti essent ad temporalem non solum, sed spiritualem quoque eorum salutem promovendam, praedicti exponentes petierunt a dilecto filio moderno Generali fratrum ordinis Sancti Joannis Dei, ut ipse duos, aut tres fratres ejusdem ordinis illuc mitteret, qui operam, auxiliumque in curandis infirmis hujusmodi praeberent; dictus autem prior generalis cum petitionem hanc, eo quo par erat zelo, et charitate excepisset, statim usque de mense Aprilis MDCCLXVI fratres sui ordinis, ut praefertur, volitos, ad eamdem civitatem libenti animo misit; cumque experientia compertum fuisset quanta in curandis, adjuvandisque infirmis esset fratrum memorati ordinis peritia, diligentia, ac probitas, universa civitas praedicta eorum operam, et exemplum laudibus probare non destitit: qua de re dicti exponentes unanimiter in congregatione desuper habita decreverunt, ut ipsis instantibus, dictus prior Generalis hospitalis hujusmodi conservationem in se, suumque ordinem assumere vellet, obtentoque ordinarii loci consensu die VIII Februarii currrentis anni, confectum desuper fuit publicum instrumentum per acta Joannis Francisci Frattini notarii Fabrianen. cum sequentibus pactis, et conditionibus, videlicet.

duxit pro meliori pauperum bono, hospitale qui pollebat directioni, et gubernio submittere ordinis S. Joannis de Deo, nonnullis pactionibus adjectis.

Tenor pactionum conventarum.

» L'archiconfraternita del Sanctissimo Sagramento di Fabriano cede, e concede in perpetuo all'ordine de'spedalieri di S. Giovanni di Dio, l'ospedale degl'infermi con tutti i capitali, stabili, e mobili, semoventi, azioni, e ragioni, censi, e crediti tali, quali sono ad e sso ospedale appartenenti, ed eziandio lo cede con tutti gli onori, privilegj, e diritti, e con tutti gli obblighi, pesi, e legati da soddisfarsi dalla medesima, e cogl' infrascritti patti, e condizioni. «

» 1. Che sia a carico di essa religione di ottenere, qualora ve ne sia di bisogno tutte le licenze per la fondazione della medesima

religione, e specialmente il beneplacito apostolico. »

» 2. Che la religione sia obbligata di tener sempre alzati in vantaggio degl' infermi numero quattordici letti, cioè dieci per gli uomini, e quattro separatamente per le donne, ed in caso d'influenza, rimettendo al loro zelo, e pietà l' accrescerne altro numero, con somministrare eziandio agl' infermi tutto il bisognevole sì di vitto, che di medicinali, ad altro. »

» 3. Che aumentandosi l' entrata per nuovi acquisti, che si facessero dalla religione medesima sia questa tenuta ad accrescere un letto qualora però il frutto ascenda a scudi numero cinquanta da proseguirsi per ogni avanzamento, che si facesse. «

» 4. Che debba in seguito in servizio degl' infermi, e dell' ospedale tener tutto l' anno quel numero di religiosi, che crederà il P. Reverendissimo Generale, ma che questi non debbano essere meno di tre. «

» 5. Che debba ricevere tutti gli infermi di questa città, e territorio, purchè non siano rognosi, e mali cronici, come altresì debba ricevere li forestieri, che venissero ammalati, o si ammalassero per incidenza. «

» 6. Che trasportandosi l' ospedale in altro sito debba restituire le stanze, ove presentemente è la ruota degli esposti, come ancora, che nel caso dovesse vendere il presente ospedale, non possa per un giusto prezzo, e valore, da stimarsi da periti, questo togliersi all' archiconfraternita del Santissimo Sagramento, o all' ospedale degli esposti in caso, che questi volessero farne l' acquisto. «

» 7. Affine, che resti sempre la grata memoria della fondazione dell' ospedale fatta da Santo Jacobo della Marca, e della cessione fatta dall' archiconfraternita, sia obbligata la religione a sue spese entro il tempo, e termine di mesi numero sei dal giorno della stipolazione dell' istromento della mentovata cessione di far collocare sopra la porta, o appresso alla medesima in luogo esteriore, e pubblico tanto del presente ospedale, quanto in qualunque altro sito, ove trasportar si dovesse il detto ospedale, l' acclusa memoria in perpetuo, cioè *D. O. M. Nobili Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti, ac Beatissimae Virginis Mariae Ecclesiae Cathedralis Fabrianensis Quod Nosocomium, Divo Jacobo Piceno Ordinis Minorum curante, anno 1456 erectum ordini hospitalitatis Sancti Joannis De Deo cum omnibus juribus, et redditibus concessit, idem ordo in grati animi monumentum poni curavit anno salutis* 1767. »

» 8. Che sopprimendosi la religione, che Iddio non voglia, debba questa restituire all' archiconfraternita del Santissimo Sagramento non solamente i capitali, che gli si cedono, ma eziandio tutto l' altro, che avesse acquistato per impiegarlo in detta opera pia. «

Preces porrectae pro hospitalis cessionis, et conventionum approbatione pontificia.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius instrumentum praedictum una cum praemissis pactis, et conventionibus subsistant, ac serventur exactius, nec non fundatio hujusmodi, ac bonorum mobilium, stabilium, semoventium, jurium, et actionum, ac creditorum olim ad hospitale praedictum pertinentium cessio a dicta archiconfraternitate, ut praefertur, facta, eorumque applicatio fratribus ordinis praedicti pro hospitalis hujusmodi conservatione, et substentatione sicuti praemittitur, expleta in suo robore perpetuo maneant, ea per Nos approbari, et confirmari dicti exponentes plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex cessionem confirmat, et conventiones approbat.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, instrumentum praedictum cum praeinsertis pactis, et conditionibus, ac fundationem hujusmodi, simulque cessionem, et applicationem praedictorum bonorum, ac jurium, sicuti praefertur, factam, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnes-

que, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

ula su-, et de-m irri- §. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

gatio ario- §. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, hospitalis, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plenè, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima prima Maji millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXIX.

: die 21. 1767. o X. Communicatio privilegiorum spiritualium congregationis Cassinensis ordinis S. Benedicti pro Abbate, et monachis monasteriis Ettalensis ejusdem ordinis Congregationis Bavaricae.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. In suprema Sedis apostolicae specula, meritis licet imparibus, ab aeterno Pastore collocati ad uberes bonorum operum fructus, quos monasticae congregationes adspirante superni favoris auxilio in Ecclesia Dei proferre assidue satagunt paternae dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum putamus, ut religiosa eorum studia, felicesque progressus, amplioribus in dies gratiarum, et privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus. Proemium.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Abbas, et monachi monasterii Ettalensis ordinis sancti Benedicti congregationis Bavaricae in superiori Bavaria, quod ipsi communicationem omnium singulorumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum, quibus congregatio Cassinensis ejusdem ordinis fruitur, sibi, dictoque monasterio, monachis, et personis per Nos elargiri plurimum desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis, humiliter porrectis inclinati, eisdem Abbati, monasterio, monachis, et personis nunc, et pro tempore existentibus enunciatam communicationem privilegiorum quoad gratias spirituales tantum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus. Preces porrectae pro communicatione huic monasterio gratiarum spiritualium, quibus fruitur congregatio Cassinensis, et pontificium indultum precibus conforme.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, ac validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, Clausula sublata, et decretum irritans.

si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstante nostra de non concedendis indultis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscat. die XXI. Maji MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

DCLXX.

Dat. die 1. Junii 1768 Anno X.

Catholicis in Federato Belgio commorantibus significat nullitatem praetensae electionis, et consecrationis pseudo-Episcopi Ultrajectini, unita anathemate punit, et fideles commonet, ut ab omni consuetudine cum anathematizatis abhorreant.

Jam alias hac continuatione relatae sunt quamplures epistolae, et Pontificiae constitutiones, quibus Ultrajectinum schisma damnatur, quae consulendae ad opportunitatem sunt, et praesertim sub num. CDLXV. pag. 950. et adnotatio ibi apposita.

Clemens PP. XIII.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem.

Causam hujus epistolae designat.

§. 1. Etsi satis exploratum habemus atque perspectum, quanta vobis cautio sit, ne ab hominibus pravam doctrinam imbutis, et decretis apostolicae Sedis parere detrectantibus vestrae fidei integritas corrumpatur, tamen pro ea, qua adsidue tangimur, aeternae salutis vestrae solicitudine et cura, per has Nostras literas vos admonendos existimavimus, ut eo magis ab Ultrajectini schismatis fautoribus eorumque consuetudine refugiatis, quo pertinacior eorum inobedientia, et alendi sustentandique illius scandali obfirmatior apparet in dies voluntas, et obstinatior. Modo autem quid designarunt? Cum enim Joannes Petrus Meindarts pseudo-Archiepiscopus Ultrajectensis a fel. recordat. praedecessore Nostro Benedicto decimoquarto excommunicationis mucrone confixus, et tamquam filius perditionis ab Ecclesiae sinu dejectus atque exturbatus in sua damnabili inobedientia mortalitatem expleverit, et in locum abierit suum, pseudo-canonici Ultrajectenses, nihil censurarum metu deterriti, alium quemdam nomine Gualtherum Michaelem Nieuvvenhuysen in locum memorati Joannis Petri Meindarts substituerunt, et in Ultrajectinum Archiepiscopum, ut vanissime existimant, elegerunt. Illum subinde nefario et execrando scelere Joannes Van Stiphout pseudo-Episcopus Harlemensis ad anathematum plagas, quas jam complures accepit, plane obdurescens, illicite, illegitime, sacrilege, et contra supremae hujus apostolicae Sedis mandata, sacrorumque canonum sanctiones die septima proxime elapsi mensis Februarii consecravit.

Pseudo-Episcopi Ultrajectini electionem, et consecrationem pronuntiat, atque excommunicatione plectit eos cunctos qui in illis operam, vel assensum praebuerunt.

§. 2. Nos igitur immane hujusmodi facinus detestati, praedecessorum Nostrorum vestigia sectando, auctoritate apostolica per praesentes literas decernimus, et declaramus, tam electionem ejusdem Gualtheri Michaelis Nieuvvenhuysen in Archiepiscopum Ultrajectinum fuisse irritam ac prorsus nullam, quam ejus consecrationem fuisse omnino illicitam, illegitimam, sacrilegam et execrandam; eumdemque Gualtherium Michaelem et quotquot ementito canonicorum Ultrajectensium nomine suffragia in illum contulerunt, itidemque eos omnes, qui in ejusdem Gualtheri Michaelis nefaria electione, atque execranda consecratione opem, consilium, consensum, aut operam quomodolibet praestiterunt, notorie incidisse in excommunicationem Nobis, atque huic apostolicae Sedi reservatam decernimus, et pronunciamus, atque etiam denuo excommunicamus, anathematizamus, et ab Ecclesiae communione segregatos, et ut prorsus schismaticos habendos esse edicimus et declaramus. Praeterea memoratum Gualterum Michaelem pronunciamus ab omni exercitio tum eorum, quae sunt ordinis, tum quae sunt jurisdictionis esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub poena excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incur-

randae, ne episcopalem, quam numquam adeptus est, exercere jurisdictionem, aliamve ullam, aut pro animarum regimine auctoritatem sibi audeat arrogare, vel pro suscipiendis ordinibus dimissorias literas dare, pastores, missionarios, aut quocumque alio nomine appellentur, ad animarum curam et sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis praetextu constituere aut deputare; talesque deputationes ad praedicta sub quocumque nomine officia pro animarum regimine seu factas seu fortasse faciendas, cum omnibus inde sequutis prorsus irritas esse et fore, nulliusque roboris et momenti pronunciamus, et declaramus.

[illegible] ... Epi- ... vel literis dimissoriis, vel ... sub ... suspensionis, ... perditis ... more.

§. 3. Noverint autem quicumque ab ipso Gualthero Michaele, vel per ipsius literas dimissorias Ecclesiasticos susceperint ordines, suspensionis vinculo se esse illigatos, et susceptos ordines si exercuerint, in irregularitatem incidisse. Vos autem dilecti filii cavete ab ejusmodi falsis pastoribus, qui sese in ovile intulerunt, ut furentur, mactent, et perdant. Ab his oportet quam longissime recedatis, ut ne minima quidem vox eorum ad vestras aures appellat. Semper enim maximo sumus in metu, ne mellitis quidem, sed venenatis eorum sermonibus deleniti a recta veritatis semita in devios erroris anfractus seducamini. Vobisque omnibus, quos ob veram pietatem, sinceramque in beatissimi Petri sacratissimam Sedem obedientiam et fidem vestram praecipua complectimur charitate, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 1. Junii MDCCLXVIII pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXXI.

... die 25. ... 1768. ... X.

Universale jubileum pro totius Status Ecclesiastici christifidelibus indicitur, cum remissione omnium peccatorum, et facta potestate confessoribus tam saecularibus, quam regularibus cognoscendi, et absolvendi, in casibus etiam sanctae Sedi reservatis, commutandi vota, exceptis castitatis, et religionis; unisque exclusis ab generali indulgentia, qui publice, vel occulte inhabilitate qualibet contracta, vel per sententiam censuris irretiti, parere, judicato, et cum partibus concordare recusant.

Clemens PP. XIII.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Accedamus cum fiducia ad thronum divinae gratiae, ut misericordiam in nostris necessitatibus consequamur; non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas: sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum, effundet in nos divitias misericordiae suae, si peccata nostra, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes dignos poenitentiae fructus faciamus; et obsecrationes nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas ad altare omnipotentis Dei jugiter offeramus. Haec autem, ut fructuosius, majorique spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris, et magistrae more coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire decrevimus.

Summus P... ... gratiae, ut ... offerant poenitentiae, et misericordias Domini consequantur.

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, et singulis utriusque sexus christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui S. Joannis in Laterano, S. Petri Principis Apostolorum, Sanctae Mariae Majoris, et Sanctae Mariae Transtyberim ecclesias, seu basilicas, vel earum aliquam intra decursum quindecim continuorum dierum, seu duarum hebdomadarum a dominica infra octavam festivitatis eorumdem Sanctorum Petri, et Pauli Apostolorum incipien. saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, et sexta feriis, et sabato alterius ex praedictis hebdomadis jejunaverint, et peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae sacramentum praefata do-

Modum designat, ut christifideles tam in Urbe, quam extra ... indulgentia frui valeant, et omnium suorum peccatorum ...

minica infra octavam festi sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, aut in dominica immediate subsequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam pro prima, pro secunda vero ex praedictis hebdomadis, vel ipsa secunda dominica, aut alio die hebdomadae hujusmodi, vel in ultima dominica supradictorum quindecim dierum reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; caeteris vero in quibuscumque civitatibus, oppidis, terris, et locis Nobis, et Sedi apostolicae mediate, vel immediate subjectis degentibus, qui ecclesias ab ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, et ipsis deficientibus, de eorumdem ordinariorum mandato per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio similiter quindecim continuorum dierum, seu duarum hebdomadarum a publicatione designationis per ordinarios, aut eorum vicarios, seu officiales, vel alios, ut praemittitur, faciendae decurren. saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, et sexta feria, ac sabato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac sanctissima communione ut supra refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praefertur, erogaverint, plenissimam, sicut in anno jubilaei visitantibus certas ecclesias intra, et extra Urbem praedictam concedi consuevit, omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem per unumquemque christifidelem semel tantum lucrifaciendam misericordialiter in Domino concedimus.

Personis regularibus, et in claustris perpetuo degentibus, vel in carcere mancipatis, vel aliqua corporis infirmitate, aut alio impedimento detentis, speciales, magisque accommodatas conditiones imponit.

§. 3. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus etiam in carcere, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, ut confessarios ex jam approbatis ante praesentium publicationem, seu approbandis, regularibus quidem personis in visitatione Ecclesiae proprii monasterii, seu conventus, aut domus regularis, aliis vero sive regularibus sive laicis, qui praedictam visitationem, vel alia ex superius praescriptis praestare nequiverint, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus. Insuper, ut hujusmodi indulgentia, et remissio animabus fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, permodum suffragii applicari possit, indulgemus.

Confessariis tam saecularibus, quam regularibus potestatem facit, casus omnes reservatos absolvendi, a censuris quibuscumque poenitentes liberandi; et quaecumque vota commutandi, religionis, et castitatis exceptis.

§. 4. Caeterum cupientes christifideles praedictos hujus pretiosissimi thesauri fieri participes, quibuscumque presbyteris confessariis tam secularibus, quam regularibus, ad id in ecclesiis tam Urbis nostrae praefatae, quam aliarum civitatum, oppidorum, terrarum, ac locorum hujusmodi per ordinarios locorum respective specialiter deputandis, ut eosdem christifideles ibidem ad se occasione consequendi indulgentiam hujusmodi pro hac vice dumtaxat recurrentes, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus eorum peccatis, excessibus, criminibus, et delictis, etiam quantumvis gravibus, et enormibus, ac etiam locorum ordinarii, sive Nobis, et Sedi apostolicae, etiam per literas apostolicas die coena Domini legi solitas, aut alias quascumque nostras, et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiae, et ea vice tantum absolvere, et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque confessarii arbitrio injungendis, facultatem impertimur. Non obstantibus praedictis literis, et constitutionibus, aliisque apostolicis ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Excipit irregulares, et inhabiles, vel per sententiam excom-

§. 5. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, inhabilitate quomo-

icati, ni tem de- n prae- t satisfa- cem.

dolibet contracta dispensare, vel aliquam tribuere facultatem dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque easdem praesentes literas illis, qui a Nobis, et apostolica Sede, vel ab aliquo praelato, seu judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu alias in sententias, vel censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi prius satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

iterarum sumptis, i forma scriptis, n haben- esse, de- it.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et a congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium praepositorum Praefecto, vel secretario subscriptis, et sigillo ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsius praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXV. Junii MDCCLXVIII. Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXXII.

die 25. ii 1768. . X.

Congregationi praesbyterorum saecularium Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis S. Michaelis Mechoaca Dioecesis communicantur privilegia, et gratiae spirituales praesbyteris saecularibus ejusdem Congregationis B. Mariae, et Gregorii in Vallicella de Urbe, concessae a fel. rec. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. aliisque Pontificibus.

Clemens Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

gregatio- praesby- rum sae- rium in- utiones adantur, ivilegi s- et gratiis orantur majorem gloriam

§. 1. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae, atque bonitatis abundantiam praesidentes, presbyterorum saecularium congregationes in Ecclesia Dei pie, sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue praeferre satagentes privilegiis, et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri saeculares congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii oppidi Sancti Michaelis Mechoacan dioecesis in Indiis, quod dudum eadem congregatio a fel. rec. Benedicto Papa XIII. praedecessore nostro approbata, et nonnullis gratiis, indultis, et privilegiis decorata fuit, ipsiusque congregationis presbyteri sub eodem instituto Sancti Philippi Nerii, quod dilecti pariter filii praesbyteri saeculares congregationis oratorii ejusdem Sancti Philippi Nerii in ecclesia Sanctorum Mariae, et Gregorii in Vallicella de Urbe erectae servant, hactenus vixerunt, et adhuc vivunt de praesenti.

Inter praeclaras hujusce congregationes, laudatur oratorium S. Philippi Nerii oppidi S. Michaelis dioecesis Mechoacan auctoritate Benedicto XIII instituta

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, regulae, et instituta dictae congregationis Romanae subinde a rec. me: Paulo V., Gregorio XV., et Urbano VIII. Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter Nostris specialiter approbata, ipsique congregationi Romanae, ac illius Ecclesiae presbyteris, et personis ab iisdem, et forsan aliis Romanis Pontificibus etiam praedecessoribus Nostris multa privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae, et indulta concessa fuerint, prout in ipsorum praedecessorum literis apostolicis desuper respective expeditis uberius dicitur contineri; ipsi vero exponentes regulas, et instituta hujusmodi receperint, seu recipere, et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis, et gratiis frui, et gaudere posse plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Subjectatur regulis, et institut. oratorii SS. Mariae, et Gregorii in Vallicella de Urbe, imploravisse signif., posse, et gaudere privilegiis, et gratiis huic oratorio concessis.

§. 4. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac prae-

Absolutio a censuris, et interdictis, et partecip. privilegiorum, et gratiarum omnium, sub certis conditionibus, et clausulis, excepta indulgentia perp.

Ista a Benedicto XIII indulta

earumdem literarum apostolicarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tunc existentis superioris congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii de Urbe praefata eisdem Cardinalibus factam attenderunt, consilio, praefatae congregationi oratorii Sancti Michaelis Mechoacan. dioecesis, illiusque ecclesiae, ac presbyteris secularibus, et personis nunc, et pro tempore existentibus, dummodo tamen simul convivant, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, gratiis, et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis, et indultis memoratae congregationis Romanae, ejusque Ecclesiae presbyteris, et personis per praedictos Romanos Pontifices praedecessores Nostros quomodolibet concessis etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, et quibus eadem congregatio Romana, ejusque Ecclesia, presbyteri, et personae ex memoratorum Pontificum prædecessorum Nostrorum concessione de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt (non tamen indulgentia perpetua a memorato Benedicto praedecessore prædictae ecclesiae sanctorum Mariae, et Gregorii in Vallicella sub certis modo, et forma tunc expressis concessa) pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae, et indultae hujusmodi ipsi congregationi dicti oppidi sancti Michaelis Mechoacan dioecesis, ejusque ecclesiae, presbyteris, et personis specialiter concessa reperirentur, sine praejudicio tamen gratiarum, indultorum, et privilegiorum eidem congregationi praefati oppidi sancti Michaelis, a supradicto Benedicto praedecessores, sicut praefertur, concessorum, et dummodo ipsius congregationis oppidi sancti Michaelis presbyteri, et personae nunc, et pro tempore existentes regulas, et instituta pro dicta congregatione Romana, ut praefertur, approbata observent, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium.

Praeceptum literas perpetuo observandi, et ad tramites earumdem a quocumque judice judicandi

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstan. Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictae congregationis sancti Michaelis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Revocatio concessionum eidem congregationi literarum a Clemente XII.

§. 7. Caeterum per praesentes alias a fel. rec. Clemente Papa XII. praedecessore Nostro in simili forma brevis die XVII. Novembris MDCCXXXV. expeditas literas eidem congregationi sub nuncupatione tamen congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Mechoacan concessas revocamus, et annulla-

mus, ac revocatas, et annullatas esse volumus, et decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima quinta Junii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXXIII.

die 1. 1768. X. Monialibus ordinis de Calatrava villae Matrit, Toletan. dioecesis conceditur facultas utendi breviario romano, in subrogationem alterius ordinis cisterciensis, ut melius choro inservire valeant, plurimis additis declarationibus, et reservationibus.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moderna abbatissa, et moniales monasterii villae Matriten. Toletan. dioecesis ordinis militaris de Calatrava, cujus militiae carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus administrator perpetuus apostolica auctoritate deputatus existit, quod moniales dicti monasterii ab initio illius fundationis regulam, seu constitutiones monachorum ordinis Cistercien. auctoritate apostolica confirmatas profiteri decreverunt, easque modo quoque dictae exponentes profitentur, qua de re in recitatione etiam divini officii, et horarum canonicarum breviario, ac missali ejusdem ordinis Cistercien. ipsae se conformes reddiderunt. Verum, quia temporis successu monialium bujusmodi numerus ita decrevit, ut vix decem ipsae sint ex choristis, ac omnes ferme mala valetudine affectae; hinc eisdem exponentibus per grave admodum est dicti monasterii onera substinere, ejusque officia una cum diuturna chori psalmodia obire quippe quia praeter cantum, ac recitationem officii juxta longiorem ritum Cisterciensem, quotidie canere etiam ipsae debent officium parvum beatae Mariae virginis, illique diebus ferialibus addunt officium defunctorum, ac demum singulis diebus veneris septem psalmos poenitentiales juxta ordinis hujusmodi institutum una cum litaniis recitant, conversae vero, et oblatae loco matutini quadraginta vicibus orationem dominicalem cum gloria patri recitare, et pro laudibus decies, pro qualibet hora quinquies et pro vesperis iterum decies eamdem orationem repetere tenentur, et loco completorii symbolum apostolorum, ac iterum quinquies dominicalem orationem una cum salve regina dicere ac pro officio mariano totidem angelicas salutationes, pro officio vero defunctorum centum vicibus orationem dominicalem recitare debent.

Ratio dispensationis, et commutationis onerum pro diligentiori chori servitio.

§. 2. Ne igitur, ut quandoque evenit, ipsae aegrotae officia monasterii hujusmodi obire, et choro interesse cum gravissimo salutis dispendio teneantur, dictae exponentes breviario, et missali romano uti, ac ab obligatione recitandi tam officium marianum, quam aliud defunctorum, et psalmos poenitentiales eximi, ac officia propria ordinis Cisterciensis juxta breviarum impressum pro monialibus dicti ordinis recitare posse nec non consuetudinem juxta quam exponentes praedictae loco psalterii in feriis quarta, quinta, et sexta majoris hebdomadae ex institutione earum ordinis recitandi psalmum quinquagesimum tantum dicunt, per Nos approbari, diminutionemque vocalium orationum dictis oblatis, et conversis concedi unanimi voto plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulgetur gratia, servatis in parte literas sa. me. Pii Papae V; et Clementis papae XI.

§. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione sub die XXVIII. Martii currentis anni MDCCLXVIII. venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Car-

dinalium Concilii Tridentini interpretum secretarii, nunc, et pro tempore existentibus monialibus choristis dicti Monasterii, ut ipse in posterum uti valeant breviario romano, ita tamen, ut sub praecepto teneantur in choro ad recitationem officii Beatae Mariae Virginis et defunctorum iis diebus, quibus fit officium de feria, psalmos vero paenitentiales in feria sexta quadragesimae, et graduales feria quarta ejusdem quadragesimae in omnibus, et per omnia ad formam ejusdem breviarii romani, et literarum Sa. Me. Pii Papae V. praedecessoris Nostri incipien. » Quodam Nobis etc. recitare debeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et insuper quoad recitationem sanctorum dicti ordinis Cistercien. servandas esse alias literas fel. rec. Clementis Papae XI. itidem praedecessoris Nostris in simili forma brevis die XXV. Septembris MDCCX. expeditas volumus, et mandamus, ac loco, et vice psalterii in feriis quarta, quinta, et sexta majoris hebdomadae psalmum quinquagesimum etiam in posterum recitare posse eisdem monialibus concedimus pariter, et elargimur. Conversis autem, et oblatis nunc, et pro tempore in dicto monasterio existentibus at ipsae quotidie pro nocturnis viginti vicibus dominicalem orationem, ac tot angelicas salutationes, decem vero pro laudibus, et vesperis, ac quinque pro singulis horis dicere, diebus vero festis pro nocturnis tantummodo recitationem ejusdem dominicalis orationis, et angelicae salutationis replicare teneantur, auctoritate, et tenore praesentis volumus, et mandamus.

Pro plenario gratiae effectu derogatur constitutionibus, privilegiis, indultis, aliisque concessionibus, et exceptionibus in contrarium facientibus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectas, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ordinum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die prima Julii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXXIV.

Dat. die 4. Julii 1768. Anno X.

Cum in capitulo ecclesiae Cathedralis Cordubensis singulis canonicis praeter vacationem a choro per menses tres annuatim, competeret privilegium in qualibet hebdomada vacationem aliam medii unius diei carpendi, titulo tundendae barbae, et inde saepies chori servitium, et Divinum cultum detrimentum sentiret, commutatur privilegium hujusmodi, cum beneficio fruendi vacatione per integros menses quatuor, ad exemplum aliarum simillimarum concessionum, onere Episcopo injuncto consulendi, ne per dictam vacationem ecclesia debito fraudetur servitio.

Venerabili fratri Episcopo Corduben.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, et Canonici istius ecclesiae ca-

clesiae tralis ben. essent ante, post publ. sacro- Conci- dentin-

thedralis Corduben., quod ipsi vigore suorum statutorum etiam ante Concilii Tridentini tempora vacatione a choro per spatium quatuor mensium anno quolibet gavisi fuerunt; secuta vero postmodum Concilii hujusmodi publicatione juxta ea, quae dictum Concilium praescripsit, trium tantummodo mensium vacatione annuatim potiuntur, ac propterea juxta praedicta statuta, et immemorabilem quoque consuetudinem titulo tondendae barbae vacationem etiam medii unius diei qualibet hebdomada praefati exponentes obtinere assueverunt, ac obtinent de praesenti; verum quia quisque ex Capitularibus proprio arbitratu medietatem diei sibi benaevisi causa, ut praefertur tondendae barbae eligere valet, hinc pluries evenit, ut non exiguus Capitularium hujusmodi numerus absens a choro eadem die reperiatur non sine divini cultus decremento.

tulatur um ad llum a- n capi- m, per olicam cessio- fraen- acatio- atuor, etiam nque sum et au-

§. 2. Quocirca quemadmodum alias, ut asseritur nonnullis capitulis, et canonicis ecclesiarum cathedralium in Hispaniarum Regnis existen. ab apostolica hac sancta Sede indultum fuit, ut vacatione quatuor mensium annuatim ipsi gaudere possent, sicuti fel. rec. Julius Papa II. praedecessor noster vacationem hujusmodi capitulo, et canonicis ecclesiae Seguntin., ac rec. me. Julius Papa III. itidem praedecessor noster capitulo, et canonicis ecclesiae Abulen.; et praedictae me. Pius Papa V. praedecessor pariter noster capitulo, et canonicis ecclesiae Caurien. concesserunt, atque insuper capitulo, et canonicis ecclesiae Pacen. a rec. mem. Paulo Papa III. praedecessore quoque nostro vacatio quatuor mensium, et viginti dierum concessa fuit, et fel. rec. Sixtus Papa V. praedecessor pariter noster vacationem duodecim dierum pro quolibet mense capitulo, et canonicis ecclesiae Hispalen. indulsit, ac rec. me. Clemens Papa VII. praedecessor itidem noster capitulo, et canonicis ecclesiae Burgen. quinque menses vacationis assignavit; ita quoque dicti exponentes loco vacationis medii diei qualibet hebdomada pro tondenda barba, ut praefertur, usque adhuc obtentae, quartum vacationis mensem, qui fere ex medietate dierum hujusmodi constituitur, sibi assignari, et attenta praesertim distantia praefatae ecclesiae cathedralis positae juxta flumen, ac maenia civitatis Corduben., in qua ipsi exponentes plerumque dum canonicatus, et praebendas hujusmodi obtinent provectae aetatis existentes cum gravi eorum salutis incommodo vim frigoris hiberno tempore substinent, ac aestu fervent in aestate; inspectoque rursus magno eorum numero, propter quem ex vacatione quarti mensis praedicti servitio ecclesiae haud grave praejudicium infertur, quarti mensis hujusmodi vacationem per Nos concedi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita prius super praemissis tam relatione tua, quam etiam deinde die nempe XVI. Aprilis currentis anni MDCCLXVIII. audita quoque relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii; fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, sublatis vacationibus dimidiorum dierum pro qualibet hebdomada per annum, quas titulo tondendae barbae capitulares sumere hactenus consueverunt, quartum vacationis mensem favore exponentium auctoritate apostolica, tenore praesentium pro tuo arbitrio, et conscientia statuere possis, et valeas; volumus autem quod a te provisum sit, ne occasione praedictarum vacationum ecclesia praedicta debito fraudetur servitio. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in om-

Conceditur Episcopo facultas concedendi imploratam commutationem, dummodo sint vera, quae pro obtinenda gratia fuerant exposita, et cum lege consulendi exacto chori servitio.

nibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur praescriptionibus in Tridentino, aliisque conciliis, et constitutionibus apostolicis editis, aliisque in contrarium facientibus, quo pro hac vice tantum, et peculiariter ad casum

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac in concilio Tridentino, aliisque universalibus, synodalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; nec non ecclesiae, et capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quarta Julii MDCCLXVIII. Pontificatus Nostri anno decimo.

Collectis ad numerum cunctis materiis, quae ecclesiasticam Pontificis potestatem respiciunt, ad exitum perductum etiam X. annum nolumus, quin ante pauca, quae temporale dominium spectant, referamus

DCLXXV.

Dat. die 17 Julii 1768 Anno X

Refertur, et confirmatur chirographum editum super reintegratione aerarii Castri S. Angeli de Urbe cum debitis cauthelis peragenda.

Circa hanc materiam videri possunt ea quae jam dicta, et relata fuere in hoc Continuationis Tomo pag. 875.

Clemens Episcopus

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert ex gravissima annonae inopia, pecuniae quantitatem ab sanctiori aerario Castri S. Angeli extractam fuisse, editumque fuisse motum proprium pro curanda hujusmodi reportatione pecuniae.

§. 1. Ex pastoralis officii debito ad curam, et sollicitudinem totius christiani gregis, intenti subjecti tamen Nobis in temporalibus populi utilitatibus, et commodis pro temporum opportunitate quantum in Domino possumus sedulo prospicere non praetermittimus, atque illud propterea curare, ut quae a Nobis maturo consilio, seduloque examine provide constituta sunt, futuris quoque temporibus firma, et inconcussa permaneant, nec unquam ut fert rerum humanarum conditio, temporumque varietas, vel in oblevionem dilabantur, vel paenitus etiam evertantur. Cum itaque ad avertendam Annonae inopiam, quae anno MDCCLXIV. tum etiam superiore proxime elapso MDCCLXVI. huic Urbi nostrae populisque temporali nostro dominio subjectis extremam perniciem, atque interitum allatura videbatur non sine gravi animi nostri dolore coacti fuerimus de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, et assensu, ac etiam decreto proprio singulorum manu subscripto, et roborato juxta leges, et conditiones in constitutionibus S. M. Sixti V. praedecessoris nostri praescriptas ex sanctiori aerario per eumdem Sixtum praedecessorem nostrum in castro Sancti Angeli condito, et constituto quamdam pecuniae summam extrahere ad ingentes sumptus in emptione frumenti faciendos. Nunc vero cum ad ejusdem aerarii detrimenta reparanda, pecuniamque inde depromptam reponendam, ac reportandam certas quasdam conditiones, leges, atque ordinationes nostri motus proprii schedula sub die secunda elapsi mensis Augusti manu nostra signata contentas ediderimus, quibus quantum et horum temporum sinit adversitas, et camerae apostolicae jam extenuatae vires, meliori qua possumus ra-

tione aerarii sanctioris reintegrationi, ac reportationi pecuniae ab eo depromptae satis consultum fore putavimus, reliquum est, ut ad hujusmodi voluntatis, et ordinationis nostrae perpetuam firmitatem, debitamque executionem asserendam ipsam hujusmodi schedulam novo, ac perenni apostolicae auctoritatis robore communiamus. Ejus autem schedulae tenor talis est, videlicet:

...r motoprop...

§. 2. Clemens Papa XIII. » Motu proprio ec. Dopo un lungo trattato fatto colla gloriosa memoria dell' Imperadore Francesco I. ci era finalmente riuscito di conchiudere a favore della Nostra Camera Apostolica per il prezzo di dugento settantacinque mila zecchini la compra inutilmente tentata nel pontificato del nostro immediato predecessore Benedetto XIV. di tutti i beni, che la M. S. possedeva in qualità di Gran Duca della Toscana nelle nostre legazioni di Urbino, e di Romagna, ed era già stato il contratto di questa compra segnato in Vienna il dì 26. Decembre 1763. dall' arcivescovo di Tebe nunzio apostolico, e dal Barone Adamo Posch muniti ambidue delle loro ample respettive plenipotenze. Ma le non previste fastidiose circostanze delle pubbliche calamità, che sopraggiunsero, ci obbligarono a sospenderne per allora l' esecuzione, ed a rivolgere altrove le nostre paterne cure. Le scarse raccolte de' grani, e d' ogni altro genere necessario al vitto umano, sì nelle campagne di Roma, come nelle vicine provincie avevano già fatto sentire sulla fine del suddetto anno 1763. una straordinaria penuria; la quale non ostante tutte le nostre sollecitudini e la previdenza, che avevamo avuto di commettere una non piccola quantità di grano nella nostra provincia di Romagna, che ne aveva superiormente al suo bisogno, proruppe poi ne' principj dell' anno 1764. in una funesta carestia, la quale ci costrinse a doverne fare una più molto copiosa provvista negli stati esteri a prezzi esorbitantissimi. Quindi fu, che non essendo per se stessa bastante la cassa dell' annona a fornire una tanto grandiosa spesa fu necessità di ricorrere al nostro erario di castel S. Angelo, da cui, servate le forme prescritte dalle ben note costituzioni del pontefice Sisto Quinto, furono estratti 287. mila scudi d' oro, quali fatti riconiare dal nostro monte di Pietà in zecchini correnti produssero la somma di scudi 514364. 94. d'argento impiegati tutti oltre il molto di più nella compra di un genere così necessario. Intanto però essendoci sommamente a cuore di reintegrare il più presto, che fosse possibile l' erario sanziore della somma indi estratta, ma non avendo allora altri mezzi ci appigliammo al partito d' imporre una tassa mediante l' editto di nostro ordine pubblicato dal reverendissimo nostro Cardinal Camerlengo li 31. Agosto 1764. sopra i luoghi di monte, ed officj vacabili, come pure sopra tutti li stabili, e rendite di altri titoli, e fondi esistenti in Roma, e nell' agro romano simile a quella, che fu pubblicata negli anni 1743. e 1744. dal nostro predecessore per gl' infortunj di quel tempo, contando, che col ritratto di essa si sarebbe potuto riportare nel nostro erario di castel S. Angelo la maggior parte del danaro come sopra estrattone. Nell' istesso tempo peraltro non era minore la nostra premura di dare esecuzione al mentovato contratto di beni gran-ducali di Urbino così esigendo il necessario disimpegno della nostra precorsa pontificia parola, ed anche il riflesso di non perdere una occasione così favorevole, che forse non si sarebbe più data di un acquisto di tanta importanza; ma mancandoci ogni mezzo per pagarne il prezzo, nè credendo di essere in circostanze da poter gravare di un nuovo debito lo stato colla creazione d' altri luoghi di monte, giudicammo miglior consiglio di farne fare per allora lo sborso dai nostri banchi del monte di Pietà, e di S. Spirito, e di prevalerci per la loro più pronta reintegrazione del prodotto della suddetta tassa pigliando un più lungo tempo per la reintegrazione dell' erario sanziore, per la quale oltre la sicurezza immancabile, che le fornivano gli stessi beni d' Urbino acquistati in gran parte col getto della detta tassa avevamo già in vista altri ragguardevoli assegnamenti.

Opportuniores providentiae eliguntur, quae ad optatam consequendam

§. 3. Quantunque però attesa una serie deplorabile di sempre nuove disgrazie non siamo presentemente in istato di far capitale di tutti que' fondi, che avevamo allora ideati,

reintegratio nem confer- re poterant.

tuttavia non vogliamo più lungamente differire a dar principio alla reintegrazione del detto erario di Castel S. Angelo almeno in quella miglior maniera, che per ora ci è possibile, riservando a Noi, e nostri successori il diritto di prendere provvidenze più larghe per proseguirla con maggior vigore, se il Signore Iddio per sua infinita misericordia si degnerà di mandarci tempi più felici. A questo effetto dunque siamo venuti nella determinazione di stabilire, e di ordinare con questo moto proprio, stabiliamo, ed ordiniamo, che tutte le entrate de' mentovati beni di Urbino tanto fin qui decorse, e depositate in conto a parte nel monte di Pietà, quanto da decorrere in avvenire s' investino prontamente in tanti luoghi di monte, o anche Offici vacabili, da acquistarsi colla legge della loro non vacabilità in credito dell' erario di Castel S. Angelo, ed il frutto di essi si vada sempre investendo, e moltiplicando coll' acquisto d' altri luoghi di monte, o vacabili coll' istessa legge della non vacabilità, fintanto che l' investimento, e moltiplico non giunga a formare un capitale di cento mila scudi, al quale giunto, che sia, si vendino subito tutti i luoghi di monte, o vacabili fino allora comprati, e moltiplicati, ed il ritratto di essi convertito in tanto denaro effettivo, o pure in verghe d' oro, e d' argento si riporti subito in castel S. Angelo a titolo della di lui reintegrazione, e si ricominci tosto da capo l' investimento, ed il moltiplico come sopra degli stessi frutti, e rendite de' beni di Urbino per formare altro simile capitale, di cento mila scudi da riportarsi similmente fatto che sia come del primo capitale si è detto nell' erario sanziore, e così continuare sempre in avvenire il medesimo investimento, e moltiplico di cento in cento mila scudi per volta sino al compimento della totale reintegrazione dell' erario nell' intera somma di scudi 514,364 bajocchi 94. quanti ne furono dal medesimo estratti nei dì 12. Aprile, e 7. Maggio 1764, ed ogni volta, che si riportino in castel S. Angelo le predette somme intervenghino all' atto i Cardinali capi d' ordine, e Camerlengo con tutti i rispettivi ministri della camera apostolica, che furono presenti all' estrazione, e se ne faccia l' opportuno rogito. Avendo Noi riputato di dover per ora prescegliere questo partito piuttosto, che un moltiplico sempre continuato senza vederne interrottamente, e riportarne in Castello alcuna parte, perchè abbiamo creduto di meglio in questa guisa conformarci alla mente, ed alla intenzione di Sisto V., che fù gelosissimo di far ritornare il più presto, che fosse possibile in quell' erario o in parte, o in tutto, come più permettessero le circostanze, il vero reale, effettivo denaro, che ne fosse stato estratto per le occorrenze da lui previste.

In casu venditionis bonorum Urbini, praetium deponendum esse praecipit cum eadem lege multiplici.

§. 4. Ma perchè può succedere che in questo frattempo si giudichi a proposito di vendere o una parte, o anche il totale dei beni di Urbino, e così si venga a scemare, o a toglie re in tutto quell' annuo fruttato, che deve come sopra investirsi, e moltiplicarsi, però ordiniamo, che in questo caso tutto il prezzo, che venisse di mano in mano a ritrarsi dalla vendita di detti beni, si debba esso pure immediatamente depositare nel nostro monte di Pietà ad effetto d' investirlo in tanti luoghi di monte, o vacabili colla medesima legge della non vacabilità, il solo frutto de' quali s' intenda assegnato al moltiplico nella istessa guisa, che si è detto del fruttato de' beni, e colle stesse condizioni, e leggi. Volendo, che la nostra camera apostolica non possa giammai profittare nè de' beni suddetti, nè del loro prezzo da surrogarsi in caso di vendita ai medesimi beni sintanto che non sia perfezionato, e compito il moltiplico da farsi, come si è detto, col frutto di essi.

Pro plena executione pontificiae legis ad invicem oneran- tur Thesaurarius, et ratiocinator R. C. A. ut primus statutam deponat pecuniam, alter quolibet anno exhibitis rationibus evincat, debitis investimentis, et reintegrationibus, consultum opportune fuisse.

§. 5 Per l' effetto poi, ed esecuzione di tutte le suddette cose, vogliamo, che il nostro monsignor tesoriere generale, e computista generale della camera pro tempore restino respettivamente incaricati, come strettamente gli incarichiamo, il primo del pronto puntuale rinvestimento assegnato come sopra al divisato moltiplico, ed il secondo di tenere nella computisteria camerale un chiaro, ed esatto conto a parte, affinchè resti pienamente eseguita la nostra volontà, e che possa in ogni futuro tempo giustificarsi l' adempimento. E siccome questo moltiplico, che deve servire a reintegrare l' erario sanziore

di castel S. Angelo, vogliamo, che fin da ora si consideri come una parte essenziale, ed essenzialmente connessa al medesimo erario, la di cui conservazione è anche commessa alla vigilanza, e cura di tutto il sacro Collegio così soggettandolo Noi in tutto, e per tutto alle istesse identiche leggi, condizioni, e cautele imposte già dalla felice memoria di Sisto V. alla custodia, ed alla sicurezza del denaro da esso riposto in Castel S. Angelo, comandiamo, ed ordiniamo, che il predetto monsignor tesoriere generale pro tempore debba in fine d' ogni anno esibire ai reverendissimi Cardinali capi d' ordine, e Camerlengo di Santa Chiesa il conto giustificato, e giurato dal detto computista generale della nostra camera tanto del deposito, quanto altresì del rinvestimento, e moltiplico fatto, riportando in ciascun anno le somme investite, e moltiplicate anche negli anni antecedenti, e di questo conto, che i Cardinali capi d' ordine, e Camerlengo avranno ricevuto, vogliamo altresì, che essi ne rendano informato il pieno collegio nel primo concistorio, che si terrà in ciascun anno, e che lo lascino originalmente nelle mani del segretario di esso concistoro, affinchè lo inserisca negli atti concistoriali, riferendo poi anche a Noi ed a nostri successori se tutto sia stato fatto, ed eseguito a seconda delle nostre intenzioni, e degli ordini da Noi stabiliti, essendo tale la mente, e volontà nostra espressa.

...ula su- ..., de- ...n irri- et de- ...o con- ...rum.

§. 6. Volendo, e decretando, che la presente nostra cedola di moto proprio benchè non sia ammessa, e registrata ne' libri della nostra camera secondo la bolla di Pio IV. nostro predecessore *de registrandis*, vaglia, e debba aver sempre la sua piena esecuzione, ed effetto colla nostra semplice sottoscrizione, nè possa mai opporsele di surrezione, orrezione, di alcun' altro vizio, e difetto della nostra volontà, ed intenzione ancorchè non vi sia stato chiamato, citato, nè sentito monsignor commissario della nostra camera nè alcun' altro, che vi avesse, o pretendesse avervi interesse, non ostante la regola della nostra Cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, la preallegata bolla del detto nostro predecessore Pio IV. *de registrandis*, e l' altra del medesimo pontefice *de rebus Ecclesiae, et Camerae non alienandis*, e quali si siено altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche nostre, e de' nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, e consuetudini, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, per questa volta solamente, ed all' effetto suddetto pienamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 11. Agosto MDCCLXVI.

Clemens Papa XIII.

Executio praecedentis motus-proprii praecipitur, etiam ex plenitudine potestatis.

§. 7. Ut autem ea, quae pro celeri sanctioris aerarii reintegratione ad publicam utilitatem a Nobis in praeinserta schedula provide ordinata, volita, statuta, decreta, et sancita sunt, debitae executioni demandentur, ac in futurum firmius subsistant, et exactius serventur motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione, et de potestatis plenitudine eamdem praeinsertam schedulam, omniaque, et singula in ea contenta, et expressa, et a Nobis per eam, ut praemissimus ordinata, approbata, disposita, volita, mandata, decreta, statuta, et sancita harum tenore confirmamus, et approbamus, eisque perpetuum, et inviolabile hac nostra perpetuo valitura constitutione apostolicae confirmationis, et approbationis robur, et firmitatem adjicimus, atque iterum, et ex integro ea omnia, et singula in omnibus, et per omnia juxta praeinsertae schedulae nostri motus proprii seriem, continentiam, et tenorem, eadem apostolica auctoritate ordinamus, disponimus, volumus, mandamus, statuimus, decernimus, atque sancimus, eademque ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum perpetuo observari, et exactissime impleri jubemus, atque praecipimus.

Adversus ipsum motum proprium exceptionem obreptionis, et subreptionis, nunquam admittendam esse praecipitur, sed justa illius tenorem proceden-

§. 8. Decernentes easdem praesentes literas, atque omnia, et singula tam in his, quam in praeinserta schedula nostri motus proprii contenta, atque statuta nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari posse, sed illa

dum esse statuitur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

semper valida, firma, et efficacia esse, et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, nec non S. R. E. Camerarium, et quoscumque alios Cardinales etiam de latere legatos vice legatos et nuncios, thesaurarium quoque generalem, et clericos praesidentes, aliosque ministros, et officiales camerae praedictae ac alios quavis potestate fungentes, nunc, et pro tempore existen., sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, mandati, sanctionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, quintodecimo kalendas Augusti, Pontificatus Nostri anno decimo.

DCLXVI.

Dat. die 19. Aug. 1767. Anno XI.

Consulitur necessariae Custodiae aggerum fluminis Padi, ad spineticum ostium et in vallibus Comaclensibus cameralibus.

Monsignor Giovanni Angelo Braschi nostro Tesoriere generale.

Quot fuerint incommoda quae a non recta constructione, et custodia aggerum enumerantur

§. 1. Tra gli altri buoni effetti prodotti dall' accesso che fecero nell'anno scorso i tre periti mattematici da Noi spediti a visitare le campagne danneggiate dalle acque nelle nostre provincie di Bologna, Ferrara, e Romagna per l' intento pienamente narrato in altro nostro chirografo diretto a monsig. Ludovisi Boncompagni vicelegato della nostra città di Bologna in data delli 22. Giugno prossimo passato, uno fù quello d' aver essi ocularmente riconosciuto la qualità, e stato infelice degl' argini a sinistra del Po di Primaro per quel tratto tanto geloso, che immedietamente fiancheggia le nostre valli di Comacchio incominciando dai molini di Filo fino alla chiavica d' Umana, stato finora suggetto alla custodia e giurisdizione di chi presiede alla difesa del Polesine di S. Giorgio; avendo trovato essi periti, come risulta dalla loro relazione, gli argini suddetti pel tratto indicato fatti senza larghezza di base, senza scarpa e piede, senza la dovuta inclinazione, senza gli opportuni ripari dalle corrosioni; tali in somma ed in tale stato, onde le dette valli, che pure sono un provento sì riguardevole della nostra camera, stessero sempre in evidente pericolo, che, sfasciati gli argini medesimi per qualche rotta, si scaricasse in esse il Primario e le sue acque torbide colla loro quasi totale rovina: pericolo pur troppo avveratosi nella colposa rotta ivi appunto seguita in quest' anno medesimo alli 3. del passato mese di Febraro, con tanto incomodo, e spavento della nostra città di Comacchio, e colle note conseguenze in esse valli succedute, come pure altra simil rotta accadde in quegli stessi argini dell' anno 1709.

Quaeque diligentiae adhibitae fuerint a R. C. A. ut incommoda ipsa eliminarentur.

§. 2. Per le quali cose seriamente considerate dalla nostra congregazione delle acque tenuta li 2. del passato Giugno, ne rilevò essa la precisa necessità di dover Noi confidare da qui avanti al ministero della stessa nostra Camera Apostolica, la cura e custodia de' suddetti argini per tutto il tratto adjacente alle dette nostre valli, mercè la vivissima ragione, che, siccome rompendosi quelli nell' accennato sito, il danno e interesse primario vien ad essere della stessa nostra Camera, e del suo appaltatore, così la camera e l' appaltatore avranno sempre per la loro custodia un attenzione incomparabilmente maggiore di quella siano per averne i Ferraresi, che in evento di rotte in que' luoghi, non hanno tanto da temere pel loro Polesine: confermando un tal giudizio l' esperienza medesima in or-

dine a quella parte di detti argini, che ora sono in custodia della stessa Camera, cioè dal mare fino alla chiavica d'Umana, quali nell'anzidetta visita dei tre matematici furon trovati d'un ottima struttura, ed assai bene mantenuti, cosicchè altrettanto bene, e con pari vigilanza sarà custodito da essa Camera il tratto consecutivo dei suddetti argini, che in mano de' Ferraresi trovansi ora sì mal costrutti e peggio mantenuti: Onde per queste persuadentissime ragioni emanò in essa congregazione tralle altre, la risoluzione da Noi poscia coll'indicato chirografo delli 22. Giugno solennemente approvata « *Consulendum Sanctissimo pro consignatione facienda Rev. Camerae Aggerum respicientium munitione vallium Comaclensium, et ad Eminentissimum Camerarium cum domino Thesaurario juxta mentem*, » la qual mente fu di doversi stabilire i punti precisi di dove incomincia, e dove termina la difesa delle valli di Comacchio, e di dover voi stendere un accurata istruzione sopra il modo di riconoscere e determinare la spesa occorrente per la detta arginatura, da eseguirsi nella maniera, che dal P. Antonio Lecchi della Compagnia di Gesù da Noi deputato in perito e direttore primario di tutte le operazioni, fosse creduta la più opportuna: e quindi, eseguitasi da voi l'incumbenza della detta istruzione inviata al nominato P. Lecchi, ci avete ultimamente riferito esservi stata dal medesimo rimessa la relazione della visita fatta col di lui precedente ordine, e direzione in scriptis, alli divisati argini da Ambrogio Baruffaldi, e da Gio. Bartolommeo Ferroni periti della nostra Camera uno in Ferrara, e l'altro in Comacchio, e dalla medesima risultare, che il tratto di tutta la prefata arginatura, ora guardata dalla congregazione de' lavorieri di Ferrara, e da consegnarsi da qui avanti alla cura e custodia come sopra della nostra Camera, resta compresa tralle chiaviche d'Umana, ed il canale de' molini di Filo, ed essere una estensione di pertiche quattromila seicento sessanta, misura di Ferrara, corrispondenti a palmi romani ottantatre mila ottocento ottanta, e che i risarcimenti, che v'abbisognano nello stato presente da sollecitarsi per assicurare le valli suddette dalla minaccia di rotte nelle piene del vicino autunno, ascendono alla scandagliata verisimile spesa di scudi duemila novecento trentasette; i lavori poi prescritti in un foglio dell'istesso P. Lecchi, e che dovranno farsi nell'atto d'eseguire le altre operazioni enumerate nel preindicato nostro Chirografo delli 22. Giugno, ascendono alla verisimile spesa di scudi sedicimila novecento diciotto, e bajocchi cinquantuno.

Praecipitur ut executioni mittantur ea quae opportuna in casu, et necessaria comperta sunt, derogatis constitutionibus, et ordinibus in contrarium facientibus, certis tamen sub legibus et conditionibus ad unguem servandis.

§. 3. Ed in seguito de' così premessi accertamenti volendo Noi, che abbia una pronta, e piena effettuazione il prefato espediente suggeritoci della nostra congregazione delle acque, di commettere al ministero della nostra Camera la cura, e soprintendenza del suddetto tratto d'argini, con derogare in questa parte, ed in quanto sia di bisogno, agli ordini, e disposizioni di varj Sommi Pontefici nostri predecessori, mercè le quali una tal cura, e soprintendenza è appartenuta fin' ora all'anzidetta congregazione de' lavorieri di Ferrara subordinata ai Reverendissimi Cardinali colà legati, perciò col presente nostro Chirografo, in cui abbiamo per espressi, e come di parola in parola inserti, i tenori della preindicata risoluzione della nostra congregazione delle acque, il successivo chirografo da Noi segnato li 22 dello scorso Giugno, la prefata visita, e scandaglio di spese fatte dalli detti periti sotto la direzione del nominato P. Lecchi, la somma, e individuazione precisa delle dette spese ivi additata, la cedola di motu proprio segnata dal nostro predecessore Benedetto XIV. li 28 Giugno 1753. approvativa de' regolamenti della congregazione sopra la cassa de' lavorieri di Ferrara registrata per gli atti del Castellani segretario di Camera, con tutti quei brevi, o siano chirografi, e costituzioni de' predecessori, che ivi s'enunciano, ed ogni altra cosa necessaria da esprimersi ec.; di nostro motu proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema podestà, vogliamo, e decretiamo, che in avvenire tutto quel tratto d'arginatura a sinistra del Pò di Primaro, che si stende tra 'l canale de' molini di Filo sino alla chiavica d'Umana in estensione di pertiche quattro mila seicento sessanta Ferraresi, non

debba esser più soggetto, come fin' ora è stato, alla cura, e soprintendenza della congregazione de' lavorieri di Ferrara, dichiarando Noi, che fin da ora si abbia, e sia in fatti dalla di lei superiorità, e direzione totalmente separato, e dismembrato, non ostante, che in questa parte sia stato diversamente disposto, *implicite*, o *explicite* dai nostri predecessori, cioè da Clemente VIII. ne' suoi brevi, o chirografi de' 18. Gennaro 1600., 18. Aprile, e 14. Novembre 1603., da Innocenzo X. ne' suoi de' 5., e 6. Febraro 1652., da Alessandro VII. li 7. Novembre 1657., da Alessandro VIII. li 7. Agosto 1690., e da Benedetto XIV. nel suo motu-proprio delli 28. Giugno 1753., alli quali, nelle sole parti però contrarie a questa nostra disposizione, specialmente intendiamo di derogare: e che perciò la detta congregazione de' lavorieri non possa, nè debba più ingerirsi, nè per se, nè per mezzo de' suoi deputati, o ministri, in alcuna ordinazione, o inspezione de' lavori in qualunque modo riferibili ai sopraddetti argini, nè in veruna deputazione di officiali, ministri, e operatori, per tutta l' indicata estensione, ma bensì debba tutto questo dipendere, e rimanere privativamente riservato, siccome Noi da questo punto il riserviamo, ed appropriamo a voi, ed a' vostri successori in perpetuo nell' officio del tesorierato, con tutte le facoltà per tal' effetto necessarie, ed opportune, di maniera che vostra, e de' vostri successori pro tempore, come sopra, sia, ed esser debba tutta l' autorità, giurisdizione, e soprintendenza in ordine ai lavori necessarj per la costruzione, riattamento, e conservazione de' sopradescritti argini: colla legge però delle seguenti dichiarazioni, e regolamenti.

Enumerantur leges, et conditiones quibus alligata fuit nova ipsorum aggerum constructio, et custodia.

§. 4. *Primo* » Che tutto quanto occorrerà di spesa anche minima per i detti lavori di qualunque sorta nella preindicata estensione d' argini, come anco per gli attrezzi, utensili, o materiali all' opra loro inservienti, tutto debba farsi, e pagarsi coi danari della cassa, e congregazione suddetta de' lavorieri, dovendo questa rimaner tenuta, ed obbligata, com' era prima, ed è stata fin' ora, in tutto ciò che concerne la detta spesa, intorno al cui obbligo non vogliamo, che per questa nostra disposizione, sia, o s' intenda fatta anche in minimo alcuna novità. *Secondo* » Che all' istesso modo debba rimanere a peso della detta cassa de' lavorieri la spesa occorrente anco per la riparazione di qualunque rotta, che (Dio guardi) fosse mai per succedere nel suddetto tratto d' argini (purchè non succedesse per colpa, e fatto colposo della stessa nostra camera, o dell' appaltatore delle sue valli (sempre inteso, che anche nel detto caso di rotta, possa questa farsi ripigliare dalla nostra camera coll' autoritativa ingerenza de' tesorieri generali pro tempore, come sopra, e indipendentemente dall' opera della prefata congregazione de' lavorieri. *Terzo* » Che a carico similmente della detta cassa dei lavorieri restar debba il pagamento de' convenienti salarj, o stipendj tanto fissi, quanto straordinarj, da darsi al perito, o come dicono, giudice d' argine, e a tutti gli altri ministri, che da voi si crederanno necessarj, (avuto anche riguardo al solito fin' ora praticato dalla stessa congregazione de' lavorieri) per la buona cura, e custodia della suddetta arginatura confidata da ora innanzi alla nostra camera, l' elezione, e deputazione dei quali ministri tanto per questa prima volta, quanto per sempre in avvenire, dovrà in tutto dipendere da voi, e dai tesorieri generali pro tempore, con facoltà, in caso di loro disubbidienza, o altro notabile mancamento, di sospenderli dalla carica eziandio colla perdita del salario durante una tal sospensione, o anche di rimuoverli affatto, se così richiedesse la gravità della colpa. *Quarto* » Per ovviare ad ogni morosità, e procrastinazione in rapporto agli enunciati pagamenti, ai quali deve soccombere la più volte detta cassa de' lavorieri, dovrà la medesima, in quanto ai salarj fissi, e alla ricognizioni straordinarie de' ministri, che, come sopra, saranno da voi deputati spedirne i mandati per le loro paghe nell' istesso tempo, che spedirà gli altri per i suoi ministri, che diconsi di tabella; in quanto poi alle spese de' lavorieri vogliamo, che, dopo terminato ne' suddetti argini a voi soggettati un qualche lavoro, o anche fat-

lane solo una parte, ove si tratti di lavori di lunga durata, il giudice d'argine camerale debba subito inviarne al commissario della nostra camera residente in Ferrara una relazione giurata ben distinta, ed esprimente si le partite, che la qualità, misure, e prezzi del lavoro medesimo; la qual relazione, dopo che sarà passata sotto la rivista, e sindicato del computista della nostra camera in Ferrara, e poscia presentata dal detto nostro commissario alla prefata congregazione per mezzo d'un competente di lei ministro, essa congregazione debba onninamente dentro il termine di venti giorni averne fatto seguire il pagamento: altrimenti sia in libertà della nostra camera, e del di lei commissario di procedere *manu regia, et more camerali* per l'effetto suddetto, alle gravatorie, o anco per via di rappresaglia, contro i beni, e robe (salva però la persona) d'uno o due più benestanti a sua scelta tralli dodici soggetti, de' quali è composta la congregazione de' lavorieri, rimosso qualunque ricorso o appellazione in suspensivo « *Quinto* » Tutti gli attrezzi, utensilj, e istrumenti, o anche materiali di qualunque sorta che presentemente sono destinati alla guardia di Filo, in cui è compresa la detta arginatura, passata in cura della nostra camera, e che ivi esistono o in magazzeno presso il giudice d'argine di detta guardia o suo battifango, o sotto qualunque altra custodia; dovrà la detta congregazione farli consegnare con precedente nota e descrizione al nuovo giudice d'argine, che sarà da voi deputato dovendo restare per servigio de' lavorieri, e per tutte le altre occorrenze della sudetta arginatura camerale: e quando mai per l'istesso fine occorresse qualche altra specie di quelli attrezzi e istrumenti, che a disposizione dell'istessa congregazione si ritengono nel pubblico magazzeno detto la munizione; in tal caso per non gravare la cassa de' lavorieri d'una nuova spesa, il giudice d'argine camerale dovrà di que' tali attrezzi o istrumenti farne la dimanda in scritto al deputato del comprensorio, o al presidente di settimana d'essa congregazione, affinchè nelle forme solite glie li facciano subito consegnare; e ciò non facendo, possa il detto giudice provvedersene altrove, e spese della stessa cassa « *Sexto* » Siccome dal fine che abbiamo in prescrivere i presenti regolamenti per la miglior difesa, e custodia della spesso ridetta arginatura, non è disgiunto il provido e discreto riguardo di non gravar niente più del bisogno la detta cassa de' lavorieri; così diamo a voi tutte le facoltà di poter trattare e stabilirne colla medesima congregazione altre providenze e temperamenti, che a voi paressero più espedienti, purchè non portino sostanzial variazione, ma conducano a facilitare ad unire insieme i due indicati oggetti; approvando Noi, e confermando fin da ora tutto, e quanto verrà da voi sopra di ciò con essa congregazione trattato, e stabilito, non altrimenti, che se fosse qui da Noi espressamente disposto « *Settimo* » Di tutte le liti e controversie sì attive, come passive, che potranno mai occorrere circa l'anzidetta arginatura e ai ministri, che al di lei servigio si troveranno addetti, deputiamo, e costituiamo voi, ed i vostri successori, giudice privativamente ad ogn'altri, con facoltà di suddelegare, e con tutte le altre competenti all'uffizio del tesorierato.

§. 5. Finalmente poi, siccome nell'anzidetta relazione transmessavi dal P. Lecchi vengono contradistinti, come si è detto, alcuni risarcimenti importanti la spesa di circa scudi 2937. 01., coll'indicazione di doversi questi sollecitare per assicurare li stessi argini da ogni minaccia di rotte nelle piene del prossimo autunno; perciò vi ordiniamo, che in specie a questa parte di lavori facciate por mano (parimente a conto spese della prefata cassa de' lavorieri secondo la regola e metodo già premesso) senza punto di dilazione a forma dell'indicata perizia, con dar quegli ordini e disposizioni, che stimerete necessarj, e anche con facoltà, ove così richieda il bisogno, di prender la terra nella parte opposta del Ravegnano, la qual facoltà dovrete avere non solo per questi lavori, ma anco per tutti gli altri, e sempre in avvenire qualunque volta occorrerà, cumulandovi in questa parte, e per tutti gli altri effetti, e intenti premessi, tutte quelle medesime facoltà da Noi ingiunte nel precitato chiro-

Urgentibus necessitatibus extraordinaria consulitur providentia.

grafo delli 22. Giugno a monsignore Ludovisi Boncompagni, niuna eccettuata, e come se fossero qui tutte litteralmente inserte, e ripetute, perchè così è la mente, e volontà nostra precisa.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 6. Volendo, e decretando, che al presente nostro chirografo, ancorchè non esibito nè registrato in camera, a tenore della bolla di Pio IV. nostro predecessore de registrandis, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, ne di alcun'altro vizio o difetto della nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, e definirsi dai reverendissimi Cardinali legati di Ferrara, e Romagna della detta nostra congregazione delle acque, o altra qualunque congregazione, e da qualsivoglia altro giudice, e tribunale anche collegiato, togliendo loro ogni facoltà, ed autorità di giudicare, e definire, ed interpretare diversamente, dichiarando Noi preventivamente nullo, ed invalido quanto mai si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti la prefata congregazione de' lavorieri di Ferrara, o altri di qualunque condizione, che vi avessero, o pretendessero di avervi interesse, non ostante la suddetta bolla de registrandis, la regola della nostra cancelleria de jure quaesito non tollendo, gli accennati brevi, o siano chirografi, o costituzioni de' prelodati Clemente VIII. Innocenzio X. Alessandro VII. e VIII. e Benedetto XIV, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche nostre, e de' nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, esenzioni, e indulti conceduti, o confermati dalla S. Sede anche per via di contratto e a titolo veramente oneroso, e con clausole quanto si voglia insolite ed effrenate anche derogatorie delle derogatorie e qualunque altra cosa che facesse, o potesse fare in contrario. Alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra suprema podestà ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, che sopra le premesse potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena esecuzione di quanto si esprime nel presente nostro chirografo amplamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico quirinale questo dì XIX. Agosto MDCCLXVII.

CLEMENS PP. XIII.

DCLXXVII.

Confirmatio constitutionis Pauli tertii aliorumque gestorum super privilegiis pertinentibus ad latifundium nuncupatum monte Gallo, positum in territorio Auximano.

Dat. die 8. Martii 1768 Anno X.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Antonii Mariae Comitis Galli, quae causam constitutioni praebuere.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Maria Comes Gallo Auximan., quod ipse jure, ac titulo primogeniturae institutae a cl. me. Antonio Maria, dum vixit, S. R. E. Cardinali Gallo nuncupato, possidet unum conspicuum latifundium di monte Gallo vulgo nuncupatum prope civitatem nostram Auximan., quod Comitatus titulo, ac praeter alia privilegia, quibus jam potiebatur, et gaudebat, illis quoque publicarum nundinarum, et venationis reservatae novissimis temporibus a Nobis condecorari, et insigniri obtinuit. Verum quia latifundium hujusmodi antiquitus, et in sui origine processerat a camera nostra apostolica, a qua illud venditum fuit cum nonnullis privilegiis, et prae caeteris cum exemptione ab omni jure, ac dominio territoriali, et servitute juris pascendi, atque damnorum datorum, et cum facultate omnes fructus, et redditus ejusdem latifundii per mare, ac per terram libere extrahendi; hinc fel. rec. Paulus Papa III. praedecessor noster per suas sub plumbo anno incarnationis dominicae MDXXXVII. decimo nono kalendas Februarii expeditas literas privilegia hujusmodi favore quond. Joannis Francisci Comitis Bentivolii tunc temporis possessoris memorati latifundii cum ejus dismembratione a territorio Auximano confirmavit, ac deinde cl. me. Jacobus dum vixit, S. R. E. Cardinalis Fransonus nuncupatus, Episcopus Camerinen. tamquam dele-

gatus apostolicus, praevia, ut asseritur, cognitione causae, die X. Nov. MDCLXVIII. mandatum de observandis eisdem literis memorati Pauli praedecessoris, una cum inhibitione decrevit; tenor autem dicti mandati, et literarum est qui sequitur videlicet; » Jacobus miseratione divina tituli sanctae Mariae in Aquiro S. R. E. diaconus Cardinalis Fransonus Episcopus Camerinen. delegatus apostolicus.

Vobis communitati, et hominibus civitatis Auximi, ejusque cancellario, et exactoribus, omnibusque aliis, et singulis in executione praesentem nominatis, et cognominatis, illique, vel illis, ad quem, seu ad quos praesentes nostrae literae pervenerint, seu praesentabuntur salutem. Noveritis, nuper coram Nobis comparuisse D. Antonium Mariam Gallum de civitate Auximi, et exposuisse se tamquam modernum possessorem, dominum, et patronum montis Galli ejusque territorii gaudere, et potiri praedicto vigore literarum apostolicarum s. mem. Pauli III., quarum executio Nobis injungitur, tam ipse, quam etiam ejus coloni, laboratores, et ministri potiuntur, et gaudent privilegiis, exemptionibus, et immunitatibus, ut infra sibi concessis. Et cum dictae literae apostolicae fuerint illustrissimo domino thesaurario generali praesentatae, et illarum vigore mandatum de observando concessum Nobis tamquam, delegato apostolico per literas hortatorias ejusdem illustrissimi d. thesaurarii demandato exequutio p. in eodem mandato de observando coram Nobis actualis exhibitio cum insertione, earumque literarum apostolicarum, tenoris sequentis videlicet.

Eminentissimo, et reverendissimo domino Cardinali Camerinen. Episcopo ejus vero dilecto domino vicario generali, nec non omnibus, et singulis dominis judicibus ecclesiasticis, et saecularibus, commissariis ordinariis, et subdelegatis quavis auctoritate fungentibus, et functuris, Barasellis quoque exequutoribus, et subexequutoribus, caeterisque justitiae ministris, ad quos spectat, et spectabit quomodocumque in futurum, illique, vel illis, ad quem, seu quos praesentes nostrae literae pervenerint, seu alias quomodolibet obstensae, vel praesentatae fuerint. Bonaccursius Bonaccurtius protonotarius apostolicus sanctissimi domini nostri Papae, et reverendae camerae apostolicae generalis thesaurarius salutem in Domino, ex nostris hujusmodi, imo literis apostolicis firmiter respective obedire mandatis. Novertis, quod alias a fel. rec. Paulo Papa III. ad favorem bo. me. Joannis Francisci de Bentivoliis Domicelli Rocchae Carpinis Eugubinae diaecesis, filii quon. Comitis Hieronymi de Bentivoliis emptoris castri montis Galli Auximanae diaecesis emanarunt literae apostolicae in forma brevis sub datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo decima nona kalendas februarii, pontificatus sui anno quarto de, et super liberatione, et exemptione ab omni onere, aliisque in dictis literis apostolicis contentis, et expressis hujusmodi sub tenore, videlicet.

Tenor constitutionis Pauli III. super privilegiis Latifundii.

§. 2. Paulus Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio nobili viro Joanni Francisco de Bentivoliis Domicello Rocchae Carpinis Eugubinae diaecesis salutem, et apostolicam benedictionem. Exigit tua singularis devotionis, et fidelitatis integritas, qua Nos, et Romanam revereris Ecclesiam, ut te, posterosque tuos Apostolicis favoribus, et gratiis prosequamur. Cum itaque sicut Nobis innotuit, alias postquam tempore pontificatus fel. rec. Alexandri Papae VI. praedecessoris nostri Bucculinus de Guzzonibus civis Auximan. suis exigentibus demeritis Castro montis Galli Auximanae diaecesis suo loco, in quo illud, quod antea demolitum, seu dirutum existerat, olim fuerat, ac majori parte illius territorii, quae tunc possidebat, apostolica auctoritate privatus. et Castrum, seu locus Castri, et pars territorii hujusmodi camerae apostolicae confiscata, et incorporata fuerant, Castrum, seu locus Castri, et pars territorii hujusmodi per tunc agentes pro dicta camera quon. Benvignato de Armellinis civi Perusino libera, et exempta ab omni onere servitutis, redditus, canonis, sive census, ac pascuoque cum jure pascendi, et poenis damnorum datorum, ac potestate tam per mare, quam per terram granum, et om-

nes alios fructus; qui perpetuis futuris temporibus in dicto praedio recolligentur absque alicujus superioris licentia aut gabellae solutione, seu aliquo bollettino tam pro rata ipsius emptoris, et successorum suorum, quam laboratorum, et colonorum ibique laborantium vendita extiterint, et dictus Benvignatus Castrum, seu locum Castri et partem territorii hujusmodi q. Joannis Baptistae Perino, et successive idem Joannes Baptista, illaque comiti Hieronymo de Bentivoliis genitori tuo tunc in humanis agenti vendiderit, et hujusmodi venditio, et exemptio per literas in forma brevis piae mem. Julii II., et Leonis X. romanorum pontificum etiam praedecessorum nostrorum confirmatae fuerint. Et cum dilecti filii communitas, et homines civitatis Auximanae praedictam cameram, Castrum, seu locum, ac partem territorii hujusmodi ita exemptum in eorum praejudicium vendere non potuisse, et se jus pascendi, et de damnis datis cognoscendi habere, ac parte territorii hujusmodi, ac alia praedia in agro Auximano existentia pro ejus rata ad omnia onera ipsorum comunitati praetenden., et propterea inter eosd. communitatem, et DD. super praemissis in camera praedicta •, in qua te super praedicta exemptione difinitivam in sui favorem, et contra praedictam cameram sententiam ferri, et ipsam communitatem ecclesiastico interdicto supponi obtinuisti, et successive in nostro rotae auditorio coram dilecto filio nostro Jacobo Simonitae tituli sancti Ciriaci in thermis presbytero Cardinali tunc Episcopo Pisauren., et locum ex unius auditoribus causarum palatii apostolici de mandato nostri tenenti in secunda instantia litigantium extiterit et litem hujusmodi coram eodem Jacobo Cardinali tunc Episcopo, et locumtenente indecisa pendente, communitas praedicta, et cum interventu dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Ducissae Urbini ad concordiam transact. devenistis, per quam praedictis liti, et causae hujusmodi hinc inde cessistis, et dicta communitas te in civem Auximanum recepit, ipsaque communitas, et tu concessisti, quod dicta exemptio quoad interesse camerae illaesa remanent, quo vero ad interesse ejusdem communitatis duraret in infinitum durante sua linea masculina, non autem transiret ad transversales, seu alios extraneos successores tuos, ita quod si tu, ac successores praedicti partem territorii hujusmodi vendere vellent, dicta immunitas ad emptorem non transiret, reservata tamen jurisdictione dictae communitati cognoscendi damna data, et poenas in dicti territorii parte soluta prius sibi, et successoribus praedictis per lineam masculinam emenda damnorum praedictorum, quodque hujusmodi dictae communitatis in parte territorii hujusmodi, et e converso tu, et successores praedicti in residuo territorii dictae communitatis respective pascendi jurisdictionem haberetis, et quatenus tu, et successores praedicti dictam partem territorii locaretis conductores illius pro rata fructuum ipsis tangente communitati praedictae respondere tenerentur, nihilominus post hujusmodi concordiam communitas, et homines praedicti consenserunt, quod etiam laboratores dictae partis territorii, vita tua durante, eadem immunitate praedicta tua potirentur, et gauderent. Nos igitur attendentes praedictam cameram cum quibusvis personis quovis modo contracta firma persistere, et inviolabiliter observari debere, nec non te in causa camerae sententiam favorabilem reportasse, ac volentes te, tuosque posteros, et successores, ut vos ferventitius Nobis, et apostolicae Sedi obsequentes exhibere studeatis, ejusque Sedis liberalitate complecti, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendi harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: nec non venditionis, et concordiae praedictorum instrumentorum desuper confectorum tenores ac dictae causae statum praesentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine Castrum, seu locum Castri, et partem territorii hujusmodi, nec non te, tuosque in

Castro, seu loco, et parte territorii hujusmodi successores, quoscumque, et a vobis ratam habentes ab omni jurisdictione populi, et communitatis Auximanae illiusque territorii, et districtus cum eadem immunitate, et exemptione praedicta per dictam cameram praedicto Benvignato vendita fuerant, etiam pro rata laboratorum, et colonorum ibidem laborantium auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo segregamus, dismembramus, dividimus, absolvimus, et liberamus, ac Sedi, et camerae apostolicae tantum, ita ut alium superiorem, quam Nos, et romanum Pontificem pro tempore existentem, et Sedem praedictam non recognoscatis, et communitas praedicta, ejusque officiales pro tempore existentes nullo unquam tempore de castro, seu illius loco, ac parte territorio, nec non districtu praedictis quoque modo se intromittere audeant, immediate subjicimus, ac segregata, dismembrata, divisa, et separata, nec non exempta, et absoluta, ac libera, et subjecta esse decernimus, tibique, nec non filiis, haeredibus, et successoribus tuis quibuscumque omnimodam exemptam, et immunitatem etiam pro rata laboratorum, et damnorum praedictorum, nec non integrum, et plenum statum, et dominium, omnimodamque potestatem, civiles, et criminales causas tam meri, quam mixti imperii in incolas, et habitatores castri, seu illius loci, et partis territorii hujusmodi exercendi, dictumque Castrum aedificare, et habitationes tam pro te, quam pro incolis, et colonis construi, omniaque, et singula in praemissis, et circa ea necessaria, et opportuna faciendi, ordinandi, et disponendi, plenam, et liberam auctoritatem, et tenore praesentis facultatem concedimus, districtius inhibentes communitati, et officialibus praedictis, ut te, et successores, et laboratores praedictos super praemissis, eorumque usu, et possessione, seu quasi directe, vel indirecte quovis quaesito colore molestare, seu quomodolibet impedire audeant, seu praesumant, ac decernentes in praemissis per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alia judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate definiri, et judicari debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa venerabilibus fratribus nostris Eugubinen., et Camerinen. et Ferretranen. Episcopis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi aut duo, aut eorum unus per te, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, ut quando opus fuerit, et quoties pro parte tua, et haeredum, et successorum tuorum, nec non laboratorum, et colonorum praedictorum, seu alicujus vestrum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes Nobis in praemissis efficaces defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas, et in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac se, et singulos alios, quos ipsae literae concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes Nos desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores queslibet, et rebelles per censuras, et poenas ipsas etiam reiteratis vicibus aggravantes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus concordia, et contentis in ea, et alii, praemissis; ac rec. me: Bonifacii Papae VIII. etiam praedecessoris nostri qua cavetur ne qui extra civitatem suam, vel dioecesim, nisi in certis casibus, et in illis non ultra unam dictam a fine suae dioecesis ac judicum evocare, seu ne judices a Sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus dictis in concilio generali edita, dummodo non ultra tres dictas aliquis auctoritate praesentium non extrahatur, et quibusvis aliis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non legibus imperialibus, ac aliis dictae civitatis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, reformationibus, et decretis, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eidem communitati forsan per Nos, et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem apostolicam praedictam etiam ex quibusvis maximis, et urgentissimis causis etiam motu proprio,

et scientia simili, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis, nec non irritantibus, ac aliis decretis etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenoris bujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil paenitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserta foret praesentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, et espresse derogamus contrariis quibuscumque, aut communitati, et officialibus praedictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sancta Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, ad judicium evocari non possit per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, segregationis, divisionis, subjectionis, concessionis, inhibitionis, decreti memorati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo, 19 kalendas Februarii, pontificatus nostri anno quarto. Jo: de Sartis • Jo. Beret: B. Modier. Joannes Moliza. P. Decadus. Jacobus de Brac. An. Maximus R. de Torres 25 laure. etc.

Executionem obtinuit suam antedicta constitutio Pauliana.

§. 3. Subsequenterque comparuit coram Nobis illustrissimus dominus Antonius Maria Gallus et dominus patronus dicti Castri Montis Galli, ejusque territorii, petiit, et institit insertas literas apostolicas ut supra expeditas, omniaque, et singula in eis contenta, et expressa quaecumque ipsi, ejusque colonis, et laboratoribus observari mandari, et mandatum de observando concedere, et decernere dignaremur. Nos attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, et rationi consonam mandatum de observando ut infra concedendum fore, et esse duximus, et concedimus per praesentes, quocirca dominum Eminentissimum, et Reverendissimum dominum Cardinalem Episcopum Camerinen. rogamus, atque in domino hortamur d. vero ejus Reverendissimo domino Vicario generali, ac vobis omnibus, et singulis, et vestrum cuilibet insolito tenore praesentium auctoritate nostri thesaurieratus officii committimus, et in virtute sanctae obedientiae, ac sub mille ducatorum auri camerae apostolicae applican., et pro illis mandati executioni, et in juris subsidium excommunicationis, et trium ictuum funis infligen., aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis stricte praecipiendo mandamus, quatenus statim visis, et receptis praesentibus, et postquam praesentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus ex p. d. Illustrissimi domini Antonii Mariae Galli instantis, ejusque colonorum, et laboratorum parte nostra, imo verius apostolica per insertas literas apostolicas in forma brevis ut supra expeditas, omnia, et singula in ea contenta, et expressa quaecumque eidem domino Antonio Mariae Gallo instanti, praedictisque ejus colonis, laboratoribus, agentibus, et ministris inviolabiliter, et respective observan., et adimplen., adimplerique, et observari mandatis, et faciatis in omnibus et per omnia praedicta in eisdem praeinsertis literis continen., non permittentes eumdem instantem, ejusque colonos, laboratores, agentes, et ministros in, et super praemissis quomodolibet indebite molestari, perturbari, seu impediri, et insuper modo, et forma, et auctoritate praemissis inhibeatis, et inhibendo expresse praecipiatis, et mandatis eisdem omnibus, et singulis supradictis, et vestrum cuilibet insolitum, nec non communitati, et hominibus civitatis Auximi, ejusque cancellario, exactoribus, omnibusque aliis in executione praesentium nominatis, et cognominatis, quibus, et Nos earumdem tenore praesentium inhibemus, praecipimus, et mandamus, ne sub dictis ac aliis etiam gravioribus arbitrio infligendis, etiam corporalibus poenis audeant, seu praesumant, aut eorum aliquis audeat, seu

praesumat dictum dominum instantem, ejusque colonos, laboratores, agentes, et ministros ad aliquam cujusvis oneris, servitutis, redditus, canonis, census, ac pascuorum, aut aliorum quorumvis onerum, et impositionum occasione dicti Castri Montis Galli, ejusque territorii praetensam solutionem contra formam, et tenorem dictarum præinsertarum literarum apostolicarum cogere, seu compellere, aut ipsum instantem, aliosque suos praedictos realiter seu personaliter, aut alio quovis modo molestare, vexare, perturbare, inquietare, seu impedire, aut cogi, compelli, molestari, vexari, perturbari, inquietari, seu impediri facere, permittere, vel mandare, nec quidquam aliud in praemissis in ejusdem instantis, suorumque praedictorum damnum, et praejudicium attentare, seu innovare, attentatumve, seu innovatum ulterius prosequi, mediare, terminare, vel finire per sese, vel alium, seu alios quovis praetextu, quaesito colore, causa, vel ingenio, et si quid actum, seu attentatum fuerit omnia in pristinum reposuisse, et remisisse, reponique, et remitti fecisse, et mandasse, ac praesentibus omnino paruisse, et obedivisse, alioquin contra inobedientes, et praemissis non parentes ad supradictarum poenarum incursus declarationem, et omnimodam exequutionem procedemus justitia mediante contrariis non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem ec. Datum Romae ex aedibus nostris hac die 9. Octobris 1668. B. Bonaccursius Thesaurarius generalis » Loco ✝ Signi. Domini Illustrissimi Franciscus Antamorus » Mandatum de observando » Potiuntur, inquam, et gaudent tam ipse dominus Antonius Maria, quam ejus laboratores, coloni, ministri, et agentes, ac alii ab eo rationem habentes omnibus praeinsertis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis etiam juris pascendi, ac omnimoda jurisdictione, et potestate civiles, et criminales causas tam meri, quam mixti imperii in incolas, et habitatores dicti Castri, seu illius loci, et partis territorii, ibique aedificandi, ac omnimoda segregatione a jurisdictione populi, et communitatis Auximanae. Nihilominus vos praedicti, et forsan alii nescientes quo jure jactastis, et jactatis, seque jactarunt velle dictum dominum exponentem, laboratores, et colonos, ministros, agentes, et alios ab eo rationem habentes molestare, vexare, perturbare, inquietare, et impedire contra formam dictarum literarum apostolicarum mandati de observando, et juris in grave ipsius damnum, praejudicium et interesse, et forsan adhuc molestare coepistis. Propterea ad Nos tamquam delegatum apostolicum recursum habuisse, et reproducen. praeinsertas literas apostolicas mandatum de observando, ac literas hortatorias dicti illustrissimi domini Thesaurarii majoris petiisse de opportuno juris remedio provideri. Nos vero attendentes requisita hujusmodi fore juxta. Volentes, ut tenemur, dictas literas apostolicas debitae exequutioni demandare, et pro illarum observantia insistere, ac unicuique jus dicere, ac tribuere, praedicta omnia ec. Vobis omnibus, et singulis supradictis, et vestrum cuilibet, insolita auctoritate apostolica, et in vim etiam dictarum hortatorialium praecipimus, et mandamus, stricteque praecipiendo inhibemus etiam sub poena, et ad poenam mille auri scutorum R. C. A. applicandorum., et pro illius mandati executione, ac in subsidium excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque gravioribus etiam corporalibus arbitrio nostro poenis ec. quatenus visis, seu receptis praesentibus, et post praesentium exequutionem non audeatis, nec aliquis vestrum audeat quovis sub praetextu, quaesito colore, vel ingenio dictum dominum exponentem, colonos, laboratores, agentes, ministros, ac alias a dicto domino rationem habentes ad aliquam cujusvis oneris, servitutis, redditus, canonis, census, ac pascuorum, et aliorum quorumvis onerum, et impositionum occasione dicti Castri montis Galli, ejusque partis territorii illi subjectae ad aliquam solutionem contra formam, et tenorem dictarum præinsertarum literarum apostolicarum cogere, et compellere, nec alio quovis modo molestare, vexare, perturbare, inquietare, et impedire, seu impediri facere, permittere, vel mandare, nec quidquam aliud in praemissis ejusdem domini exponentis, suorumque praedictorum damnum, praeju-

dicium, gravamen ec. attentare, vel innovare, attentatumve, seu innovatum ulterius prosequi, mediare, terminare, vel finire per vos, vel alium, seu alios directe, vel indirecte ec. quovis sub praetextu ec. Et si quid actum, et attentatum fuerit in pristinum reposuisse, et reponi mandamus, et praesentibus nostris, imo apostolicis mandatis omnino paruisse. Alioquin ec. Si quis autem ec. comp. ec. In fidem ec. Datum Camerini in episcopali palatio hac die X. Novembris 1668. » J. Cardinalis Fransonus Episcopus Camerinen. ec. »

Loco ✝ Sigilli ec.

Angelus Bellonus Canc. de mto.

Quae etiam per rescriptum auditoris Sanctissimi fuerat confirmata.

§. 4. Vi itaque praemissorum omnium, cum idem exponens privilegiis hujusmodi usus, et gavisus fuerit, ac utatur quoque, et fruatur, nec non insuper facultas libere extrahendi fructus, ac redditus memorati latifundii in contradictorio judicio citata Camera praedicta ex decreto congregationis cameralis habitae die 28. Aprilis MDCCL. approbari promeruerit, Nos ad ejusdem exponentis preces supra insertas memorati Pauli praedecessoris literas per rescriptum editum die 27. Septembris MDCCLXI. a dilecto filio nostro Andrea S. R. E. diacono Cardinali Nigrono nuncupato tunc temporis nostro auditore confirmavimus et approbavimus, tenor vero precum, et rescripti hujusmodi est qui sequitur nempe » Foris. Alla Santità di Nostro Signore Clemente PP. XIII. » Per il Sig. Conte Antonio Maria Gallo » Intus vero » Beatissimo Padre » Il Conte Antonio Maria Gallo nobile della città di Osimo suddito, ed oratore umilissimo della Santità Vostra con ogni ossequio l'espone di possedere per ragione, e titolo della primogenitura istituita dalla fel. mem. del Cardinale Antonio Maria Gallo una ragguardevole tenuta denominata di Monte Gallo, presso la città suddetta di Osimo, ed ultimamente decorata dalla Santità Vostra *con titolo di Contea*, ed oltre i privilegj, che godeva, aggraziata anche della facoltà *di una fiera e della caccia riservata*, e siccome la detta tenuta proveniva in origine dalla R. C. A. dalla quale era stata venduta con varj privilegj fra' quali coll' esenzione da ogni jus, e dominio territoriale, e dalla servitù del jus pascendi, e dei danni dati, e facoltà di estrarre per mare, e per terra liberamente tutti i prodotti, e rendite della suddetta tenuta, fu graziosamente dalla S. M. di Paolo III. concessa la conferma di tali privilegj colla dismembrazione della tenuta suddetta di Monte Gallo dal territorio di Osimo, come più diffusamente da tal Breve emanato li 14. Gennaro 1537. per la di cui osservanza, ed esecuzione, precedente la cognizione della causa, oltre il mandato spedito da Mons. Tesoriere generale, n' emanò susseguentemente l' inibizione, e mandato de observando dalla fel. mem. del Cardinal Franzoni Vescovo di Camerino e delegato apostolico sotto il dì 10. Novembre 1668. come dalla copia autentica di tal Breve, mandato, ed inibizione che si umiliano annessi, ed ancorchè l' oratore si trovi in possesso di tali privilegj, e che specialmente gli sia stata in contradittorio giudizio, citata la camera, canonizzata la facoltà di estrarre liberamente i prodotti della detta tenuta, come dal decreto camerale della congregazione tenuta il dì 28. Aprile 1750. contuttociò bramando l' oratore, che dalla Santità Vostra gli venga confermato il Breve come sopra concesso dalla S. M. di Paolo III. con tutti li privilegj, facoltà, e grazie in esso contenute; supplica perciò umilmente la Santità Vostra a volersi benignamente degnare aggraziarlo di tale conferma; Che della grazia ec. » Tenor rescripti est sequens videlicet » A Mons. Uditore, che ne parli » Die 27. Septembris 1761. » Ex Audientia Sanctissimi » Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita » A. Nigronus Auditor » Loco ✝ Sigilli.

Sed ad graviorem privilegiorum observantiam accessit Pontificis sanctio quae observantiam literarum, mandati decrevit, contrarium ... cientibus derogatis.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, firmiora illa sint, quae frequentiori apostolicae confirmationis praesidio roborantur, ideoque dictus exponens iterum praefatas ejusdem Pauli praedecessoris literas, nec non mandatum, et inhibitionem memorati Jacobi Cardinalis per Nos approbari, et confirmari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in

praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas ejusdem Pauli praedecessoris literas, una cum praeinsertis quoque mandato, et inhibitione dicti Jacobi Cardinalis, ac cum omnibus, et singulis in illis contentis, et expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus; illisque apostolicae firmitatis robur iterum adjicimus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alia judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

a su- ...t de- ...rrr- §. 6. Non obstantibus praemissis, ac fel. rec. Pii Papae IV. praedecessoris Nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in Camera apostolica infra tres menses praesentandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumcumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI. Maji MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno decimo.

DCLXXXVIII.

...e 23. 1768. ... Confirmatio statutorum, et privilegiorum, pro, sic nuncupatis, nonaginta Pacificis viris Ravennatensis civitatis.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur privilegia, indulta, gratiae, et concessiones jam alias a summis Pontificibus, et praesertim Gregorio XV elargitæ collegio.

§. 1. Alias felicis recordationis PP. Gregorius XV. praedecessor Noster per suas in simili forma brevis die XVIII. Junii MDCXXI. expeditas literas omnia, et singula privilegia, gratias, concessiones, immunitates, facultates quascumque, ac literas apostolicas per quoscumque romanos Pontifices praedecessores tunc suos nunc nostros, ac per Sedem apostolicam, ejusque legatos, vice-legatos, et alios ministros, ac officiales, nonaginta viris Pacificis nuncupatis civitatis Ravennaten. concessa, nec non ipsorum statuta, constitutiones, decreta, reformationes, et capitula sub certis modo, et forma tunc expressis perpetuo approbavit, eaque inviolabiliter observari debere decrevit, et declaravit, ac alias prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Ratio confirmationis.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii moderni nonaginta Pacifici civitatis praedictae Ravennaten. Nobis nuper exponi fecerunt, firmiora sint ea, quae frequentiori auctoritatis apostolicae praesidio roborantur; quocirca praemissa omnia per Nos denuo approbari, et confirmari dicti exponentes plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis sibi opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris, et confirmatio omnium privilegiorum, gratiarum, indultorum, immunitatum collegio concessarum, quae tamen sint in usu, nec fuerint revocatae, et dummodo ecclesiasticam non laedant disciplinam.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praedicta omnia, et singula privilegia, gratias, concessiones, immunitates, et facultates quascumque, ac literas apostolicas etiam in forma brevis super his per quoscumque romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem apostolicam, et ejus lega-

tos, et vice-legatos, et alios ministros, et officiales dictis nonaginta Pacificis nuncupatis praefatae civitatis concessa, quatenus sint in usu, et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec non statuta, constitutiones, decreta, reformationes, et eorum capitula justa tamen, et rationabilia, et quatenus contra libertatem ecclesiasticam non tendant, neque sacris canonibus, aut Concilii Tridentini decretis adversentur, ac debitae Nobis, et S. R. E. obedientiae, et fidelitati non repugnent, apostolica auctorite tenore praesentium perpetuo approbamus, illisque perpetuae, ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque tam juris, quam facti defectus, si qui in eis intervenerint, supplemus, eaque omnia, et singula ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et pro tempore in futurum spectabit perpetuo inviolabiliter observari debere decernimus, et declaramus.

Collegium subjicitur jurisdictioni a latere legati pro tempore provinciae Ravennatensis.

§. 4. Volumus autem, quod dicti nonaginta Pacifici, eorumque collegium, una cum omnibus suis dependentiis subjecta semper sint, ac esse intelligantur superiori jurisdictioni, et auctoritati dilecti filii nostri Æneae Silvii S. R. E. diaconi Cardinalis Piccolominei nuncupati nunc, et pro tempore existentis nostri, et Sedis apostolicae in provincia nostra Romandiolae, et exarcatu Ravennae de latere legati, quem praedictorum privilegiorum, praerogativarum, et statutorum, ac eorum usus, et consuetudinis interpretum constituimus, et deputamus.

Literarum executio singulis committitur, irritumque declaratur quidquid adversus earum tenorem quisque fecere, vel decernere praesumeret.

§. 5. Ac decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumeue. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die XXIII. Aprilis MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno decimo.

DCLXXIX.

Derogatio constitutionibus Benedicti Papae XIV. super reformatione tribunalium, quoad propinas in causis recursus a judicibus subdelegatis percipiendas.

Dat. die 20. Apr. 1768. Anno X.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Demonstratur quam provida sit derogatio nonnullarum constitutionum apostolicarum, quorum tenor cum supervenientis circumstantiis non beneaptari possit.

§. 1. Ea profecto est rerum humanarum ratio, ut plurima, quae alias a romanis Pontificibus praedecessoribus nostris sapientissime, ac providentissime constituta, et veluti in perpetuum ordinata reperiuntur, variantibus vicibus sublatisque iis momentis, propter quae sic constituta, et ordinata illa fuerunt, aliter juxta salutarem providentiae ordinem disponantur, ac stabiliantur. Sane pro parte dilectorum filiorum publicorum repraesentantium procuratorum, et notariorum, seu comunitatis et hominum civitatis nostrae Fulginaten. Nobis nuper expositum fuit, quod, attenta constitutione super reformatione tribunalium a fel. rec. Benedicto Papae XIV. parte nostro anno incarnationis dominice MDCCXL. IV. duodecimo kalendas Januarii pontificatus sui anno quinto editae quae incipit « romanae curiae etc. et praesertim paragrapho duodecimo. Item « exceptis causis » quo cavetur, ut in causis recursus a judicibus subdelegatis procedatur ut in prima instantia, ac prohibitur iisdem judicibus, ac notariis ne quidquam emolumenti, neque propinae, neque reges titulo recipiant; factum est in eadem civitate Fulginaten. ut plurimae causae supremae remaneant, ac indecisae permansurae fortasse semper in eodem statu nec unquam optatum finem consecuturae, eo, quod judices subdelegati causas hujusmodi cognoscendi definiendique onus decretant et quandoque etiam deputationi de se facta renuntiant, sublata sibi spe laberis sui

mercedem assequendi percipiendique propinam, quae caeteroquin persolvi consuevit judicibus ordinariis, licet isti teneantur ratione muneris caussas omnes, quae ad eos deferuntur cognoscere, ac dijudicare, ac non obstantibus reliquis emolumentis omnibus eorum officio adnexis: notarii ipsi quoque incommodum, ac impensam subire renuunt in causis recursus quidquid necessarium est in acta referendi sine regesti mercede, eoque magis quod officia sua obtinent titulo oneroso, ac quilibet eorum comunitati praescriptae annua triginta scutorum monetae solutionem praestare debet. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, magnum ex his rebus omnibus comunitati, et hominibus praescriptis damnum proveniat.

...es por... pro ...gatiuae ...uenda ...utionis ...ctione, ...ffectiva ...atio.

§. 2. Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excomunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, auditis informatione, et voto ven. fratris Marii Episcopi Fulginaten. ac dilecti filii moderni civitatis Fulginaten. praescriptae gubernatoris, licet per dictum §. XII. memoratae constitutionis Benedicti praedecessoris praescripti super reformatione tribunalium editae praescriptam cautumque reperiatur, ne judices deputati in caussis recursus, propinas et regesta recipiant cui, quidem paragrapho per praesentes quoad causas recursus ad comunitatem et homines praescriptos dumtaxat spectantes et pertinentes auctoritate et tenore praesentium derogamus.

Conceditur propterea etiam judicibus in causis recursum electis, facultate consequendi sportulam ad instar judicum ordinariorum.

§. 3. Ac insuper auctoritate et tenore praesentis concedimus, volumus et mandamus, quod in caussis recursum ad comunitatem et homines hujusmodi spectantibus imposterum judicandis procedi valeat cum solutione emolumentorum, propinae aut sportularum, et regesti, ita tamen ut ejusmodi emolumenta a judicibus deputatis et notariis penis eos inservientibus percipienda non majora sint iis quae judicibus ordinariis eorumque notariis solvantur in prima instantia. Decernen. easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari.

Mandatum de procedendo ad tramites hujus reformationis.

§. 4. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditoris judicari, et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstan. praescripta Benedicti praedecessoris praesenti, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDCCLXVIII. Pontificatus Nostri anno decimo.

ANNO UNDECIMO

DCLXXX.

Dat. die 13. Julii 1768. Anno XI.

Exprobatur depulsio clericorum regularium societatis Jesu arbitrarie praecepta ab Emmanueli Pinto magno Magistro hospitalis S. Joannis Hyerosolimitani.

Clemens PP. XIII.

Dilecte fili salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Conquestio de arbitrio suscepto contra monitum S. Sedis.

§. 1. Quae tui facti fuerit ratio in paranda profectione clericis regularibus soc. Jesu, quibus omnibus fuit ex ista insula abeundum; et in occupandis eorum ecclesiis, domibus, ceterisque bonis quomodo te gesseris, gravissime audivimus, et molestissime tulimus. Etenim qua ratione omnia haec curanda statuissemus, tibi per tui Ordinis oratorem, et per dilectum filium Octavium Mancinfortem in ista insula inquisitorem, liquido, et diserte exposuimus. Tu, tamen adversus hanc voluntatem nostram longe aliam, et ei quam tibi commonstravimus in hac re perficienda prorsus appositam viam insistere voluisti; quae causa fuit, quamobrem quidquid in ea re feceris, designaveris, gesseris, et consilium etiam tuum expressae voluntatis nostrae alioquin omnino inscium approbaverit, et confirmaverit, Nos omnibus nominibus nullum, irritum, illicitum et attentatum habuerimus.

Excipiuntur tamen excusationes porrectae, et protestationes de satisfactione praestanda.

§. 2. Idque quantam Nobis attulerit aegritudinem gravioribus ostendere debuissemus indiciis; sed molestiae nostrae asperitatem emollierunt litterae tuae die XV. elapsi mensis Junii datae, quae filialis, religiosaeque observantiae erga Nos, et obsequiis plenae summam praeferunt tuam ad parendum Nobis voluntatem, et paratissimum animum. Quidquid enim te facere jubebimus, scribis te, tuumque Ordinem id illico praestiturum. Tales observantiae et obedientiae sensus devotis Ecclesiae filiis conveniunt, multoque magis eos viros decent, qui religiosum institutum profitentur, maximeque Ordinem vestrum, quem semper habuit apostolica Sedes eximium, eique, quidquid occasionis fuit, nullo non tempore sese beneficentissimum praebuit.

Declaratur quid praestare teneretur ut S. Sedis gratiam, et indulgentiam excitaret.

§. 3. Ad hos igitur animorum voluntatumque vestrarum sensus paternis oculis respicientes nil causae habuimus, cur rationes, quas Nobis modo attulistis redargueremus, easque potius ad benigniorem, et accuratam magis considerationem suscepimus revocandas. Nosque idcirco decrevimus ipsi Nos expendere, quem ad usum in praesenti, et per modum provvisionis maxime expediat adhiberi memoratas domus, et cetera bona, quae dudum ad supradictos clericos regulares soc. Jesu pertinebant. Primum igitur te, dilecte fili, et quotquot illius facti fuistis quoque modo participes, sedulo, et paterne admonemus, ut animae, et conscientiae quisque suae, consulatis. Deinde ex omnibus singulisque locis, quae memoravimus, ubi nihil opus erat praesidio armorum, milites revoces nulla prorsus causa, et magna bonorum omnium offensione, et scandalo ibi appositos. Tum dilecto filio Octavio Mancinforti descriptiones, notulas, et inventaria Nobis transmittenda quarumcumque rerum tradas, quas ministri tui occupaverunt. Eas vero res inter

ea apud te depositas volumus, ut legitima auctoritate nostra retineas fideliterque custodias, dum constituamus quis optimus earum usus futurus sit ad Dei cultum honorem, et gloriam, et ad publicam utilitatem; ac propterea libenter ex te audiemus, quae sint in hac re tum consilia, tum etiam tua desideria, nec tua tantum, sed venerabilis quoque fratris Bartolommaei Episcopi Melitensis, cujus non modo jura omnino salva esse volumus, sed etiam pastoralibus ejus curis obsecundare intendimus. Nihil enim Nobis antiquius est, quam jus cuique suum tribuere, et omnia negotia mature, prudenterque perficere. Volumus denique, ut hanc nostram clementissimam voluntatem cum consilio tuo communices. Illi enim aeque, ac tibi obedientiae, quam Nobis profitemini meritum existimamus esse debere communem vobis omnibus apostolicam benedictionem, quam tibi dilecte fili, et consilio, et universo Ordini peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decimatertia Julii MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno XI.

DCLXXXI.

19. Facultas ministro generali Ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum deputandi Vicarium generalem et tres assistentes ejusdem Ordinis sub certis legibus, et conditionibus in provinciis Castellae, Bethicae, et Aragoniae.
68.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Apostolici cura regiminis Nos monet, ut praecipuam de Religiosis viris assiduos labores pro aeterna animarum salute procuranda suscipientibus sollicitudinem habeamus, ne ipsi ab exercitio bonorum operum per animorum dissentiones amoveantur, sed quibuscumque sublatis, eliminatisque dissidiis, omnia inter eos in pace fiant, et omnia ad divinum cultum adaugendum, regularem disciplinam conservandam, procurandamque aeternam animarum salutem, componantur, et constabiliantur. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator generalis Ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, quod compositis, sedatisque in provincia Bethica ejusdem Ordinis nonnullis dissentionibus domesticis, quae jam antea in ea subortae fuerant et pro quibus compescendis, ac dirimendis carissimus in Christo filius noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, Visitatorem in provincia hujusmodi a Nobis apostolica auctoritate deputari obtinuerat, idem Karolus rex, singulari qua pollet pietate, fraternae pacis, ac tranquillitatis, et regularis disciplinae conservationem, incrementumque, tam in praedicta, quam in aliis ejusdem ordinis provinciis in locis suae ditionis consistentibus enixe desiderans, pro institutione, ac deputatione Vicarii generalis ex natione Hispanica, qui in absentia majoris, ac Generalis ministri Ordinis hujusmodi in Galliarum regnis degentis, jus haberet provincias praedictas visitandi, regendi, et gubernandi apud Nos ipsius Karoli regis nomine instare curavit.

facultate visitandi, et regendi monasteria, absente ministrogenerali.

§. 2. Hujusmodi vero instantiam examinandam remisimus particulari congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quos ad hunc effectum expresse delegavimus. Interea tamen, cum hujus rei notitia ad dilectum filium modernum majorem, ac Generalem ministrum dicti Ordinis pervenisset, ipse piissimis votis ejusdem Karoli regis obsecundare, bonumque provinciarum praedictarum totis suis viribus promovere percupiens, formam, seu normam quamdam novi regiminis in iisdem provinciis instituendi in sex capita distributam memorato Karolo regi praesentare non omisit, ea spe ductus, quod ex iis, quae in capitibus hujusmodi apte, ac opportune disposita fuerant, regularis disciplina stabilienda, ac conservanda esset, prout revera tam eidem Karolo regi, quam carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo contenta in praedictis capitibus apta, et sufficientia ad obtinendum volitum tranquillitatis, et regularis observantiae intentum visa fuerant.

Instantiam remisit Pontifex peculiari congregationi eminentissimorum Cardinalium, sed interea temporis minister generalis novi regiminis regulam introducit, quam acceptam habuere tum Hispaniarum, tum Francorum Rex.

Cum autem nova reformatio introducta compareretur contra prohibitionem expressam in constitutione edita ab Alexandro Papa VII., illius adprobatio exposcitur, cum derogatione Alexandrinae constitutionis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ea, quae in capitibus praefatis expressa sunt in aliquibus adversentur constitutionibuus dicti Ordinis a fel. rec. Alexandro PP. VII. praedecessore nostro approbatis, in quibus, ut asseritur, expresse prohibitum fuit; ne major, ac Generalis minister visitatorem, aut Vicarium generalem instituit in dictis provinciis, quo circa illa per Nos approbari, et dictis constitutionibus derogando, apostolica auctoritate confirmari idem exponens plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur gratia expostulata.

§. 4. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione venerabilis fratris Francisci Archiepiscopi Patracen. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum secretarii, attentis narratis praedicto nunc, et pro tempore existenti majori, ac Generali ministro ejusdem Ordinis, ut in posterum ipse in provinciis Castellae, Bethicae, et Aragoniae Ordinis hujusmodi instituat, semperque habeat Vicarium generalem alternatim ex his provinciis desumendum, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Additur ut eligantur insimul tres assistentes.

§. 5. Volumus autem, quod praedicto Vicario Generali idem major, ac generalis minister adjungat tres Assistentes desumptos ex memoratis tribus provinciis, et cum uno tantum ex dictis tribus assistentibus idem Vicarius generalis eo solum casu per se ipsum, vel respective per suos assistentes praedictos triennio quolibet una vice visitationem earumdem provinciarum nomine, et auctoritate majoris, et generalis ministri peragat, quoties nempe ipsemet major, ac generalis minister ad eas visitandas personaliter minime accesserit, ita ut in casu, quo idem major, ac generalis minister per se ipsum provincias hujusmodi visitaverit, tunc Vicarium generalem, et assistentes praedictos ab illis lustrandis toto eodem triennio se abstinere omnino debere, auctoritate, et tenore praedictis decernimus, atque statuimus.

Cum lege ut electio perduret ad sexennium tantum.

§. 6. Praeterea ad sexennium tantum, et non ultra Vicarium generalem, et assistentes praedictos a majori Generali ministro nominandos esse, excepto solum casu, quo sexennio hujusmodi durante, quis ex illis electus fuerit in locum alterius ex nominatis deficientis, neque ultra dicti sexennii tempus eorum dignitatem sub quovis praetextu protrahi posse volumus, et jubemus; durante autem sexennio hujusmodi, ne dictus major, ac Generalis minister, exceptis casibus a jure expressis, Vicarium, et assistentes praedictos destituere valeat, prohibemus, et interdicimus, atque insuper, ut ii, qui ad Vicarii generalis, et assistentium hujusmodi respective munera nominandi sunt, ut praefertur, ex numero graduatorum earumdem provinciarum assumi debeant, praescribimus, et mandamus, eorum vero electiones a majori Generali ministro, ut praemittitur, faciendae, duobus mensibus ante completum sexennium per literas a Vicario generali electo ad ministros provinciales, et ab assistentibus pariter electis ad ministros locales suarum provinciarum respective transmittendas, absque ulla prorsus alia solemnitate, publicandas esse decernimus, et injungimus, eumdemque modum etiam in casu, quo durante sexennio, propter mortem Vicarii generalis, seu assistentium praedictorum, vel alias prout de jure novae electiones a ministro generali fieri contingant servari debere volumus, et jubemus.

Vicario electo tribuitur facultas praesidendi capitulo, et definitorio, et irritandi electione, reservato recursu ad tribunal ministri Generalis.

§. 7. Caeterum Vicario generali sic, ut praefertur electo jus competat per se, vel per suos respective assistentes praesidendi capitulo, et definitorio cujuslibet ex dictis provinciis, et confirmandi seu annullandi, ac irritandi, prout de jure, electiones provincialium, non tamen per hoc recursum ad tribunal majoris generalis ministri ullo modo praepeditum esse intelligimus, sed auctoritatem ejusdem majoris generalis ministri semper

salvam, et inconcussam remanere omnino debere declaramus. Demum Ordini quoque incedendi providere volentes, eidem Vicario generali locum priorem supra provincialem, assistentibus vero praedictis locum post provincialem, et ante ministros locales constituimus, atque assignamus; in capitulis tamen provincialibus, definitoriis, aut aliis caetibus hujusmodi, pro quoque in visitationibus nomine, et auctoritate majoris generalis ministri, ut praefertur, faciendis, ipsis tantummodo durantibus dictos assistentes, sive Vicarius generalis adsit, sive non, sessione immediate post Vicarium generalem, et ante ministros provinciales habere, auctoritate, et tenore praedictis volumus, statuimus et mandamus. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces, existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus, nominatim constitutioni Alexandrinae.

§. 4. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus ejusdem Alexandri praedecessoris, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus pariter quod earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris, die decima nona Julii millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno undecimo.

DCLXXXII.

De Greci ritus Episcopo in Hungariae regno minime constituendo.

Dat. die 30. Julii 1768. Anno XI.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae reginae Apostolicae nec non Bohemiae reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae viduae.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo filia nostra salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur libenter auditum fuisse, regiam majestatem Hungaricam pronis auribus excepisse quidquid Agriensis Episcopus retulerat super incompatibilitate duorum rituum.

§. 1. Magno cum animi nostri gaudio accepimus regiam majestatem tuam Agriensi Episcopo ad te humanissime admisso, et de retinendis Graecis Munkacensibus eorumque Vicario sub Episcopi Agriensis potestate apud te disserenti faciles aures praebuisse. Qua in re, quae catholicae Religionis, et tua maxime interest, nostras quoque apud te, carissima in Christo filia nostra, conjunctas volumus preces, ut sinas te a praeclaro Antistite exorari. Quod etiam a te ille postulat non modo ad catholicae Ecclesiae servandam integritatem, sed etiam ad rerum tuarum securitatem existimamus magnopere pertinere.

Constans Ecclesiae usus super unicitate ritus commemoratur, praeceptum ab Lateranensis Concilio.

§. 2. In omnibus dioecesibus, ubi essent duo diversi ritus, diversaeque gentis populi, constans fuit Ecclesiae disciplina, ut ab unico Episcopo regerentur. Quam disciplinam confirmavit habitum sub Innocentio III. concilium Lateranense; in quo sancitum fuit

etiam civitatibus orientali Imperio ademptis, ubi Graeci, et Latini promiscue commorabantur, Latinus Episcopus vicarium sibi subjectum destinaret, qui Graecis juxta eorum ritum sacramenta administraret.

Sanctio Concilii Lateranensis servata semper fuit tum in Italia, tum in Hungaria, et incommoda plurima obvenere ubicumque contrarius usus fuit vel permissus, vel tolleratus.

§. 3. Quae saluberrima celeberrimi concilii sanctio tota Hungaria, et Italia, aliisque locis compluribus, ubi Latini cum Graecis essent permixti, servata fuit: Neque vero diffitemur vel concessione, vel tollerantia hujus S. Sedis interdum ab eo, quod ea synodus constituerat, recessum fuisse. Sed utinam (fe. me. praedecessoris nostri Ben. XIV. utimur verbis) » utinam id nunquam indultum aut toleratum fuisset; inde enim factum est, ut Graeci initio catholici, Episcopum Graecum catholicum aliquando nacti in eamdem schismatis atque etiam haereseos labem adducti fuerint. Auctoque malis artibus numero subditorum Episcopi Graeci, Latinorum numerus ad nihilum fere redactus sit, nec hactenus Latinis Episcopis vires sufficiant ad Graecorum schismaticorum audaciam repellendam. »

Hortatur itaque ut mala haec ab Hungaria eliminentur, prohibita rituum duplicatione.

§. 4. Cui malo Deus prohibeat in Hungariam aditum, patefieri. Sed impedimentum quo minus illuc possit irrepere nullum arbitramur opponi posse validius illo, quod, et universalis Ecclesiae consuetudo probavit, et celeberrimum concilium sanxit, et experientia aptissimum esse docuit pro retinenda Graecorum catholica fide, et unitate. Nam quemadmodum in Agriensi dioecesi sola Latinorum antistitum opera, et zelo factum est, ut sancta inter Graecos coepta sit unio, sumptisque procedente tempore viribus mirum in modum excrevit, et nunc maxime vigeat, ita si Graeci Agrienses e Latini Episcopi potestate subducantur, non modo ipsi Episcopo ea facultas eripitur, qua sanctam unionem fecit adhuc florere, sed occasio etiam Graecis offertur, quae suae ipsorum inconstantiae indulgeant, et propensioni ad schisma sibi quodammodo inditae obsecundent. Neque enim ignorat majestas tua, quod cum in Transylvania rogatu Caroli VI. inclyti parentis tui, Graecus Episcopus ab omni Latini antistitis potestate liber constitutus fuerit, adactam te tamen fuisse, rogare memoratum praedecessorem nostrum Benedictum XIV., ut eidem Graeco Episcopo perpetuum Latinum assessorem deputaret abs te nominandum; idque non alia de causa, quam quod verebare ne Graecus Episcopus omni metu liberatus, et ab omni Latinorum cura, ac vigilantia subductus, non satis retenturus esset debitam erga te fidem, et in sancta unione constantiam. Ideoque adjiciendus illi fuit eorum, quae subinde gererentur, veluti quidam inspector, cujus in te, tuasque res, carissima in Christo filia nostra, tibi esset perspectissimum studium, et probatissima fides. Quis igitur comodis, tuarumque rerum securitati repugnat Graecam nationem non amplius Episcopis Agriensibus in posterum esse subjectam, qui in conservandae religionis zelo, et erga suum regem egregia fide summam omnes laudem sunt consecuti. Contra si Graeca natio potestati Graeci Episcopi subjiciatur, vide quaesumus, carissime in Christo filia nostra, ne a natione Latino nomini tantopere adversa perpetuus metus debeat animo tuo insidere.

Haec omnia fieri declarat absque injuria Graecorum, suamque apostolicam adhibituram spondet sollicitudinem, ne ullum inde incommodum exoriatur in regno.

§. 5. Qua in re nulla fit Graecis injuria. Quam nam enim existimabimus facere injuriam cum res quo in loco sunt, in eodem volumus permanere? Quod si Graeci aliquando apud regiam majestatem tuam quidquam habeant conqueri in quo se laedi arbitrentur, per quam facile est ipsi Agriensi Episcopo eorum sedare querelas, et ipsi Nos regiae majestati tuae apostolicam sollicitudinem nostram, et curam adhibituros promittimus, quo convenientioribus quibuscumque modis Graecorum in tua ditione degentium tranquillitati consultum sit; atque ita sancta unio firmiore quodammodo glutine coagmentetur in dies, et in eorum animis alacritas ad sibi parendum augeatur, et fides. Huc enim denique in hac re spectant cogitationes nostrae Tu vero, carissima in Christo filia nostra, si ad hujus rei naturam attentum, et ab omni praejudicio vacuum animum adjicias, profecto comperies, et catholicae Religioni, et regiis rebus tuis multo fore conducibilius, si Graeci nulla nova, sed eadem, qua usque adhuc ratione, semper in posterum gubernentur. Et regiae majestati Tuae, qua praecipua prosequimur charitate apostolicam benedictionem amantissime impertimur. Datum

Romae apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die XIII. Julii MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno undecimo.

DCLXXXIII.

Dat. die 21. 1768. XI. Indultum ut puellae terrae Scandiani Regien. diaecesis monacari valeant in quocumque monasterio dictae civitatis, et diaecesis, et percipere possint subsidium dotale ab opere pio, BELLI nuncupato, et instituto in ipsa Regien. civitate.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

positio ... in quae causam ... §. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum praesidentium, et executorum testamentariorum operis pii, Belli nuncupati, loci, seu terrae de Scandiano Regien. diaecesis Nobis expositum fuit, quod cum dictum opus alias institutum fuerit ad effectum monachandi in monasterio monialium sanctae Catharinae civitatis Regien. puellas dictae terrae, quae graviori laborarent paupertate, licet contra judicialiter fuerit protestatum; saepe vero contingat, ut in eodem monasterio aut desit locus, aut expensae sint multo majores quam in reliquis monasteriis, aut denique earum vocatio sit ad aliud institutum, ipsae puellae pii desiderii sui compotes fieri nequeunt.

...ceditur juxta ... §. 2. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, quatenus puellis, quae dicti pii operis participes esse, et ab ipso dotalia subsidia consequi possunt, ut quodcumque civitatis, et diaecesis Regien. monasterium ad effectum monachandi sibi eligere valeant, dummodo monasterii hujusmodi moniales contentae sint, subsidium tercentum scutorum monetae pro dote spirituali, et centum quinquaginta aliorum scutorum similium pro aliis expensis à praedicto opere pio recipere, Nos indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium praepositorum, qui relationum dilecti filii nostri Ferdinandi S. R. E. presbyteri Cardinalis de Rubeis nuncupati hujusmodi causae ponentis, et venerabilis fratris Episcopi Regien. attenderunt, consilio, ipsorum exponentium precibus juxta petita apostolica auctoritate tenore praesentium indulgemus.

§. 3. Non obstantibus dicti operis pii institutione, ejusque institutoris etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa, quatenus opus sit, plene, et sufficienter commutamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Augusti MDCCLXVIII. pontificatus nostri anno XI. Derogatur institutioni Pii operis, et voluntas institutoris immutatur.

DCLXXXIV.

Committitur Episcopo Posnanien. uniendi orfanotrophium, et domum correctionis Varsaviae, cum societate manufacturarum et lanificii regni Poloniae. Dat. die 13. Aug. 1768. Anno XI.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater salutem
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati societatis manufacturarum, et lanificii in regno Poloniae existen., quod alias bo. me. Christophorus, dum vixit, Episcopus Posnanien. cum pastoralis sui muneris curas in pauperum orfanorum levamen, auxiliumque praecipue impendere cogitasset, eos congregare, atque hospitio excipere in quadam domo hac de causa emptionis titulo ab ipso in oppido civitate nuncupata Varsavien. comparata decrevit, ut ibidem mecanicas artes ediscere, et exercere commode, ac utiliter possent; domus autem hujusmodi gubernium, et directionem in synodo habita Expositio status locorum Piorum, quorum unio expostulatur.

anno MDCCXX. provisoribus confraternitatis, ut asseritur, canonice erectae in ecclesia sancti Benonis civitatis praedictae idem Christophorus Episcopus commisit; verum quia redditibus, ac dote dicta domus destituta penitus reperiebatur, hinc bo. me. cognominatus Rostkowki tunc existens Episcopus suffraganeus Luceorien. facultatem a cla. me. Augusto III, dum vixit, Poloniae rege obtinuit in ea erigendi domum correctionis, ita tamen, ut conservationi quoque orfanorum hujusmodi eadem domus deservire deberet, commisso praefatae domus correctionis sic ut praefertur fundatae, gubernio uni rectori a dicta confraternitate deputando, eamdemque domum ab ordinaria jurisdictioni exemptam solumque jurisdictioni cancellariorum regni, ac patrocinio regis Poloniae subjectam esse voluit. Sic itaque in generalibus comitiis habitis anno MDCCXXXVI. hujusmodi fundatione approbata, minime inde finis, ac effectus a praedictis fundatoribus pie volitus unquam obtentus fuit; quippe quia pauperes orfani propter reddituum, ac dotis deficientiam per vicos, ac plateas, ut asseritur, victum sibi quaerere coguntur, neque in domo praedicta certa, ac stabilis vivendi ratio, artiumque mecanicarum exercitium viget, et habetur.

Demonstrantur utilitates, quae orirentur ab expostulata unione.

§. 2. Ii vero, qui correctionis causa ibidem detinentur famae, ac poenis languescunt, ac omni sive temporali, sive spirituali carent auxilio. E contra autem, cum praedicta societas manufacturarum, et lanificii in regno hujusmodi erecta sit eique quamplures dicti regni optimates nomen quoque dederint ac optimis, prudentissimisque legibus gubernetur, pluribusque exemptionibus, et privilegiis decorata existat, hinc dicti exponentes, re mature perpensa, fini, ac effectui volito a praefatis fundatoribus, quam maxime convenire censuerunt, domum praedictam orphanorum una cum domo correctionis subjici gubernio, ac directioni ejusdem societatis, ac simul uniri, et incorporari, dum artium mecanicarum in institutum a praedicto Christophoro Episcopo, et fundatore orfanis praescriptum mirum in modum instituto ejusdem societatis respondere dignoscitur.

Exponiturque quidquid ipsi unioni expostulatae adversetur.

§. 3. Quoniam vero, sicut eadem expositio subjungebat, unioni Orfanotrophii hujusmodi a memorato Christophoro Episcopo, ut praefertur, erecti obstat illius fundatio, et synodalis desuper edita dispositio praedicta, qua illud directioni, et gubernio praefatae confraternitatis sub ordinaria jurisdictione existentis subjectum fuit. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut firmis remanentibus omnibus obligationibus utriusque fundationis, nempe tam Orfanatrophii, quam domus correctionis hujusmodi, quae in posterum a societate praedicta adimplenda, et exequenda erunt, eodem ferme modo, quo eas dicta confraternitas Sancti Benonis usque adhuc adimplevit, et exequuta fuit, solutisque ecclesiae memoratae confraternitatis emolumentis illis, quae hactenus dicta confraternitas inde percipere consuevit, Orfanotrophii, et domus correctionis hujusmodi unionem incorporationem, et respective subjectionem praedictam auctoritate nostra apostolica approbare, et confirmare, ac in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris pro assequenda gratia, et commissio Episcopo directa praecipiendi unionem quatenus sint exposita.

§. 4. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, audita super praemissis relatione venerabilis fratris Francisci Xaverii Archiepiscopi Petren. congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum secretarii, et ex peculiaribus facti circumstantiis hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut audita praefata confraternitate Sancti Benonis, verisque existentibus narratis, ad petitam unionem tam Orfanotrophii, quam domus correctionis hujusmodi favore supradictae societatis manufacturarum, et lanificii, legibus fundationum, constitutionibus synodalibus, aliisque in contrarium non obstantibus, auctoritate nostra apostolica tenore praesen-

tium pro tuo arbitrio, et conscientia devenire possis, et valeas.

ccipitur andatorumque scripta ter curantur.

§. 5. Volumus autem, quod omnes obligationes juxta praescriptum utriusque fundationis hujusmodi firmae remaneant, et in perpetuum serventur, eisque a praefata societate in posterum satisfaciendum sit, prout hactenus dicta confraternitate Sancti Benonis satisfactum fuit, ac praeterea mandamus, ut eadem societas obligationem solvendi in perpetuum memoratae ecclesiae Sancti Benonis omnia emolumenta, quae ex dictis fundationibus percipere consueverat juxta liquidationem a te faciendam in forma juris valida emittat. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis respective inviolabiliter observari

...usula su..., et de...um irri-

§. 6. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis praefatae nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, et apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non Orfanotrophii, et domus hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decima tertia Augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus nostri anno undecimo.

DCLXXXV.

Indultum concessum piscatoribus portus de Rivadasella dioecesis Oveten. exercendi piscationem diebus festis.

Dat. die 13 Aug. 1768. Anno XI.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis frater Epi. Oveten. salutem, et Apostolicam benedictionem.

Ob paupertatem, et deficientiam aliorum ad vitam substentandam necessariorum etiam festis diebus piscationis exercitium conceditur exceptis diebus solemnibus.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii piscatores portus de Rivodesella Oveten. dioecesis, quod cum ipsi ex piscatione victum trahant, nec alia possint ratione subsistere, quandoque vero diebus ferialibus ob temporum procellas nihil lucri percipere valeant, attenta eorum paupertate, et necessitate piscationem diebus festis peragere posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis; eisdem exponentibus petitam facultatem exercendi piscationem diebus festis, dummodo prius sacrosancto missae sacrificio intersint, exceptis tantummodo solemnioribus festivitatibus, scilicet nativitatis Domini Nostri Jesu Christi,

Epiphaniae, Paschatis resurrectionis, Annunciationis, et Assumptionis B. M. V., sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, ac omnium sanctorum, nec non sanctae Eulaliae Emeretensis patronae dioecesis, ac sanctae Marinae ac titularis ecclesiae parochialis supradicti portus, auctoritate nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia gratis impertiaris; erogata tamen aliqua summa arbitrio tuo ex lucro ex piscatione retrahendo in eleemosynam Christi pauperum; salva tamen in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium.

Derogatur omnibus in contrarium facientibus. §. 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et sinodalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non dictae dioecesis, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superiorioribus; et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Majorem sub annulo Piscatoris die decima tertia Augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno XI.

DCLXXXVI.

Dat. die 27 Aug. 1768. Ann. XI.

Concessio nonnullarum facultatum cappellano majori exercituum regis Catholici.

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Proemium. §. 1. Cum in exercitibus carissimi in Christo filii nostri Karoli Hispaniarum regis catholici multa saepe contingere possunt, in quibus pro recta sacramentorum administratione, salubrique directione, et cura animarum illorum, qui in castris degunt, et versantur, nec non pro cognoscendis, et decidendis inter eos causis, et controversiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, opera, et industria unius, seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit, quippe quia non facile ad proprios parochos, et locorum ordinarios, aut ad Nos, et Sedem apostolicam recursus haberi valeat.

§. 2 Hinc alias Nos ad supplicationem ipsius Karoli regis per quasdam nostras in simili forma brevis die decima Martii anni MDCCLXII. expeditas literas dilecto filio nostro Bonaventurae S. R. E. presbytero Cardinali de Cordova Spinola de la Cerda a sancto Karolo nuncupato ex concessione, et dispensatione apostolica moderno, et pro tempore existenti Patriarchae Indiarum, qui nunc, et deinceps cappellanus major, sive vicarius exercituum ejusdem Karoli regis esse debet nonnulla indulta, privilegia, et facultates ecclesiasticas, et spirituales, quibus erga milites militares, aliasque personas ad militiam, et exercitus praedictos spectantes uti valeret ad septennium a data earumdem Nostrarum literarum computan., sub certis modo, et forma tunc expressis concessimus, et indulsimus, ac alias prout in praedictis nostris literis, uberius continetur. Postmodum vero cum circa hujusmodi facultates ecclesiasticas eidem Bonaventurae Cardinalis Patriarchae cappellano majori, sive vicario exercituum concessas inter ipsum, et venerabiles fratres Archiepiscopos, Episcopos, seu dilectos filios alios locorum ordinarios in Hispaniarum regnis existentes nonnullae ortae essent controversiae, et excitata dubia super dictarum nostrarum literarum interpretatione, atque intelligentia, ut controversiae, et dubia hujusmodi penitus extinguerentur, et tollerentur, Nos ad supplicationem ejusdem Karoli regis per alias nostras in simili forma brevis die XIV. Martii MDCCLXIV. expeditas literas proposita dubia, et quaestiones hujusmodi declaravimus, et definivimus, ac alias prout in eisdem secundo dictis nostris literis plenius pariter continetur. Eadem privilegia jam ad septennium concessa fuerant eidem cappellano ad requisitionem serenissimi Regis Hispaniarum.

...s por- pro ...natio- ...legio-

§. 3. Nuper autem ejusdem Karoli regis nomine Nobis expositum fuit, quod septem anni, ad quos praedicta indulta, privilegia, et facultates memorato Bonaventurae Cardinali Patriarchae cappellano majori, seu vicario exercituum hujusmodi concessa fuerant, versus finem vergant, ipse vero Karolus rex easdem facultates, privilegia, et indulta juxta earumdem nostram secundo dictarum literarum formam, et dispositionem intelligenda, et interpretanda ad aliud septennium per Nos iterum concedi plurimum desiderat.

...ncessio ...natio- indul- ..., et ...legio- quo- ...nume- et ex- ...io ad- ...ur.

§. 4. Idcirco Nos supplicationibus ejusdem Karoli regis nomine humiliter porrectis inclinati, easdem secundo dictas nostras literas d'e XIV. Martii MDCCLXIV., ut praefertur, expeditas, ac quascumque declarationes, concessiones, aliaque omnia, et singula in eis contenta, atque disposita, quae praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, confirmamus, approbamus, innovamus, illisque apostolicae firmitatis nostrae vim, robur, atque munimen adjicimus, easque, ac in illis contentas decisiones, et declarationes ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque quomodolibet spectabit in futurum inconcusse, et irrefragabiliter observari volumus, praecipimus, et mandamus, eidemque Bonaventurae Cardinali, et, ut praemittitur, ex concessione, et dispensatione apostolica moderno, nec non pro tempore existenti Patriarchae Indiarum infrascriptas facultates juxta tenorem, ac formam secundo dictarum nostrarum literarum in omnibus, et per omnia, ut praefertur, intelligendas, et interpretandas, atque exequendas per se, vel alium, seu alias personas in ecclesiastica dignitate constitutas, sive alios sacerdotes probos, et idoneos per se ipsum cappellanum majorem, seu vicarium exercituum hujusmodi, praevio diligenti, et rigoroso examine, repertos, ac approbatos (quatenus ab aliquo suo ordinario approbati non essent) et ab eodem cappellano majori subdelegandos erga milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes tantum exercendas, videlicet administrandi omnia ecclesiae sacramenta, etiam ea, quae nonnisi per parochialium ecclesiarum rectores ministrari consueverant, praeter confirmationem, et ordinationes, si ipse subdelegatus, seu subdelegandus episcopali charactere insignitus non fuerit, vel cappellanus major praedictus per se ipsum dicta sacramenta confirmationis, et ordinum administrare non possit, reliquasque functiones, et munia parochialia obeundi, absolvendi ab haeresi, apostasia a fide, et schismate intra Italiam quidem, et insulas adjacentes illos tantum, qui in eis locis ubi haeresis impune grassatur, nati sint, nec unquam errores judicialiter abjuraverint, vel sanctae romanae Ecclesiae reconciliati fuerint, extra Italiam vero, dictasque adjacentes insulas, quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares, quam regulares eadem castra sequentes, non tamen eos, qui ex illis locis fuerint, in quibus viget officium inquisitionis adversus haereticam pravitatem, nisi inibi deliquerint, ubi haeresis impune grassatur, neque etiam illos, qui errores judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi similiter grassatur haeresis, et post judicialem abjurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hoc in foro conscientiae dumtaxat. Absolvendi quoque a quibusvis excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus etiamsi casibus Nobis, et eidem Sedi apostolicae specialiter reservatis, ac etiam contentis in literis die coenae Domini quotannis legi solitis; retinendi extra Italiam solummodo, et insulas adjacentes, et legendi (non tamen aliis similem licentiam concedendi) libros prohibitos haereticorum, vel infidelium de eorum, religione tractantes, et alios quoscumque ad effectum eos impugnandi, et haereticos, et infideles in castris forte degentes ad orthodoxam fidem convertendi, exceptis tamen operibus Karoli Molinei, Nicolai Macchiavelli, et libris de astrologia judiciaria tractantibus, ac ita ut dicti libri prohibiti ex provinciis in quibus haereses impune grassantur, minime afferantur; celebrandi missam una hora ante auroram, et alia post meridiem, et si cogat necessitas etiam extra ecclesiam in quocumque loco de-

centi etiam sub diu, vel sub terra, et gravi omnino urgenti necessitate etiam bis in die, si tamen in priori missa ablutionem non sumpserit, ac jejunus fuerit, nec non super altari portatili etiam non integro, seu diffracto, aut leso, et sine sanctorum reliquiis, ac demum si aliter celebrari non possit, et absit periculum sacrilegii, scandali, et irreverentiae etiam praesentibus, haereticis, aliisque excommunicatis, dummodo inserviens missae non sit haereticus, vel excommunicatus. Concedendi primo conversis ab haeresi, vel schismate plenariam, aliis itidem quibuscumque utriusque sexus christifidelibus ad praedictos exercitus pertinentibus in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt, nec non in nativitate Domini nostri Jesu Christi, Paschatis resurrectionis, ac Assumptionis beatae Mariae virginis immaculatae festis diebus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem; singulis autem Dominicis, et aliis festivis diebus de praecepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint decem annis de injunctis illis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, easdemque indulgentias sibi lucrandi singulis secundi feriis cujuslibet hebdomadae officio novem lectionum non impeditis, vel eis impeditis die immediate sequenti celebrandi missam de requiem in quocumque altari etiam portatili, si aliter celebrari non possit, et per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictorum exercituum secundum celebrantis intentionem a purgatorii poenis per modum suffragii. Deferendi, si in locis versentur, ubi ab haereticis, et infidelibus periculum subsit sacrilegii, vel irreverentiae sanctissimum eucharistiae sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem in praedictis casibus retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen apto, atque decenti. Induendi (si quandoque in iis partibus degant, per quas propter haereticorum, vel infidelium insultus aliter transire, vel in illis morari non possent) vestibus saecularibus, licet sacerdotes etiam regulares fuerint. Benedicendi quaecumque vasa, tabernacula, vestimenta, paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aliaque ad divinum cultum pro servitio eorumdem exercituum dumtaxat necessaria,, et pertinentia, exceptis tamen iis, in quibus sacra unctio adhibenda erit, si subdelegatus episcopali dignitate insignitus non fuerit. Reconciliandi ecclesias, et cappellas, ac caemeteria, et oratoria quomodolibet polluta in illis partibus, in quibus ipsi exercitus consederint, si ad locorum ordinarios commodus non pateat accessus, aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est benedicta, immo etiam magna urgente necessitate, ut missae Dominicis, et aliis festivis diebus celebrari possint, illa etiam a memorato Antistite non benedicta praeterea eidem cappellano majori per se pariter, vel alium, seu alios ab eo subdelegandos probos, et idoneos sacerdotes in foro ecclesiastico versatos juxta attestationem, et informationem ab eorum ordinario, aliisque personis fide dignis per ipsum cappellanum majorem desuper exquirendum omnem, et quamcumque jurisdictionem ecclesiasticam exercendi in eos, qui in exercitibus praedictis pro sacramentorum administratione, nec non spirituali animarum cura; et directione pro tempore inservient, sive clerici, vel presbyteri saeculares, sive quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares fuerint, perinde ac si quod clericos saeculares eorum veri praesules, et pastores, quoad regulares vero illorum superiores generales essent, omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales, et mixtas inter, seu contra praedictas, aliasque personas in exercitibus praedictis commorantes ad forum ecclesiasticum quovis pertinentes etiam summarie simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura judicii, sola facti veritate inspecta audiendi, et fine debito terminandi contra inobedientes quoslibet ad censuras, et poenas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi, ac etiam saevius reaggravandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi. Eisdem insuper christifidelibus in dictis exercitibus degentibus concedendi licentiam ovis, caseo, butyro, et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus quadragesimae,

et aliis anni temporibus, et diebus; quibus eorum esus est prohibitus (feria sexta, et Sabatho cujuslibet hebdomadae, ac tota majori hebdomada quoad carnes exceptis) vescendi, ac demum commutandi, relaxandi, dispensandi, et absolvendi respective prout, et in quantum Episcopis locorum ordinariis juxta sacros canones, et Concilii Tridentini decreta id facere licet; seu permittitur, quoad vota, seu juramenta, irregularitates, et censuras ecclesiasticas, nempe excommunicationes, suspensiones, et interdicta, nec non quoad omissionem omnium, seu aliquarum ex denunciationibus, quae matrimoniis personarum ad praedictos exercitus pertinentium, et cum illis commorantium contrahendis praemitti deberent ad septennium a fine dictorum septem annorum computan. ad nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Volumus autem, ut ii sacerdotes, quos idem cappellanus major pro sacramentis etiam parochialibus militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum exercituum ministrandis, ut praefertur, deputandos duxerit hujusmodi facultatibus uti valeant in omnibus, et per omnia juxta formam, et tenorem suprememoratarum nostrarum secundo dictarum literarum die XIV. Martii MDCCLXIV. expeditarum, et erga personas dumtaxat in eisdem nostris literis contentas, et expressas; ac praeterea mandamus, ut statim atque iidem sacerdotes, quos cappellanus major subdelegaverit ad temporaneas, et accidentales militum, et exercituum hujusmodi stationes devenerint, literas testimoniales tam super eorum sacerdotio, quam super sua deputatione, ac facultatibus sibi vigore praesentium concessis pro hujusmodi munere exercendo parochis locorum exhibere debeant, quibus visis hi non impediant, quominus missam in suis ecclesiis celebrare, ac in vim earumdem facultatum sacramenta etiam parochialia ministrare valeant, quod si matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos exercitus pertineat, ibique occasione stationum praedictarum commoretur, altera vero parocho loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu néc parochus sine sacerdote hujusmodi, nec vicissim sacerdos sine parocho celebrationi hujusmodi matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur; sed ambo simul, atque aequaliter stolae emolumenta, si quae licite percipi solent, accipiant, et inter se dividant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non ordinum quorum personae hujusmodi professae fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis hujusmodi ordinibus, vel eorum superioribus, aut singularibus personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima septima Augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno undecimo.

DCLXXXVII.

Dat. die 3. Sept. 1768. Ann. XI.

Commissio Archiepiscopo Taurinen. super executione quarumdam literarum Urbani VI. Eugenii IV. et Nicolai V. super separatione nonnullorum locorum, seu Villarum a Dioecesi Asten. eorumque unione cum dioecesi Montis Regalis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Taurinen.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Circumspecta Romani Pontificis providentia iis, quae rationabilibus suadentibus

causis pro christifidelium utilitate, salubrique, et prospera ecclesiarum praesertim cathedralium, earumque dioecesum directione a praedecessoribus suis laudabiliter disposita, et constituta fuisse dignoscuntur, ut eo firmius illibata persistant, quo saepius fuerint apostolicae Sedis communita praesidio libenter suae approbationis, atque confirmationis robur adjicit, et si quando ob rerum, ac temporum varietatem debitae executioni demandata non fuerint, et instaurat, ac de novo decernit et alias apostolicae auctoritatis partes desuper interponit, prout omnibus circumstantiis mature perpensis, eorumdem fidelium saluti, et commodis, ecclesiarumque praedictarum, ac illis praepositorum sacrorum Antistitum pacifico, et tranquillo statui conspicit in Domino salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Sane, sicut Nobis nuper exponi fecerunt venerabiles fratres Michael Episcopus Montis Regalis, ac Paulus Episcopus Asten. olim fel. re. Urbanus PP. VI. praedecessor noster per suas VI. Idus Junii pontific. sui anno XI. sub plumbo expeditas literas ecclesiam sancti Donati Montis Regalis in novam cathedralem erexit, atque insuper quousque dioecesis dictae civitatis Montis Regalis limitata foret, idem Urbanus praedecessor liberam administrationem, et gubernationem in quibuslibet ecclesiis, terris, villis, et castris existentibus in partibus Pedemontium inter flumina Tanagri, et Sturiae cum villis Bastitae, Cillierii, et Rochae Cillierii nuncupat. diaecesis Asten. Episcopo Montis Regalis concessit, et assignavit, ac alias prout in ejusdem Urbani praedecessoris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Nonnullae tamen ex villis hujusmodi dicto Episcopo Montis Regalis ut praefertur, assignatis, nempe Pamparaci, et Turris, ac Sancti Michaelis, Nielli, Cillierii, et Rochae Cillierii, quae a civitate Montis Regalis per spatium paucorum milliarium distant, et a dioecesi Asten. prorsus separatae, ac disjunctae consistunt, atque insuper ab ipsa civitate Asten. non minori quidem quam trium dierum itinere dissitae reperiuntur, via porro hiberno praesertim tempore, aquisque abundantibus, perdifficili, obstinato animo Episcopo Montis Regalis se se subjicere detrectarunt, ita ut memoratae ejusdem Urbani praedecessoris literae quoad territorii hujusmodi designationem, ac determinationem executioni demandatae minime fuerint.

Memoratur Bulla fel. recor. Eugenii Papae IV. super concessione territorii factae ecclesiae Montis Regalis.

§. 3. Quocirca ad preces bo. me. Percevalti tunc Episcopi Montis Regalis fel. rec. Eugenius PP. IV. Praedecessor quoque noster per suas X. kalendas Septembris anni MCCCCXXXV, sub plumbo expeditas literas facultatem tunc existentibus abbatibus monasteriorum Sancti Stephani, et Savilliani, nec non cantori ecclesiae Taurinen. subtrahendi in perpetuum a diœcesi ecclesiae Asten. et assignandi ecclesiae Montis Regalis easdem partes inter flumina praedicta cum omnibus, et singulis in eis consistentibus, ac Bastitae Cillierii, et Rochae Cillierii, nec non Villis earumdem concessit, et indulsit, ac alias prout in eisdem memorati Eugenii praedecessoris literis, quarum pariter tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Vi itaque hujusmodi facultatum praedictis abbatibus, et cantori, ac cuique ex illis vel communiter, vel divisim concessarum, ut praefertur, idem abbas sancti Stephani, assumpta hujusmodi causae notione, quemadmodum ex sententia desuper ab eo edita die XVIII. Maji MCCCCXXXVI. constare dicitur, easdem partes inter flumina praedicta consistentes cum Villis, seu locis Bastitae, Cillierii, et Rochae Cillierii a dioecesi Asten. subtraxit, illasque dioecesi Montis Regalis assignavit, et univit, ac alias prout ex dicta sententia auctoritate apostolica postmodum, ut asseritur, confirmata, constare dicitur, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, plenius itidem dicitur contineri.

Memoratur atque bulla Nicolai Papae V. super eadem re.

§. 4. Deinde vero p. me. Nicolaus PP. V. praedecessor quoque noster tunc existentibus Episcopo Taurinen., et abbati Pinarolien. demandavit, ut ipsi novae dioecesis Montis Regalis fines constituerent, illamque Astensis dioecesis partem inter flumina praedicta consistentem, ac Bastitae, Cillierii, et Ro-

chae Cillierii villas a praedicta dioecesi Asten. separarent, et segregarent, et alias prout in ejusdem Nicolai praedecessoris die XI. kalendas Aprilis Pontificatus sui anno VI. expeditas literas, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, atque inserto haberi volumus, plenius pariter dicitur contineri.

tan- edi- itu- non- iabi- vil- nue- jice- isdi- Epi- ontis un- in- oda ob- t.

§. 5. Non obstantibus tamen omnibus prædictis, habitatores earumdem villarum jurisdictioni Episcopi Montis Regalis se se subjici nullo modo voluerunt, sed sub jurisdictione, et subjectione Episcopi Asten. constanti animo permanserunt, et nunc quoque permanent; pluribus vero ab hinc annis propter gravia, et sumptuosa incommoda, quae ex distantia ab eorum cathedrali in habitatores villarum hujusmodi procedunt, ipsi quoque dioecesi Montis Regalis se se tandem subjici exoptarunt, et nunc quoque exoptant; qua de re habitatores praedicti penes earumdem Villarum communitates super his institerunt, earumque nomine preces dicto Paulo Episcopo Asten. exponenti obtulerunt. Idem itaque Paulus Episcopus non tantum precibus hujusmodi commotus; verum etiam quia propriis oculis inspexit, et occasione ab eo peractae pastoralis visitationis agnovit, huic remotae parti suae dioecesis minime provideri posse, ea qua par est, celeritate, et diligentia, quo circa ut suo muneri faceret satis, praedicto Michaeli Episcopo Montis Regalis itidem exponenti earumdem Villarum unionem cum sua dioecesi proponere non omisit: ipse vero Michael Episcopus, licet magna pars suae dioecesis in locis montuosis, et alpinis consistant, ac non sine gravi labore, et incommodo visitari, atque gubernari valeat, et villae praedictae in similibus locis aeque pariter sitae sint, nihilominus animarum salutem paterna charitate caeteris omnibus praeferendo praedictas Villas in suam dioecesim recipere, eique unire libenti animo delibe ravit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius unio hujusmodi ad Dei gloriam, et animarum salutem suum consequatur effectum, dicti exponentes illius executionem alicui per Nos auctoritate nostra apostolica committi, et demandari plurimum cupiant, idque carissimus quoque in Christo filius noster Karolus Emmanuel Sardiniae rex illustris pro singulari sua in Deum, et proximos charitate summopere desideret.

§. 6. Nos piis ejusdem Karoli Emmanuelis regis votis libenti animo annuere, ipsosque exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Urbani, ac Eugenii, et Nicolai praedecessorum nostrum Romanorum Pontificum literas, ac sententiam a memorato abbate sancti Stephani, ut praefertur, editam auctoritate nostra apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac fraternitati tuae auctoritate, et tenore praedictis committimus, et mandamus, ut praefatas literas eorumdem Urbani, Eugenii, et Nicolai praedecessorum, una cum praefata sententia juxta illarum formam, tenorem, et continentiam executioni demandes, illasque exequi cures, et facias. Concessio unionis cum nonnullis reservationibus, et cauthelis.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, atque ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum qui- Clausula sublata, et decretum irritans.

busvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque, efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die tertia Septembris millesimo, septingentesimo, sexagesimo, octavo, Pontificatus nostri anno undecimo.

DCLXXXVIII.

Dat. die 10. Sept. 1768. Anno XI.

Indultum, ut missae sacrificium, quod in cappella posita prope et extra clausuram monasterii Montis Oliveti majoris Congregationis Olivetanae celebratur pro omnibus christifidelibus valeat in adimplementum praecepti de audienda missa.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilecti filii vicarii generalis monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis Olivetanae Nobis expositum fuit, quod cum prope, et extra clausuram monasterii beatae Mariae Montis Oliveti majoris nuncupati ejusdem congregationis nullius diaecesis provinciae Senen. quaedam aedes existant pharmacothecae, et hospitii usui addictae palatium vulgo pariter nuncupat., in earum privato oratorio, seu cappella sacrosanctum missae sacrificium in monachorum, ac inservientium dumtaxat praesentia celebratur. Verum quia quamplures utriusque sexus christifideles, et praesertim pauperes ibidem convenire solent, ut eleemosynam panis, qui quotidie data hora distribuitur, consequantur, atque insuper contingat etiam alias personas ibidem hospitio recipi, ipse exponens pro eorumdem christifidelium spirituali consolatione, sacrosanctum missae sacrificium hujusmodi eisdem christifidelibus diebus festis in praecepti de audiendo sacro satisfactionem suffragari posse plurimum desiderat. Nos igitur exponentem praedictum specialibus gratiis. et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, quo magis eorumdem christifidelium spirituali consolatione, et animarum saluti consultum sit, ut missae sacrificium in memorato oratorio, seu cappella, ut supra celebrari solitum etiam dictis utriusque sexus chistifidelibus, ad eleemosynam panis, ut praefertur, confluentibus, aliisque personis ibidem hospitio pro tempore receptis diebus festis in praecepti adimplementum suffragetur, auctoritate apostolica tenore praesentium ad septennium proximum tantum indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die decimo Septembris millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, pontificatus nostri anno undecimo.

DCLXXXIX.

Reprobatur lex edita a Senatu Veneto super reformatione Ordinum regularium.

Dat. die 1[illegible] Oct. 176[illegible] Anno XI.

Venerabilibus fratribus Joanni Patriarchae Venetiarum, Archiepiscopis et Episcopis in ditione Reipublicae Venetae.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles Fratres salutem, et Apostolicam benedictionem.

Dolet de [illegible]ta per Vene[illegible] tum senatu[illegible] lege sup[illegible]

§. 1. Ad plurimas acerbitates, quas usque adhuc obtulit, atque etiam nunc graviores quotidie Nobis exhibet in hac temporum injuria

atione ...m re- ...m.

Pontificatus nostri conditio, accessit modo lata lex a Reipublicae Venetae Senatu, quae sub obtentu reformandorum Ordinum regularium eo denique spectat, ut in ejusdem Reipublicae ditione regulares Ordines funditus deleantur. Sed si in iisdem Ordinibus regularis observantiae studia refrixerunt, eo tamquam ad veram causam referenda est disciplinae prolapsio, quod in iis, quae ad regendorum regularium gubernationem pertinent, se immiscuerit laica potestas; unde legitimae superiorum aut generalium aut localium potestati, atque etiam hujus apostolicae Sedis auctoritati objectis impedimentis, quominus apta et convenientia subnascentibus malis remedia adhiberentur, factum est, quod necesse fuerat, ut eadem in dies gliscerent mala, quibus nunc medendis lex illa, etiamsi a legitima potestate proficisceretur, minime est opportuna, quae regulares Ordines non restituit, sed evertit.

contra ...atem ...asti- ...gnare ...at, sua- ...ut ab ...ceda-

§. 2. Et in omnibus quidem suis capitibus ea lex ecclesiasticam potestatem imminuit: sed quod ad regulares Ordines recte gubernandos saluberrime Ecclesia constituit, omnia fere depravat atque permiscet. Atque illud occurrit in fronte, quod in primo ejusdem legis capite omnis omnino a jurisdictione vestra in rebus spiritualibus regularium ordinum exemptio tollitur; vosque, venerabiles fratres ad ordinariam jurisdictionem in regulares plene ac libere exercendam excitamini: quae quidem adhortatio maximum teterrimumque gignere potest malum, ut ipsi vos ab ea, quam huic debetis apostolicae Sedi, obedientia secludamini. Quamobrem, etsi pietate vestra et summa, quam adhuc praestitistis, in Nos et hanc sacram B. Petri Sedem voluntate obedientia et devotione summopere confidimus, nunquam futurum ut ea utamini potestate, cujus facultas ab eo, qui tali facultate prorsus caret, vobis conceditur; tamen existimavimus esse apostolici nostri muneris fraternitates vestras per has nostras literas admonere, vobisque injungere, ut exemptiones regularibus Ordinibus ab hac apostolica Sede concessas, et a praedecessore nostro fel. record. Leone X. in Lateranensi generali Concilio quinto vobis studiosissime commendatas, strenue tueamini, nec quisquam vestrum ordinariam jurisdictionem, unde Romani Pontifices eosdem Ordines subduxerunt, in eos exerceatis; sed ea tantummodo jurisdictione, quemadmodum usque adhuc fecistis, utamini, quam in regulares quibusdam in rebus a vobis adhiberi oportere, Tridentina synodus sanxit. Mirum profecto Senatum in ea lege tam nullam Tridentini concilii rationem habuisse, novitatisque cupiditati parere maluisse, quam priscam illam retinere devotionem erga S. Ecclesiam in illo celeberrimo sacro conventu congregatam, et a veteris illius Senatus recessisse vestigiis, qui quod inter primos catholicos Principes decretorum ejus synodi singulari studio et alacritate exequutionem injunxisset a fel. record. praedecessore nostro Pio IV. honorificentissimis fuerit literis et immortali praeconio laudatus. Vobis quidem, venerabiles fratres; nihil antiquius nec magis cordi esse arbitramur, quam ut Ecclesiae pareatis, quae regularium privilegia in memorato Lateranensi concilio vobis commendat. « *Ipsos quoque*, inquit, *Episcopos hortamur, et per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes eorum jura omni cum caritate custodiant atque defendant*. » Et fraternitatibus vestris intimo nostri cordis effectu apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die prima Octobris 1768. Pontificatus nostris anno XI.

DCXC.

Confirmatio decreti a Magno Magistro hospitalis S. Joannis Hyerosolimitani statuentis tempus quo initium sumere debeat mortuarium commendarum, tam vacantium, quam vacaturarum, ob privationem eorum, qui debitores sint comunis aerarii dicti hospitalis. Dat. die 21. Nov. 1768. Ann. XI.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur ratio constitutionis.

§. 1. Ratio apostolici ministerii Nobis, licet immeritis, a christo Domino injuncti exigit,

ut litigia, et discordias; quae humani generis hoste zizania superseminante, ecclesiasticas personas praesertim regulares pro fidei catholicae adversus Christi nominis inimicos defensione jugiter laborantes perturbat, omni cura evellere studeamus; quo circa ea, quae ad fovendam inter ipsos pacem provide, salubriterque constituta esse noscuntur, libenter, cum id a Nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Magnus Magister, et consilium hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod ipsi, ut omnis amoveretur dubietas, eorum decreto die XXIV. Septembris MDCCLXVII. edito, statuerunt tempus, quo initium sumere debeat mortuarium praeceptoriarum, seu commendarum ejusdem hospitalis, quarum vacatio, vel jam secuta fuisset, vel in posterum sequi contigeret propter privationem debitorum communis aerarii hospitalis praedicti, et alias prout in dicto decreto uberius continetur. Hujusmodi vero decreti tenor est qui sequitur videlicet.

Fr. Emmanuel Pinto.

Tenor decreti, cujus exposcitur confirmatio.

§. 2. Dei gratia, sacrae domus hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, et militaris Ordinis sancti sepulchri Domini Magister humilis, pauperumque Jesu Christi custos: universis, et singulis praesentes nostras literas visuris, lecturis, et audituris salutem. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellaria nostra conservato, in quo similia notari, et registrari solent; quod quidem in hanc publicam formam extrahi, et redigi jussimus, ut ubique tam in judicio, quam extra eidem plena, et indubitata fides adhibeatur; cujus tenor est qui sequitur videlicet.

Die 24. mensis Septembris 1767.

Tenor precum, quae decretum excitarunt.

§. 3. Essendosi letto il Chirografo de' venerandi procuratori del comun tesoro toccante il tempo, in cui deve cominciare il mortorio delle commende, che vacheranno per la privazione dei debitori dello stesso comun tesoro, qual'è del tenore seguente, cioè.

Eminentissimo Signore

La veneranda camera de' conti con suo decreto delli 15. Maggio 1765. fondato sopra la disposizione dello statuto 29. del tesoro stabili che il mortorio delle commende di Castres, e s. Mauvais, delle quali fu privato il commendatore fr. Alessandro de Grieu, doversi incominciare dal giorno della smutizione. I provisti di dette due commende, il venerando Balì fr. Camillo de Rohan, ed il Commendatore le Bacle d' Argentewil pretesero, che il mortorio correr dovesse dal dì della privazione sotto lo apparente motivo, che il decreto del venerando consiglio di stato del 5. Giugno 1728. avendo saggiamente disposto, che le smutizioni in simili casi non si dovessero permettere prima del lasso di otto mesi da contarsi dal dì della privazione, o ammette di fissarne il tempo: onde procurarono di adattare a questa loro pretensione il senso delli statuti 27. 28. e 29. del tesoro.

La veneranda camera de' conti, alla quale ebbero questi ricorso deputò sotto li 27. Marzo 1766. commissarj, li quali essendosi nella loro relazione uniformati all' enunciato decreto dei 15. Maggio 1765. fù dalla medesima confermato sotto li 11. Settembre dello stesso anno, dal quale interposero immediatamente appellazione all' Eminenza Vostra, ed a questo venerando consiglio; ma ravvedutisi finalmente dell' abbaglio da loro preso, hanno rinunciato sotto li 2. del corrente mese di Settembre alla fatta appellazione, ed hanno accettato con religiosa rassegnazione il più volte enunciato decreto della veneranda camera de' conti; ci crediamo noi pertanto in obbligo, Eminentissimo signore, di esporle questo fatto, affinchè l' Eminenza Vostra si compiaccia confermare con questo venerando consiglio l' enunciato decreto, colla espressa dichiarazione, che ne' casi di privazione di dignità, e di commende per debiti verso il venerando comun tesoro, debba il mortorio incominciare dal dì della smutizione, e questo per evitare quanto sia possibile nuovi pretesti di litigio a nostri religiosi; sottoponiamo pertanto questo nostro pensamento alla risoluzione, che l' Eminenza Vostra

stimerà più conveniente. Ci diamo l' onore di farle profondissima riverenza. Dal tesoro li 9. Settembre 1767. Fr. Silvio Vincentini segretario del comun tesoro.

L' Eminentissimo, e Reverendissimo sig. Gr. Maestro, ed il venerando consiglio inerendo al preinserto chirografo, hanno collo scrutinio delle palle N. D. stabilito, doversi cominciare detto mortorio dal giorno della smutizione delle riferite commende vacanti per privazione dei debitori del comun tesoro.

Et quia ita se habet veritas, ideo in hujus rei testimonium bulla nostra magistralis in cera nigra praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro die, mense, et anno supradictis etc.

Regist. in cancellaria.

Loco ✝ Signi

Bajulivus Aquilae Fran. Guedes Vice-canc.

...atio- ...ectae ...nfir- ...di- ...reti, ... as- ...r ...nam ...m. §. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum decretum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

...tum ... van- ...quid de- ...nti- §. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die vigesima prima Novembris MDCCLXVIII., pontificatus nostri anno undecimo. Derogatio contrariorum.

DCXCI.

Puellis retentis in conservatorio beatae Mariae virginis sine macula conceptae, posito in regione Montium de Urbe conceditur facultas consequendi dotes, et subsidia dotalia tam pro matrimonio, quam pro monacatione perinde ac si in aliis conservatoriis Urbis degerent. Dat. die 24. Nov 1768, Anno XI.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Alias a fel. record. Clemente PP. X. praedecessore nostro ad preces tunc existen- Proemium

tium administratorum conservatorii puellarum sub titulo Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae in regione Montium de Urbe emanarunt literae in simili forma brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet. Clemens PP. X. ad futuram rei memoriam. Exponi nuper fecerunt dilecti filii administratores conservatorii puellarum sub titulo Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae in regione Montium de Urbe, quod cum dictae puellae ex omnibus ejusdem Urbis regionibus, ut pudicitiae periculis, quibus ob earum inopiam expositae essent, subtrahantur in conservatorium praedictum recipiantur, ibique tamdiu substententur, donec eis de honesta conditione sit provisum; nihil autem eis, dum collocantur ex instituto dicti conservatorii, ab ipso conservatorio, quippe facultatibus non satis instructo, praestari soleat, et fel. rec. Clemens PP. IX. praedecessor noster eisdem puellis indulserit, ut ad quaecumque subsidia dotalia locorum piorum Urbis praedictae admitti possent, licet in dicta regione Montium habitarent, et alias prout in rescripto ejusdem Clementis praedecessoris desuper emanato, dicitur contineri.

Expositio precum.

§. 2. Verum dilecti filii deputati, seu curatores eorumdem locorum piorum in executionem dicti rescripti puellas praedictas ad subsidia dotalia hujusmodi admittere recusent, causati forsitan, quod hujusmodi subsidia dotalia ex instituto, seu consuetudine, vel usu praedictorum locorum piorum puellis certarum regionum semper, vel alternis vicibus destinata sint, quodque institutum, seu consuetudo, vel usus hujusmodi, quod ad caetera puellarum dictae Urbis conservatoria observetur; praefati exponentes considerantes non adesse inter primodictum, et caetera conservatoria hujusmodi paritatem cum haec conservatoria eorum puellis, cum in religione, vel matrimonio collocantur, subsidium dotale praestari consueverint, plurimumque expediri, ut puellis primodicti conservatorii de honesta conditione quantocitius provideatur, quo aliae puellae periclitantes subinde earum loco in idem conservatorium recipiantur: cujus rei utilitas cum Dei servitio conjuncta in omnes dictae Urbis regiones peraeque redundat, opportune in praemissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri, summopere desiderant.

Indultum concessum pro consequendis quibuslibet dotalibus subsidiis.

§. 3. Nos igitur pudicitiae conservationi, et necessitatibus puellarum dictarum ad omnipotentis Dei gloriam, et christianae pietatis, et charitatis, operum incrementum, et felicem progressum, ex commissae Nobis caelitus dispensationis officio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis deputatis, seu curatoribus, aut administratoribus quorumcumque locorum piorum Urbis praedictae, aliisque quibuslibet, ad quos dotium, sive subsidiorum dotalium distributio, seu traditio nunc spectat, et pro tempore spectabit, auctoritate apostolica tenore praesentium praecipimus, et mandamus, ut puellas in praefato conservatorio Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae nunc, et pro tempore existentes, licet in supradicta regione Montium habitent, nihilominus ad dotes, sive subsidia dotalia quaecumque hujusmodi tam matrimonii, quam monachatus ratione praestanda, una cum puellis quarumcumque ejusdem Urbis regionum aequaliter, et pariformiter, ac sine ulla prorsus differentia admittant, illisque dotes, seu subsidia dotalia hujusmodi respective, servatis alias servandis, realiter, et cum effectu praestent in omnibus, et per omnia perinde ac si puellae ipsae in singulis Urbis hujusmodi regionibus habitarent; Nos enim quamcumque necessariam, et opportunam ad id facultatem eis harum serie eadem auctoritate tribuimus, et impertimur. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et

efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac puellis praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

...trariis ...us de... ...r. §. 4. Non obstantibus praemissis, ac quorumcumque testatorum, et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae Urbis, et quorumcumque illius locorum piorum etiam specifica, et individua mentione dignorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, et novis additionibus, stylis, usibus, et consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenoris praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum pro hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDCLXXII. Pontificatus nostri anno tertio. Cum autem sicut dilecti filii moderni praeses, ac deputati ejusdem conservatorii sub titulo beatae Mariae Virginis immaculatae Nobis nuper exponi fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

...olutio a ...uris. §. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, harum supplicationibus inclinatis praeinsertas Clementis praedecessoris literas, una cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus. Decernentes pariter praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae idem Clemens praedecessor in praefatis suis literis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Novembris MDCCLXVIII. Pontificatus nostri anno undecimo.

DCXCII.

Confirmatio privilegiorum, quibus civitas Cervien. ab aliis Pontificibus donata fuerat. Dat. die 25. Jan. 1769. Ann. XI.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a civitate Cervien. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas, et homines civitatis nostrae Cervien., quod ipsi privilegia, indulta, immunitates, libertates, et gratias alias eidem civitati, illiusque incolis à diversis romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, et confirmata respective, quo firmiora subsistant, et ab omnibus exactius observentur apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderant.

Absolutio a censuris pro consequenda gratia novae concessionis

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, et singula privilegia, immunitates, libertates, et gratias, ac indulta praedicta, dummodo in usu, et licita sint, et honesta, et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non adversentur, debitaeque Nobis, et S. R. E. obedientiae, et fidelitati non repugnent, auctoritate praedicta, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praecipitur, ut a quovis tribunali procedatur ad tramites concessionum.

§. 3. Decernentes nec non praesentes literas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXV. Januarii MDCCLXIX. Pontificatus nostri anno XI.

DCXCIII.

Dat die 26 Jan. 1769. Anno XI.

Confirmatio resolutionum definitorii generalis habitarum in monasterio Calvomontano ordinis S. Benedicti, congregationis Polonae super quatuor dubiis, circa institutionem studii philosophiae, praecedentiam lectorum, et subministrationem necessariorum ipsis peragendam, ac eorumdem lectorum onera quoad chorum, et celebrationem missarum.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum pro assequenda confirmatione resolutionum definitorii generalis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii conventus, et monachi monasterii Calvomontan. ordinis sancti Benedicti congregationis Polonae, et Bernardus Mirdo monachus expresse professus dictae congregationis eorum procurator, quod superiori anno MDCCLXVIII. definitorio generali memoratae congregationis pro parte ipsorum quatuor dubia examinanda, et resolvenda proposita fuerunt; primum nempe » An studium philosophicum institui debeat in monasterio Calvomontano. II. An lectoribus praecedentia competat super seniores, atque antiquiores. III. An lectoribus aliena monasteria inhabitantibus, et ab eis de necessario provisis providendum insuper sit a nativo monasterio de secundariis necessariis; et IV. an ipsi lectores literis obedientialibus ad nativa monasteria redeuntes consueta missarum onera, chorique frequentationem in diebus festis subire debeant juxta normam constitutionum.

Resolutio definitorii generalis singulorum dubiorum.

§. 2. Idem vero definitorium re mature perpensa ad primum respondit » affirmative » ad secundum autem » omnes graduatos ad locum superiorem jam admissos locis suae graduationis uti, ac gaudere, quousque aliter ab hac sancta Sede decretum non sit, exceptis tamen tum de novo formalizandis lectoribus, tum in iis quoque, qui nondum in possessione existunt loci superioris, sive in nativis, sive in alienis reperiantur monasteriis, quos idem definitorium voluit, contentos esse debere loco vocationis suae usque ad praefatam resolutionem a dicta Sede procurandam. » Ad tertium, respondendum censuit memoratum definitorium » Lectores ubi laborant ibi provideantur de necessariis, quibus sint contenti » demum ad quartum » affirmative. » Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, qui firmius resolutiones, seu responsa praemissa

definitorii generalis hujusmodi subsistant, et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, et insuper praecedentiam debitam esse iis lectoribus, seu graduatis modo illam obtinentibus, et in monasteriis in quibus ipsi illam actu obtinent, non autem aliis lectoribus, aut graduatis, qui praecedentiam hujusmodi nunc minime gaudent, nec eorum successoribus, per Nos declarari plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

...atio o- ...di- ...ua- ...ser- ...ne- ...cei-

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et regularium praepositorum, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinen. super praemissis audiverunt, consilio, praefatas resolutiones dubiorum definitorii generalis praedicti auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, et ab omnibus, ad quos spectat, servandas esse volumus, ac jubemus, ita ut lectores, seu graduati, qui in quasi possessione praecedentiae sunt, ea etiam in posterum gaudeant in iis monasteriis, in quibus eam obtinent; caeteros vero ea modo non gaudentes, aliosque deinceps, qui ad id muneris delecti fuerint, praecedentiam hujusmodi nulla prorsus ratione sibi sumere posse, auctoritate, et tenore praedictis declaramus, statuimus, et mandamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, at quatenus opus sit, ordinis, congregationis, et monasteriorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii millesimo septingentesimo sexagesimo nono, Pontificatus nostri anno undecimo.

Nihil in contrarium facere posse declaratur, derogatis omnibus etiam ordinationibus, et constitutionibus apostolicis.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX MATERIARUM

QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE

CONTINENTUR.

A

ABBAS REGULARIS.

Abbates Regulares cujuscumque Ordinis, penes quos residet cura animarum, Personarum secularium, et non commensalium in Parochiis, licet illae in Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, Visitationem Episcopi, sive per se, sive per alium factam, subire tenentur in iis, quae respiciunt curam Animarum. Const. 26. §. 5. et 6. pag. 80

Abbates obtinentes Parochias Regulares, nequeunt a Superioribus Regularibus ad curam animarum destinari, illumque exercere, absque approbatione Episcopi §. 5. » 81

Abbates Regulares non possunt pro libitu, et sine licentia Episcopi constituere modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam in qua Sacramenta a Parrochis subministrentur §. eod. » ibid.

Ubi habeant Abbates Regulares purum jus Patronatus Parrochiarum acquisitum, vel cessum a laicis, quibus in hoc succedunt, tenentur Episcopo praesentare Sacerdotes seculares, ut antea laici tenebantur, non possunt vero substituere Monachos, eosque pro libitu, absque Episcopi assensu removere §. eod. » ib.

Competit Episcopo, abbatibus Regularibus prohibere, ne plures in anno, occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subjecti, sine praesentia ejusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae § eod. » ibid.

Praelati, et Abbates Regulares nequeunt, sine speciali indulto, Calices, Campanas, aliaque Vasa Sacra, in quibus intervenit Sacra Unctio benedicere, pro usu alienarum Ecclesiarum §. eod. » ibid.

Decretum ab Alexandro VII. editum circa usum restrictum Pontificalium, Praelatis inferioribus concessum, servare tenentur Abbates, et Praelati Regulares § eod. pag. 81

ABBATISSA.

Honorifica Abbatissae appellatio maternam erga filios pietatem significat Constit. 191. §. 4. » 436

Baculum quod Abbatissae gestant exprimit mansuetudinem temperatam cum animadversionis severitate §. eod. » ibid.

Annulus qui digito imponitur, designat beatissimam illam, et sempiternam charitatis conjunctionem cum divino sponso Jesu Christo §. eod. » ibid.

Vide *Moniales.*

ACCADEMIA.

Vide *Canonici Regulares reformatae Congregationis S. Crucis Colimbriensis.*

Ne libri extrahantur ex Bibliotheca Accademiae Posnaniae, sub excommunicationis latae sententiae poena prohibuit Constit. 117. § 1. » 316

A qua excommunicatione neminem nisi, in mortis articulo, praeter Romanum Pontificem absolvere posse jubetur §. eod. » ibid.

ACCADEMIA NOBILIUM CIVITATIS VENETIARUM.

Accademia nobilium civitatis Venetiarum sub regimine Clericorum regularium Congregationis Somaschiae facultatem perpetuam imploravit, asservandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in sua cappella. Const. 463. » 945

Quam facultatem Pontifex indulsit datis salutaribus praescriptionibus ibid. §. 2. et 3.

ALTARE PRIVILEGIATUM.

Vide *Moniales Salesianae.*

ALTERNATIVA IN COLLATIONE BENEFICIORUM.

Vide *Romanus Pontifex. Regnum Poloniae. Archiepiscopus Guesnensis.*

APPARITORES.

Vide *Sardiniae Regnum*.

APPELLATIO.

Cuncta quae ad Appellationes pertinent a judiciis Episcoporum collegit Benedictus XIV. constitutione sua. III. Kal. Apr. MDCCXLII. memorata in Constit. hac. 160. §. 2. pag. 402

ARCHICONFRATERNITAS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

Benedictus XIV, speciali benevolentia Archiconfraternitatem Doctrinae Christianae de Urbe protexit Const. 97. §. 1. » 275
Clemens XIII., Praesulibus Visitatoribus, et Deputatis hujus Archiconfraternitatis injunxit, ut impensius incumberent exequutioni ordinationum, et gratiarum favore ediscentium, et erudientium Doctrinam Christianam §. 2. » 276
Facultates impertimur huic Archiconfraternitati, statuendi regulas pro efformandis elenchis puellarum, quae imposterum admittendae erunt ad dotalia subsidia Administrationis *dei Lotti* §. 6. » 277

ARCHICONFRATERNITAS S. CATHARINÆ SENENSIS DE URBE.

Antiquum indultum liberandi, quotannis unum reum ab ultimo supplicio commemoratur, indultumque fuisse deperditum exponitur Const. 219. §. 1. » 508
Supra relatam indultum Pontifex confirmat, et quatenus opus sit, de novo concedit §. 2. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS CALARITANUS.

Archiepiscopus Calaritanus jus sibi asserebat directi dominii in Insolam Sulcitanam S. Antiochi Regni Sardiniae Constit. 98. §. 3. » 279
Tali autem jure pernegante Sardiniae Regni Fisco, concordia inita inter partes fuit Anno 1758. diei 21. Martii, qua juribus ab utraque parte praetendente renunciatis, insulà eadem cessa fuit Ordini SS. Mauritii, et Lazzari, pro erigenda Comenda §. 4. » ibid. ad 284
In hac vero cessione praefinitus fuit modus divisionis reddituum Insulae inter Regium Sardiniae Ærarium, Archiepiscopum Calaritanum, et Militarem Ordinem SS. Mauritii, et Lazzari §. eod. pag. 284.
Reservata pariter fuit favore Archiepiscopi subjectio spiritualis habitantium in Insula §. eod. » ib.
Nec non casus contemplati, quo actuales Insulae redditus, futuris augerentur temporibus §. eod. » ib.
Quae sane pactiones ex speciali reservatione fuerunt deinde Apostolica auctoritate confirmatae §. 6. » 285
Vide *Dioecesis Calaritana. Universitas studiorum in Civitate Caliaris.*

ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS.

Archiepiscopus Coloniensis, Parocho Kerpensi prohibuit, in questionem quam habebat cum indigeno Coloniensi, ne adiret Ecclesiasticam curiam, insuperque sacris interdixit Const. 171. §. 1. » 425
Ex quo factum fuit ut plurima orirentur scandala, in Ecclesiasticae disciplinae detrimentum §. eod. » ibid.
Hinc Pontifex suam Apostolicam impendit operam, ut suborta haec dissidia inter praefatum Parochum, et Archiepiscopum conciliarentur, atque ille a censuris absolveretur §. 2. » ibid.
Deinde vero Imperatricis Reginae postulavit auxilium, ad hoc ut quae vetus discordia everterat, componerentur, restituta Episcopali, jurisdictione Coloniensi, erga Clerum Kerpensem §. 3. » ibid.
Coloniensi Archiepiscopo postulanti facultatem de conferendis beneficiis vacantibus in dioecesi Osnabrugensi, mensibus Sanctae Sedi reservatis, facultas denegatur rationabili ex causa. Constit. 467. » 954
Pontifex Coloniensi Archiepiscopo significat, se causam Vicariorum Repensium noluisse avocare a Sacra Congregatione Concilii, cujus judicium confidenter expectare debet. Constit. 570. » 1127

ARCHIEPISCOPIS FERRARIENSIS

Benedictus XIV. libero commercio prospexit Status Ecclesiastici, et adsportationi extra Statum praedictum earum rerum quae in dicto libero commercio includebantur. Const. 260. §. 1. » 609
Recensentur Pontificis hujus sanctiones pro iis qui privilegio extractionis liberae pollebant, et pro removendis in proposita re abusibus §. 2. » ibid.

Specialis habetur mentio privilegii indulti super hac extractione libera, sub nonnullis tamen legibus favore Militaris Ordinis S. Joannis Hierosolymitani §. 3. pag. 609
Et Mensa Archiepiscopalis Ferrariensis pollebat privilegio liberae extractionis, quod tamen confirmari neglexit post Benedictinas in id evulgatas Constitutiones §. 4. » 610
Hinc Ferrariensis Archiepiscopus privilegii extractionis confirmationem, tamquam titulo oneroso acquisiti, postulavit, §. 5. » ibid.
Pontifex, recognito titulo oneroso acquisitionis, privilegium praedictae liberae extractionis, confirmavit, peculiaresque observandas normas praescripsit §. 6. » ibid.
Voluit autem Pontifex, ut tali extractionis privilegio locus esse minime posset intra integrum trium Mensium spatium, in quo ex Benedictina constitutione, exportatio quaevis extra Provinciam, seu Legationem, in qua segetes colliguntur, interdicitur § 7 » 611
Itemque exclusit a privilegii exercitio illos annos, et tempestates, in quibus extrahendarum rerum inopia, et penuria in statu Ecclesiastico viget §. eod. » ibid.

ARCHIEPISCOPI GRÆCO-MELCHITÆ.

Dissentiones ortae inter Archiepiscopos, et Episcopos Graeco-Melchitas, licet aliquo pacto compositae, cessare penitus nequibant nisi praestita reverentia Patriarchae Antiocheno, quam poscit Summus Pontifex, ut scandala a Christifidelibus removerentur. Const. 157. » 384
Pro restituta tranquillitate nationis Graeco-Melchitae gratulatur Pontifex cum Archiepiscopis, et Episcopis Graeco-Melchitae. Const. 489. §. 1. » 1017
Quod sane gaudium intermissum fuit arbitraria Ignatii Gioar patriarchalis Antiochenae dignitatis occupatione, ibid. §. 2. » 1018
Pontifex Ignatii electionem proscribit, eundemque, et illius electores excommunicatos vitandos declarat, ibid. §. 3. » ibid.
Ignatio, ejusque fautoribus episcopalis, et sacerdotalis dignitatis exercitium interdicit, et quamlibet cum illis spiritualem communicationem prohibet, ibid. §. 4. » ibid.
Obedientes Episcopos obsecrat ut in fide, et observantia erga S. Sedem persistant, ibid. §. 5. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS GENUENSIS.

Dolet, quod Senatus Genuensis, caeteroquin veteris pietatis, arbitrarie expulserit ex omni Reipublicae ditione Religiosos viros Ordinis Servorum Beatae Mariae Epist. 379. §. 2. pag. 826
Summa redolet injustitia, poena eum plecti, qui culpa vacat § 2. » ibid.
Pontifex nil omissurum declarat quod ad utilitatem vergat populorum, spiritualibus adjumentis a laica potestate destitutorum § 3. » ibid.
Potius quam clavium uti potestate contra devios filios, Pontifex implorat, ut Deus ab inobedientium oculis caliginem removeat §. 4. » ibid.
Archiepiscopum hunc, aliosque per Genuensis Reipublicae ditionem Episcopos hortatur, ut jus, et decus Sanctuarii vindicent §. 5. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS GNESNEN.

Vide *Rex Poloniae.*
Facultatem fecit Archiepiscopo Gnesnen. nominandi ad tres Canonicatus in Metropolitana Ecclesia Gnesnen. in Mensibus Sanctae Sedi reservatis, per obitum illos obtinentium primo vacaturos Const. 56. §. 1. » 142
Qui sane nominati, collationem praebendarum ab Nuncio Apostolico in Polonia obtinere debebant, et intra octo Menses a collationis die, Apostolicas Literas expedire sub plumbo, indicta in casu inobservantiae privationis poena §. 1. et 4. » ibid.
Ad perniciosas novitates in Curlandiae Ducatu introductas removendas, Gnesnensis Archiepiscopi adjutrices manus provocat. Epist. 136. §. 1. et 2. » 336
Eumdemque hortatur, ut in proxime futuris Poloniae Regni comitiis, sua commendatione, studio, auctoritate, alios etiam excitet Poloniae Antistites ad Catholicam Religionem in pristinum statum, et gradum collocandam §. 3. » 337
Hujus Archiepiscopi observantiam, et egregiam devotionem erga Sanctam Sedem commendat Epist. 302. § 1. » 696
Eumdem certiorem facit, in alternativa Beneficiorum collatione in Poloniae Regno, se nihil innovaturum Constitutionibus Leonis X, et Clementis VIII. §. 2. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS ISPALENSIS.

Hujus Archiepiscopi Religionem, et Sanctae Sedi observantiam commendat Epist. 332. §. 1. » 733

Eidemque demonstrat, pragmaticas in Hispanicis Regnis introductas, queis Pontificiae sanctiones ad Laicorum examen ablegantur, Religionis eversivas esse §. 2. pag. 734
Adeoque ab eodem postulat, ut Catholicum Regem, a pravis amoveat consiliis, eique rectam viam ostendat §. 3. » ibid.
Supplicaverat Archiepiscopus hic Sanctam Sedem pro festorum dierum reductione, ad reparandas calamitates, et angustias quibus Dioecesani illi gravabantur Const. 408. §. 2. » 863
Petitae reductioni assensum praebuit Pontifex, specialibus designatis diebus, in quibus praeceptum integre servandum esset, firma in redactis festivitatibus obligatione, audiendi missam §. 3. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS.

Commonetur Archiepiscopus Mediolanensis de vulgato rumore erigendi Mediolani typographiam a laica tantummodo censura dependentem. Constit. 537. » 1071
Quantum periculosum sit Religioni, monet Pontifex ecclesiasticos censores in re typographica removere, ibid. §. 2. » ibid.
Eumdem ortatur, ut veterem in hac re Ecclesiae disciplinam custodiat, et vindicet, ibid. §. 3. » ibid.
Quam sane disciplinam, regulis datis defendere caverunt Concilia quam plurima, et praesertim Lateranense, ac Tridentinum ibid. §. 4. » 1072
Archiepiscopum a defendenda ecclesiastica hac disciplina haud desistere posse suadet, ob jusjurandum ab eo emissum in pastoralis officii assumptione, ibid. § 5. » ibid.
In proposita defensione praestanda, conjuncto labore cum Inquisitore contra hereticam pravitatem procedendum esse insinuat, ibid. §. 6. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS.

Probat Pontifex quidquid Moguntinus Archiepiscopus perscripserat, scilicet ferendum non esse, Ecclesiastica perturbari judicia, et clericorum causas ad laicale forum traduci Epist. 325. §. 1. » 724
Adeoque causam ipsius Archiepiscopi cum Capitulo Spirensi, evocari ab aulico Imperiali consilio Pontifex promittit §. 2. » ibid.
At sinere non posse subdit, ut ea ab Romana Curia iterum ad Moguntinam deferatur §. eod. » ibid
Se assensisse Pontifex significat ut S. R. I. Electores Francofurti ad Maenum convocandi, ad electionem procedant Josephi Austriae Archiducis in Romanorum Regem futurum Imperatorem Epist. 396. §. unic. pag. 846
Ut autem futurarum perturbationum occasio quaevis tollatur, indulget Pontifex ut nominatio valida censeri debeat, etiamsi ad eum cum Catholicis Principibus Electoribus, Acatholici etiam intervenerint §. eod. » ibid.
Nec non impedimento esse non posse declarat, peragendae electionis validitati, quod Franciscus eligendi Josephi Archiducis Pater, nondum fuerit in Imperatorem coronatus. §. eod. » ibid.
Indigitat Pontifex huic Archiepiscopo, quibus malis artibus auctor libri, cui nomen appositum Justini Febronii, studeat insinuare, se Catholicam Religionem defendere Epist. 406. §. 1. » 861
Adeoque valde interesse, librum hunc jam a Sancta Sede proscriptum, a quacumque Dioecesi eliminare §. 2. » 862

ARCHIEPISCOPUS PARISIENSIS.

Causas persequutionis hujus Archiepiscopi denumerat, ejusque labor constantiam, propter injustam illius expulsionem e sua Dioecesi, laicis id imperantibus Magistratibus. Epist. 401. §. 1. » 854
Consolatur eum ex Francorum Regis pietate, qui emollire quodammodo studuit ejus ab Archiepiscopali Sede expulsionem §. 2. » 855
Tandem Apostolicae Sedis auxilium promittit, ad hoc ut a persequutione celerius liberetur. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS POLOCENSIS.

Archiepiscopum certiorem facit Pontifex de Epistola Poloniae Regi perscripta ad impediendum, ne aliquid agatur nomine Mokilowiensiis Ecclesiae, in praejudicium Polocensis. Epist. 323. §. 1. » 722
Eidemque insuper nunciat, se composuisse singulas controversias cum Clericis Societatis Jesu, expedivisse vero hoc super negocio literas in forma Brevis §. 2. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS POLOKENSIS RITUS GRÆCO-RUTENORUM.

Vigebat multis ab hinc annis controversia judicialis in sacro Auditorio inter Archiepiscopum hunc, et Collegium Polokense Societatis Jesu super donatione, a Stephano

Battori Poloniae Rege, Collegio huic facta anno 1582. quorundam bonorum pro fundatione ipsius Collegii assignatorum. Constit. 284. §. 2. pag. 645
Ea autem controversia post diuturnam concertationem, definita remansit per completissimam remjudicatam §. eod. » ibid.
Ad quas controversias futuris etiam temporibus perpetuo precidendas, Benedictus XIV. Cardinalem deputavit, qui ineundae concordiae articulos designaret §. 3. » ibid.
Qui Cardinalis opus explevit, vita functo Benedicto XIV, articulosque concordiae concinnavit, quos Poloniae Rex sua dignus approbatione dignovit §. eod. » ibid.
Clemens XIII., articulis praefatis mature examinatis, quascumque lites, et causas super memorata donatione in statu, et terminis ad se avocavit, et sic avocatas perpetuo suppressit, et extinxit §. 4. » 646
Insuperque donationem ut supra, a Stephano Poloniae Rege factam, et a quamplurimis Sacrae Rotae Decisionibus approbatam, confirmavit, bonaque sic donata, Collegiumque Polokense sub Sanctae Sedis protectione recepit §. eod. » ibid.
Partes item contendentes vicissim ab expensis liberavit, illasque a quavis attentatorum, et damnorum sarcitione exemit §. 5. » 647
Apostolico tandem Nuncio commisit, ut terminos, intra triennium, in agris controversis apponi curaret §. 6. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS PRAGENSIS.

Exponitur controversia exorta inter Collegiatam Ecclesiam Sancti Petri Viscebradensem, et Archiepiscopum Pragensem. Constit. 337. §. 1. » 738
Ad quas dirimendas controversias Archiepiscopus hic, Sanctae Sedis auctoritatem imploravit §. 2. » 739
Pontifex, requisito prius voto Sacrae Congregationis Concilii Tridentini interpretis, deinde illius judicio controversias ipsas supposuit §. 3. » ibid.
Quae Sacra Congregatio declaravit, privilegia a Bonifacio IX concessa Capitulo Viscebradensis, super exemptione ab Ecclesia Pragensi, revocata fuisse § 4. » ibid.
Hanc autem Sacrae Congregationis resolutionem Pontifex confirmavit, et observari mandavit §. 5. » 740

ARCHIEPISCOPUS TAURINENSIS.

Gratias agit Pontifex, quod Archiepiscopus hic gratulatus erga Sanctam Sedem fuerit de suppressis in Hispanicis Regnis pragmaticis illis, quibus Ecclesiae libertati, et ejusdem Sanctae Sedis dignitati injuria afferebatur. Epist. 374. §. unic. pag. 815

ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS.

Suum maerorem Pontifex exprimit, quod in Toletana Dioecesi jejunium pervigilii S. Mathiae Apostoli in proxime antecedens quinquagesimae Sabathum, Episcopali tantum auctoritate transtulerit. Epist. 269. §. 1. » 621
Idque potissimum ne videretur, Ecclesiasticos ritus immutari ob Baccanalium turbas, quas impia superstitio invexit, et quas si nondum abolevit, attamen purissima Christi sponsa detestatur §. eod. » ibid.
Solo Romano Pontifici pertinet, jejunium in Ecclesia universa receptum, in alteram diem transferre §. eod. » ibid.
Toletanum Archiepiscopum ad observantiam erga Romanam Cathedram revocat §. 2. » 622
Excusationem ab eo recepit, pro supra relata arbitraria jejunii translatione, eundemque obsecrat, ut conjunctim cum Apostolica Sede, in concredita sibi Ecclesia gubernanda, turbidissimis praesertim temporibus, se gerat Epist. 279. §. unic. » 658
Conqueritur, quod binae pragmaticae in Hispania introductae sint, quibus supremum Pontificis judicium, laicis potestatibus subjicitur. Epist. 331. §. 1. » 732
Quae eo pacto evenere, quia Catholicae Religioni adversantibus, intollerabilis est Romanae Sedis constantia in Ecclesiae juribus protuendis § 2. » 733
Adeoque ejusdem operam postulat, ut Catholicum Regem a pravis consiliis amoveat, et in Religionis semita contineat §. 3. » ibid.

ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS.

Huic Archiepiscopo indultum eligibilitatis concessit Pontifex ad Ecclesiam Hildesiensem, quod prius nulli alio concedere voluit. Epist. 207. §. 1. » 491
At indultum illum significavit esse debere, tamquam incitamentum ad charitatis vinculum erga Sanctam Sedem magis, magisque constringendum, et controversias dirimendas quoad Praeposituram Lymburgensem jam a Sancta Sede compositas §. 2. » ibid.

De gestis a Trevirensi Curia contra Apostolici Nuncii jurisdictionem jam alias cum hoc Archiepiscopo Pontificem condoluisse, commemorat Epist. 253. §. 1. pag. 600
At deinde, novae controversiae causae exurgerunt ob denegatam quampluribus litigantibus facultatem appellandi ad Nuncium in secunda instantia §. 2. » 601
Quae quum contraria sint, et Sacri Concilii Trydentini canonibus, et receptae, observataeque usque adhuc Ecclesiasticae disciplinae, et litigantium partium juribus officiant, quae secundae instantiae sic beneficio privantur §. eod. » ibid.
Hinc Archiepiscopum hunc hortatur, ut, in sua Dioecesi, et Principatu, illata iniuste impedimenta removeat, et disciplinam Ecclesiasticam protueatur §. 3. » ibid.
Exposuerat Pontifici Trevirensis Clerus gravamen quo obstrictus reperiebatur pro contributionibus Militaribus, in contemptum pactionum inter Clericos, et Seculares, et hac eadem de causa multo aere alieno praemi. Epist. 263. §. unic. » 614
Hinc Pontifex Archiepiscopum hunc hortatur, ut suum Clerum a tot angustiis sublevet, et tectam servet Ecclesiasticam immunitatem favore ejusdem Cleri antiquissimi per universam Germaniam, et Catholicae fidei addictissimi. §. eod. » ibid.
Illius fidem, et devotionem erga Apostolicam Sedem commendatur. Epist. 362. §. unic. » 794
Laudes hujus Archiepiscopi pro nova editione Cathechismi Romani, et illius distributione ad singulos Dioecesis Parochos pro erudiendo grege §. eod. » ibid.
Quoniam Archiepiscopus Trevirensis legem tulit, qua ecclesiasticis personis fori privilegium adimebatur, suum hac de re dolorem exprimit Pontifex. Const. 519. §. 1. » 1054
In qua nova lege Pontifex non injuria Ecclesiae tantum afferri, sed scandalum caeteris Antistibus praeferri declarat, ibid. §. 2. » ibid.
Hortatur Pontifex Archiepiscopum, ut legem ei fortasse a perfidis consiliariis insinuatam, revocet, ibid. §. 3. » ibid.
Archiepiscopum laudat Pontifex pro aedictali lege revocata, eumdemque hortatur, ut pravos consiliarios a se eliminet. Const. 520. » 1055

ARCHIEPISCOPUS VALENTINUS.

Jurisdictionem in monasterium, et moniales S. Sebastiani civitatis Oriolensis, quam Benedictus XIV. temporanee Archiepiscopo Valentino contulerat, se ordinario Oriolensi restituisse Pontifex participat eidem praelaudato Archiepiscopo. Const. 495. pag. 1030

ARCHIEPISCOPUS VIENNENSIS.

Archiepiscopi hujus commendat studium, quo incenditur, quo Ecclesiasticae, et Regularis disciplinae conservatione, et tutela Religiosorum ordinum, dummodo Divinae gloriae, et animarum saluti utilem exhibeant operam Epist. 174. §. unic. pag. 427. Epist. 359. §. 1. » 791
Promittit, nullam se habiturum deliberationem absque Congregationis Consistorialis consilio, super pacto inito inter Canonicos Regulares S. Ruffi, et Equites S. Lazzari de Religiosa eorum familia abolenda, transferendisque bonis omnibus addictorum Equitum manus. Epist. 174 §. unic. » 427
Pariterque significat, ab Clero Gallicano in Comitiis Parisinis coadunato querelas Regi Christianissimo delatas fuisse, ne Ecclesiasticarum rerum eversionem permitteret Epistol. 359. § 1. » 791
Condolet insuper pro expulsione a Gallicis Regnis Clericorum Secularium Societatis Jesu, et damna praenunciat exinde societati futura §. 2. » 792
Hortatur propterea Archiepiscopum hunc, ne in hac temporum iniquitate ab Ecclesia sua oculos umquam dejiciat; nam grex paucioribus nunc custodibus communitus, Diabolico impetu magis exponitur §. eod. » ibid.

ARCHIHOSPITALE.

In Archihospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, licet antiquitus consueverit, quod qui in Valetudinario furtum commisisset asyli beneficio minime juvaretur, attamen posterioribus temporibus, ea super re, dubia excitari caeperunt. Constit. 535. §. 1. » 1069
Declarat Pontifex nemini immunitatem asyli suffragare debere, pro furtis commissis in valetudinario, ibid. §. 2. » ibid.
Quae pro recognitionibus characterum approbandis in ordinibus directis Sacro Monti Pietatis Urbis sancita fuerunt, ea ad mensam nummulariam Archihospitalis S. Spiritus extenduntur. Const. 553. » 1094
Asyli privilegio privatur quicumque furtum commiserit in Valetudinario S. Jacobi de Augusta, incurabilium, nuncupato de Urbe Const. 583. » 1144

ARCHIHOSPITALE SANCTISSIMI SALVATORIS AD SANCTA SANCTORUM DE URBE

Vide *Carceres Urbis.*

ARCHIPRESBYTER VATICANAE BASILICAE.

Cardinalis Archipresbyter Vaticanae Basilicae quotiescumque Episcopali dignitate sit insignitus, Vaticani Cleri Ordinationes habere potest, et Sacra Olea perficere, et Confirmationis Sacramentum conferre infra octavam SS. Apostolorum Petri, et Pauli Alloquut. 16. §. 3. pag. 50

Secus vero tenetur Episcopum designare, qui haec nomine suo perficiat §. eod. » ib.

Caeterum, non sequitur, Archipresbyterum Vaticanae Basilicae, cum Officio Ministerii Episcopalis Ordinis adnecti debere §. 4. » ibid.

ASYLUM ECCLESIASTICUM

Vide *Episcopus Salutiarum. Sardiniae Regnum. Immunitas. Homicidae.*

B

BACCANALIA.

Turbae Baccanalium ab impura superstitione invectae sunt. Epist. 269. §. 1. » 621

Quas si Catholica Ecclesia nondum penitus abolevit, eas tamen detestatur, et fletu prosequitur amarissimo. §. eod. » ibid.

BASILICA LATERANENSIS.

Monasterium Monialium Ordinis S. Benedicti loci dicti *Sambucheto* Nullius, seu Spoletanae Dioecesis, jurisdictionis Capituli, et Canonicorum S. Joannis Laterani supprimere decrevit Benedictus XIV., tamquam in aspero loco positum, et incolis vacuo. Const. 102. §. 1. » 290

Quam sane suppressionem, et extinctionem ad exitum perduxit Clemens XIII, et Monasterii bona, redditusque, pro peculiari erogatione facienda, addixit Capitulo, et Canonicis praefatis §. 3. » ibid.

Ex Art. XXVI. Constitutionum Capitularium Lateranensium habetur, licitum esse cuilibet Canonico, aliisque Basilicae servitio mancipatis, semel in Anno, per decem dies a Chori praesentia abesse, ut possint spiritualibus exercitiis vacare Constit. 115. §. 1. » 313

In quo sane requiritur licentia Capituli, deneganda tantummodo tempore Adventus, Quadragesimae, et solemnioribus festivitatibus §. eod. pag. 313

Ex Art. XXVII. praefatarum Constitutionum, indultum absentiae a Choro ad quindecim dies extenditur, si Canonici, caeterique, ad visitandum Sacram Lauretanam aedem perrexerint §. eod. » ib.

Itemque ad diem tantum Anno quovis, pro visitatione septem Urbis Ecclesiarum §. eod. » ib.

Exorta est quaestio, utrum pro indultis de quibus in Art. XXVII. necessarius esset Capituli assensus, requisitus in Art. XXVI. §. eod. » ib.

Benedictus XIV., declaravit, in Art. XXVII., comprachendi ea omnia, quae requirebantur in Art. XXVI. §. 2. » 314

Cardinalis Archipresbyter decreto suo injunxit, ut declaratio Benedicti XIV. servari imposterum deberet, et in Archivio describi §. 3. » ibid.

Quo tamen non obstante, defuncto Benedicto XIV., aliud indultum, contra dictum decretum elargitum fuit §. eod. » ibid.

At novum hoc arbitrarium indultum, per aliud Cardinalis Archipresbyteri decretum irritatum fuit §. eod. » ibid.

Nullo tamen alio pacto acceptum tale novum decretum a Capitulo fuit, quam sub reservatione deducendi jura in judicium quocumque tempore §. eod. » ibid.

At Clemens XIII. irritata huc relata Capituli protestatione, declarationem S. M. Benedicti XIV. perpetuo servandam esse sancivit §. 4. » ibid.

BASILICA VATICANA

Vide *Archipresbyter Basilicae Vaticanae*

BAVARIAE DOMUS.

Inclita domus Baronorum Bavariae continuo suum studium erga catholicam Religionem ostendit, maximasque semper laudes a summis Pontificibus promeruit. Const. 425. §. 1. » 885

Multum de ipsa catholica Religione male meritus fuisset Maximilianus Joseph Dux Bavariae, et S. R. I. Princeps Elector nisi causam decimarum collegii Societatis Jesu Neoburgi dirimendam ab judicibus ecclesiasticis remisisset, exclusis judicibus laicis, ibid. §. 2. » ibid.

Vide *Judices Ecclesiastici.*

Conqueritur Pontifex cum Eichstetensi Episcopo, quod nonnulla bona ipsius Eccle-

siae alienare promiserit favore ducalis domus Bavariae Sancta Sede inconsulta Const. 562. pag. 1115

BEATIFICATIO.

Beatificatio servi Dei Simonis de Roxas sacerdotis professi Ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum calceatorum habetur in Const 538. » 1072
Enumerantur insignes servi Dei virtutes, ibid. §. 2. » 1073
Quorum virtutum intuitu Sacra Congregatio Sacris Ritibus praeposita, ad Venerabilis servi Dei beatificationem, tuto procedi posse constituit, ibid. §. 3 » ibid.
Pontifex hanc resolutionem approbando, et votis christianorum Principum obsecundando, mandat, ut Venerabilis hic servus Dei, Beati nomine deinceps nuncupetur ibid. §. 4. » ibid.
Plura decernit, quae noviter adlecti Beati venerationem, illiusque celebrandam festivitatem respiciunt. ibid. §. 5. » 1074
Allocutio consistorialis a Sanctissimo Domino Clemente PP. XIII. habita die 27. Aprilis 1767. in qua propositae fuerunt causae canonizationis sex Beatorum. Const. 590. » 1152
Cardinalium votum requiritur quoad canonizationem B. Joannis Cantii Const ibid. §. 2. » 1153
Simile requiritur votum quoad canonizationem B. Josephi Calasanctii. ibid. §. 3. » ibid.
Idem de canonizatione B. Josephi a Cupertino. ibid. §. 4. » ibid.
Idem de canonizatione B. Hieronymi Æmiliani. ibid. §. 5. » ibid.
Idem de canonizatione B. Seraphini ab Asculo. ibid. §. 6 » ibid.
Idem de canonizatione B Franciscae Fremiot de Chantal ibid. §. 7. » 1154
Acta consistorialia quoad canonizationem BB. Joannis Cantii, Josephii Calasanctii, et Josephi a Cupertino. Constitut. 596. » 1158
Beatificatio servi Dei Fratris Bernardi a Corleone Siculi laici professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum. Const. 665. » 1426
Ex unanimi voto Cardinalium Congregationi S. Rituum praepositorum servus Dei in Beatorum albo adscriptus fuit. ibid. §. 2. » ibid.

BEATUS GREGORIUS BARBADIGUS.

Venerabilis Barbadigus, Clementi XIII. in Patavino Archiepiscopatu praedecessor fuit const. 249. § 1. » 594
A claris progenitum parentibus, nobilitatem generis, virtutum praestantia superavit. §. 2. pag. 594
Clericali Militiae adscriptus, per omnes Ecclesiasticos ordinum gradus, ad sublimem Episcopatum, et deinde ad Cardinalatus honorem pervenit, numquam humilitate, et modestia seposita §. eod. » ibid.
Ita ut in B. Petri Cathedrae vacatione, conspirantibus Cardinalibus, ut primum ei Sacerdotium tribuerent, vim quodammodo fecit, ne invitus Pontificatum accipere cogeretur §. eod. » ibid.
In Pastorali munere obeundo exemplum sibi proposuit Sancti Caroli Borromaei, cujus virtutes in se mirabiliter expressit. §. eod. » ibid.
Tandem bono certamine decertato, cursu consumato, a S. Congregatione Ritibus praeposita, et processu rite fabricato, unanimi voto responsum est, posse Venerabilem Barbadigum in Beatorum numero accenseri § 3. » 595
Pontifex relatione sibi facta diutinus ponderata, Catholicorumque Principum precibus aliorumque Ecclesiasticorum ordinum quampluribus receptis, divinoque implorato prius auxilio, Venerabilem Barbadigum Beatorum albo adscripsit, ejusque Corpus, et Reliquias, a Fidelibus venerari posse decernit. §. 4. » ibid.
Tandem illius Festum cum Officio, et Missa de comuni Confessoris Pontificis, cum Orationibus propriis celebrari posse quotannis die 18. Mensis Junii §. eod. » ibid.

BENEDICTIO PAPALIS.

Summi Pontifices facultatem fecerant solemniter populo benedicendi nomine eorum, ut plenariam consequi posset indulgentiam, quam consequutus fuisset si adstitisset dum Pontifex ipse benedicit Const. 300 §. 2. » 693
A quo sane Pontificio indulto, plures irrepserunt abusus § eod. » ibid.
Adeoque Clemens XIII. ad eosdem abusus removendos, revocavit singula indulta, et privilegia alias concessa, solemniter nomine Pontificis populo benedicendi, salvis tantummodo privilegiis, aliquibus Ordinibus Regularibus specialiter indultis §. 3. » ibid.
Deinde vero praefinivit dies, quibus concedi deinceps poterit tale indultum solemniter populo benedicendi §. 4. » ibid.
Regularibus vero quibus privilegium conservavit, injunxit expresse, ut ritus a Benedicto

XIV. hac super re constitutos, servare deberent §. 5. pag. 694
Tandem ritum servandum a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, in solemni hac impertienda benedictione praefinivit §. eod. » ibid.
Recensentur quae in superiori Constitutione disposita fuerant quoad solemnem benedictionem, Pontificis nomine populo impertiendam Constit. 371. §. 2. » 806
Quum vero Regulares Ordines nulla ab Episcopo implorata licentia, facultate benedicendi populo, proprio arbitrio uterentur §. 3. » 807
Hinc ad talia removenda scandala, jubetur expresse, nullum Regularem Ordinem, facultate ipsa uti posse, nisi prius Ordinarii licentia in scriptis obtenta, sub suspensionis poena §. 4. » ibid.

BENEFICIA ECCLESIASTICA QUOAD COLLATIONEM.

Beneficia Ecclesiastica in Mensibus reservatis Apostolicae Sedi sive quibuscumque canonicis causis eidem affecta, a praelaudata Sede Apostolica conferuntur, Literis in forma Brevis expeditis Constit. 12 Numer. 1. » 40
S. R. E. Cardinalibus in suis respective titulis, nec non S. R. E. principibus Electoribus Episcopatu fungentibus, indultum tribuitur conferendi Beneficia Ecclesiastica, licet in mensibus S. Sedi reservatis vacaverint, vel eidem affecta quomodocumque fuerint §. 2 » ibid.
Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel curae Animarum, vel residentiae onus annexum habentium coadjutoriae, caeterorumque Beneficiorum Collationes, perfici nequeunt absque Ordinariorum Testimonialibus, in quorum Dioecesibus beneficia reperiuntur Epist. 145. §. 2. » 350
Ad Ordinarios etenim pertinet dignoscere, num Ecclesiarum utilitati, et petentium meritis, concessiones hujusmodi conveniant §. eod. » ibid.
Itemque de duobus Beneficiis habentium animarum curam provisiones, haud a S. Sede tribuendas esse vetant Sacri Canones, et Trydentinum concilium §. 3. » ibid.
Nisi peculiares accedant circumstantiae, quae justam aliquando suppeditare possint causam ad dispensationem §. eod. » ibid.
Vide. *Regnum Poloniae. Romanus Pontifex.*

BIBLIOTHECA.

Vide. *Forolivien Civitas.*
Ne Libri extrahantur ex Bibliotheca Accademiae Civitatis Posnaniae, sub excommunicationis latae sententiae poena prohibetur. Const. 117. §. 1. pag. 316
A qua excommunicatione, neminem, nisi Romanum Pontificem, excepto mortis articulo, absolvere posse jubetur §. eod. » ibid.

BIBLIOTHECA CIVITATIS VALENTIÆ.

Novam extructam Bibliothecam ab Archiepiscopo Valentiae in Hispania commendatur, et ut de hisce perpetua persistat memoria, Apostolicas Literas mittit. Epist. 124 §. 1. » 324
Apostolica siquidem Sedes, nullam unquam praetermisit suae benevolentiae significationem in tam honorificis literarum domiciliis aperiendis, stabiliendisque §. eod. » ibid.
Valentiae Archiepiscopi pro tempore, novae extructae Bibliothecae, perpetui Moderatores, et Rectores, Apostolica auctoritate deputantur §. 2. » ibid.
Illisque propterea facultas tribuitur eligendi, et nominandi duos Bibliothecarios ad eorum nutum, et absque causa etiam removendos §. eod. » ibid.
Quoties ad Bibliothecarii munus Beneficiati assumantur, iisdem exemptio a servitio chori indulgetur, amissis tantummodo quotidianis distributionibus, cum exclusione tamen nonnullarum Festivitatum expresse nominatarum §. eod. » ibid.
Prohibitio facta extrahendi ab memorata Bibliotheca quoscumque libros, pagellas, ac folia, sive Typis impressa, sive manu descripta, sub excommunicatione latae sententiae, cujus absolutio eidem Valentino Archiepiscopo, vel delegato ab eo, reservatur §. 3. » ibid.
Pro Bibliothecae custodia in Civitate Valentiae erectae, duo Bibliothecarii instituti sunt ex Collegio Beneficiatorum Valentinae Cathedralis sumendi Constit. 282. §. 1. » 642
Quibus sic institutis Bibliothecariis, quo tempore in eadem Bibliotheca studiorum comodis vacarent, exemptio a servitute chori indulta fuit cum perceptione fructuum praebendae, ac Beneficii, prout si choro interfuissent §. eod. » ibid.
At exceptae sunt quotidianae distributiones, quae relictae fuerunt favore praesentium, et inservientium §. eod. » ibid.

Quum vero deinde constiterit, Beneficiorum redditus fere omnes, in quotidianis distributionibus hisce consistere, supplicatum Pontifici fuit, ut illas etiam tribuere vellet Beneficiatis a choro absentibus Bibliothecae causa § eod. pag. 642
Cui postulationi obsecundavit Pontifex, exceptis tamen quotidianis illis distributionibus, quas in ultimis suis tabulis, Testatores, vere praesentibus jusserint dispertiri § 2. » ibid.

BIBLIOTHECA PLACENTINA ORDINIS FRATRUM SERVORUM B. M. V.

Vide *Fratres Ordinis Servorum B. M. V.*

BIBLIOTHECA VATICANA.

Multa sollicitudine Romani Pontifices pro incremento Vaticanae Bibliothecae studia sua direxerunt Const 289. §. 1. » 656
Attamen successivis etiam temporibus, novarum praebendarum ordinationum necessitas se se exhibuit § 2. » 657
Clemens XII. constitutionem edixerat, qua expresso prohibuit adsportationem librorum, caeterarumque rerum, extra Bibliothecam Vaticanam § 3. » ibid.
Quam sane prohibitionem renovavit Clemens XIII. Constitutione hac, etiam contra Bibliothecae custodes, et scriptores, absque expressa licentia, Pontificis manu subscripta, sub excommunicationis poena summo Pontifici reservata §. eod. » ibid.
Peculiaria etiam constituit quoad electionem Scriptorum Bibliothecae Vaticanae §. 4. » ibid.
Jussit quod Custodes, atque Scriptores, assiduam operam praebere teneantur in Bibliotheca §. 5. » ibid
Prohibuit ne alicui, etiamsi privilegiatissimae personae facultas pateret legendi Codices, librosque in hac Bibliotheca asservatos, nisi accederet Pontificis indultum per Secreteriam Status elargiendum §. 6. pag. » 658
Antiquae methodus in inferiorum inservientium electione observantiam praescripsit § 7. » ibid.
Ut redditus a Paulo V. assignati pro Vaticana Bibliotheca, integre in novorum librorum emptione erogari deberent praecepit §. 8. » ibid.
Modum indigitavit servandum pro occurrendis quotidianis Bibliothecae impensis §. 9. » ibid.
Voluit, quod Palatii Apostolici Praefectus, novis perficiendis operibus incumberet §. 10. » 659
Peculiarem normam tradidit servandam in emptionem novorum Librorum, Codicum, atque similium pro Vaticana Bibliotheca §. 11. pag. 659
Reddituum, et expensarum rationem habendam esse triennio quovis jussit, notulamque super ipsa redditione rationis Pontifici exhibendam §. 12. » ibid.
Caetera vide verbo Musaeum Vaticanum.

BONA ECCLESIASTICA.

Vectigalia, quae in ditione Pontificia pendebantur ab Ecclesiasticorum Colonis, cedebant plerumque in causa aeris alieni solvendi, quod contractum fuerat pro Catholica Religione tuenda, propugnandisque Catholicorum Principum juribus, atque ditionibus Const 22. §. 3. » 65
Caeterum Ecclesiastica bona, aliis exemptionibus, pro quocumque bonorum genere donabantur §. ead. » 66
Ecclesiarum bona sunt patrimonium pauperum § 5. » ib.
Bona una vice Ecclesiastica effecta, curare debet Romanus Pontifex, ut recte ac diligenter administrentur; nec in usus profanos, sed ad alia pia opera convertantur. Const. 102. §. 2. » 290

C

CAESENAE CIVITAS.

Fides, et devotionis affectus Caesenatensis Civitatis erga S. Sedem comendatur Const. 72. §. 1. » 221
Adsunt in Civitate Caesenae statuta, per quae praescribitur salarium, et Merces Notariis debita pro Testamentis, Instrumentisque conficiendis, eorumque Copiis, nec non peculiares praescriptiones ad eos in proprio munere continendos §. ead. » 222 ad 223
Inolevit tamen abusus, quod Notarii cogebant partes, quae comodum, et emolumentum sentiunt ex Testamentis, vel Instrumentis, ad illorum sumpta authentica percipienda §. 2. » 224
Hanc coactivam traditionem authenticorum sumptuum abstulit Caesenatensis Civitatis resolutio Consilii §. 3. » ib.
Quae sane Generalis Consilii resolutio, Apostolica auctoritate, in hac Constitutione approbatur, et perpetuo servari mandatur §. eod. » 224

CALICES.

Praelati, et Abbates Regulares, nequeunt sine speciali indulto calices benedicere pro usu alienarum Ecclesiarum. Const. 26 §. 5. et 6. pag. 81 et seq.

CAMERA APOSTOLICA.

Vide *Reverenda Camera Apostolica*.

CAMERA CAPITULINA.

Favore Camerae Capitulinae privilegium decennale concessit pro impressione Inscriptionum, et Monumentorum infimi Ævi existentibus in Ecclesiis aliisque Locis Almae Urbis. Const. 155 §. 1. » 378

CAMPANAE.

Nequeunt absque speciali indulto Campanas benedicere, pro usu alienarum Ecclesiarum Praelati, et Abbates Regulares. Constit. 26. §. 5. et 6. » 81 et seq.

CANCELLARIA.

Cancellariae regulas publicavit Clemens XIII. Constit. §. 1. ad 72. » 158 ad 174

Quae regulae has continent dispositiones, videlicet.

Resolutiones generales, et speciales §. 1. » 158
Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, et Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum, vacaturorum Beneficiorum §. 2. » ibid.
Extensio reservationis Beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum §. 3. » 159
Reservatio Dignitatum; nec non suorum, et S. R. E. Cardinalium familiarium Beneficiorum §. 4. » ibid.
Reservatio Beneficiorum Collectorum, et Subcollectorum §. 5. » 160
Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur §. 6. » ibid.
Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, et Cursorum §. 7. » ibid.
Reservatio Beneficiorum S. Joannis Lateranensis, S Petri, ac B Mariae Majoris de Urbe, et Beneficiorum titulorum Cardinalium a Curia absentium §. 8. » ibid.
Reservatio Mensium Apostolicorum, et alternativa pro Episcopis residentibus §. 9. » ibid.
De Literis in forma rationi congruit, expediendis §. 10. pag. 161
Declaratio reservationis Ecclesiarum, et Beneficiorum per Praedecessores reservatorum §. 11. » ibid.
Revalidatio Literarum Praedecessoris, gratiae, et justitiae infra Annum concessarum §. 12. » 162
Revocatio Unionum §. 13. » ibid.
Revocatio facultatum quibusvis concessarum §. 14. » ibid.
Revocatio facultatum conferendi Beneficia reservata §. 15. » 163
De d ctionibus numeralibus §. 16. » ibid.
De concurrentibus in data §. 17. » ibid.
De non tollendo jus quaesitum §. 18. » ibid.
Regula de viginti §. 19. » ibid.
De Idiomate §. 20. » 164
De non impetrando Beneficio per obitum viventis §. 21. » ibid.
De Unionibus, et Unionum confirmatione §. 22. » ibid.
De Mendicantibus transferendis §. 23. » ibid.
De male promotis §. 24. » ibid.
De Moneta §. 25. » ibid.
De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, et Monasteria §. 26. » ibid.
De non judicando juxta formam supplicationem, et Literarum expeditarum §. 27. » 165
De Regulis Cancellariae producendis §. 28. » ibid.
De subrogandis collitigantibus §. 29. » ibid.
De verosimili notitia §. 30. » 166
Non valeant commissiones Causarum, nisi Literis expeditis §. 31. » ibid.
De impetrantibus Beneficia per obitum familiarium Cardinalium §. 32. » ibid.
Super eadem familiaritate §. 33. » ibid.
Signatura per fiat, praeferatur alteri per concessum §. 34. » 167
De Annali possessore §. 35. » ibid.
De Triennali §. 36. » ibid.
De non appellando ante sententiam definitivam §. 37. » ibid.
Non stetur commissioni post conclusionem §. 38. » 168
De Literis Religiosorum expediendis §. 39. » ibid.
De clausula ponenda in Literis permutationis Beneficiorum §. 40. » ibid.
De supplendis defectibus §. 41. » ibid.
De derogatione jurispatronatus §. 42. » ibid.
De Commendis §. 43. » 169
De Reformationibus §. 44. » ibid.
De consensu in resignationibus, ac pensionibus §. 45. » ibid.
De ingressu Religionis § 46. » ibid.

Non valeat interpretratio facta per modum in Cancellaria exprimendum §. 47. pag. 169
De Exequutione facienda §. 48. » ibid.
De Dispensationibus in gradibus consanguineitatis §. 49. » ibid.
Super defectu natalium §. 50. » ibid.
Super dispensationibus §. 51. » ibid.
Nulli suffragetur dispensatio nisi Literis confectis §. 52. » 170
De Clausulis ponendis in Literis Indulgentiarum §. 53. » ibid.
De Indulgentiis concessis ad instar §. 54. » ibid.
De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus §. 55. » ibid.
De Clausulis in Beneficiis vacantibus ponendis §. 56. » ibid.
De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus §. 57. » 171
De Beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii §. 58. » ibid.
De Clausulis ponendis in Libris Religiosorum § 59. » ibid.
De translatione Religiosorum §. 60. » ibid.
De Clausula si est ita § 61. » ibid.
Petenti provvideri de vacaturo dentur Literae de vacanti §. 62. » ibid.
Revocatio decimarum, et aliarum impositionum § 63. » ibid.
Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum §. 64. » 172
Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore Clausulae § 65. » ibid.
De insordescentibus §. 66. » 173
Officiales nihil exigant ultra debitum §. 67. » ibid.
Reservatio Beneficiorum vacantium, Sede Apostolica vacante §. 68. » ibid.
Revocatio indultorum superviventiae §. 69. » 174
Quod Cardinales non compraehendantur sub regulis faciendis §. 70. » ibid.
Quod Regulae Cancellariae non compraehendantur sub generalibus derogationibus §. 71. » ibid.
De potestate Reverendissimi Domini Vice-Cancellarii, et Cancellariae Regentis §. 72. » ibid.

CANONICI REGULARES ABBATIÆ S. MAURITII IN VALLOSIORUM.

Simultaneam administrationem binarum Parrochiarum *de Montey*, et *Trois Torrente* Canonicis hisce Regularibus denegat, utpote jam exclusam pluribus Sacrae Rotae Decisionibus, et Constitutioni » *Quod inscrutabili* » Benedicti XIV. contrariam. Const. 61. § 1. » 151

CANONICI REGULARES CONGREGATIONIS S. ANTONII VIENNENSIS IN DELPHINATU.

Abbas Generalis hujus Ordinis ex Pontificio indulto, omnimodam jurisdictionem habet super Ecclesias, Altaria, et Confratres Confraternitatum sub invocatione ejusdem S. Antonii in ejusmodi Ordinis Ecclesiis erectarum. Const. 47. §. 1. pag. 118
Regulas, et Statuta pro Confraternitate S. Antonii in Civitate Avenionis, firmavit Abbas Generalis Canonicorum Regularium Sancti Antonii Viennensis §. eod. » 118 et seq.
Easdem Regulas, et Statuta, approbatione Pontificia fuere confirmata §. 2. » 120
Declarationes, et praescriptiones nonnullae superadditae sunt §. 3. » ibid.

CANONICI REGULARES REFORMATÆ CONGREGATIONIS S. CRUCIS COLIMBRIENSIS.

Benedictus XIV. Liturgicam Accademiam pro Canonicis Regularibus hujus reformatae Congregationis, duobus constantem Cathedris, Sacrorum Rituum nempe, et Historiae Ecclesiasticae erexit, et instituit, et sub immediata protectione S. Sedis recepit Const. 91. §. 2. » 257
Hujus Accademiae statuta, ex praelaudati Benedicti XIV. jussu, Colimbriensis Episcopus confecit, quae distinctim hic referuntur §. 3. » 258
Eadem sic confecta Statuta, Pontificia auctoritate confirmantur, et approbantur §. 4. » 263
Elucubrationes Accademicas, et Opera quaecumque, sive a Cathedrarum Magistris, eorum Substitutis, et Accademiae sociis elaboratas, sive per quas honor, et splendor Accademiae augetur, praelo committi posse concedit, accedente tantum revisione duorum ex Sociis, et Episcopi approbatione §. 5. » ibid.
Legendi, et retidendi prohibitos Libros, facultatem quam Benedictus XIV. pro utriusque Cathedrae Lectoribus indulxerat, Clemens XIII. ad annuos Censores, Secretarium Accademiae, Substitutos Cathedrarum, et duobus Adjutoribus extendit, de licentia tamen Colimbriensis Episcopi pro tempore existentis §. 6. » ibid.
Literarum Apostolicarum speciales deputat Exequutores §. 7. » ibid.
Canonicis Regularibus hujus Ordinis significat, se Accademicas constitutiones, et statuta

probasse, eisque gratum animum ostendit pro habita Oratione occasione suae ad Summum Pontificatum exaltationis. Epist. pag. 264

CANONICI REGULARES S. RUFFI.

Pactum inierant Canonici hi cum Equitibus S. Lazzari, de Religiosa eorum familia abolenda, transferendisque bonis omnibus ad ipsorum Militum manus. Epist. 174. §. Unic. » 427

Cujus pacti exequutioni viriliter sese opposuit Viennensis Archiepiscopus §. eod. » ibid.

Ad cujus proinde postulationem Pontifex significat, se, circa pactum illud, nullam emissurum declarationem, nisi de consilio Congregationis Consistorialis §. eod. » ibid.

Quos sane sui animi sensus confirmavit Pontifex Episcopo Valentinensi, qui exequutioni memorati pacti pariter restiterat Epist. 175. §. Unic. pag. 427. Epistol. 360. §. 1. » 792

Vide *Episcopus Diensis. Episcopus Tricastrinensis.*

CANONICI REGULARES S. SALVATORIS.

Indulgetur ut missae a canonicis regularibus S. Salvatoris celebrari solitae, in die obitus praesbyterorum, clericorum, et laicorum hujus Ordinis, in defunctorum animae expiationem habeantur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Const. 526. » 1063

CAPITULUM CATHEDRALIS OSNABRUCENSIS.

Incidit in censuras ob postulatum hominem acatholicum in Episcopum Osnabrugensem, et absolutionem obtinuit. Const. 486. » 1016

CAPITULUM GENERALE.

Methodus convocandi Capitulum generale, et praescriptionis pro removendis dissidiis in Ordine fratruum Bethlemitarum in Indiis habetur in Const. 432. §. 1. et seq. » 891

Quae sane Constitutio extensa fuit ad favorem successoris in Mexicano Archiepiscopatu. Const. 559. » 1112

CAPITULUM IN GENERE.

Vide *Sardiniae Regnum.*

CAPITULUM METROPOLITANÆ URBINI.

Huic Capitulo antiquitus tributum fuit privilegium utendi palmatoria, et mitra. Constitut. 555. » 1101

Exortis dissidiis inter Metropolitanum, et Capitulum S. Rituum Congregatio decernendum censuit, tali privilegio canonicos uti minime posse, ibid. §. 2. pag. 1101

Et novo Metropolitano electo iterum preces porrectae pro amissorum privilegiorum concessione, ibid. §. 3. » ibid.

Pontifex Urbinatensis Capituli postulationibus benigne indulget ibid. §. 4. » 1102

CAPPELLANI PONTIFICII.

Cappellanis Pontificiis nonnulla privilegia concessa fuere Constit. 18. §. 1. ad 15. » 54 ad 60

Nempe

Creantur Notarii, Comites, Nobiles, ac Cives, horumque privilegiis donantur §. 2. » 54

Eximuntur a delatione habitus, et Roccheti Notariorum §. 3. » 55

Eorum bona, et redditus, ab omnibus vectigalibus eximuntur, et liberantur §. 4. » ibid.

Dispensantur super pluralitate Beneficiorum §. 5. » 56

Facultas docendi Leges ad quinquennium eorum favore conceditur §. 6. » ibid.

Licentia eis tribuitur sibi eligendi Confessarium §. 7. » ibid.

Indultum transferendi pensiones eisdem impertitur §. 8. » 57

Regulae servandae in pensionum translatione praescribuntur §. 9. » ib.

Testandi, et quomodocumque disponendi facultatem indulget, usque ad summam bisentum ducatorum §. 10. » 58

Etiam in casu decessus ab intestato, ad haeredes legitimos deferri, usque ad ducata biscentum, bona permittit §. 11. » 59

Injungit onus professionis fidei, antequam gratia erectionis in Notarios perfrui possint §. 15. » 60

CAPPELLANUS MAJOR EXERCITUUM HISPANIARUM.

Ex speciali hujus Pontificis indulto, facultates nonnullae Ecclesiasticae, et spirituales erga Milites, aliasque personas Militares, concessae fuere Cappellano Majori Exercituum Hispaniensium. Const. 404. §. 1. » 858

At deinde quum dubia fuerint submota, circa easdem facultates, Hispaniarum Rex eadem examinanda peculiari consilio supposuit §. 2. » ibid.

Verum sensu pandito a peculiari hoc consilio, diversa fuit Catholici Regis interpetratio quoad eadem dubia §. 3. » ibid.

In qua interpetrationis discrepantia, dubia submissa fuere Sanctae Sedis examini, atque interpetrationi §. 4. et 5. pag. 859
Pontifex submissa eidem dubia declarat, et facultates Cappellani Majoris designat §. 6. » 860

CARCERES URBIS.

Carceres Capitulinae ab Archihospitale Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum prius regebantur, illique utilitatem ex redditibus afferebant, quae deinde in incomodum conversa est Const. 293. §. 1. » 669
Adeoque Benedictus XIV. jussit, ut quotannis praelaudato Archihospitali a R. C. A. scuta centum persolverentur, pro indemnitate manutentionis carcerum §. 2. » ibid.
Ast tam Carcerum Capitolii, quam Gubernii parum recta erat administratio, ita ut plurimae ordinationes, variis temporibus, a Romanis Pontificibus indictae fuerint, pro administrationis reformatione §. eod. » 670
Clemens XIII. ut Administrationis removeret praejudicia, judicibus quorumcumque Tribunalium, celerem expeditionem Causarum criminalium praescripsit. §. 4. » ibid.
Itemque prohibuit ne Judices, et Tribunalia paupertatis testimonialia traderent, nisi certae speciei designatis carceratis §. 5. » 671
Imo expresse mandavit, detentos in Carceribus, quoties aliquid possederint, vel in depositum reliquerint, sumptus carcerum persolvere debere § 6. » ibid.
Contemporanee vero normas tradidit, ne carcerati propriis rebus fraudarentur, quas in actu carcerationis pro causis civilibus, penes eosdem reperiri contigisset §. 7. » ibid.
Benedictus XIV., speciali benevolentia, Archiconfraternitatem Doctrinae Christianae de Urbe protexit §. eod. » ibid.
Clemens XIII. praecedentes Ordinationes, et gratias pro ediscentibus, et erudientibus Christianam Doctrinam confirmavit §. 2. » 276
Itemque expresse sancivit, ut Praesules Visitatores, atque Deputati Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae, illorum exequutioni impensius incumberent §. eod. » ibid.
Sed etiam jussit, ut Cardinalis Vicarius pro tempore in Contravventores condignis poenis animadverteret §. eod. » ibid.
In collatione subsidiorum dotalium tam nubentium in saeculo, quam in Religione, praeter alia requisita, fidem frequentiae, et eruditionis in Christiana Doctrina exhiberi expresse praecipitur §. 3. » ibid.
Confirmantur, et ampliantur Ordinationes Clementis XI. quoad Dotes tradendas ab Administratione vulgo *dei Lotti*, favore Puellarum, quae in Magisterio Doctrinae Christianae versantur §. 4. » ibid.
Novae, et praecisae Ordinationes sanciuntur pro praecisa observantia dotationis faciendae ab Administratione *Dei Lotti* §. 5. » 277
Eidem Archiconfraternitati Doctrinae Christianae facultates impertiuntur statuendi regulas pro efformandis elenchis puellarum quae ad dotalia subsidia imposterum erunt admittendae §. 6. » ibid.
Cardinali Vicario facultates tribuuntur necessaria pro praecisa praesentis Constitutionis Observantia §. eod. » ibid.

DOMUS CORRECTIONIS, ET POENITENTIÆ IN CIVITATE CORNETI.

Urbanus VIII. domum correctionis Corneti, ad coercendos Ecclesiasticos tam Seculares, quam Regulares construere fecit, et Cardinalis Vicarii in Urbe protectioni supposuit Constit. 312. §. 2. » 705
Incuria Ministrorum factum est, ut non ea haberentur a corrigendis resipiscentiae si-

gna, quae profuturam eis correctionem ostenderent §. 3. pag. 705
Hinc pro majori utilitate regimen domus correctionis Episcopo Montis falisci, et Corneti tribuitur §. 4. » 706
Quod sane regimen Domum respicit, et ministros in ea existentes §. 5. » ibid.
Facultas eidem Episcopo tribuitur, regulas condendi, correctionis domui utiles §. 6. » ibid.
Itemque decernendi testimoniales post correctionis tempus absolutum §. 7. » ibid.

DOMUS LAURETANA.

Romani Pontifices sedulo decori, atque splendori Lauretanae Domus conservandis, et augendis incubuere. Constit. 356. §. 1. » 786
Hinc quamplurima privilegia indulta fuere iis, qui Lauretanae domus servitio essent addicti §. 2. » ibid.
Milites vulgo *Corazzieri* Lauretanae domui addicti, inter continuo illi inservientes accensentur §. 3. » ibid.
Adeoque Militibus hisce, eadem privilegia concessa fuere, quibus pollent illius Domus servitio continuo addicti §. 4. » ibid.

DOMUS PAUPERUM MENDICANTIUM IN CIVITATE REGII.

Canonicus Carolus Bellincini Regiensis, testamento suo jussit, ut ex illius haereditate, Domus in sua Civitate erigeretur sub nomine domus Jesu Christi, regenda a Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum pro recipiendis pauperibus mendicantibus Regiensibus, et cum Constitutione Domus Parisiensis. Constit. 170. §. 1. » 423
At quum Regii alia existeret Mendicantium Domus pro pueris puellisque pauperibus recipiendis, satis amplo ditata Ædificio, hinc supplicatum fuit pro derogatione dispositionis Bellincinae, ejusque haereditatis incorporatione praecedenti Mendicantium Domui, pro Mendicantibus recipiendis, subrogatis Presbyteris Secularibus, Sacerdotibus Cappuccinis §. 2. » ibid.
Pro qua derogatione favorabilem sensum patefecit Episcopus Regiensis, votumque suum Sacra probavit Congregatio interpretationi Tridentini Concilii praeposita §. 3. » ibid.
Pontifex derogationem postulatam approbavit, ejusque exequutionem Regiensi Episcopo commisit §. 4. » ibid.

DUCATUM CURLANDIÆ

Vide *Curlandiae Ducatum.*

DUX BADENSIS.

Ducis pietatem, et Religionem commendat pro studio quo curat controversias componere inter Episcopum Spirensem, et Abbatem Tennebacensem super Asceterio Lucidae Vallis Epist. 245. §. unic. pag. 587
Eidem significat, nil magis Pontificis cordi esse, quam quae Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones praecipiunt de potestate Episcopi in Caenobia Sanctimonialium Regularibus subjecta servanda ex una, et vicissim Privilegia a Summis Pontificibus Regularibus concessa haud violari §. eod. » ibid.

DUX BAVARIÆ.

Animi anxietatem pro imminenti Germanicis Ecclesiis periculo exprimit, et infelicem Catholicorum statum sub Acatholicis Principibus Epist. 226. §. 1. » 518
Bavariae Ducem hortatur, ut pro Ducalis familiae Religione, detrimentum afferri Ecclesiasticis in Germania rebus, non sinat §. 2. » 519
Ageretur siquidem de Germanici Corporis constitutione immutanda, cujus nobilissima pars est Bavarica domus, constituti Ordinis, antiquarumque sanctionum retentissima §. eod. » ibid.
Praecedentes huic Duci concessiones factas super perceptione decimarum, ab Ecclesiasticis personis commemorat. Epist. 416. §. 1. » 873
Causas exprimit cur talis perceptionis prorogationem indulgere nequeat, et suum designat desiderium gratificandi huic Principi, dum alia opportuna sese praebeat occasio §. 2. » ibid.

DUX MUTINENSIS.

Sermo instituitur cum duce Mutinensi, de oblatione facta a parente judaeo duarum puellarum, deque arbitraria earum restitutione ad judeos. Constit. 576. §. 1. » 1137
Agit de judaeo adulto ad cathecumenorum domum migrato, et ab eodem arbitratu Mutinensis magistratus ejecto, ibid. §. 2. » ibid.
Injuriose ea facta fuisse christianae Religioni demonstrat, et Mutinensis ducis auxilium expostulat, ibid. §. 3. » ibid.
Ecclesiae proprium erat judicare tum de adulto judeo, tum de puellis, prout de simili-

bus judiciis plura habentur exempla ibid. §. 4. pag. 1138
Mutinensis ducis religionem excitat, ut his exemplis etiam sepositis, Ecclesiae illatam injuriam vindicet. ibid. §. 5. » ibid.
Cum Mutinensi duci gratulatur, quod in Ecclesiae obsequium promptus sit, binas judaeas puellas, et judaeum adultum eidem Ecclesiae reddere, a qua laico magistrato jubente, fuerant subtractae. Constit 579. » 1140

E

ECCLESIA.

Gallicana Ecclesia plurimis subjecta fuit erumnis, et earum origo, et causa designatur. Constit. 428. §. 1. » 887
Explicatur ratio cur Sancta Sedes maluerit potius patientia finem tot malorum expectare, quam auctoritate sua illorum cessationem curare, ibid. §. 3 » 888
Pares erumnas tulit ab eis, qui recipere et observare denegarunt Bullam « *unigenitus* » Constit. 437. » 900
Graviores quoque ab nefaria Janseniariorum doctrina. Constit. 438. §. 2. et 4. » 901
Constit. 439. § 3. » 903
Multam habuit calamitatem ab extinctione in toto Galliarum Regno Societatis Jesu, ibid. §. 3. » ibid.
Eversis in Gallia Religionis rebus plurimam consolationem attulerunt Episcoporum literae eorum constantiam obtestantes. Constit. 443. §. 1. » 910
Requirentibus Gallicis Episcopis S. Sedis auxilium, se jam prospexisse ait Pontifex, datis contra Jansenistarum doctrinam instructionibus; ibid. §. 2. » 911
Pariterque imperata observantia constitutionis « *unigenitus* » et encyclicae Benedicti XIV. §. 3. » ibid.
Explicatur ratio, cur mitiorem semitam elexerit Pontifex, tenendam cum Episcopo Alesiensi, ibid. §. 4. » ibid.
In afflicto Gallicanae Ecclesiae statu maximum expectandum esse auxilium ab Episcopis, et Archiepiscopis Gallicis declaratur. Constit 466. §. 1. » 952
Pontifex Episcopis in Gallia convocatis Religionis causam summopere commendat, ibid. §. 3. » 953
Ob non suppressam perniciosorum librorum evulgationem mala plurima tulit Ecclesia Gallicana. Constit 468. §. 2. » 955
Alienum a justitia est largitiones favore Ecclesiae a Christifidelibus faciendas saeculari lege prohibere. Constit. 479. pag. 1010
In gravibus etiam temporibus habitus est conventus generalis Luthetiae Parisiorum Episcoporum Gallicanorum pro Religionis bono. Constit. 503. §. 1. » 1035
Et primo quidem comunem eorum declarationem, quoad persistentem Gallicanae Ecclesiae vigorem, et catholicae fidei firmitatem ibid. §. 2. » 1036
Deinde vero proscriptionem perniciosorum librorum, et ecclesiasticae libertatis propugnationem, ibid. §. 3. » ibid.
Enumerat quamplures alias declarationes Gallicani Cleri pro Religionis bono factas, ibid. §. 4. » ibid.
Gallicanae Ecclesiae constantia summopere Deo grata extitit, et christianissimi Regis protectionem promeruit. ibid, §. 5. » ibid.
Remensem Antistitem Parisiensium comitiorum praesidem speciali prosequitur laude, ib. §. 6. » 1037

ECCLESIA CATHEDRALIS PACENSIS.

Pro confirmatione resolutionis sacrae congregationis Concilii Tridentini interpretis super observantia onerum adnexorum canonicatibus theologali, et magistrali in cathedrali Ecclesia Pacensi, enumerantur onera adnexa ab erectione canonicatus theologalis. Constit. 518. §. 1. » 1052
Quae tamen onera inobservata tractu temporis fuere, ibid. §. 2. » ibid.
Enumerantur onera adnexa canonicatui magistrali, ibid. §. 3. » ibid.
Contra inadimplementum dictorum onerum requisita fuit auctoritas S. Congregationis Episcoporum, et regularium ibid. §. 4. » ibid.
Dubia in sacra congregatione proposita, et resolutiones successivae, ibid. §. 5. » 1053
Pontifex supra relatas S. Congregationis resolutiones confirmat, et observari mandat, ibid. §. 6. » ibid.

ECCLESIA S. MARIÆ AD MARTIRES DE URBE.

Quoad privilegia hujus Ecclesiae, VIDE sub verbo « INDULGENTIA » » 573

ECCLESIASTICA BONA.

Vide. *Bona Ecclesiastica.*

ELECTOR BAVARIAE.

Avitam Bavaricae Familiae observantiam erga Sanctam Sedem, Romanosque Pontifices, laudibus commendat Epist. 121. §. 1. pag. 319
Bavariae Ducem hortatur, ut impedimenta contraria Ecclesiasticae immunitati ab Ambergensibus Magistratibus apposita, removere curet §. 2. » 320

ELECTOR COLONIENSIS.

Absolvitur Elector Coloniensis a juramento praestito ab illius Ministro, Electoris tamen mandato, occasione illegitimae conventionis cum Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Coloniae adstipulatae, antequam praefatus Coloniensis Elector Archiepiscopalem dignitatem, assequutus fuisset Epist. 55. » 141
Vide. *Principes Electores S. R. I. Germanici Imperii Electores.*

EPISCOPUS.

Episcopalis dignitatis virtutes, et merita enumerat per Encyclicam §. 1. ad 19. » 30
Ad Episcopatum promoveri, neque incongruum, neque inauditum est qui jam prius fuerat ad Cardinalatus honorem elatus. Alloquut. 16. §. 2. » 50
Cardinalis Archipresbyter Vaticanae Basilicae quotiescumque Episcopali charactere sit insignitus, Vaticani Cleri Ordinationes habere potest, et sacra Olea perficere, et Confirmationis Sacramentum conferre infra octavam SS. Apostolorum Petri, et Pauli. Alloquut. ead. §. 3. » ibid.
Secus vero tenetur Episcopum designare, qui haec nomine suo perficiat §. eod. » ibid.
Caeterum non sequitur, Archiepiscopatum Vaticanae Basilicae cum Officio Ministerii Episcopalis Ordinis adnecti debere §. 4. » ibid.
Episcopis jus est visitandi in iis quae respiciunt curam animarum Parochias Regulares, cujuscumque Ordinis sint, licet, illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, et cura animarum resideat in Abbatibus. Const. 26. §. 5. et 6. » 80
Ab Episcopo accipere Chrisma, et Sacra Olea tenentur Parochi Regulares, nec non ad Synodum accedere quoties sunt vocati. Const. ead. § eod. » 81
Ad Episcopum spectat approbatio Parochorum Regularium, etiamsi sint Abbates §. eod. » ibid.
Itemque licentia pro Coadjutoribus dictorum Parochorum, qui a Regularibus superioribus dantur §. eod. pag 81
Episcopi jus habent in approbatione Confessariorum Regularium, limitandi eorumdem facultates, non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas, et loca, in quibus debent Confessiones audire §. eod. » ibid.
Sine Episcopi licentia, nequeunt Abbates, vel Parochi Regulares constituere modo unam modo alteram Ecclesiam sive Cappellam, in qua Sacramenta a Parochis subministrantur §. eod. » ibid.
Episcopo praesentare tenentur Sacerdotes Seculares pro Parochiali exercitio, Praelati Regulares qui pollent Jurepatronatu Parochiarum acquisitum, vel cessum ex Laicis, neque sine Episcopi licentia possunt Monachos eisdem substituere, vel pro libitu removere §. eod. » ibid.
Spectat ad Episcopum cura clausurae Monasteriorum Monialium Regularibus subjectorum, eamdemque clausuram demandare servandam ad praescriptum Sacrosanti Concilii Tridentini §. eod. » ibid.
Competit Episcopo, Praelatis Regularibus prohibere, ne pluries in anno occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subjecti, sine praesentia ejusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae §. eod. » ibid.
Episcopus prohibere potest Regularibus, ne sine examine Ordinarii, puellas ad habitum et professionem admittant. §. eod. » ibid.
Itemque prohibere illis potest ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniant, non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus ipse sive per se, sive per alium interesse, et praesidere possit §. eod. » ibid.
Jus est Episcopo rationes exigendi ab administratoribus bonorum temporalium Monasteriorum exemptorum Monalium, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere ne dotes alienentur, sine indulto Pontificio, et ejusdem Episcopi licentia §. eod. » ibid.
Sine speciali Episcopi approbatione nequeunt in Confessarios Monialium exemptarum destinari Confessarii illi, qui alias ab Episcopo ipso approbationem obtinuerunt, ad audiendas Confessiones Fidelium utriusque sexus §. eod. » ibid.
Coram Episcopo se praesentare tenentur Regulares pro obtinenda facultate audiendi

Confessiones, sive Secularium, sive Monialium neque eis sufficit a Regularibus Superioribus de sufficientia, et idoneitate testimonium transmitti §. eod. pag. 81
Episcopi licentia requiritur adhoc ut Regulares queant Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere §. eod. » ibid.
Approbatio Episcopi necessaria est, ut insolita Imago, aut Sacra Reliquia exponatur, in Regularium Ecclesiis §. eod. » ibid.
Ordinarii Benedictionem petere tenentur Regulares, ut in eorum Ecclesiis valeant praedicationis munus explere §. eod. » 82
Romani Pontifices, magna in extimatione, et honore habent Antistites Catholicae Ecclesiae Epist. 74. §. 2. » 229
Adeoque eorum expositionibus plurimum deferre solent, maxime dum sibi commissarum Ecclesiarum necessitates Pontificis animo subjiciunt §. eod. » ibid.
Episcopi frequenter Clericos commonere debent quod si quid illis constiterit ab eis admitti Clericali statui indecorum, hujusmodi turpidini pro casus gravitate, poenarum applicatione se finem imposituros Const. 87. §. 14. » 252
Prohibere debent Episcopi, et pro opportunitate coercere Clericos illos, quos industriam operamque impendere constiterit in abjectis Laicorum obsequiis, vel in administratione, et cura eorumdem negociorum, vili constituta mercede §. 15. et 17. » ibid.
Curent Episcopi, ne Clericos ad Sacros Ordines promoveant, nisi ex Ecclesiastico Beneficio, Pensione, aut Patrimonio, talem reapse percipiant annui redditus summam, quae synodalibus cujuscumque Dioecesis statutis, aut legitima consuetudine sunt definita. §. 16. » ibid.
Civitatibus, et Locis, quibus Episcoporum praesidium, praesto esse non potest, Romanus Pontifex congruis Apostolicae providentiae remediis succurrere debet Const. 89. §. 1. » 254
Hinc Romani Pontifices periclitantibus Ecclesiis, non per Italiam modo, sed per universum Christianum Orbem prosequuntur, sive hortatu, sive auctoritate, sive missis ab Urbe Apostolicis viris §. eod. » 255
Episcopus nequit absque Pontificis Mandato jurisdictionem quasi Episcopalem tribuere Sacerdoti seculari in Territorio separato, quod Nullius Dioecesis appellatur, quodque Summo tantum Pontifici subjectum est Epist 125. §. 2. pag. 325. Epist. 129. §. 2. pag. 331
Neque permittitur Episcopo in propria Dioecesi, absque pariter Pontificis auctoritate, jurisdictionem quasi Episcopalem alicui Presbytero, vel Parocho tribuere, et ita Territorium a Territorio separare §. 125. §. 3. » 325
Prohibetur Episcopis naturam Beneficii Regularis immutare, et Regularium jurisdictionem in Sacerdotem secularem transferre §. 4. » ibid.
Sacerdos Secularis, jurisdictionem quasi Episcopalem a Romano Pontifice, minime obtinens, nulliter Sacramenta dispensat, Confessarios approbat, et Clericos ordinat §. 7. » 326
Ordinarii locorum laxare minime possunt suspensionem ab Ordinum exercitio, in qua incurrerunt Religiosi viri, a Praelatis Regularibus expulsi ob morum pravitatem Epist. 145. §. 4. » 359
Vide *Homicidae*.
Episcopis non est tribuenda facultas obtemperandi laicis potestatibus. Constit. 422. §. 1. » 880
et constit. 428. §. 2. » 888
Episcopi patienter ferre debent persecutiones illatas ab laicis potestatibus, et assidua oratione, atque firmitate curare, ut laicae emolliantur potestates, earumque gratia reconcilietur, ibid. §. 2. » ibid.
et constit. 428. §. 3. » ibid.
Episcopus potius integram amissionem bonorum Ecclesiae ferre debet, quam absque evidenti utilitate aes alienum contrahere, et bona ipsa ecclesiastica devincere, ibid. §. 3. » ibid.
et constit. 428. §. 4. » ibid.
Episcopi nequeunt laudare libros proscriptos a sancta Sede. Constit. 435 §. 3. » 996
Episcopi denegare debent sacram Eucharistiam refragrantibus contra bullam « *Unigenitus* » Constit. 437. §. 1. » 900
Episcopis vita promissa est angorum, periculorumque plena, paratique esse debent ad asperrima quoque perferenda pro Christo. Constit. 438. §. 5. » 902
Episcopali opus est firmitate ad comprimendum impetum Jansenianorum, et Calvinistarum, qui conjuncti cuncta adversus Dei Ecclesiam moliuntur. Constit. 439. §. 3. » 903
Maxima Episcopis fiducia habenda est in christianissimi Regis religione, et pietate. Constit. 466. » 952
Episcopi munus nefas est conferre homini aca-

tholico, et in censuras incidit quicumque eum postulat in Episcopum. Const. 486. pag. 1016
Episcopi summa sedulitate curare debent, ne Ecclesiae novis vectigalibus graventur a laica potestate. Constit. 511. » 1044
Episcopi sese abstinere omnino debent ne quid peragant, aut fieri sinant, quod fuerit ecclesiasticae libertati adversum, Constitut. 519. » 1054
Episcopi catholici non debent concedere Lutheranis, ut in eorum Dioecesi aliquam habeant ecclesiam in qua possint publicas explere functiones. Constit. 523. §. 1. » 1060
Non debent Episcopi tributa imponere religiosis domibus. Constit. 529. » 1065
Episcopi ob praestitum juramentum in assumptione pastoralis officii, toto studio curare debent ne in re typographica ecclesiastica censura removeatur. Constit. 537. » 1071
Episcopi eorum pastorales dirigere debent adversus haeresim, et haereticos in universum. Constit. 550. » 1091
Episcopi resistere debent conatibus dissidentium contra Religionem. Constit. 557. » 1107
Et sinere haud debent ecclesiasticas praerogativas, et privilegia aliqua parte imminui ibid. §. 4. » 1108
Laudantur Episcopi, qui acriter insurgunt contra libros impiorum, et libertinorum. Constit. 560. » 1114
Episcopi inconsulta Sancta Sede alienare non possunt bona ecclesiastica. Constit. 562. §. 3. 1116
Episcopi contumelias patienter ferre debent propter Christum. Constit. 564. §. 2. » 1118
Cunctis per catholicum orbem Episcopis, et Archiepiscopis encyclicam misit Pontifex, ut creditum sibi ipsis dominicum gregem, a noxiorum librorum lectione avertant. Constit. 566. » 1119
Multum in reformatione Regularium peccat Episcopus, qui id peragit inconsulta Apostolica Sede. Constit. 567. » 1121
Episcopi debent conjunctis viribus cum Romano Pontifice, dominicae vineae custodiam habere. Constit. 587. » 1149
Debent ipsi dissidentium conatibus resistere, ut incolumitati prospiciant Ecclesiae. Constit. 611. » 1293
Episcopi edicta condere debent ad reformandos cleri mores idonea. Const. 624. » 1355

EPISCOPUS ALEPENSIS.

Ejus vigilantiam, et zelum commendat pro rebus Religionis gerendis Epist. 336. §. 1. » 738
Eidem significat, se mandasse, ne Missionarii audeant eumdem in sua auctoritate deturbare §. 2. pag. 738

EPISCOPUS ARGENTORATENSIS.

Significat Pontifex huic Episcopo, Ecclesiam semper abhorruisse a Matrimoniis inter Catholicos, et Haereticos. Epist. 387. §. 1. » 834
Mater siquidem Acatholica semper soboli suae, propriae Religionis praecepta insinuare curabit §. 2. » ibid.
Majora autem damna soboli obventura sunt ex Paterna auctoritate, si is alicui sectae addictus sit. §. 3. » ibid.
Adeoque omnis Catholicorum sollicitudo semper adhibita, ad haec impedienda Matrimonia, evanescet, quoties in posterum foret ad illorum celebrationem deveniendum. §. 4. » ibid.
Hunc Episcopum hortatur, ut ex adductis rationibus, hujusmodi Matrimoniis obsistat §. 5. 835

EPISCOPUS AUGUSTANUS.

Dolet quod Augustanae Civitatis Magistratus Ecclesiae auctoritati resistant, et pro nihilo habeant censuras, quibus adstringuntur. Epist. 398. §. unico. » 852
Reprobat autem hujus Episcopi consilium occludendi aditum ad Canonicatos Collegiatae S. Mauritii, Patriciis omnibus dictae Civitatis, illorumque filiis §. eod. » ibid.
Quamquam etenim novum in Ecclesia non sit, Parentum culpam aliquando in filiis puniri, §. eod. » ibid.
Attamen praeferenda est moderatio, experiendo scilicet quid assequi possit, prius eohortando, monendo, et graviora etiam minitando, §. eod. » ibid.
Quum vero inter Patritios, quamplures adesse possint, omni culpa vacantes, hinc horum filii tantummodo ad Canonicatos consequendos sunt admittendi §. eod. » ibid.
Hac enim methodo, qui modo auctoritatem, dignitatemque Ecclesiae contemnunt, sentient, filios quidem suos tacite excludi, quin eorum quaerelis aditus esse possit, §. eod. » ibid.
Literae Apostolicae queis dispensatio indulgetur Clementi e ducibus Saxoniae, regioque Poloniae Principi ad hoc ut eligi posset in coadjutorem Episcopi Augustani habentur in Constit. 427. » 887
Aliae litterae quibus gratulatur Pontifex, quod in coadjutorem Ecclesiae Augustanae electus sit, habentur in Constit. 441. » 909

Ratio cur causa inter Episcopum Augustanum, et Premonstratensem remissa sit judicio Sacrae Congregationis Concilii, patet ex constanti jurisprudentia Sanctae Sedis. Constit. 446. pag. 914

EPISCOPUS BAJONENSIS.

Cum Bajonensi condoletur Episcopo pro grassantibus in Gallicis Regnis contra Religionem persequutionibus. Epist. 383. §. 1. » 830
Monet Gallicanos Episcopos contra perversorum insidias, quibus insinuare pertentat, non id roboris esse Romanae Sedi, ad eorum machinationes convellendas §. 2. » ibid.
Constantem esse Apostolicae Sedis sententiam de expurganda Ecclesia Dei ab perversorum erroribus, ad quod consequendum, Gallicani Cleri unio, et Francorum Regis pietas conferri quamplurimum possunt §. 3. » ibid.

EPISCOPUS BITERRENSIS.

Quae sint in Gallia Religioni adversantia mala exprimit, quantaque graviora immineant. Epist. 384. §. 1. » 831
Hae autem tribulationes a Deo permittuntur, non ut constantia in fide decutiatur, sed ut illa magis probetur §. 2. » ibid.
Intima itaque conjunctione curandum, ut Jansenianae sectae eludantur conatus, quibus student, Episcopos ab Romana Sede alienare §. 3. » 832
Insuperque incumbendum Encyclicae Benedicti XIV. observantiae super Constitutione *Unigenitus* sacrilege conculcata §. 4. » ibid.

EPISCOPUS BURGI S. DONNINI.

Preces Pontifici porrexerat Episcopus hic pro festorum dierum reductione in sua Dioecesi. Const. 370. § 2. » 805
Pontifex, designatis specialibus diebus in quibus festivitatis praeceptum servari vult, eaeteras supprimit festivitates, sub onere tamen audiendi Missam §. 3. » ibid.
Episcopum hunc hortatur, ut populum edoceat de necessitate venerandi dies festos illosque sanctificandi §. 3. » ibid.

EPISCOPUS CAPUTAQUENSIS.

Vide *Monachi Benedictini Congregationis Montis Virginis.*

EPISCOPUS CARTHAGINENSIS.

Capitulum Cathedralis Ecclesiae Carthaginensis, constabat sex Dignitatibus, septem Canonicis, praeter Canonicum Inquisitorem, nec non octo portionariis, et duodecim dimidiis portionariis Const. 252. §. 1. pag. 597
Servitium vero Ecclesia praestabatur a Capellanis, Musicis, et supradictis Capitularibus §. eod. » ibid.
Cupiens autem Episcopus Capitularium numerum augere, ab quatuor memoratis Dignitatibus, septem Canonicatibus, octo portionariis, et duodecim dimidiis portionariis certam reddituum portionem dismembravit, et separavit. §. eod. » 598
Deindeque quatuor alias dignitates, aliosque septem Canonicatus, et quatuor integras, tres autem dimidias portiones erexit, instituit, et fundavit §. eod. » ibid.
Voluit insuper quod novae sic erectae tres portiones assignarentur pro stipendio organorum modulatoris, concentus moderatoris, et caerimoniarum Magistri, §. eod. » ibid.
Addidit etiam nonnulla alia ad servitium chori, atque ad perceptionem distributionum quotidianarum pertinentia, et onera imposterum adimplenda, § eod. » ibid.
Tandem modum in provisionibus, et collationibus novarum Dignitatum, Canonicatuum, integrarum, et dimidiarum portionum praescripsit, et declaravit §. eod. » ibid.
Quae quidem omnia, supplicante Hispaniarum Rege, fuerunt Pontificia auctoritate confirmata, et approbata § eod. » ibid.
Quum vero in Pontificiis literis nulla mentio facta fuerit de nonnullis litibus, quae inter Episcopum, et Capitulum agebantur, permanserunt hinc lites ipsae in statu, et terminis, in quibus reperiebantur §. 2. » ibid.
Hispaniarum Rex, cupiens, ut existentes omnes controversiae, ad publicam quietem dirimerentur, quosdam articulos, seu concordiam proposuit ab Episcopo, et Capitulo deinde servandam §. eod. » 599
Articulos vero, atque concordiam, praelaudatus Hispaniarum Rex, Pontifici pro approbatione supposuit §. 3. » 600
Pontifex audita prius Sacra Congregatione Concilii, articulos, et concordiam praefatam approbavit, et perpetuo deinceps observari mandavit §. eodem » ibid.

EPISCOPUS CATANENSIS.

Ad suas aures pervenisse, huic Antistiti Pontifex exprimit, quae a laica potestate, in Religionis contemptum patrabantur Epist. 310. §. 1. » 703

Quae sint erumnae Catanensi Ecclesiae obventae, dinumerantur. §. 2. pag. 703
Ad quas perniciosas avertendas novationes, Catholico Regi, alterique Utriusque Siciliae, suas detulisse hortationes Pontifex significat. §. 3. » ibid.
Catanensem hunc Episcopum consolatur, eumque ab abdicationis Episcopatus proposito submovet §. 4. » ibid.

EPISCOPUS CONCEPTIONIS DE CHILE.

Nominationem ad Episcopatum de Chile participat, et Catholici Regis desiderium ne a nominatione dissentiat Ep. 258. §. 1. » 605
Praecipit Pontifex ut praefectioni in Episcopum assensum praestet, et Ecclesiae possessionem illico suscipiat §. 2. » ibid.
Absolvit a quocumque voto de non acceptando ulla dignitate §. 3. » 606

EPISCOPUS CONSERANENSIS.

Enumerantur mala, quibus magis in dies praemitur Gallica Ecclesia. Epistol. 392. §. 1. » 841
Adeoque hunc caeterosque commonet Galliarum Episcopos, ne in impiorum laqueos incidant, quibus conantur eos, ab intima cum Apostolica Sede conjunctione distrahere §. 2. » ibid.
Hunc laudat Episcopum, pro sincera cordis sui affectione, qua semper Apostolicam Sedem est prosequutus §. 3. » ibid.

EPISCOPUS CULMEN.

Facultatem fecit Episcopo Culmen. nominandi ad tres Canonicatus in Cathedrali Ecclesia Culmen. in Mensibus Sanctae Sedi reservatis, per obitum illos obtinentium, primo vacaturos. Const. 58. §. 1. » 144
Qui sane nominati, collationem praebendarum ab Nunctio Apostolico in Polonia obtinere debebant, et intra octo Menses a collationis die, Apostolicas Litteras expedire sub plumbo, indicta in casu inobservantiae privationis poena §. 1. et 4. » 145

EPISCOPUS DIENSIS.

De calamitatibus, et tristissima conditione, qua adducta erat Diensis Dioecesis ob vastationes Calvinianorum nondum reparatas condolet cum illius Episcopo Epist. 185. §. unic. » 448
Qua de re commendat, illum reprobasse conventionem inter Canonicos Regulares S. Ruffi et Equites S. Lazzari, super translatione horum favore temporalium bonorum ad primos pertinentium, quibus reparari poterant perpessa Diensis Ecclesiae infortunia §. eod. pag. 448
Promittit Pontifex, nullam fore capturum deliberationem, quatenus de probanda illa conventione requiratur, nisi audito prius consilio Sacrae Congregationis Consistorialis §. eod. » ibid.

EPISCOPUS ELNENSIS.

Elnensis Episcopi commendat rationem redditam circa regimen cujusdam Paroeciae, cui se uberius prospecturum in sacra visitatione pollicitus fuerat, et ut in proposito persistat hortatur, et Sanctae Sedis praesidium promittit. Epist. 131. §. Unic. » 332

EPISCOPUS GRATIANOPOLITANUS.

Quantum prosit cunctis Christifidelibus, palam facere utilitatem, atque praestantiam Instituti Societatis Jesu, huic Episcopo demonstrat. Epist. 410 §. 1. » 865
Æditi ab hoc Episcopo operis, laudes exprimit, quo Jansenianorum profligantur calumniae §. 2. » ibid.
Episcoporum in Galliis vigilantiam excitat, quo Ecclesiae defensorum imminutus est numerus §. 3. » ibid.

EPISCOPI GRÆCO MELCHITÆ.

Dissentiones ortae inter Episcopos, et Archiepiscopos Graeco-Melchitas super irregulari electione Patriarchae, licet aliquo pacto compositae, penitus cessare nequibant, nisi praestita reverentia Patriarchae Antiocheno, quam Pontifex praecepit pro Religionis bono, et ut scandala removeantur. Const. 421. » 879

EPISCOPUS HERBIPOLENSIS.

Evulgatum in Germania opus nomine Justini Febronii, contra Pontificiam auctoritatem denunciat, et ut ab contentis in eo caveatur insinuat. Epist. 405. §. 1. » 860
Hortatur ne sinat, in sua Dioecesi irrepere opus pestiferum, in animarum perniciem §. 2. » 861

EPISCOPUS IN GENERE.

Ætas annorum viginti septem satis non est, ut quis ad Episcopatum promoveri possit. Constit. 157. §. 3. » 385
Romani Pontifices, semper cordi habuere, ut

Episcoporum jura sarcta tecta serventur. Constit. 160. §. 2. pag. 402
Quae se se referunt ad appellationes a judiciis Episcoporum, ea collegit Benedictus XIV. Constitutione sua 5. kal. Aprilis 1742. relata in Constitut. hac §. 3. » ibid.
Episcopi, qui apud barbaras gentes mittuntur, Apostolorum, et Discipulorum Christi Domini repraehesentant imaginem, et tamquam Oves sunt in medio Luporum. Const. 163. §. unic. » 406
Nil magis convenit Episcoporum muneri quam assidua cogitatione versari, quanam potissimum ratione possit impendentibus malis occurrere, animarum saluti consulere, Christi gloriae omnibus in rebus servire. Epist. 175. §. unic. » 428
Episcopus titularis in partibus, ut quis eligatur, non sat est quod vir probus, et doctus sit, atque Ecclesiastico praestimonio facile ditandus, sed concurrant oportet Ecclesiae necessitas, et magna illius utilitas. Epist. 176. §. unic. » ibid.
Ex Summorum Pontificum, et Conciliorum sanctionibus, vetitum est plures Episcopatus eodem tempore tenere, quod confirmatum fuit ab Constitutione Clementis VII. Epist. 194. §. unic. » 466
Episcopi habent quaedam propria jura etiam in Monasteriis Monialium, quae regularibus Praelatis sunt subjecta. Epist. 222 §. 2. » 514
Quum vero ex altera parte Romani Pontifices Regularibus Prælatis jura quædam concesserint, quae transgredi minime licet §. eod. » ibid.
Hinc necesse est, suis ita juribus uti Episcopum, ut Regularium privilegia non abroget, et ita vicissim §. eod. » ibid.
Quod si oriatur dissentio inter Episcopum et Praelatum Regularem, Romano Pontifici spectat praecipere, ut ambo inter praescriptos fines contineantur §. eod. » ibid.
Episcopos titulares creare, absque evidenti Ecclesiae necessitate, vel utilitate, prohibet Canonica disciplina Epist. 244. §. 1. pag. 586. Epist. 251. §. 2. » 596
Quod si Episcopus, vel in gravi reperiatur aetate, vel aliis momentosis occupationibus detineatur, tunc ei Episcopum Adjutorem concedere solet Sancta Sedes. Epist. 244. § 2. » 587

EPISCOPUS LAUSANNENSIS.

Attentis populi necessitatibus, Episcopus hic supplicaverat Sanctam Sedem pro Festorum reductione in sua Dioecesi obtinenda. Constit. 417. §. 2. pag. 874
Praecibus porrectis annuit Pontifex, designatis solemnioribus diebus in quibus integra permanere debeat festorum observantia, servato in diebus suppressis onere audiendi Missam §. 3. » ibid.

EPISCOPUS LINGONENSIS.

Summopere laudatus fuit, qui firma voluntate, atque constantia restiterit auctoribus erumnarum in Gallicis regnis, sacramque Eucharistiam denegaverit refragrantibus contra bullam » *unigenitus* » Constit. 437. » 900

EPISCOPUS LIVONIENSIS.

Livoniensi Episcopo, Pontificium exprimit dolorem pro innovationibus in Curlandiae Ducatú, in Episcopi praelaudati Ecclesiastica jurisdictione sito. Epist. 137. §. 1. et 2. » 337
Episcopum hunc, de aliis super hac re perscriptis Literis certiorem facit, ad damna illata Catholicae Religioni removenda §. 3. » 338
Adeoque illum hortatur, ut in proxime habendis Regni comitiis, Catholicae Religionis causam, agere, et protueri curet §. eod. » ibid.

EPISCOPUS LODEVIENSIS.

Suum dolorem exprimit pro malis, quibus Gallica Ecclesia grassatur, malaque ipsa non sine moerore dinumerat. Epist. 377 §. 1. » 819
Tantorum malorum causa, a nova quadam inducta Philosophia repetenda est §. 2. » ibid.
Religione subversa ab impiis novatoribus, temporalis cujuscumque potestatis ruina sequi ex necessitate debet §. 3. » ibid.
Tanta spiritualium, et temporalium rerum jactura, potissimam originem ducit a Jansenii sectatoribus §. 4. » 820
Qua in Religionis clade, Apostolicum implorarunt auxilium Galliarum Episcopi, propriam promittentes fidelitatem §. 5. » ibid.
Pontifex Antistitum in Galliis zelum commendat, et maximam collocat spem in Gallicae nationis pietate contra exiguum impiorum numerum §. 6. » ibid.
Eorum hinc Episcoporum consilium exquirit Pontifex, et quae interim egerit ad grassantia mala evellenda indigitat; licet nullae exinde utilitates prodierint §. 7. » ibid.
Commemorat, quae Apostolica Sedes egit, ad impediendas injurias, contra institutum Societatis Jesu §. 8. » 821

Episcopum hunc hortatur, ut in suo zelo persistat, et concreditarum Ovium custodiae invigilet, dum diligentissimi adjutores fuerunt undique dispersi §. 9. pag. 821

EPISCOPUS MAJORICENSIS.

Attentis populi circumstantiis, Episcopus hic festorum dierum reductionem a Romana Sede imploravit Constit. 400. §. 2. » 853

Quam imploratam reductionem Pontifex concessit, sub onere audiendi Missam, designatis specialibus diebus, in quibus integra praecepti observantia servanda esset §. 3. » ibid.

EPISCOPUS MIRAPICENSIS.

Hujus Episcopi egregiam voluntatem in Catholicam Ecclesiam et conjunctionem cum coeteris Galliarum Antistitibus laudat. Epist. 388. §. 1. » 835

In qua intima unione, ut perseveret obsecrat, ad impedienda Jansenistarum molimina, in semine dissidiorum posita §. 2. » ibid.

EPISCOPUS MONSPESULANU .

Se accepisse ait literas hujus Episcopi, aliorumque per Galliam Antistitum de infelici ibidem Religionis conditione agentes. Epist. 390. §. 1. » 837

In tanta Religiosarum rerum vastatione, constantem animum opponendum esse suadet, et de hujus Episcopi firma voluntate gratulatur §. 2. » ibid.

Maximum Religioni in Gallia damnum attulit expulsio Clericorum Secularium Societatis Jesu, ad quam impediendam, omne studium, sed inutiliter convertit Apostolica Sedes §. 3. » 838

Tot calamitatum originem Pontifex repetit ex neglecta observantia Encyclicae Benedicti XIV. super Constitutione *Unigenitus* §. 4. » ibid.

Adeoque hunc, caeterosque Galliarum Episcopos, ut stent omnes, uno Religionis spiritu constantes, et eum Apostolica Sede conjuncti §. 5. » ibid.

EPISCOPUS ORIOLENSIS .

Jurisdictio in monasterium, et moniales S Sebastiani civitatis Orioleusis a Benedicto XIV. translata fuit ab ejus ordinario in Archiepiscopum Valentinum Const. 496. §. 1. » 1031

Cessatis dissidiorum causis pro jurisdictionis recuperatione instetit Episcopus Oriolensis. ibid. §. 1. » ibid.

Catholicus Hispaniarum Rex pro restitutione pristinae jurisdictionis penes Pontificem supplicavit, qui Regis precibus obsecundare duxit, ibid. §. 3. pag. 1031

EPISCOPUS PARAENSIS.

Episcopum hunc summopere comendat, pro eximio charitatis studio quo fragrat, et arduis periculis, queis occurrit, ut animas ad Christi Ovile reducat, Const. 163. §. unic. » 406

EPISCOPUS PASSAVIENSIS .

Pro impendentibus Germanicis Ecclesiis malis, praeconceptum Pontifex exprimit dolorem Passaviensi Episcopo Epist. 227. §. 1. » 519

Quae futurae sint Catholicis in Germania molestiae, quatenus Ecclesiae spiritualibus, et temporalibus opibus priventur, praenunciat. §. 2. » ibid.

Sedulitate summa curasse refert, ne Germanicae Ecclesiae injuriam patiantur auxiliumque in hac tanta re a Passaviensi hoc Episcopo sibi promittit §. 3. » 520

Quum vero praesentibus literis nondum expeditis, ab Episcopo ipso alias Epistolas Pontifex accepisset, queis de sedulitate sua pro Germanicis Ecclesiis, testimonium praebet, id perjucundum Pontifex ipse sibi fuisse significat §. 4. » ibid.

EPISCOPUS PIENTINUS.

Cum Mareschallo Botta Adorno suum comunicat dolorem pro commissa violentia a Laicis Magistratibus in personam hujus Episcopi Epist. 407. §. 1. » 862

Adeoque requirit ut Episcopus, illico ad suam sedem revocetur, ne Apostolica Sedes cogatur, clavium potestate, illatam Ecclesiasticae libertati injuriam vindicare §. 2. » ibid.

Violentam hujus Episcopi expulsionem cum bonorum omnium scandalo, participat Francisco in Imperatorem Romanorum electo Epist. 412. §. 1. » 867

Eidem exponit praecedentes litteras perscriptas Mareschallo Botta Adorno, responsumque ab eo acceptum §. 2. » ibid.

Imperatoris dignitatem, et Religionem provocat, ad vituperandum hoc scandalum illico removendum §. 3. » ibid.

EPISCOPUS PLACENTINUS.

Supplices preces Episcopus hic Pontifices porrexerat pro festorum dierum reductione in sua Dioecesi. Constit. 369. §. 2. » 804

Cujus precibus Pontifex annuit, solemnioribus designatis festivitatibus, religiose servandis, firmo tamen in suppressis diebus, onere audiendi Missam §. 3. pag. 804
Hunc hortatur Episcopum, populos edoceat, et edocere faciat in iis, quae Religiosi cultus exercitium spectant §. 4. » ibid.

EPISCOPUS RIVENSIS.

Quae sint Gallicanae Ecclesiae infortunia ex hujus Episcopi literis, Pontifex resumit Epist. 382. §. 1. » 828
Ab Jansenistarum haud satis repressa haeresi, tot malorum causa repetenda, ad quam removendam Benedictus XIV. Encyclicam transmisit, ab hoc etiam Pontifice confirmatam §. 2. » 829
Insuperque ex neglecta Constitutione *Unigenitus*, divina ira commota, et perversorum hominum injuriae adauctae, ad quas reprimendas unio Gallicani Cleri, cum Apostolica Sede conferre potest §. 3. » ibid.

EPISCOPUS SAGUNTINUS.

Controversiae quamplurimae ortae erant inter Episcopum, et Canonicos Saguntinae Ecclesiae super respectivis praerogativis, et jurisdictionibus Constit. 242. §. 1. » 574
Ad quas controversias dirimendas, Hispaniarum Rex Catholicus insinuavit, adhibendos fore Ecclesiasticos viros Compromissarios §. eod. » ibid.
Regiae voluntati obsequentes partes ad Compromissariorum electionem devenere §. 2. » ibid.
Quibus sic electis Compromissariis dubia resolvenda fuere proposita, quae hic minutatim recensentur §. eod. » ibid.
Compromissarii, propositis dubiis examinatis, et responsionibus hinc inde datis, ad laudi emanationem processerunt §. eod. » 581
Pro cujus laudi confirmatione Apostolica, partes supplices preces Pontifici porrexerunt §. 3. » 585
Pontifex Compromissariorum laudum approbavit, confirmavit, et exequi mandavit §. 4. » ibid.

EPISCOPUS SALUTIARUM.

Hunc laudat Episcopum, quod Romanam Ecclesiam non solum habeat Magistram in iis quae ad fidem pertinent, sed etiam quoad universalem disciplinam Epist. 345. §. 1. » 753
Sanctae Sedis constans fuit jurisprudentia, ut servaret immunitatis beneficium favore minorum §. 2. » ibid.
Dirimitur contraria interpretatio circa immunitatem, quoad minores in casu etiam atrocissimorum criminum §. 3. pag. 754
Praebetur imo uberior explicatio praecedentium declarationum, quoad immunitatem Ecclesiasticam §. 4. » ibid.
Demonstratur, erroneum esse principium in hac materia quod in dubio standum sit pro exclusione immunitatis §. 5. » ibid.
Parvi siquidem compendii est pro societate, quod ab immunitatis beneficio minores excludantur §. 6. » 755

EPISCOPUS SARLATENSIS.

Constanti animo contra injuriosas Ecclesiae novationes, et praesertim ab Jansenistis illatas resistit. Constit. 438. » 901

EPISCOPUS SPIRENSIS.

Nunciat, se literas dedisse Badensi Marchioni pro tractanda concordia inita cum Tennebacensi Abbate super Asceterio Lucidae Vallis Epist. 246. §. unic. » 587
Eumdem sollicitat, ut controversiae statum quamprimum exponat, ad hoc ut Sancta Sedes de firmanda concordia quid statuendum sit possit inspicere §. eod. » ibid.
Quantum Germanici a pristina deflexerint Religione, et erga S. Sedem obedientiam Spirensi Episcopo animadvertit Epist. 326. §. 1. » 724
Pessimam esse rationem ostendit pro traducendis Clericis ad forum laicale; quod in causis mixtura insit rerum temporalium, quae in causis fere omnibus intercedere solet §. 2. » 725
Adeoque Antistitem hunc hortatur, ut in protuendis Ecclesiae juribus, se praebeat sollicitum §. 3. » ibid.

EPISCOPUS SYRACUSARUM.

Pluribus concurrentibus Causis, Syracusanus populus, religiosum cultum praestitit B. Friderigo Campisano Epist. 367. §. 1. » 800
Quum vero tractu temporis cultum alias praestitum obsoleverit, vel intermissum fuerit, Pontifex huic Episcopo declarat, Ordinario spectare hac de re inquisitionem juxta Urbani VIII. decretum §. 2. » 801
In qua sane inquisitione, diligentiam omnem servandam esse animadvertit, ad tramites praescriptionum Tridentinae Synodi sess. 25 §. 3. » ibid.

EPISCOPUS TORCELLANUS.

Ob penuriam beneficiorum, et multitudinem pauperum Clericorum ordinandorum, jam alias pro Civitate Venetiarum indulxerat Xistus V., ut hi ad sacros ordines promoveri possent, licet de nullo Ecclesiastico beneficio provisi, dummodo alicujus. Ecclesiae servitio fuerint addicti, a qua alantur. Constit. 375. §. 1. pag. 816
Quae sane incommoda quum Torcellanus Episcopus exposuerit, in sua etiam Dioecesi inveniri §. 2. » ibid.
Hinc, idem ordinandi pauperes Clericos indultum, extensum fuit ad Torcellensem Dioecesim, atque de decennio in decennium confirmatum § 3. » ibid.
Quum autem postremum decennium expiraverit, indultum idem ad aliud decennium confirmat Pontifex hic §. 4. » 817

EPISCOPUS TRICASTRINENSIS.

Se nihil acturum promittit Pontifex quoad praetensam suppressionem Canonicorum Regularium S. Ruffi, absque Episcoporum Provinciae consilio. Epist. 380. §. 1. » 827
Ex imminuta in Gallia Apostolicae Sedis auctoritate, repetendae sunt a Laicis potestatibus illata vulnera, in Ecclesiasticae jurisdictionis perniciem § 2. » ibid.

EPISCOPUS TRIDENTINUS.

Benedictus XIV. in suppressione Patriarchatus Aquilejensis, Tridentinam Dioecesem Goritianae Sedi subjecit Epist. 403. §. unic. » 857
At deinde instante Clero, et populo Tridentinae Civitatis, Episcopus hic a Sancta Sede postulavit, ut iterum suam Dioecesim Aquilejensi Sedi supponeret §. eod. » ibid
Quod denegatum a Pontifice fuit, ne videretur hodie ab eo dextrui, quod paullo ante a Benedicto XIV. ad publicum bonum fuerat compositum §. eod. » ibid.

EPISCOPUS UCETICENSIS.

Ejusdem literas accepisse profitetur, quibus miserandum Gallicae Ecclesiae statum descripserat Epist. 389. §. 1. » 836
Quae cuncta aspera mala, a Janseniana secta repetenda sunt §. 2. » ibid.
Galliarum hinc Episcopos praecavet ad schisma inter se se vitandum, eosque ad unionem mutuam invitat, conjunctionemque cum Apostolica Sede § 3. » 837

EPISCOPUS ULADEMIRENSIS.

De illius negligentia in Ecclesiae administratione quaerelas accepisse, Pontifex cum animi moerore condoletur Epistol. 273. §. 1. pag. 629
Negligentem hunc commonet Antistitem, ut a socordia discedens, se Episcopum esse recordetur §. 2. » ibid.

EPISCOPUS UTINENSIS.

Ab utinensi Dioecesi dismembrat, et separat, atque Vicentinae Dioecesi incorporat Ecclesias B. M. V. de Lonigo, et SS. Firmi, et Rustici, sitas in Territorio ejusdem Vicentinae Dioecesis Const. 95. §. 3. et 4. » 271

EPISCOPUS VALENTINUS.

Episcopi Valentini studium, ac sollicitudinem commendat, quibus se se opposuit exequutioni pacti initi inter Canonicos Regulares S. Ruffi, et Equites S. Lazzari, de Religiosa eorum Familia, abolenda, transferendisque bonis omnibus ad dictorum Equitum manus. Epist. 175. § unic. pag. 427. Epist. 360. § unic. » 792
Promittit Pontifex, se nullam hac de re, quamdiu requisitus fuerit, declarationem emissurum, nisi de consilio Congregationis Consistorialis. Epistol. 175. §. unic. » 428
Quo in proposito se se confirmasse Pontifex addit, postquam a Clero Gallicano Parisiis coadunato, supplicatum Christianissimo Regi fuit, ne S. Ruffi Ordinem pateretur extingui. Epist. 360. §. unic. » 793
Verum quomodocumque res haec vergat, declarat, iterum, se nullum consilium capturum, nisi antea Episcoporum sensu requisito, et cunctis sedulo perpensis, ad Canonicarum legum trutinam §. eod. » ibid.

EPISCOPUS VICENTINUS.

Ecclesiam B. M. V. de Lonigo ad Monachos Ordinis, et Congregationis S. Benedicti Montis Oliveti spectantem, nec non alteram SS. Firmi, et Rustici infra limites Paroeciae Castri Gemberti, et sitas in Territorio Dioecesis Vicentinae licet alias Aquilejensi Patriarchae, deindeque Episcopo Utinensi pertinerent, nunc Vicentinae Dioecesi incorporat, et unit. Const. 95. § 3. et 4. » ibid.

EPISCOPUS VIVARIENSIS.

Maximum dolorem Pontifici attulere Gallicanorum Antistitum quaerelae, de turbata Re-

ligionis conditione per universam Galliam Epist. 391. §. 1. pag. 839
Cujus doloris causa adaucta fuit expulsione Clericorum Secularium Societatis Jesu, quorum labores maximo compendio Religioni erant §. 2. » ibid.
Ad quam impediendam expulsionem, multum, sed inutiliter adlaboravit Apostolica Sedes §. 3. » ibid.
In tanta Religionis erumna, observantiam praescribit Pontifex Constitutionis *Unigenitus* San. Mem. Clementis XI. §. 4. » 840
Nec non Jansenianae sectae doctrinae obsistendum, a qua praecipuae mala in Religionem eruperunt, sub effictae pietatis obtutu § 5. » ibid.
Quod ut consequatur, curandum intimae unioni Antistitum inter se, eorumque cum Sancta Sede consociationi § 6. » ibid.

EQUITES DE CALATRAVA.

Vide *Milites B. M. de Montesa.*

EQUITES HIEROSOLYMITANI.

Magno Ordinis Magistro suum dolorem pro hostili Turcarum Navali apparatu significat. Epist. 195. § 1. » 467
Proprium auxilium promittit Pontifex Melitensi Ordini, spondetque tale provocaturum etiam a Catholicis Principibus §. 2. » ibid.
Perutilem forè designat navis restitutionem, ex cujus captura contra Turcas, tanta Byzantii orta est iracundia §. 3. » ibid.
Hierosolymitanum Ordinem commendat, eumque, si opus sit, absolvit a juramento, quod navis restitutioni posset impedimentum parare §. 4. » 468
De hoc eodem Melitensium Equitum periculo certiorem facit Francorum Christianissimum Regem, eorumque favore illius postulat auxilium. Epist. 196. §. 1. » ibid.
Pariterque idem agit cum Hispaniarum Catholico Rege. Epist. 197. §. 1. et 2. » 469
Nec non cum Rege utriusque Siciliae Epist. 198. §. 1. et 2. » 470
Et etiam cum illustri Sardiniae Rege. Epist. 199. §. 1. et 2. » 471
Tandem cum Imperatrice Regina Maria Theresia. Epist. 201. §. 1. et 2. » 473
Suam adhibitam sollicitudinem significat Pontifex Magno Ordinis Magistro, pro curanda Conciliatione super divisione Linguae Alemannicae in duas distinctas Germanicam nempe, et Helveticam. Epist. 387. §. 1. » 788
Quae conciliatio quum propositum sibi effectum sortita non sit, exequutioni committendum esse Rotale judicium hortatur, ad cuncta dissidia ulterius dirimenda §. 2 pag. 788
Exponitur institutio Commendae Romanae facta a Cardinali Portocarrero, et leges servandae in vacatione dictae Commendae. Const. 378. §. 1. » 822
Sacer Militaris hic Ordo, Commendam ut supra institutam erexit, et fundavit atque Apostolicam dispensationem obtinuit in casu vacationis in Urbe §. 2. » 823
Ad evitandas quascumque controversias in casu vacationis, praevia relatione Commissariorum, quatuor Linguarum, Magnus Magister Ordinis, et Consilium, normas a Commissariis praedictis propositas, confirmarunt §. 3. » ibid.
Ad supplicationem vero Magni Magistri, et Consilii Ordinis pro statutorum quoad Commendam confirmatione, cuncta Pontifex approbat, et observari mandat §. 4. » 825

EQUITES S. LAZZARI.

Equites S. Lazzari cum Canonicis Regularibus S. Ruffi pactum inierant, de horum Religiosa familia abolenda, transferendisque bonis omnibus, ad ipsorum Militum manus. Epist. 174. § unic. » 427
Cujus pacti exequutioni, viriliter se se opposuit Viennensis Episcopus §. eod. » ibid.
Ad cujus Episcopi postulationem Pontifex significat, se circa pactum illum, nullam emissurum declarationem, nisi de consilio Congregationis Consistorialis §. eod. » ibid.
Quos sane sui animi sensus confirmavit Pontifex Episcopo Valentino, qui exequutioni memorati pacti pariter restiterat. Epist. 175. §. unic. » ibid.
Vide *Episcopus Diensis.*

EQUITES MILITIAE S. JACOBI DE SPATHA ET ALCANTERA.

Hispaniarum Rex Catholicus auctoritate Apostolica est Administator perpetuus Militiae S. Jacobi de Spatha, et de Alcantera. Constit. 249. §. 1. » 590
In Civitate Meridia, quae Territorium est Militiae S. Jacobi, reperiebatur Conventus Monialium ipsius Militiae, sub invocatione S. Olallae, qui maxima laborabat paupertate §. eodem. » ibid.
In Civitate pariter Vallisoletana, aliud earumdem Religiosarum Monasterium existit sub invocatione S. Crucis, quod redditibus sa-

tis aptis ad singulas occurrendas necessitates minime ditabatur §. eod. pag. 591
Tandem in Villis de Alcantera, et de Broxas duo alia Monasteria Monialium ejusdem Militiae reperiebantur sub invocatione S. Spiritus, et S. Petri, in quibus tenuissimus erat Religiosarum numerus, tenuisque redditus §. eod. » ibid.
Quod si tractu temporis praefata quatuor Monasteria subsistere potuere, non id alio evenit pacto, quam ex subsidiis eisdem datis ab Militari Ordine, qui tamen ad ea continuanda minus aptus deinde evenerat §. eod. » ibid.
Hinc, ordinis Militaris consilio requisito, Hispaniarum Reges pluries cogitarunt, malis occurri tantummodo posse, per binorum Monasteriorum suppressionem, illorumque binis aliis incorporationem §. 2. » 592
Quae incorporatio non alias profectura visa est, quam si primum S. Olallae cum altero S. Crucis, illud de Broxas cum postremo de Alcantera unirentur §. eod. » ibid.
Ex qua sane perficienda unione, et incorporatione, non solum Monialium numerus completus habebatur, sed media suppetebant, pro decenti aliorum Monasteriorum reparatione, et subsistentia §. 3. » ibid.
Pontifex propositam hanc a Catholico Rege suppressionem, et respective unionem, et incorporationem approbavit, datis tantummodo pro exequutione peculiaribus regulis §. 4. » ibid.

EXEMPTIONES.

Vide. *Dapiferi. Conclavistae. Familiares Pontificii. Cappellani Pontificii.*

F

FACULTAS PARISIENSIS THEOLOGIÆ.

Facultatem hanc effusis laudibus commendat, pro adhibitis studiis, ad venenatos errores detegendos, quibus inficiebatur proscriptus Apostolica auctoritate Liber *de l' Esprit.* Epist. 64. §. 1. » 155
Praelaudatam Facultatem exhortat, ut in Religione tuenda persistat, suis studiis, et laboribus §. 2. » 156

FAMILIARES PONTIFICII.

Familiaribus Sanctitatis Suae privilegia quaedam concessit Clemens XIII. Constit. 25. §. 1. ad 20. » 70

Nempe

Absolvuntur a censuris §. 2. pag. 71
Nec non Motu-Proprio creantur Notarii, Comites, Nobiles, et Cives §. eod. » ibid.
Horum privilegia recensentur eisdem concessa cum quibusdam restrictionibus §. 3. » ibid.
Eximuntur a Decimis, aliisque impositionibus, ea exempta pro auxilio contra infideles §. 4. » 72
Permittitur eis pluralitas Beneficiorum §. 5. » ibid.
Eximuntur a residentia, durante familiaritate §. 6. » ibid.
Conceditur facultas recipiendi Ordines extra tempora, et sine licentia §. 7. » 73
Item diendi, et docendi leges Causasque Ecclesiasticas, et civiles tuendi §. 8 » ibid.
Nec non eligendi sibi Confessarium cum peramplis facultatibus §. 9. » ibid.
Pensionum translationem ad summam 300. ducatorum ab eis fieri quocumque tempore concedit §. 10. » ibid.
Facultatem tribuit testandi usque ad Ducata 6000 et sine solemnitatibus § 11. » 74
Indultum impertitur in casu intestatae successionis, aut minus validae dispositionis §. 12. » 75
Fidei professionem, et fidelitatis juramentum omittendum praescribit, ante creationem in Sedis Apostolicae Notarios §. 18. » 79
Declarat praesentia privilegia minime suffragari pro familiaribus praedecessorum Pontificum. §. 20. » ibid.

FERRARIÆ CIVITAS.

Duces Extenses, omne studium, diligentiamque adhibuere, pro levamine, et decore familiarum Ferrariensium Const. 67. §. 2. » 176
Hercules I. Ferrariae Dux, facultatem fecit investitis in Feudis, liberae eorumdem alienationis in foeminis etiam praevia tantum Ducis permissione §. eod. » ibid.
Ex qua concessione, feudalia bona; semper Ferrariae ad instar allodialium sunt habita §. eod. » ibid.
Clemens VIII. Ducum Extensium privilegia, et gratias primum confirmavit §. 3. » ibid.
Gregorius XV. praecepit, Feudalia bona, quae vacare contigerit, Civibus originariis, et defuncto proximioribus concedere debere § 4. » ibid.
Urbanus VIII. defectum insinuationis Literarum Gregorii XV. sanavit, novumque tempus ad eum insinuationem peragendam in Camera Apostolica praefinivit §. 5. » 177
Idem Pontifex ad augendam Familiam Nobi-

lem in Civitate Ferrariae, nonnulla devoluta bona Feudalia, Comitibus *di Castel Ferretti* Anconitanis concessit §. 6. pag. 177
Supra relata privilegia, concessiones, et gratias confirmavit Clemens XIII. constitutione hac §. 7. » 178

FESTIVITATES IN GENERE.

Festa Dioecesis, Populo annuntiare, et celebrare debent Parochi Regulares, cujuscumque Ordinis illi sint Const. 26. §. 5. et 6. » 80
Festivitates nonnullae dispensatae fuerunt pro Dioecesibus Miranden. Angrien. et Melecitan. in Hispania, persistente tantum onere audiendi Missam Const. 31. §. 3. » 94
Itemque pro locis subjectis Abbatiae Monasterii S. Juliani de Samos Ordinis S. Benedicti Nullius Dioecesis, Provinciae Compostellanae sub eadem lege Const. 146. §. 3. » 361
Et pariter pro locis subjectis Abbatiae Monasterii de Sabagun ejusdem Ordinis, Nullius Dioecesis, in praefata Compostellana Provincia, sub iisdem reservationibus Constitut. 147. » 362

FESTIVITATES IN GENERE.

Festivitates nonnullae, ad Ispalensis Archiepiscopi postulationem imminutae fuere pro illa Dioecesi, sub onere tamen audiendi Missam. Const. 408. §. 2. » 863
Itemque pro Dioecesi Burgi S. Donnini, ad illius Episcopi postulationem, et sub iisdem legibus. Constit. 370. §. 2. » 805
Nec non pro Dioecesi Lausannensi postulante pariter hujus Episcopo, et servato Missae audiendae praecepto. Constit. 417. § 3. » 874
Et similiter pro Dioecesi Majoricensi, ad ejusdem Episcopi postulationem, et sub iisdem legibus. Constit. 400. §. 3. » 853
Tandem ad Placentini Episcopi postulationem festorum imminutio indulta fuit pro hac Dioecesi, assuetis regulis traditis. Constit. 369. §. 3. » 804

FOROLIVIENSIS CIVITAS.

Privilegia, et indulta a Summis Pontificibus concessa Civitati Forolivii, et signanter Magistratui quem appellant *de Novanta Pacifici* jam a Benedicto XIV. approbata, confirmat, et innovat Const. 152. §. 1. ad fin. » 366
Bibliotheca ab Advocato Marco Antonio Albicini praelegata favore Congregationis Sacerdotum Missionis, et ab eis renunciata, donatur Communitati Civitatis Forolivii, in publicam Civium Foroliviensium utilitatem et usum Const. 153. §. 4. pag. 373

FRATRES CONGREGATIONIS HOSPITALARIORUM DIVINI PASTORIS IN REGNIS HISPANIARUM, ET PORTUGALLIÆ.

Licet vetera hujus Congregationis statuta, fuerint a Sancta Sede approbata, attamen nonnulla desiderantur, pro meliori regimine Hospitalis Civitatis Cadicensis. Constit. 281. §. 1. » 639
Hinc congruum visum fuit statuere, quod in quacumque Domo Regulari ipsius Congregationis duo Archivia erigi deberent, unum scilicet pro scripturarum conservatione, alterum pro asservandis pecuniis ex redditibus, et eleemosynis provenientibus §. eod. » ibid.
Insuperque, quod in utroque Archivio tres haberentur claves, per tres diversos uniuscujusque Domus confratres custodiendae §. eod. » ibid.
Nec non in quolibet ex dictis Archiviis, duo asservari deberent libri pro describendis redditibus, expensis, subscribendi a Superiore Obedientiae, pro recta annuali redditione rationis § eod. » ibid.
Pro quibus novis statutis approbandis, Episcopo Cadicensi preces porrectae a Procuratore Generali, et Fratribus Hospitii S. Joannis Lateranensis Civitatis de Vegel, Cadicensis Dioecesis §. eod. » 640
Qui sane Cadicensis Episcopus, decreto suo, statuta eadem de novo condita approbavit, et confirmavit die 19. Maji 1760. §. eod. » 641
Tandem Pontifex non solum talia statuta, sed Episcopi Cadicensis decretum, Apostolica confirmatione roboravit §. 2. » ibid.

FRATRES EXCALCEATI SS. TRINITATIS REDEMPT. CAPTIVORUM.

Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda fide die 20. Augusti 1759. aliud Capituli Generalis hujus Ordinis Decretum approbavit, quo statuitur, Collegium Romanum de Prapaganda Fide B. M. Virginis ad Fornaces, aggregandum esse Familiae Matris Redemptoris id est *extra-Hispanae*, et superiori Generali dictae Familiae supponendum Const. 88. §. 2. » 253
Quod sane Decretum, Apostolicae confirmationis robur obtinuit §. 3. » 254

FRATRES ORDINIS B. M. V. DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM EXCALCEATI.

Ex antiquis hujus Ordinis Constitutionibus, in omnibus, Conventibus ejusdem Ordinis, celebratur festum Sanctissimi Corporis Christi, praevia Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti publicae venerationi expositione, ac Matutino cantato, per septem etiam dies immediate sequentes Constit. 344. §. 1. pag. 752
Supplicatum deinde Pontifici fuit a Procuratore Generali Ordinis ejusdem, ut in praelaudata festivitate, Octavam privilegiatam indulgeret. §. eod. » ibid.
Cui postulationi Pontifex obsecundans; officium, et Missam privilegiatam, in praelaudata Octava concessit § 2. » ibid.

FRATRES ORDINIS B. M. V, DE MONTE CARMELO.

Bonifacius VIII. huic Ordini concessit Ecclesiam S. Martini ad Montes cum adnexis domibus et Hortis in locum conventus S. Juliani in Urbe, in quo Fratres antea morabantur Const. 50. §. 2. » 125
Urbanus VIII. Domum, et Conventum S Antonii Praenestis hujus Ordinis, una cum bonis, et juribus universis exemit a jurisdictione Prioris Provincialis Provinciae Romanae, et superioritati ac gubernio commisit Prioris Generalis §. 3. » ibid.
Clemens XIII. praedictos Conventus S. Martini ad Montes et S. Antonii Praenestis, a subjectione Prioris Generalis liberavit, et Provinciae Romanae univit, atque incorporavit §. 5. » 126
Fratres hujus Ordinis pro Provincia Gallo-Provinciae obtinuerunt a Benedicto XIII., ut instituere, et stabilire possent adfiliationes ad instar aliorum Conventuum Italiae, et Parisiensis Const. 54. §. 1. » 138
Quarum adfiliationem regulas, Prior Generalis Praefati Ordinis instituerat et observari mandaverat in universa Gallo-Provincia §. eod. » ibid.
At illarum exequutio locum habuerat in uno tantum Conventu Avenionis § 2 » 140
Adeoque a Clemente XIII. praescriptum hac Constitutione fuit, ut coeteri Gallo-Provinciae Conventus ad praefatarum regularum observantiam tenerentur §. 3. » ibid.
Insignis hujus Ordinis merita, et virtutes commendantur Const. 62. §. 2. » 152
Cathedra Theologiae Moralis in Archigymnasio Sapientiae Almae Urbis, huic Ordini perpetuo attribuitur, ab altero ex ejusdem Alumnis Professis exercendam, cum omnibus emolumentis, honoribus, et oneribus Cathedrae ipsae antea pertinentibus § 4. pag. 153
In electione Provincialis Provinciae Neapolitanae alternativa constituta est inter Magistros ipsius Neapolitanae Familiae, et Magistros Carmeli Majoris Civitatis Neapolim Const. 81. § 1. » 239
Socius Provincialis pro sacra visitatione, pertinet ex altera parte in qua non adest Minister Provincialis § 2. » 240
Secretarius Provincialis nominari semper debet ex Patribus Provinciae § eod. » ibid.
In conventu Carmeli Majoris, omnes pro tempore Priores, et ex-Priores, qui sunt Magistri, Diffinitores perpetui habentur §. eod. » ibid.
Hinc Diffinitores actuales eligendi sunt tres ex parte Provinciae Neapolitanae, unus tantum vero ex parte Carmeli Majoris § eod. » ibid.
Diffinitorum ordo, et praeeminentia, a pluralitate suffragiorum dependet § eod. » ibid.
Socii Capituli Generalis bini de Provincia esse debent, quatenus Provincialis est ex Carmelo Majori, quatenus vero ex Provincia, socius unus ex utraque parte esse debet §. eod. » ibid.
Custos Provinciae, et Provincialis nominatus *Casu quo*, indiscriminatim pro unaquaque parte eligi potest §. eod. » ibid.
In casu mortis, Assumptionis, et Renunciationis Provincialis, Vicarius Provincialis eligendus est ex parte, quae Provincialatu fruebatur § eod. » ibid.
Capitulum Provinciale celebrandum erit in Provincia, quoties Provincialis ex Carmeli Majoris parte eligendus est, et viceversa § eod. » ibid.
In convocatione Capituli Provincialis in Carmelo Majori, Provincia solvet taxam Ducatorum centum quadraginta, in Provincia vero, Conventus Carmeli Majoris, solvet taxam Ducatorum quadraginta §. eod. » 241
Suffragia pro Religionis defunctis, celebrari debent ab omnibus Sacerdotibus, sive Provinciae, sive Carmeli Majoris §. eod. » ibid.
Conventiones huc usque relatas, in Capitulo Provinciali, unanimi consensu approbatas, Apostolica auctoritate Pontifex confirmavit, et perpetuo observari mandavit § 3. » ibid.
Decretis Clementis VIII dierum 20. Junii 1599. et 19. Martii 1603. peculiares fuere

Conventus designati, pro explendo Tyrocinio receptorum in hoc Ordine, nec non alii pro Clericorum Professorum instructione, quae sane Decreta pessumdata tractu temporis fuere Const. 94 §. 3. . . . pag. 266
Ex statutis hujus Ordinis, preter Ex-Generalis, unius tantum in unaquaque Provincia Minister Generalis eligi debet in Capitulis Provincialibus respective habendis, quibus tantum jus est semel locum, et vocem habere in Generalibus Comitiis; quae durante eorum munere subsequuntur § 4. . . » ibid.
Tractu vero temporis, nonnullis hujusce Ordinis Professoribus, facultas, et privilegium indultum fuerat, ut et ipsi titulo, et juribus Diffinitorum Generalium uti, et gaudere possent ad eorum respective vitam §. eod. . . . » ibid.
Per Constitutionem Clementis X diei 12. Julii 1672. Priori Generali Ordinis hujusce, facultas concessa fuit, propria Ordinaria auctoritate, visitandi omnes, et singulos Congregationis Reformatae Mantuanae Conventus, tam Virorum quam Mulierum §. 5. » ibid.
Praevia confirmatione decretorum Clementis VIII. denuo designantur, et constituuntur Conventus in Provinciis Italiae, et Insularum adjacentium, pro receptione Novitiorum, et Professorum educatione §. 6. » ibid.
Prioribus, et Superioribus quibuscumque praelaudati Ordinis vetitum fuit, ne absque peculiari Apostolicae Sedis indulto, quempiam ad habitum Regularem recipiendum, et professionem emittendam admitterent, nisi in designatis Conventibus accederent, sub nullitatis poena, et privationis dictorum Superiorum omnium Officiorum, et vocis activae, et passivae §. 7. . . » 267
Quae sane poenales sanctiones indictae, ne Superiores iidem, Professos ad educandum miserint ad peculiares pro hujusmodi effectu designatos Conventus, addita privatione cujuscumque activae, et passivae vocis, nec non inhabilitatione ad Religionis Officia, et gradus, contra Religiosos Professos quoscumque, qui statim emissa professione, ad designatos Conventus minime transierint, §. 8. . . . » 268
Privilegia, et indulta dicti Ordinis Professoribus elargita, ut ipsi Diffinitores Generales sint, et habeantur ad eorum respective vitam revocantur, neque imposterum amplius concedi posse prohibetur §. 9. » ibid.
Abolentur, et cassantur, quaecumque privilegia, gratiae, et exemptiones contra observantiam Constitutionis Clementis X. super visitatione Conventuum Reformatae Congregationis Mantuanae §. 10 . pag. 268
Priori Generali hujus Ordinis iterum facultas impertitur post elapsum triennium a die incoepti Officii, et non antea, visitandi Conventus, et Monasteria Virorum, et Mulierum praedictae Reformatae Congregationis Mantuanae §. eod. . » ibid.
Praeterea praelaudato Priori Generali facultates concedit praesidendi Capitulo Generali praefatae Reformatae Congregationis, inibique suffragium habendi, dummodo tamen fiat Vicarii Generalis Congregationis ejusdem electio §. eod. . . . » 269

FRATRES ORDINIS B. M. V. DE MONTE CARMELO EXCALCEATI NUNCUPATI DONATI.

Vetitum est Religiosis hujus Ordinis, per constitutiones ab universali Congregatione sancitas, recursum ad S. Sedem, absque licentia, et assensu totius Capituli Generalis. Const. 40. §. 1. . » 104
Ex Const. Benedicti XIV. diei 23. Maji 1754. indultum fuit Religiosis in Hispaniam degentibus, ut pallium grisei coloris, quo antea utebantur, in album immutare possent § eod. . . » 105
Postulantibus Religiosis viris Provinciae Lisbonen., ut idem indultum ad eosdem esset extendendum, tali postulationi restitit; et Portugalliae Rex, et iteratis vicibus Capitulum Generale §. 2. . » 106
Quae ut firmiora persisterent, exquisita S. Sedis confirmatione, praecibusque ad Sacram Episcoporum, et Regularium Congregationem remissis, resolutum fuit, indultum pro Provinciis Hispanicis concessum, ad Lusitanicas Provincias minime esse extendendum §. 3. et 4. . . » ibid.
Quam praelaudatae Sacrae Congregationis resolutionem, plenissime approbavit, et confirmavit Summus Pontifex Clemens XIII. §. 5. . . » 107

FRATRES ORDINIS BETLEMITARUM IN INDIIS OCCIDENTALIBUS.

Attento obitu Cardinalis Portocarrero, hujus Ordinis apud S. Sedem, juxta Constitutiones Apostolicas, Protectoris, sufficitur in illius locum Cardinalis Banchieri. Constit. 203. § Unic. » 457

Varia in hoc Ordine super ejusdem Constitutionum observantiam dubia irrepserunt, et primo an Religiosi Praesbyteri exercere possint munus Secretarii Patris Generalis, et Officium Procuratoris Generalis in Romana Curia. Constit. 352. §. 2. pag. 772
Deinde an electiones eorumdem Presbyterorum, utcumque non factae per suffragia secreta, validae sint. §. eod. » ibid
Tertio tandem an pendente controversia super validitate electionum praedictarum, licitum esset Presbyteris Bethlemitis, obtenta munera Secretarii Patris Generalis, et Procuratoris Generalis in Romana Curia exercere §. eod. » ibid.
Quae sane dubia per supplicem libellum dirimenda, proposita fuere a Religiosis Presbyteris hujus Ordinis, Sacrae Congregationi Episcoporum, et Regularium §. eod. » ibid.
Quum vero in Capitulo Ordinis anno 1757. celebrato, ad munia supra relata Praesbyteri nonnulli nominati fuerint, in Constitutionum contemptum, de earumdem electionum examine, requisita fuit praelaudata Sacra Congregatio §. 3. » ibid.
Quae rescripsit « servandas esse Constitutiones Ordinis » adeoque Presbyteros Bethlemitas exercere non posse munera Secretarii Generalis, et Procuratoris Generalis in Romana Curia, neque substineri eorumdem electiones §. 4. » ibid.
Quod sane decretum, Apostolica auctoritate confirmatum fuit. §. 5. » ibid.
Insuperque injunctum Praefecto Generali Ordinis, ut cunctis innovationibus remotis, Constitutiones ad pristinam observantiam revocare curet, deque adimplemento similium docere teneatur apud Archiepiscopum Mexicanum, ante primi Generalis Capituli celebrationem §. eod. » 773
Demandatum etiam ut a novo Praefecto Generali, juramentum praestari debeat super observantia Constitutionem Ordinis. §. eod. » ibid.
Tandem declaratum fuit Religiosos Presbyteros, munera exercere posse Discreti Conventuum, Magistri Novitiorum, et Assistentium Provinciae, servatis Praelaturis, et aliis muneribus Religiosis non Presbyteris. §. eod. » ibid.

FRATRES ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.

In Ecclesiis Fratrum hujus Ordinis in Bavaria, Confraternitates existebant, sub titulo B. M. V. de Bono Consilio, canonice erectae, ad instar illius existentis in Ecclesia dicti Ordinis Oppidi Genazzani Dioecesis Praenestinae Const. 187. §. 2. pag. 449
Hisce Confraternitatibus quamplures indulgentias concessit S. M. Benedictus XIV. §. eod. » ibid.
Novas autem indulgentias Confraternitatibus ipsis concessit Clemens XIII. tam plenarias, quam temporarias, quas recenset praesens Constit. §. 3. » 450
Facultatemque fecit, modernam Confraternitatem erigendi in Ecclesia Fratrum Augustinensium Civitatis Monachii, cui praecedentes indulgentias communicavit. Epist. 198. §. unic. » 151
Hic ordo bina possidebat Monasteria in Insula Melitensi, quae invicem unire, et incorporare duxit Prior Generalis Ordinis ejusdem Constit. 363. §. 1. » 794
Adeoque ea super unione Prior Generalis peculiare suum decretum tulit § 2. » ibid.
Decretum vero Prioris Generalis, ut pleniori mandaretur observantiae, Apostolica auctoritate probatum, et confirmatum fuit § 3. » 795

FRATRES ORDINIS S. AUGUSTINI EXCALCEATI.

Ad removenda jurgia, et dissentiones, proxime celebrandum Capitulum Provinciale suspendit, et Priorem Provincialem, caeterosque Officiales ad sexennium nominat Const. 123 §. 2. » 321
Suspenditur receptio Novitiorum, usque ad Diffinitorii Generalis resolutionem super futurorum recipiendorum numero §. 4. » 322
Conventus Civitatis Firmi pro Conventu Novitiatus perpetuo assignatur §. 5. » 323
Pro Professorum vero educatione perpetuo pariter assignatur Conventus Civitatis Ferrariae §. eod. » ibid.

FRATRES ORDINIS S. DOMINICI PRAEDICATORUM.

Indulgentiam plenariam concedit omnibus Fidelibus utriusque sexus, visitantibus Ecclesias Fratrum hujus Ordinis, aliqua ex septem feriis sextis, praecedentibus Festum S. Vincentii Ferreri, dummodo fuerint confessi, S. Communione refecti, et assuetas effuderint preces. Const. 162. §. Unic. » 406
In reliquis vero feriis sextis hujusmodi, si fuerint pariter confessi, et Sacra Comunione refecti, nec non visitaverint dictas Ecclesias,

et oraverint ut supra, septem anni, et totidem quarantenae conceduntur. §. eod pag. 406

FRATRES ORDINIS S. FRANCISCI.

Vide *Minores.*

FRATRES ORDINIS S. FRANCISCI DE PAULA MINIMORUM.

Benedictus XIV. per suas Apostolicas literas 3. Kal. Septembris 1749. concessit, ut onera omnia perpetua missarum, et suffragiorum huic Ordini, ejusque Ecclesiis, ubicumque existentibus relicta, et in futurum relinquenda, adimpleri deberent per quinquaginta annos in specie Const. 254. §. 1. » 601

Finito autem dicto quinquaginta annorum spatio, computando a die susceptionis onerum, adimpleri onera ipsa concessit, in genere, seu sub generalitate Missarum, et suffragiorum ejusdem Ordinis, de Ecclesiae thesauro supplendo, prout in specie adimpleta fuissent §. eod. » 602

At Pontificia haec concessio, male forsan interpetrata a populo in Provincia Messinensi hujus Ordinis, in causa fuit cur benefactores eleemosynas, largitiones, et donationes pro fundatione onerum, Missarum, relinquere, et assignare omiserint §. 2. » ibid.

Hinc Corrector Provincialis Ordinis, supplex Pontifici fuit, ut saltem pro Provincia Messanensi, Benedictina concessione suppressa, onerum implementum tam pro antiquis, quam pro novis fundationibus ad pristinam conditionem reducere vellet §. eod. » ibid.

Cui postulationi Pontifex est assentitus, pro Conventu Messanensi tantum §. 3. » ibid.

Laudes, et merita hujus Religiosi instituti in propagatione Orthodoxae Fidei Constit. 340. §. 2. » 748

Etiam quamplures alii Religiosi Ordines muneribus, et Officiis perpetuis decorati fuere, quod in Ordinum ipsorum incrementum cessit. §. 3. » ibid.

Quibus adductus rationibus, Pontifex perpetuum locum inter consultores Rituum assignat huic Ordini, pro altero ex illius Alumnis §. 4. » ibid.

Vide *Minimi.*

FRATRES ORDINIS S. JOANNIS DE DEO.

Licet Constitutionibus Innocentii XIII. et Clementis XII. editis pro statu Ecclesiastico, prohibeatur Regularibus, et Monialibus cujuscumque Ordinis, quaecumque medicamenta, et pharmaca, vendere, attamen a prohibitione ipsa eximuntur Fratres hujus Ordinis. Const. 202. §. 9. pag. 484

Quam exemptionem confirmavit etiam Benedictus XIV. dum prohibitionem supra relatam ad Statum Mediolanensem extendit §. eod. » 485

Vide *Civitas Faventiae.*

FRATRES ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM DISCALCEATI.

Diffinitorium Generale, et Fratres hujus Ordinis experientia cognoverunt, nonnullas Ordinis ipsius Constitutiones, sine gravibus inconvenientibus, et Fratrum gravamine exequendas minime esse Constitutione 248. §. 1. » 588

Adeoque nonnulla ipsarum Constitutionum capita, reformationibus infrascriptis indigere, quas proposuere Sacrae Congregationi consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae §. eod. » ibid.

1. Resolutiones Capituli Conventualis minime determinandas esse a cunctis Sacerdotibus, sed a saniori, et nobiliori comunitatis parte, designanda a Provinciali, et Diffinitorio Provinciali, §. eod. » ibid.

2. Attamen Religiosi usque nunc professi, remanere debeant cum voto in Capitulis Conventualibus §. eod. » ibid.

3. Matutinum cum laudibus dicendum esse in Collegiis hora quarta post meridiem §. eodem. » ibid.

4. Singulis indefectibiliter diebus, studiis literarum vacandum ab ora sexta, usque ad septimam cum dimidia, tam intra cursum, quam extra cursum literarum §. eod. » ibid.

5. Immediate post septimam horam cum dimidia, sumendam esse coenam, seu refectionem solitam in diebus jejunii §. eodem. » 589

6. Cuncti Superiores Generales Ordinis, aut familiae in toto Ordine, aut Familia, eos qui tales non fuerint praecedant in actibus communibus, demptis Praelatis, et extra domum meliorem locum obtineant, §. eodem. » ibid.

7. Qui fuerint Ministri Provinciales praecedant eos, qui tales non fuerint intra Provinciam suam §. eod. » ibid.

8. Qui fuerint Ministri Provinciales, Redemptores, Procuratores Generales Curiae Pontificiae, aut Regiae, Ministri Conventuales, Lectores, Secretarii Generales, Praedicato-

res, et ex Patentibus Provincialium, ad Praelaturas eligibiles, ordine, quo nominati sunt, caeteros praecedant dictis qualitatibus minime pollentes §. eod. pag. 589
9. Quod si plures eodem munere functi in eadem Communitate existant, antiquiores in professione minus antiquum praecedant, idque servandum quoad meliorem locum, dum Religiosos e domo exire contigerit, §. eod. » ibid.
10. Ministri Generales gaudeant iis privilegiis, et exemptionibus quibus pollent ex Ordinis constitutionibus S. Theologiae doctores, et actuales Diffinitores Generales, servata tamen, praecedentiae praerogativa §. eod. » ibid.
11. Diffinitores Ordinis, vel Familiae, et Ministri Provinciales gaudeant Lectorum privilegiis in Ordine, Familia, et Provincia respective §. eod. » ibid.
12. Illi qui Art. 8. designantur, qui per novem Annos S. Theologiae Lectores, aut Praedicatores a suis Provinciis assignati exempti sint ab Officiis comunis tabulae, excepto humilitatis Officio, et matutinis media nocte recitandis, exceptis solemnibus, sive classicis §. eod. » ibid.
13. Praedicatores actuales, non modo teneantur ad Conciones ex lege, et moribus statutas in Ordinis Religiosis domibus, verum etiam ad eas, quas Patres Ministri eis assignaverint, qui tamen hac in re prudenter se gerere debent. §. eod. » ibid.
Quas sane reformationes praelaudata Sacra Congregatio Cardinalium approbavit. §. eod. » ibid.
Deinde vero Pontificia auctoritate decretum Sacrae Congregationis confirmatum fuit, illique inviolabilis, perpetuaeque Apostolicae firmitatis robur adjectum, §. 2. » ibid.
Constitutiones hujus Ordinis, auctoritate Apostolica confirmatae, et approbatae cavent, prohibentque fratribus a correptione et poenitentia Regulari ad externum Judicem appellare. Constit. 259. §. 2. » 606
Insuper statuunt ordinem servandum in causis criminalibus, vel cujuscumque alterius conditionis pro recursibus, et appellationibus earumdem causarum a Ministro, seu superiore locali ad Provincialem, a Provinciali ad Diffinitorium Provinciale, ab hoc ad Generalem, et denique ad Diffinitorium Generale cujuscusque respective Familiae, ex duobus, quibus Ordo ipse componitur §. eod. » ibid.
Quae sane Ordinationes consonant decreto edito a particulari Cardinalium Congregatione a Sixto V. deputata, quo interdicitur Fratribus hujus Ordinis recursus ad Romanam curiam absque superiorum licentia, §. eod. pag. 606
In praefatarum attamen dispositionum contemptum inolevit abusus recurrendi ad Urbem, nondum etiam prolato judicio, in prima instantia §. 3. » 607
Ad quod removendum abusum, opportunum S. Sedis remedium, Procurator, et Diffinitorium Generale postularunt, §. eod. » ibid.
Pontifex supra relatas Ordinis Constitutiones, et praelaudatae particularis Congregationis decretum confirmavit, et innovavit §. 4. » ibid.
Insuperque prohibuit quibuscumque Judicibus, et S. R. E. Cardinalium Congregationibus, atque Apostolicae Sedis Nunciis ne Fratrum dicti Ordinis recursus, et appellationes, super cujuscumque causae cognitione admitterent, vel causas ipsas cognosceret. §. eodem. » 608
Nisi prius eis constiterit, praescripto in Constitutionibus, et Decreto Congregationis particularis ordine, cognitas prius, et definitas fuisse §. eod. » ibid.
Ordo hic in binas Familias divisus reperitur, altera nempe inter Hispaniarum Regna, altera videlicet ex Provinciis Italiae, et caeteris Septemtrionalibus constans. Constitut. 265. §. 1. » 616
Penes utramque Familiam servabatur vicissitudo, et alternativa eligendi Ministrum Generalem in Romana Curia degentem, ad sexennium §. eod. » ibid.
Aderatque servata consuetudo, quod si Minister Generalis electus fuisset ex Familia intra Hispaniam, tunc Procurator Generalis ex altera Familia eligeretur, et vicissim §. eod. » ibid.
Inaequalitas autem existebat inter Familias; Procurator Generalis nempe Hispanus voto pollebat in Capitulis Generalibus extra Hispaniam celebratis, et ille qui extra Hispaniam eligebatur, nullum votum habebat in Capitulis in Hispania celebratis §. eod. » ibid.
Sed illius loco, voto pollebat Procurator Generalis alter pro solis Provinciis Hispanis, electus, et Matriti commorans §. eod. » ibid.
Quam inaequalitatem considerans Capitulum Generale celebratum Anno 1759. in Conventu Mediolanensi, statuit, ut in posterum aequalitas inter Familias servari deberet, et quod Procurator Generalis Ordinis cujus-

cumque Familiae habaet votum necessarium in comitiis Generalibus Ordinis, Procurator vero Generalis Familiae, in Familia sua §. 2. pag. 616
Ita ut, quoties Capitulum Generale Familiae celebretur in Hispania, votum necessarium habeat Procurator Generalis Curiae Regiae id est Hispanae §. eod. » ibid.
In Familia vero extra Hispaniam duo esse debeant Procuratores de Familia, unus Curiae Romanae, et alter plurium Provinciarum; Familiam extra Hispaniam componentium §. eod. » ibid.
Et Procurator Generalis Curiae Romanae votum necessarium habere debeat in Capitulo Familiae, minime vero in Capitulis Provincialibus, in quibus jus illud ad Procuratorem Generalem plurium Provinciarum spectabit §. eod. » ibid.
Qui secundus Procurator Generalis eligendus erit a Diffinitorio Generali Familiae §. eod. » ibid.
Ad hoc ut vero Capitulares hae reformationes suum habere possent effectum, Beneplacitum Apostolicum, fuit requisitum §. eod. » ibid.
Pontifex preces Sacrae Congregationi ablegavit Episcoporum, et Regularium negociis praepositae, quae die 1. Febr. 1762. decreto suo, Capitulares reformationes approbavit, et ab universo Ordine servari mandavit §. 3. » ibid.
Hoc vero Sacrae Congregationis Decretum per Apostolicas literas plene probatum, confirmatumque fuit §. 4. » 617

FRATRES ORDINIS SERVORUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis laudibus cumulantur Constitut. 264. §. 2. » 614
Proptereaque dignus est habitus ut Sancta Sedes eundem propensiori charitatis affectu complecteretur §. eod. » 615
A duobus saeculis Professores hujus Ordinis in Confessarios Familiae Pontificiae fuere selecti §. 4. » ibid.
Clemens XIII. officium idem perpetuis futuris temporibus assignavit uni ex Ordine predicto Professori, et in S. Theologia Magistro §. eod. » ibid.
Insuperque concessit, quod Confessarii hujusmodi, in quibuscumque Capitulis, Diffinitoriis, et aliis Comitiis Generalibus, votum, et suffragium activum et passivum habere possent §. 5. pag. 615
Frater Angelus Maria Villimpenta, Bibliothecam ex pecuniis suis peculiaribus coemptam, donavit Monasterio Placentino hujus Ordinis, sub invocatione *della Madonna di Piazza.* Const. 298. §. 1. » 683
Quum vero Bibliotheca ista fuerit ab eodem fundatore de competenti frugifero Capitali ditata, etiam pro librorum futuro augmento, Ordinationes pro recta ipsius Bibliothecae administratione concessit, easque probandas Summo Pontifici proposuit §. eod. » ibid.
Quas sane Ordinationes, Pontifex, Apostolica auctoritate confirmavit, et observari mandavit §. 2. » 685
Vide *Archiepiscopus Genuensis.*

FRATRES REDEMPTIONIS CAPTIVORUM ORDINIS B. M. DE MERCEDE.

Ex Constitutionibus hujus Ordinis, Capitula Provincialia, de triennio in triennium celebrantur die Sabati ante quartam Dominicam post Pascha Resurrectionis Const. 32. §. 1. » 94
Officium Provincialis, tribus praecise annis concluditur a Sabatho, in Sabathum praedictae Dominicae regulariter computandis eod. » ibid.
Capitulum generale celebratur quolibet sexennio in una Civitate Regni Hispaniarum die Sabathi ante Dominicam Pentecostes §. eod. » ibid.
Concurrente die celebrationis Capituli Generalis cum Capitulis Provincialibus, poterat Minister Generalis tunc existens, Capitulum Provinciale, vel per trimestre ante Capituli Generalis celebrationem anticipare, vel ad trimestre, post celebratum Capitulum Generale differre §. eod. » ibid.
Ad damna, et incommoda vitanda, quae ex praedictis antelationibus, vel dilationibus oriebantur, Constitutione hac, ad petitionem Provincialis Provinciae Franciae dilatum fuit ad annum Capitulum Provinciale Provinciae Franciae supradictae, idque observari mandatum, quoties adesset concurrentia celebrationis utriusque Capituli Provincialis, et Generalis §. 2. » ibid.
Quo casu Ministro Provinciali actu exercenti, confirmantur ad annum proximum facultates, praerogativae, honores, et indulta § 3. » ibid.
Indulgentia Plenaria conceditur universis Christifidelibus, qui Ecclesias Fratrum, et Mo-

nialium Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum Excalceatorum visitaverint tertia Dominica, post Pascha Resurrectionis Const. 36. §. 1. pag. 100
Magistris Generalibus hujus Ordinis indultum fuit privilegium, celebrandi per se ipsos Missam unaquaque die, in privato Oratorio domus, ubi eos pro tempore commorari contigisset. Const. 48. §. 1. » 121
Quod sane indultum, ampliatum fuit ex concessione Clementis XII. favore etiam ex-Generalium Ordinis ejusdem §. eod. » ibid.
Tandem idem indultum ampliatum Constitutione hac, qua facultas tributa iisdem Ministro Generali, et ex Generalibus celebrari faciendi Missam in relatis Oratoriis privatis per quemcumque alium Sacerdotem dicti Ordinis §. 2. » 122

G

GERMANICI IMPERII ELECTORES.

Clementi Augusto Archiepiscopo Coloniensi, et S. R. I. Electori, suum dolorem, sollicitudinemque exprimit, ob conceptum timorem secularizzationis nonnullarum Ecclesiarum Germaniae Epist. 41. §. 1. ad fin. » 107
Vide *Elector Coloniensis. Principes Electores S. R. I.*

GRÆCO-MELCHITÆ.

Antiochena Ecclesia Romanae cara semper fuit Constit. 157. §. 1. » 884
S. Innocentius Papa ajebat, Antiochenam Ecclesiam Romanae esse minorem quod illa quidem Petrum Apostolorum Principem in transitu possidere moeruerit, haec vero susceptum apud se, consumatumque gavisa fuerit §. eod. » ibid.
Quam ob causam Romani Pontifices maximopere gavisi sunt ubi venerabiles illius reliquias in Graeco-Melchitis vere Orthodoxis, schismatisque tenebris discussis, reviviscere, et reflorescere conspexerunt, una cum unitate erga Catholicam fidem §. eod. » ibid.

GRATIA.

Vide *Conclavistae. Dapiferi. Cappellani Pontificii. Familiares Pontificii.*

H

HÆBREI.

Benedictus XIV. per Encyclicam directam Episcopis in Poloniae Regnis, memoriae revocat, quae secundum Sacros Canones, et Synodicas Poloniae leges, Haebreis vetita sunt Epist. 145. §. 6. pag. 360
Insuperque Episcoporum vigilantiam excitare studuit, ut verbo, et exemplo docerent, Christianum populum cavere a Judaeorum commerciis, et praecipue ne sinerent, Ecclesias, piasque Domos, pecunias suas Synagogis foenori dare §. eod. » ibid.
Facile enim tunc foret, ut Laici etiam ab hujusmodi usuris a Synagogis percipiendis abstinerent §. eod. » ibid.

HOMICIDÆ.

Omnium praedecessorum Pontificum constitutiones contra homicidas in ditione Ecclesiastica emanatas confirmavit Clemens XII., ut hic habetur in Constit. 139. §. 1. » 343
Inter alia vero de novo in dicta Clementina Constitutione sancita, peculiares adsunt dispositiones ad fori privilegium homicidiariis tollendum §. eod. » 344
In generali hac sanctione, non compraehenduntur Officiales, aliique privilegiati S. Romanae Inquisitionis, nec non Ministri necessarii, et actu inservientes Archiepiscopis, Episcopis, eorumque Curiis §. eod. » ibid.
Caeteri vero privilegiati omnes, quoties Clerici, Ecclesiasticae potestati, sin vero Laici, seculari jurisdictioni subjiciuntur §. eod. » ibid.
Pontifici tantummodo reservatur statuendi quinam, et quot esse debeant viri familiares Archiepiscoporum, Episcoporum, et Ordinariorum, ac Officiales necessarii Curiis Ecclesiasticis, verum et actuale servitium praestantes §. eod. » ibid.
Clerici primae Tonsurae nullum Beneficium Ecclesiasticum obtinentes, tametsi conditiones a Concilio Tridentino praescriptas observaverint, qualenus duo homicidia commiserint animo praemeditato, et deliberato, omni fori, et canonis privilegio privantur, proindeque a laica potestate veniunt judicandi §. eod. » 34
Qui vero ex praefatis Clericis, praescripta a Concilio Tridentino minime servant, non solum eo privantur fori, et canonis privilegio, sed nequeunt ab Episcopis, et Ordinariis repeti, neque dimissum habitum Clericalem reassumere possunt, post expiatam homicidii poenam §. eod. » 34
Episcopo, locorumque Ordinariis spectat declarare an Clericus ante patratum homicidium, requisita a Tridentino servaverit,

non retardata interim delinquentis assecuratione, et retentione, facienda etiam per Judicem Secularem nomine Ecclesiae, et ad illius dispositionem, quousque dicta declaratio prodierit §. eod. pag. 34
Gregorius XIV. Constit. sexto Idus Jun. 1725. laicos animo praemeditato, proximum suum interficientes, ab Ecclesiasticae immunitatis beneficio exclusit §. eod. » 345
Clementis XII., et Gregorii XIV. Constitutiones, confirmavit Benedictus XIV. constitutione altera quarto Kal. Febr. 1734. qua exclusionem ab Ecclesiastica immunitate ad Clericos, et Ecclesiasticos cujuscumque Ordinis, et gradus, pro homicidii crimine, praemeditato animo patrato, extendit in Urbe, et Universa Ditione Summo Pontifici, et Sanctae Sedi mediate, vel immediate subjecta §. eod. » ibid.
Quo tamen casu admissi homicidii causa a Judice Ecclesiastico competenti cognoscenda, ut contra delinquentes, citra poenam sanguinis ad praescriptum Sacrorum Canonum animadvertat condemnatione condigna §. eod. » ibid.
Declaravit insuper Bened. XIV. relata constitutione, exclusionem ab immunitate Ecclesiastica extendendam esse ad Laicos, et Clericos homicidia mandantes, instigantes, operamque quovis modo occisioni praebentes §. eod. » ibid.
Itemque ab immunitate Ecclesiastica exemit tam Laicos, et Ecclesiasticos in Urbe, et in Pontificia ditione, pro homicidio in rixa commisso cum Armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum §. eod. » ibid.
Quod etiam afficere jussit inquisitos, et processatos, vel in contumaciam bannitos, et condemnatos, dummodo homicidium non fuerit causale, vel ad propriam defensionem §. eod. » 346
Peculiares vero normas praescripsit, stricte servandas, pro extractione reorum ab Ecclesiastico asylo; illorum assecuratione, et traditione brachio seculari, in casibus in quibus a Sacris Canonibus permittitur §. eod. » ibid.
Supra relatas sanctiones praelaudatus Benedictus XIV. extendit ex peculiari supplicatione ad Civitates Parmae, Placentiae, Burgi Sancti Domnini, ac loca, terras, castra, et oppida illarum Dioecesum, nec non ad Civitatem Guastallae, cum Territorio specialibus superadditis declarationibus §. eod. » ibid
Easdem ad loca, terras, oppida ditionis temporalis Placentiae in Dioecesi Papiensi existentia extendit Clemens XIII. Constit. hac §. 2. pag. 348

HOSPITALE.

Instrumentum, et pacta, quibus novum in Faventina civitate Hospitale religiosis Ordinis S. Joannis de Deo administrandum traditur, confirmatur, et adprobatur Const. 456. » 935
Refertur tenor praecedentium literarum super erectione hujus novi Hospitalis ibid. § 1. » ibid.
Episcopus Faventinus Hospitale consignat fratribus S. Joannis de Deo, ibid. §. 2. » ibid.
Tenor instrumenti consignationis, ibid, » ibid.
Preces porrectae pro approbatione supralaudati instrumenti, et pactorum in eo contentorum, ibid. §. 3. » 938
Pontifex approbat suppressionem veterum officialium, et contradictoribus perpetuum silentium imponit, ibid. §. 4. » ibid.
Insuperque singulas veterum hospitalium suppressiones, novique erectionem, et dotationem confirmat, ibid. § 5. » ibid.
Tandem omnia, et singula in instrumento contenta approbat, et observari mandat, contrariis non obstantibus, ibid. §. 6. 7. 8. » 939
Hospitale S. Spiritus in Saxia. VIDE *Archihospitale.*
Hospitale S. Jacobi in Augusta. VIDE *Rex Hispaniarum.*
Erectio hospitalis in civitate Leodicensi confirmatur. Constit. 663. » 1417
In fundatoris voluntatis implementum peculiares conventiones conciliatae fuerunt cum religiosis viris S. Joannis de Deo, ibid. §. 2. » 1418
Sequitur tenor conventionum ibid. » ibid.
Preces porrectae pro harum conventionum approbatione, quam Pontifex libenter indulsit, ibid. §. 3. » 1421
Archiconfraternitas Fabrianensis duxit pro meliori pauperum bono hospitale quo pollebat gubernio subjicere ordinis S. Joannis de Deo, nonnullis pactionibus adjectis. Constit. 668. » 1429
Tenor pactionum conventarum, ibid. §. 1. » ibid.
Pontifex autem concessionem approbavit ibid. §. 3. » 1430

HOSPITALE ARIMINENSE.

Vide *Civitas Arimini*.

HOSPITALE S. ERMENEGILDI CIVITATIS ISPALENSIS.

Hospitale, seu Nosocomium hoc a S. R. E. Cardinali de Cerbantes Episcopo Ostiensi,

et in Hispania Apostolicae Sedis Nuntio fundatum, erectum, et ditatum fuit Constit. 262. §. 2. pag. 613
Huic Hospitali quaedam privilegia fuere a Nicolao V. Calisto III. Pio II. Paulo II., et Sixto IV. concessa, quibus deinde pacifice perfruit §. eod. » ibid.
At Clemens VII. alio Hospitali sub invocatione quinque Plagarum in dicta Civitate Ispalensi existenti, non solum ea privilegia, quibus aliud S. Ermenegildi fruebatur communicavit, sed quaedam etiam specialia concessit §. eod. » ibid.
Adeoque Moderatores hujus Hospitalis, postularunt a Pontifice, ut praefata privilegia peculiaria Hospitali quinque Plagarum illi S. Ermenegildi communicare digparetur, §. 3. » ibid.
Cui postulationi omni ex parte obsecundavit Pontifex §. eod. » ibid.

HOSPITALE FAVENTINUM.

Vide *Civitas Faventiae*.

HOSPITALE S. MARIÆ TERRÆ PLEBIS DIOECESIS BONONIENSIS

Canonicus Jacobus Savioli hujus Terrae, sui patrimonii partem ita disposuit, ut per decennium multiplicari deberet, et deinde erigi Orphanotrophium in dicta Terra. Constit. 221. §. 1. » 513
Voluit insuper, ut in dicto Orphanotrophio recipi deberent, ali, et educari sex pueri, usque ad decem octo annorum aetatem, itemque sex puellae usque dum nuberent, vel aetatem annorum viginti duo attingerent § eod. » ibid.
Quibus sic educatis, et retentis, quatenus vel ob tempus finitum, vel ob aliam quamcumque causarum dimittendi essent ab Orphanotrophio, jussit una vice tantum persolvi scuta decem §. eod. » ibid.
At Hospitalis hujus loci Administratores, supplices preces Pontifici porrexerunt ad hoc ut praevia derogatione testamentariae dispositioni Canonici Savioli, ejus bona, loca, erigendi Orphanotrophii, in praedicti Hospitalis subsidium concedere vellet §. 2. » ibid.
Cui postulationi Pontifex, audita prius Sacra Congregatione Concilii, libenter est assentitus, amplo super hac re arbitrio tributo Bononiensi Archiepiscopo §. 3. » ibid.

HOSPITIUM.

Hospitium S. Rosae de Ocopa in Hispania. Vide *Minores de Observantia*.

HOSTIA CONSECRATA.

Ex constit. Innocentii XI. subripientes Hostias consecratas, sive propria malitia, sive alterius ordine, condignis poenis, pro facinoris atrocitate puniebantur, etiam prima vice, cum traditione ad Curiam Secularem Const. 44. §. 2. pag. 112
Alexander VIII, praecedentem Constitutionem Apostolicam confirmavit, et ampliavit, cognitionemque dicti sceleris ad Ordinarios Ecclesiasticos, et Inquisitores contra haereticam pravitatem privative reservavit §. 3. » ibid.
Successiva constitutione Benedicti XIV., praecedentes confirmatae, ampliatae, et declaratae fuerunt §. 4. » 113
At Clemens XIII, non tantum praelaudatas Constitutiones confirmavit, sed addidit, hujusce criminis reis non suffragare plenam, sinceram, et distinctam confessionem in primo interrogatorio, ad poenae minorationem obtinendam § 6. » ibid.
Imo quamlibet poenae minorationem, in hisce Criminibus judicandis, omnino prohibuit, et interdixit §. 7. » 114

HUNGARIÆ REGNUM.

S. Stephani Hungariae Principis commemoratio, et laus. Const. 5. §. 2. » 22
Hungariae Regibus, procedentibus in publicum, ante eos crucem gestat Episcopus, ad ostendendum, Hungaricam Nationem, ejusque Reges, unice gloriari in Cruce Domini Nostri Jesu Christi, §. eod. » 23
Ex antiquo ignoto privilegio, Hungariae Reges, Apostolici titulo appellabantur §. 3. pag. 23. Alloquut. 17. §. 2. » 51
Confirmat, et jubet, ut omnes Hungariae Reges, Apostolici appellentur imposterum. Const. 5. §. 4. » 23
Regnum Hungariae, Romani Pontifices, beneficiis, et honoribus decorarunt. Alloqut. 17. §. 1. » 51
In Natione Hungarica, ejusque Regibus summum semper fuit conservandae Christianae Religionis studium §. eod. » ibid.
Hungarica Gens, Turcarum impetum, non tam moenibus, quam objectu proprii corporis, retardavit, et ab Hungaria depulit, multis magnisque cladibus eos redegendo, ut suis contenti finibus parumper conquiercerent §. eod. » ibid.
Laudes, et gloriae Joannis Hungarorum Ducis, cujus maxima pars in illo contra Turcas memorabili bello §. eod. » ibid.

Commemoratur S. Joannes a Capistrano, qui vitae morumque commendatione apud Hungaros maxima auctoritate florebat, illosque ad Turcicum bellum substinendum humilibus apud Deum precibus adjuvabat, atque sub Crucis vexillo ad pugnam ducebat §. eod. pag. 51
S. Stephanus Dux Hungarorum Regis appellationem obtinuit a Pontifice Silvestro, quia in Hungaricis regionibus, Christi fidem longe, lateque diffusit, et indulsit, ut ante illum, omnes in Regno successores, Sanctissimae Crucis signum praeferretur cum prodirent in publicum §. eod. » ibid.
Ferdinandus I. Romanorum Imperator, et Hungariae Rex commendatur plurimum ob Turcarum impetum depulsum, nullo fere auxilio, a caeteris Germaniae Proceribus obtento §. 4. » 52
Reginae Hungariae, et Bohemiae cultum erga Catholicam fidem commendatur Epist. 119. §. 1. » 318
Iniquas pactiones a Duce Hasso-Cassellano extortas a novo Lantgravio, deleri postulat, Reginaeque Hungariae officium penes electum Imperatorum provocat §. 2. » ibid.

I

JANSENISTÆ.

Jansenistarum insidiosa sunt dogmata, meritoque reprobata. Const. 438. §. 2. » 901
Ab Jansenistis consarcinatus fuit liber nefarius sub titulo » *Assertionum* » ibid. § 7. » 902
Ex Jansenianae sectae praestigiis, et fraudibus repetenda sunt irruentia mala contra Religionem in Galliis. Const. 439. §. 1. » 903
Ab ipsa Janseniana secta derivasse censendum est in clericos Societatis Jesu nefariam proscriptionem. ibid. § 2. » ibid.
Janseniani cum Calvinianis mirifice sunt conjuncti, omniaque contra Ecclesiam moliuntur. ibid, §. 3. » ibid.
De remediis a Sancta Sede paratis adversus impiam Jansenistarum doctrinam pertractat. Const. 443. §. 3. et 4. » 911
Et Constit. 444. § 2. et 3. » 912

JEJUNIUM.

Jejunium, legis, et Prophetarum testimonio commendatum est, a Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum, et ab Ecclesia Catholica perpetuo retentum. Const. 104. §. 1. pag. 295
Per eum ex carnis maceratione, et animae humiliatione ad Dominicae Passionis, Paschaliumque Sacramentorum mysteria paratiores accedimus, et in ejus resurrectione resurgimus, in cujus Passione, deposito veteri homine, sumus commortui §. eod. » ibid.
Iis, quibus ob justas, et legitimas causas, ab abstinentia carnium dispensatum est, non licet in jejunio potiones lacte permixtas sumere §. 2. » ibid.
Tam dispensati a Carnis abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta commextione, in omnibus equiparandi sunt iis, quibus cum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam commextionem possunt carnem, vel quae ex carne originem trahunt adhibere §. eod. » ibid.
Ad peccatorum remissionem obtinendam, praeter Sacramentalem confessionem, plurimum conferunt jejunia, orationes, et eleemosynae §. 3. » ibid.
Episcoporum exempla, et verba plurimum conferunt, ut fideles ad jejunii observantiam revocentur §. 4. » 296
Romano tantum Pontifici spectat jejunium in Ecclesia universali receptum, in alteram diem transferre Epist. 269. § 1. » 621
Quod caeteris missis comprobatur per Encyclicas literas Benedicti XIV. §. eod. » ibid.
Super observantia jejunii peculiares declarationes praebentur pro christifidelibus in Indiis commorantibus, et quae hac de re alias evulgatae fuere Apostolicae Constitutiones memorantur, illarumque observantia praescribitur. Constit. 491 § 1. » 1019
Praeces porrectae ad hoc ut praecedenter evulgatae Constitutiones super jejunii observantia, etiam in Indiarum regionibus ex S. Sedis jussu publici juris fiant. ibid. §. 2. » 1020
Pontifex praecedentes Apostolicas Constitutiones praesentibus inseri jubet, ut una cum hisce legem faciant, ibid. §. 3. » ibid.
Tenor literarum Benedicti XIV. diei 30. Maji 1741. ibid. §. 4. » ibid.
Tenor aliarum literarum ipsius Pontificis diei 22. Augusti 1741. ibid. » 1022
Itemque praelaudati Benedicti XIV. ad diem 8. Julii 1744. ibid. » 1023
Tenor literarum hujus Pontificis die 20. Decembris 1759. ibid. » 1024
Pontifex Archiepiscopis, et Episcopis in Indiis commorantibus praescribit relatarum litera-

rum evulgationem, et observantiam, ibid. §. 4. pag. 1026

Enumerat causas cur dispensatio a jejunio fuerit a S. Sede indulta, et carnium usus permissus, ibid. §. 5. » ibid.

Archiepiscopis, et Episcopis in Indiis commorantibus suadet jejunii observantiam, et relaxatam fortasse hac de re disciplinam pro viribus corrigant. ibid. §. 6. » 1027

Peculiares providentiae imploratae a catholico Rege pro insula Hispaniolae super dispensatione a jejunio ibid. §. 7. » ibid.

Indulgetur peculiaris facultas Episcopo S. Dominici in Hispaniola super petita dispensatione a jejunio, ibid. §. 8. » ibid.

IMAGO.

Vide *Sacrae Imagines*.

IMMUNITAS.

Romani Pontifices semper curarunt, ut et Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum immunitatem, pro debito Divinae Majestatis honore tuerentur, et simul pravis hominum consiliis obsisterent, ne Ecclesiastici confugii praesidio abutentes, publicam privatamque tranquillitatem turbare praesumerent Const. 14. §. 1. » 46

Adeoque plura opportune statuerunt tam super qualitate criminum, quibus Ecclesiasticum asylum nullatenus conveniret tribuendum, quam super forma, et methodo, qua hujusmodi criminum reos ex loco immuni extrahi, et competentibus Judicibus ad poenam tradi, §. eod. » ibid.

Quibus singulis prospexere, vel generalibus editis legibus, vel peculiaribus concessis indultis, prout alia, atque alia ratio, et temporum, et regionum, et morum postulare videbantur §. eod. » ibid.

Hinc Summus Pontifex Clemens XIII quaedam peculiaria circa immunitatem Ecclesiasticam sancivit pro Ditione Comitis Palatini Rheni Const. hac a § 3. ad 10. » 47

Et primo mandatur quod in Civitate Manhemi quaedam sint domus correctionis Ordinarii Ecclesiatici jurisdictioni subjectae, et a laica potestate exemptae §. 3. » ibid.

Deinde vero, ii quibus denegatur immunitatis praesidium, extrahantur a ministris curiae laicalis, praeeunte facultate Auctoritatis Ecclesiasticae in scriptis concedenda § 4. » ibid.

Designantur subinde Ecclesiasticae personae, queis secundum varias urgentias jus erit extrahendi reos a loco immuni, et normae servandae in concedendis licentiis praescribuntur. § 5. pag. 47

Mandatur insuper, ut extractione sequuta, cognoscatur tantum ab Episcopo, utrum crimen ad casum exceptionis pertineat antequam curiae seculari tradatur reus. §. 6. » ibid.

Sub censurarum poena excluduntur a praesentis Constitutionis dispositione personae Ecclesiasticae, quum concessio pro Laicis tantummodo elargita censeri debeat §. 7. » 48

Immunitate Ecclesiastica, minimæ in Sardiniae Regno gaudere statutum est, homicidiarios reos, dummodo non agatur de homicidio casuali, vel cum moderamine inculpatae tutelae. Const. 46. §. 2. » 117

Item incendio quocumque modo operam dantes, atque incendiariis auxilium praebentes §. eod. » ibid.

Publici Latrones, eorumque auxiliatores, dummodo aggressi, perpessi fuerint insultum cum vulnere §. eod. » ibid.

Crassatores in publicis viis, quamvis prima vice, et absque personali offensione crassantes §. eod. » ibid.

Enunciantur Ecclesiastica loca, quae in supra relatis casibus, immunitate Ecclesiastica minime gaudent in iisdem Sardiniae Regnis §. 4. » ibid.

Delinquentibus, qui in loco asyli reperirentur dum haec Pontificia Constitutio evulgatur, praefiniendos esse terminos pro eorumdem translatione ad loca, quae imposterum asyli beneficio gauderent. §. 4. » 118

Ecclesiasticae immunitatis praesidio delictorum impunitatem, Clericos expectare non sinunt Canonicae leges. Epist. 105. §. unic. » 296

Ad Ecclesiasticam spectat immunitatem, causa inter duo Monialium Monasteria vertens, super quaedam Ecclesiae proprietate inter ea vicissim controversa Epist. 121. §. 1. » 319

Vide *Homicidae*.

Romani Pontifices semper cordi habuere ut Ecclesiae immunitas sarcta tecta servetur Constit. 160. §. 2. » 402

Vide *Episcopus Salutiarum. Sardiniae Regnum*.

IMPERATOR ROMANORUM.

Imperatorem hortatur ad hoc ut Lantgravi Hasso Cassellani Primogenitum in sua protectione recipiat, neque patiatur eumdem persequutionem perpeti, ob studium erga Catholicam Religionem. Epist. 45. §. 2. » 116

Enunciatur Imperator Romanorum, tamquam defensor, atque patronus Catholicae Fidei. §. eod. pag 116. Epist. 120. §. 2. pag. 319
Ab Imperatrice electa Maria Theresia auxilium, et officia postulat penes Aulam Constantinopolitanam favore Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia degentium in Civitate Hierosolymitana, qui a Graecis Schismaticis perturbabantur, et a Sacra ejicebantur Cappella, in qua Jesu Christi Sepulcrum asservatur. Epist. 78. §. 1. et 2. » 234
Romanorum imperatori commemorat iniquas Principis Hasso-Cassellani pactiones, queis subscribere, Genitore cogente, debuit, Epist. 120. §. 1. » 318
Electum Imperatorem hortatur, ne iniquas illas pactiones, Genitore defuncto, servari a Principe Hasso-Cassellano permittat. §. 2. » 319

IMPERATOR ROMANORUM.

Imperatori exprimit suum dolorem pro accepto Nuncio, quod in proxime habendis comitiis pro foedere pacis, conentur aliqui, ex Germanicis Ecclesiis ditiora subtrahere patrimonia, ut secularium dominio adjiciantur. Epist. 216. §. 1. » 505
Ideoque Imperatorem hortatur, ne, tamquam Patronus, et Advocatus Germanicarum Ecclesiarum, sinat scindi illustria membra, et nobilissimam portionem, cujus Imperator ipse caput est, mediator, et custos §. eod. » 506
Ut autem eo propensior Imperator suum expleat patrocinium, eidem commemorat erumnas, quas perpetunt Catholici, qui sub haeterodoxis Principibus vivunt. §. 2. » ibid.
Dum de proxima pace conciliranda consolatur, dolet quod Germanieae Ecclesiae nonnullae ab Ecclesiastica dominatione, cui subjiciebantur, ad Acatholicorum Principum dominium, transferri velint. Epist. 317. §. 1. » 714
Demonstratis malis ex hac variatione futuris in Catholicorum Germanicorum perniciem, Imperatorem obsecrat, ne tanta afferri injuria res Ecclesiae sinat in proximo foedere §. 2. » 715
Significat Imperatori dispensationem a se elargitam favore Petri Leopoldi ejusdem filii, ad hoc ut Matrimonium libere contrahere possit cum Maria Ludovica Hispaniarum Infante Epist. 386. §. unic. » 833
Electionem Josephi Austriae Archiducis in Regem Romanorum futurum Imperatorem enunciat Cardinalibus in Consistorio coadunatis, literasque hac super re acceptas tam a noviter electo, quam ab Imperatore illius Patre. Alloq. 413. §. 1. pag. 868
Refertur tenor literae Francisci Imperatoris §. eod. » ibid.
Itemque alterius Archiducis Josephi noviter electi §. eod. » 869
De hac sequuta electione gratulatur Pontifex, gratiarumque actiones Deo redditurum praenunciat Collegio Cardinalium §. 2. » ibid.
Agit de contemporaneis literis in forma Brevis expeditis hac super ipsa electione, ad Sanctae Sedis jura sarcta tecta servanda § 3. » 870
Memorat supra relatum Consistorium habitum super electione Regis Romanorum futuri Imperatoris. Constit. 414. §. 1. » ibid.
Protestatur Pontifex, novam hanc electionem, haud approbatam censeri debere, nisi prius de ea re, assuetae Literae Consistoriales requisitae, et concessae de more fuerint. §. 2. » ibid.
Adeoque declarat, nullum nocumentum Apostolicae Sedis juribus illatum censeri debere, per quemcumque actum, vel publicum, vel privatum §. 3. » 871
Vide *Episcopus Pientinus*.

IMPERATRIX REGINA ROMANORUM.

Imperatricis Reginae auxilium postulat Pontifex ad submovenda dissidia, quae orta erant inter Archiepiscopum Coloniensem et Clerum Kerpensem. Const. 171. §. 3. » 425
De navali Turcarum apparatu contra Melitensem Insulam, et Equites Hieresolymitanos, certiorem facit Imperatricem Reginam. Epist. 201. §. 1. » 473
Ejusdem Imperatricis Reginae laudat Religionem, ejusque auxilium pro Melitensi Ordine, proque Catholica fide contra Turcas requirit. §. 2. » 474
Vigebat ab immemorabili tum in Hungaria, tum in Bohemia consuetudo nuncupandi Reges in Canone Missae. Const. 209. §. 2. » 495
Apostolica Sedes numquam improbavit antiquissimos usus, commendandi Reges in praecibus, eorumque nominibus appellandi in Canone Missae, dummodo spiritum unitatis in vinculo pacis cum Ecclesia Romana servarent. §. 3. » ibid.
Hinc consuetudinem recitandi in Canone Missae nomen Mariae Theresiae tam in Hungaria, quam in Bohemia, confirmavit Clemens XIII. et ad caeteras Austriacas ditiones ampliavit, etiam pro praelaudatae Mariae Theresiae Conjuge §. 4. » ibid.

Quod sane privilegium extendit ad successores cunctos legitimos in ditionibus ipsius, dummodo sint sacra Ecclesiae unctione inaugurati §. 5. pag. 496
Preces ad Deum fundit Pontifex, pro Austriacae Domus prosperitate, in Romanae Ecclesiae utilitatem, et defensionem §. 6. » ibid.
Ab Apostolis ipsis comendatas fuisse preces, et Orationes pro Regibus, et Principibus in Sanctae Missae sacrificio, participat Pontifex universis per Hungariae, Bohemiae, et Austriacae Domus ditiones, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ordinariis. Constit. 210. §. 1. » ibid.
Eisdem participat postulationes factas pro approbatione consuetudinis nominandi in Missa, Hungariae, Bohemiaeque Reges, et Austriacae Domus Dinastes in aliis regionibus. §. 2. » ibid.
Apostolicarum literarum exequutio, quibus indultum supra expressum conceditur, committitur singulis Episcopis, caeterisque Ordinariis in praefatis Ditionibus existentibus §. 3. » 497
Quantum Pontificis cordi constantissime fuerint Germanicarum Ecclesiarum libertates, et jura, commemorat Imperatrici Reginae. Epist. 218. §. 1. » 507
Suum significat dolorem pro imminentibus periculis Germanicis Ecclesiis, in proxime habendis comitiis Augustae Vindeliciorum pro pace firmanda, cum ipsarum Ecclesiarum jactura §. 2. » ibid.
Imperatricem obsecrat, ut in Augustanis comitiis Ecclesiarum, et Apostolicae Sedis partes agat, ex quo optima erit pax, et Germanicis rebus stabile fundamentum §. 3. » ibid.
Laudes Imperatrici Reginae dirigit, suumque desiderium eidem gratificandi. Epist. 274. §. 1. » 627
Mantuanae Ecclesiae praefecisse virum Majestati suae addictum, et ab eadem jam ad aliam Sedem commendatum significat §. 2. » ibid.
Qua fuerit ratione motus ad providendam Mantuanam Ecclesiam declarat, animumque alienum habuisse detrahendi juribus, si quae essent Majestatis suae §. 3. » 628
Adeoque confirmat, ex hac Ecclesiae Mantuanae provisione, nullum allatum praejudicium censeri debere praecitatis praetensis juribus §. 4. » ibid.
Quantum prae bello deterior illa sit pax demonstrat, qua vulnus infertur Ecclesiasticis juribus, et Christianorum Bono. Epist. 318 §. 1. pag. 715
Imperatricis Reginae patrocinium pro periclitantibus Germanicis Ecclesiis requirit, et futurum ab illius Religione expectat. §. 2. » 716
Matrimonium Petri Leopoldi Archiducis Austriae commendat, atque Imperatricem certiorem facit de dispensatione a se elargita, ut illud libere celebrare possit cum Maria Ludovica Hispaniarum Infante. Epist. 385. § unic. » 833

INDULGENTIAE.

Indulgentiam plenariam impertitur pro reis ad ultimum supplicium ducendis, qui vel deosculaverint imaginem Jesu Christi Crucefixi, iisdem porrigendam a Confratribus vulgo *delli Bianchi* in Civitate Neapolitana, vel Santissimum Jesu Christi nomen ore, et corde, in ultimo anhelitu invocaverint Const. 21 §. 3. » 64
Indulgentiarum, remissionum peccatorum, et relaxationum poenarum participes fieri nullo modo possunt, qui obsequium, et obedientiam Pontificum Constitutionibus denegant. Const. 29. §. 3. » 90
Indulgentia plenaria conceditur Universis Christifidelibus, qui Ecclesias Fratrum, et Monialium Ordinis B. M. de Mercede, Redemptionis captivorum Excalceatorum visitaverint, tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Const. 36. §. 1. » 100
Spiritualibus indulgentiis loca sacra decorantur, ut fidelium defunctorum animae illis adjutae, ab Purgatorii poenis liberentur Const. 99. §. 1. » 286
Indulgentia plenaria elargitur singulis Christifidelibus confessis, et Sacra Communione refectis, visitantibus Ecclesias Clericorum Regularium Ministrantium Infirmorum, diebus Dominicis, et aliis festivis de praecepto, in quibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in illis exponitur. Constit. 122. §. 1. » 320
Quae sane indulgentia applicabilis est animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii §. eod. » ibid.
Universis Christifidelibus visitantibus Ecclesias S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, Dominica immediate sequenti diem vigesimam primam Augusti, a primis Vesperis, usque ad occasum solis, confessis,

et S. Comunione refectis, conceditur Indulgentia plenaria ad septennium Constit. 186. §. unic. pag. 449

Vide. *Confraternitas Boni Consilii. Minores Cappuccini Minores S. Francisci Conventuales. Fratres Ordinis S. Dominici Praedicatores.*

Indulgentia plenaria concessa fuit christifidelibus utriusque sexus visitantibus ecclesias Fratrum Ordinis Minorum S Francisci Conventualium, qualibet feria sexta mensis Martii, itemque temporaria centum dierum pro iis, qui easdem ecclesias visitaverint qualibet feria sexta totius anni. Const. 449. » 920

Indulgentia plenaria pro Religiosis, et Monialibus Fratrum Eremitarum S. Augustini discalceatorum conceditur, qualibet die anniversariorum, qui in eodem Ordine statutis diebus celebrari solent, tum pro Fratribus, et Monialibus defunctis, tum pro eorum parentibus et consanguineis, tum denique pro benefactoribus. Const. 462. » 932

Indulgentia plenaria conceditur cunctis utriusque sexus christifidelibus pro una vice tantum quolibet anno, qui confessi, et sacra refectione refecti hora eis assignata, rosarium Beatae Mariae Virginis devote recitaverint. Constitut. 500. » 1033

Eadem indulgentia per quadraginta dies conceditur Religiosis utriusque sexus Ordinis Fratrum Praedicatorum, qui una vice singulis annis pie incubuerint exercitationi spiritualium exercitationum. Constit. 501. » 1034

Peculiares indulgentiae conceduntur pro Religiosis utriusque sexus Ordinis Fratrum Praedicatorum, nec non singulis aliis christifidelibus, occasione anniversariorum in ecclesiis hujus Ordinis celebrari solitorum. Const. 502. » 1035

Plurimis indulgentiis donatis Ecclesiae S. Mariae ad Martyres de Urbe, alias recipit ex benignitate Pontificis. Const. 517 » 1048

Enumerantur munificentiae praedecessorum Pontificum favore hujus ecclesiae ib §. 2. » ibid.

Quae tamen munificentiae, et gratiae temporis lapsu memoria excidere ex monumentorum deperitione ib §. 3. » 1049

Pontifex hinc audita Sacra Congregatione Indulgentiis, et Sacris Reliquiis praeposita veterum gratiarum confirmationi, novarumque concessioni, pium designat desiderium. ib. §. 4. » ibid.

Enumerantur peculiares, quae conceduntur indulgentiae. ib § 5. » ibid.

Extenditur huic Ecclesiae indulgentia septem altarium, nec non stationum, sed pro capitulo tantum. ib. § 6. pag. 1050

Nonnullae aliae indulgentiae enumerantur. ib. §. 7. » ibid.

Confirmantur quamplurima alia indulta praedecessorum Pontificum pro peculiaribus altaribus hujus templi. ib §. 8. » ibid.

Enumerantur indulgentiae tam plenariae, quam temporaneae concessae societati Jesu. Const. 558. » 1108

Peculiares indulgentiae conceduntur scolaribus praefatae Societatis in utraque India. Ibid. §. 2. » 1109

Extenduntur, et enucleantur indulgentiae pro singulis in India degentibus, utriusque sexus christifidelibus. ibid. §. 3. » ibid.

Plurimae indulgentiae concessae fuerunt congregationi Matronarum, et Virginum illustrium sub denominatione S. Elisabeth. Const. 573. §. 5. » 1132

Confraternitati S. Syri, et Liberae in civitate Veronae nonnullae indulgentiae plenariae concessae fuerunt. Cons. 602. » 1163

Indulgentia plenaria concessa fuit singulis christifidelibus visitantibus, quamcumque ecclesiam Clericorum regularium Societatis Jesu, die 5. Februarii cujuscumque anni. Cons. 612. » 1298

Indulgentiae elargitae in sanctificatione B. Josephi Calasantio, habentur in Constitutum 619. » 1344

Indulgentia plenaria elargitur omnibus christifidelibus visitantibus aliquam Ecclesiam Fratrum Ordinis Praedicatorum confessis, et sacra communione refectis, aliqua feria sexta ex septem praecedentibus festum S. Vincentii Ferrerii, in reliquis autem feriis sextis, indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum. Constit. 621. » 1353

Indulgentia plenaria indulgetur ut supra visitantibus aliquam ecclesiam Ordinis Praedicatorum una ex quindecim feriis tertiis institutis in honorem S. Dominici auctoris Rosarii B. M. Virginis. Const 622. » 1354

Indulgentia plenaria elargitur christifidelibus visitantibus ecclesiam Fratrum ordinis S. Francisci Conventualium die 18. Septembris cujuscunque anni. Const. 647. » 1387

Universale jubilaeum indictum pro totius Status Ecclesiastici christifidelibus, remissionem importat omnium peccatorum servatis iis, quae in pontificia Constitutione praescripta sunt. Const. 671. » 1433

INDULTUM.

Indulta conferendi Ecclesiastica Beneficia in Mensibus Apostolicae Sedi reservatis vacantia, sive quibuscumque canonicis causis eidem Sedi affecta, solis S. R. E. Cardinalibus sive in suis titulis, sive Episcopatibus, atque Antistitibus S. R. I. Principibus Electoribus tribuitur. Const. 112. §. 1. pag. 301

Vide *Dapiferi*.

INSULA CORSICÆ.

Ad prospiciendum Dioecesibus Aleriensi, Marianensi, Acciensi, et Nebiensi positis in Insula Corsicae, et magna ex parte a suis disjuncta Pastoribus, Visitatorem Apostolicam ex Urbe misit Clemens XIII. Constitut. 89. pag. 254. Alloquut. 141. pag. 350. Epist. 143. pag. 353. Const. 144. § 1. » 355

Siquidem in vivis adhuc degente Benedicto XIV. Genuensis Reipublicae Dux, et Gubernatores, nec non plures Episcopi Corsicae, eumdem certiorem fecerunt, in Insula illa mores esse depravatos, Ecclesiarum disciplinam collapsam, sacra violata, deficere Sacrorum administros, insanasque invectas opiniones Epist. 143. §. 2. » 353

Id ipsum autem iteratis precibus significatum fuit Clementi XIII. Epist. eod. » ibid.

Hinc, decreta Apostolici Visitatoris missione in Insulam, eidem mandata tributa fuere, ut ad ea prospiceret tantummodo, quae spiritualem illarum Ovium salutem tangebant, nulla habita cura de iis, quae motus, turbasque exortas in Insula respicerent. Alloquut. 114. §. 4. pag. 324. Epist. 143. §. 3. » ibid.

At Genuensis Reipublicae Moderatores, cognita vix Apostolici Visitatoris deputatione, injuriosum evulgarunt edictum, pro laudato Visitatore capiendo, subditisque Insulae Corsicae ab obedientia Visitatoris mandatis subtrahendis Alloquut. 141. §. 4. pag. 351. Alloquut. 143. §. 4. » 354

Quod ut removeret scandalum, Pontifex Cardinalium requisivit consilium in scriptis a cuilibet tradendum Alloquut. 141. §. 5. » ibid.

Deinde vero Apostolicis evulgatis Litteris edictum illud, tamquam irritum, invalidum, injustum, iniquum renunciavit, et a nemine observari debere mandavit Const. 144. §. 4. » 356

Pariterque irritavit, et invalidavit quaecumque acta in praejudicium Ecclesiasticae immunitatis, et Apostolici Delegati praecedenter gesta, et patrata §. 5. pag. 356

JUBILÆUM.

De Jubilaeo Universali agit in publico Consistorio. Alloquut. 7. » 26

Jubilaeum Universale principio sui Pontificatus indicit Const. 8. §. 1. ad 10. » 27

Pro Jubilaeo ipso assequendo, quid praestare debeant in Urbe existentes §. 2. » 28

Quid extra Urbem commorantes §. 3. » ibid.

Quid Itinerantes, et Navigantes §. 4. » ibid.

Quid Regulares, et legitime impediti §. 5. » ibid.

Facultates Confessariis indultae §. 6. » ibid.

JUDICES CONSERVATORES.

Missionarii Regulares ad Regnum Tonkini missi ad propagandam Christi Religionem, sub obtentu conservandorum privilegiorum eisdem ab Apostolica Sede concessorum, Conservatores Judices, contra Apostolicarum Constitutionum spiritum sibi elegerunt. Const. 277. §. 3. » 633

Taliter autem ii audaciam porrexerunt, ut veriti minime sint, contra Apostolicos Vicarios ibidem degentes, cum Christiani nominis dedecore, gravique illarum Ecclesiarum perturbatione, excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias ferre §. eod. » 634

Ad quae removenda scandala, Pontifex gravis hujus materiae examen Sacrae Congregationi de Propaganda Fide ablegavit, ut deinde, quid foret, Pontificia sua auctoritate decerneret §. 4. » ibid.

A qua Sacra Congregatione declaratum fuit, ad tramites Apostolicarum Constitutionum, quod denegata Regularibus, vel dilata facultas excipiendi confessiones, sufficiens causa non sit eligendi sibi Conservatorem §. eod. » ibid.

Adeoque, qui ea de causa sibi Conservatorem elegisset, incideret in excomunicationem ad formam *Cap. final. de Off. et potest. Jud. Deleg. in* 6. §. eod. » ibid.

Insuperque Conservator sic electus a Conservatoris nomine, et officio se se abstinere deberet sub poena suspensionis, ipso facto incurrendae § eod. » ibid.

Nec non sub nullitate omnium actorum ab eo factorum, et deinceps faciendorum §. eod. » ibid.

Quas sane relatas resolutiones Sacra Congregatio jussit, Missionariis comunicari, eosque monendos de animarum salute unice curanda, dissidiisque eliminandis, sub poe-

na privationis omnium privilegiorum eisdem praecedenter concessorum §. eod. pag. 634
Haec tamen omnia, licet fuerint Pontificia auctoritate confirmata, attamen scandala minime cessarunt, imo graviora etiam mala obvenere §. 5. » ibid.
Quibus ut occurreret S. Congregatio Propagandae Fidei die 8. Maji 1762. decrevit, superiores Regulares temporarios nullibi, et nullo casu posse eligi in Conservatores; in partibus vero infidelium expedire, ut Judices Conservatores omnino non eligantur §. eod. » ibid.
Pontifex in hujus resolutionis sequelam, et inhaerendo Constitutionibus Bonifacii VIII. Gregorii XV. et Innocentii X. qui limites, atque modum hujusmodi Judicibus Conservatoribus imposuerunt, supra relatum Congregationis de Propaganda Fide decretum approbavit §. 6. » 635
Insuperque particularem Congregationem deputavit, de cujus consilio, praefatas praedecessorum Constitutiones, quoad Judices Conservatores confirmavit, et innovavit §. 7. » ibid.
Et declaravit insuper, non licere Regularibus cujuscumque Ordinis, etiam speciali mentione dignis, et quibuscumque in locis. Judices Conservatores eligere Superiores Regulares temporaneos, et non perpetuos, tam proprii, quam alterius Ordinis §. 8. » ibid.
Tandem Religiosis in Missionibus in partibus infidelium existentibus, expresse prohibuit, ne privilegio sibi eligendi Judices Conservatores, ullo modo perfrui liceat §. 9. » ibid.
Sed ad suorum privilegiorum conservationem, quatenus in iis eos deturbari contingat, Apostolicae Sedis Judicium, opportunumque remedium praestolari debeant §. eod. » ibid.

JUDICES ECCLESIASTICI.

Judices ecclesiastici dirimere debent causas decimarum, exclusis penitus judicibus laicis. Const. 425. §. 2. » 885
Hac de causa Regii Poloniae, Principis e Ducibus Saxoniae requisita officia penes Bavariae Ducem, ne causa decimarum Collegii Neoburgensis Societatis Jesu traheretur ad seculare forum Const. 506. » 1040
Statuitur qualis esse debeat consuetudo, cujus vigore curiae ecclesiasticae judicium ferre possint in causis criminalibus laicorum in ditione Pontificia Const. 563. » 1116
Servanda est consuetudo cumulativae ecclesiasticae jurisdictionis, quatenus legitime constituta sit. ibid. §. 4. pag. 1117
Decernitur quaenam habenda sit consuetudo legitime constituta 65. » ibid.
Praesul Vicesgerens Urbis judex privatus est in causis passivis neophitorum. Const. 605. » 1166

JUSPATRONATUS.

Praelati Regulares, ubi habent purum Juspatronatum Parochiarum acquisitum, vel cessum a Laicis quibus in hoc succedunt, tenentur Episcopo praesentare Sacerdotes seculares, ut antea Laici tenebantur, non possunt autem substituere Monachos, eosque pro libitu absque Episcopi assensu removere. Const 26. §. 5. et 6. » 80

JUSTINUS FÆBRONIUS.

Librum scripsit de Statu Ecclesiae, et legitima Romani Pontificis potestate, plurimis summorum Pontificum Constitutionibus ubique proscriptum. Const. 420. » 879
Merito quoque proscriptus fuit a Poloniae Principibus Ducibus Saxoniae pro diaecesibus Frisingensi, et Ratisponensi Constit. 427. » 887
Praecepta fuit illius proscriptio etiam Episcopo Basilicensi pro illius diaecesi: Constit. 434. » 895
Laudatur Episcopus Herbipolensis, qui librum hujusmodi improbavit. Cons. 453. » 933
Coloniensem Universitatem commendat Pontifex pro evulgato judicio contra librum Justini Faebronii. Const. 442. » 1028

L

S. LAURENTIUS JUSTINIANI.

Officium, et Missam sub ritu semiduplicis in honorem S. Laurentii Justiniani, indulsit facultative Innocentius XII, illudque ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, celebrari sub eodem ritu, die 5. Septembris cujuscumque anni praecepit Clemens XIII. Decreto 85. » 245

LIBRI.

Ne libri extrahantur ex Bibliotheca Accademiae Civitatis Posnaniae, sub excommunicationis latae sententiae poena prohibuit Const. 117. §. 1. » 316
A qua excommunicatione, neminem, nisi Romanum Pontificem, excepto mortis articulo, absolvere posse jubetur. § eod. » ibid.
Vide *Prohibitio Librorum*.

LIBRI QUOAD EORUM PROSCRIPTIONEM.

Inter libros proscriptione dignos enumeratur nefarius liber Justini Faebronii de statu Ecclesiae, et legitima Romani Pontificis Potestate. Const. 420. pag. 879
Et Constit. 427 §. 2. » 887
Et Const. 434. §. 1. 2. » 895
Item et liber cui titulus « Assertionum » utpote plurimis fallaciis consarcinatus, et dolis. Const. 423. §. 4. » 888
Nefarius hic liber non sine magno omnium bonorum scandalo laudatus in pastorali instructione Episcopi Andegaviensis est iterum damnatus, praecipiturque eidem Episcopo ut suam pastoralem instructionem retractaret Const. 435. » 996
Post proscriptionem librorum latam a Sancta Sede, nequeunt Episcopi proscriptos libros laudare ibid. §. 3. » ibid.
Jansenistarum insidiosa sunt dogmata, meritoque reprobata. Const. 438. §. 2. » 901
Ab Jansenistis consarcinatus fuit liber nefarius « Assertionum » ibid. §. 7. » 902
Vide Jansenistae.
Liber « Ultrajecti » aeditum anno 1764. in quo referuntur acta, et decreta Synodi Ultrajectensis, proscriptus fuit Const. 465. » 950

LOCA SANCTA PALESTINÆ.

Summi Pontificis sedulitas postulat, ut sollicitudinis vigilantia incumbat ad sacra ea monumenta, tanti, et tam salutaris mysterii, quae in Civitate Hierusalem, locisque vicinis sunt. Constit. 213. §. 1. » 503
Attamen tractu temporis factum fuit, quod Ecclesiae, et alia Loca Pia in Civitate Hierusalem, et aliis locis Terrae Sanctae existentia, fere diruta essent, existentia vero, multo aere alieno gravata, ob impiam Turcarum, Haereticorum, et Schismaticorum tyrannidem §. 2. » ibid.
Cui, ut aliqua medela tribueretur, Urbanus VIII. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, Ordinum, Congregationum, et Regularium Institutorum Generalibus commisit, ut saltem duabus vicibus quolibet anno, in publicis Praedicationibus, et functionibus, necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum populo commendare facerent §. eod. » ibid.
Cui Urbanae Constitutioni, singuli deinde qui successere Pontifices, confirmationis robur addidere §. 3. pag. 503
Eam confirmavit Clemens XIII. addito Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis onere referendi de implemento Urbanae Constitutionis, dum ad exhibendum statum respectivarum Dioecesum, ad limina Apostolorum accedent §. 4. » ibid.

M

MAGISTRÆ PIÆ.

Magistrarum Piarum institutio, pro Puellarum instructione, maximam attulit utilitatem. Constit. 164. §. 1. » 407
Hanc Societatem prius in sua Dioecesi Montis Falisci invexit Cl. Mem Cardinalis Barbadigus unde in alias subinde viciniores diffundi coepit §. 2. » ibid.
Clemens XI. Societatem ipsam ad Urbem Romam vocavit pro Adolescentulis in studiis, et timore Dei erudiendis, constituta annua certa stipe per Pontificium Eleemosynarium persolvenda §. eod. » ibid.
Ut pium hocce Institutum, magis in suo proficeret proposito, leges nonnullae conditae, quibus in officio, et obedientia Magistrae Piae facilius continerentur § 3. » ibid.
Quae sanae regulae quum fuerint tractu temporis corruptae, novis superadditis, iterum fuere publici juris factae, et sunt quae sequuntur §. 4. » ibid.
I. Quomodo Magistrae eligendae sint, et quo tempore ad habitus assumptionem admittantur §. eod. » 408
II. Quid a noviter electis faciendum sit, ab earum electione ad habitus assumptionem §. eodem. » ibid.
III. Quid conferre debeant Magistrae in Comunitate, et ratio habenda de dote, ejusque fructibus, quoties ab noviter electis conferantur §. eod. » 409
IV. Magistrarum praefinitur numerus, et convictus inter eas ratio habetur §. eod. » ibid.
V. De habitu a Magistris in Comunitate gerendo, et modo quoties aliquas ex ipsis discedere a Comunitate dicta contigerit §. eod. » ibid.
VI. De victu a Magistris in Comunitate obtinendo §. eod. » ibid.
VII. Peculiare tempus operibus, et quieti assignatur §. eod. » ibid.
VIII. Itemque tempus pro spiritus recreatione §. eod. » ibid.

IX. Designantur dies quibus permittitur egressus e comuni domo §. eod. pag. 410
X. Quantum intersit Magistras spiritualibus exercitiis in virtute proficere § eod. » ibid.
XI. De peculiari virtute, cui mense quovis incumbere debent §. eod. » ibid.
XII. Semel in mense peculiariter Orationi incumbere debent, et quolibet Anno per Octendium spiritualibus exercitiis vacare §. eod. » ibid.
XIII De Oratione comuniter quotidie explenda § eod. » ibid.
XIV. In proprii muneris exercitio, animum ad Deum convertere debent §. eod. » ibid.
XV. Singulis Dominicis diebus, Festisque de praecepto, et solemnioribus praesertim, ad SS. Eucharistiam suscipiendam disponantur, id permittente spirituali directore §. eod. » ibid.
XVI. Conscientiae examen habere quotidie debent ante somnum §. eod. » ibid.
XVII. Quotidie in spiritualium librorum lectura, per aliquod temporis vacare tenentur §. eodem. » ibid.
XVIII. Regulae habendae circa silentium §. eod. » ibid
XIX Tempore mensae, lectioni spirituali incumbere debent, in domibus ubi saltem tres commorantur § eod. » 411
XX. Quotidiae Beatae Virginis Rosarium recitare tenentur, una cum puellis addiscentibus §. eod. » ibid.
XXI. De pietatis actibus exercendis qualibet feria sexta, et in vigilis festivitatum Beatae Virginis §. eod. » ibid.
XXII. De abstinentia a carnibus qualibet die Mercurii, et ab Ovibus diebus Sabathi §. eod. » ibid.
XXIII Missam singulis diebus, quamvis ferialibus audire tenentur §. eod. » ibid.
XXIV. Egredientes e domo, plausibili comitatu, et modestia incedere debent § eod. » ibid.
XXV. Quomodo se gerere debent in scholarum exercitio §. eod. » ibid.
XXVI. Ne admittantur viri in earum domibus, et quid si necessitate ad id compellantur §. eod. » ibid.
XXVII. De methodo habenda cum confessario, quoties necessitate suadente, ad domum earum illum accedere contingat §. eod. » ibid.
XXVIII. Ne confsesarii praeter necessitatem ad Magistrarum domum accedant. §. eod. » ibid.
XXIX Quomodo se gerere debeant, quoties discipulas in earum domibus ab illis visitari contigerit § eod. pag. 411
XXX In omnibus operibus modestiae praecipue consulere debent §. eod. » ibid.
XXXI. Semper idem ordo in scholis servandus est §. eod. » ibid.
XXXII. Magistrae, mutua invicem unione, et charitate vivere tenentur §. eod. » 412
XXXIII. Superiorissa cunctis prospicere debet Magistrarum indigentiis § eod. » ibid.
XXXIV. De methodo habenda quoties Magistrae ab una ad aliam Scholam accedant, legitima approbatione intercedente §. eod » ibid.
XXXV. Superiorissae, et Directorio in omnibus operibus, obedientes se praebere debent § eod. » ibid.
XXXVI. A quacumque mundana affectione proprium animum avertere tenentur. § eod. » ibid.
XXXVII. Quomodo se gerere debeant quoties ab una Schola ad aliam mittantur. §. eodem. » ibid.
XXXVIII. A strenis accipiendis se debent abstinere, acceptas vero superioribus tradere, pro illius arbitrio erogandas §. eod. » ibid.
XXXIX. Sanctiones poenales contra inobservantes hasce regulas §. eod. » ibid.
XL. Quid agendum erga Magistras quoties e propriis domibus, eas egredi contigerit §. eod. » ibid.
XLI. De suffragiis praebendis Magistris post eorum obitum §. eod. » ibid.
XLII. Recensentur capita, quibus singulas discipulas edocere tenentur § eod. » 413
XLIII. Praefinitur tempus quotidianae instructionis in scholis § eod. » ibid.
XLIV. De pravis discipulis ejiciendis §. eod. » ibid.
XLV. De discipularum correctione §. eod. » ibid.
XLVI. Qualibet die Sabathi, harum regularum reiteranda est lectura. § eod. » ibid.
XLVII. Magistrae praesentibus regulis inobedientes, ejiciendae sunt e domibus § eod. » ibid.
Peculiares recensentur regulae observandae pro scholis in alma Urbe institutis
1. De Superiorissa Generali in illis habenda §. eod. » ibid.
2. Generalis Superiorissa quolibet triennio eligenda est §. eod. » ibid.
3. Dandae sunt Soperiorissae tres Magistrae Consultrices §. eodem » 414
4. Quomodo se gerere debeat Superiorissa Generalis in admittendis Magistris, et educandis §. eod. » ibid.
5. Quolibet Mense habendus congressus.

Superiorissae Generalis cum Consultricibus et directore §. eod. pag. 414
6. Superiorissa bis in Mense unam, et alteram scholam visitare tenetur. § eod. » ibid.
7. De libro introitus, et exitus a Superiorissa retinendo pro singulis scholis. §. eod. » ibid.
8. De muneribus favore peculiarium scholarum, et scholae generalis factis, erogandis §. eod. » ibid.
9. De erogatione operum à singulis Magistris confectorum §. eod. » ibid.
10. Die Sabathi Magistrae, ad nullum conficiendum opus compellantur §. eod. » ibid.
11. Singulae Magistrae qualibet vacationis die, ad scholam majorem convenire tenentur. §. eod. » ibid.
12. Quid de Magistris, quae in majori schola egrotantur § eod. » ibid.
13. De pietatis officiis in communi habendis quolibet die festo, vel vacationis, in majori schola §. eod. » ibid.
14. De peculiaribus Confessariis, et Directoribus, singulis Magistris, a Scholarum Directore indulgendis §. eod. » ibid.
Supra relatas regulas, Apostolica auctoritate. Clemens XIII. approbavit, confirmavit, et exequi mandavit §. 5. » 415

MARCHIO BADENSIS.

Episcopus Spirensis impediebatur ab Abbate Tennebacensi Ordinis Cisterciensis, quóminus jurisdictionem suam exerceret in Sanctimoniales Lictenthalii, ejusdem Ordinis Cisterciensis Epist. 222. §. 1. » 514
Ad quas dissentiones amovendas Spirensis Episcopus, Apostolicae Sedis imploravit auxilium §. eod. » ibid.
Pontifex Marchioni Badensi talium dissidiorum existentiam significavit, quippe quia Lithenthalii Monasterium a Badensi Familia fuit dotatum et in illius ditione positum §. eod. » ibid.
Eique Ecclesiasticam commemorat disciplinam quoad Episcoporum, et Regularium jurisdictionem in Monialium Monasteriis §. 2. » ibid.
Ad cujus normam postulat a Marchione ut concordia, et pax inter Episcopum, et Abbatem sanciatur, litium parcatur sumptibus, scandala vitentur §. eod. » ibid.
Tandem Marchioni Badensi plenitudinem Divinae gratiae implorat §. 3. » ibid.
Suum desiderium gratificandi, Marchioni exprimit Pontifex, ubi se praebeat occasio. Epistol. 331. §. 1. » 704
Futura exponit pericula obventura Religioni, quoties ex Masculinae sobolis defectu, Badensis ditio, ad aliam lineam Acatholicam deferatur §. 2. pag. 704
Consilia praebet, et futura promittit pro conservanda Catholica Religione in Badensi ditione §. 3. » ibid.

MATRIMONIUM INTER CATHOLICOS, ET ACATHOLICOS.

Catholica Ecclesia semper abhorruit a Matrimoniis inter Catholicos, et Acatholicos. Epist. 387. §. 1. » 834
Mater siquidem Acatholica semper soboli suae, propriae Religionis praecepta insinuare curabit §. 2. » ibid.
Majora autem damna Religioni obventura sunt ex Paterna auctoritate, si is alicui sectae addictus sit §. 3. » ibid.
Adeoque omnis Catholicorum sollicitudo semper adhibita, ad haec impedienda Matrimonia §. 4. » ibid.

MILITES B. M. DE MONTESA

Conventus B. M. de Montesa in Valentia, ubi Milites degebant, ab terremotu anni 1748. fuit omnimode eversus Const. 43. §. 1. » 109
Ex quo factum fuit, quod Milites ipsi, Regium Palatium inhabitare debuerint in Civitate Valentiae situm, nuncupatum *Del Temple* ad Militiam praefatam spectans, donec vel pristinus Conventus reficeretur, vel alius de novo construeretur. §. eod. » ibid.
Munus Prioris Palatii *del Temple* suppressum fuit, et cuncta ad munus idem spectantia, Priori addicta Fratrum ex Conventu de Montesa, nuper in Palatio illo convenientium §. eod. » ibid.
Titulus vero Prioris *del Temple* absque ullo tamen redditu adnexus, unitusque fuit Rectori Curato Ecclesiae ejusdem a Consilio Ordinum nominando §. eod. » 110
Tandem quoad redditus *del Temple* sancitum est, ut seorsim administrentur a Priore Conventus Militiae, et separatim deponerentur, cum onere annuatim reddendi rationes Consilio Ordinis, et adimplendi onera Parochiali *del Temple* adnexa §. eod. » ibid.
Successive, auctoritate Regis Catholici, administratoris perpetui praefatae Militiae, ex Apostolico Beneplacito, Prioratum *del Temple* omnesque redditus Priori Conventus univit, et aggregavit §. 2. » ibid.

Quae sane unio, et aggregatio, hisce legibus facta fuit, quod nempe perdurare deberet, quousque Militia Conventus de Montesa, ad alium locum translata minime fuisset, insuperque, ut reddituum aggregatorum ita fieret dispartitio, ut Prior pro tempore Conventus, centum viginti petias pro se haberet, reliqua pro Ecclesiae, et Seminarii servitio impenderentur §. eod. pag. 110

Quibus omnibus, et singulis, Apostolicae confirmationis robur adjunctum fuit ex hac constit. Clementis XIII. §. 3. » 111

Suppresso Ordine Militari Templariorum nuncupato, et bonis in Aragoniae Regno sitis reservatis Apostolicae Sedis dispositioni, eadem subinde Aragoniae Regi cessa fuere, pro Conventu erigendo de Montesa Militiae Ordinis Cisterciensis de Calatrava. Constit. 220. §. 1. » 509

Ex bonis assignatis pro novo erigendo Monasterio nonnulla concessa fuere pro erectione Comendae de Silla nuncupatae ejusdem Monasterii de Montesa § 2. » ibid.

Sixtus V. Monasterium Militiae de Calatrava, Aragoniae Regibus perpetuo concessit § 3. » 510

Conventus de Montesa ab Terremotu Anni 1748. eversus, translatus fuit ad Regium Palatium *del Temple* in Civitate Valentiae § 4. » ibid.

At multa derivarunt incommoda pro hujus Conventus constructione, praesertim ob pecuniarum deficientiam § 5. » ibid.

Ad quæ incommoda removenda, et ut pecuniæ praesto essent, Fratres, et Prior Conventus de Montesa, proposuere unionem Commendae de Silla Mensae Magistrali, quae sic praedictae constructioni prospicere posset §. 6. » ibid.

Proposita unio ab Ordinis Consilio probata fuit, exitum habitura quum Commendatore vacua reperiretur Commenda ipsa, et sub certis modis, Hispaniarum Regis approbationi suppposita §. 7. » 511

Hispaniarum Rex cuncta probavit, et pro suppressione, et respectiva incorporatione Commendae de Silla Mensae Magistrali, instantias Pontifici detulit §. 8. » ibid.

Postulata suppressio, et perpetua Mensae Magistrali incorporatio nunc pro tunc, seu vacationis tempore, Pontificia auctoritate approbatur, ad expositum finem novae Conventus constructionis §. 9. » 512

MILITES S. JACOBI DE SPATHA.

Hispaniarum Rex est administrator perpetuus Militiae S. Jacobi de Spatha ex Apostolica auctoritate Const. 11. §. 1. pag. 39

Praelaudato Hispaniarum Regi tribuitur facultas eligendi, et nominandi Priorem utriusque Conventus hujus Militiae, quoties ob discrepantiam vocalium, vel ob paritatem suffragiorum, nulla in successivis scrutiniis, canonica Priorum electio concludi possit, §. 2. » ibid.

MILITES MELITENSES.

Militiae Melitensis merita exornat, et commendat Militare diploma Mariae Theresiae Austriacae, quo Ordinis privilegia, et exemptiones confirmantur, tamquam praemium sudoris, laborum, et sanguinis pro Christi fide profusi. Const. 22. § 3. » 65

Coloni Ordinis Melitensis eximebantur a quocumque onere, sive Regio Ærario, sive Comunitatibus pendendo in Ditionibus Imperialis Austriacae Domus §. eod. » 66

MINIMI.

Alternativa lex in hoc Ordine existebat pro provincia Calabriae Ulterioris, quod in electione correctoris Provincialis haberetur Capitulum quolibet triennio, nempe uno in Conventu Montis Leonis, altero vero triennio in Conventu Catanzarii Const. 65. §. 1. » 156

Quae posterior convocatio, quum maximi esset incommodi pluribus ex Causis Provinciæ ejusdem vocalibus, supplices preces porrectae fuere Sacrae Congregationi Episcoporum, et Regularium, ut eadem in Conventu Oppidi Civitatis Pitri celebrari possit §. eod. » ibid.

Hanc vero subrogationem benigne indulxit praelaudata PP. Eminentissimorum Congregatio, illiusque exequutionem Ordinis Generali commisit §. eod. » ibid.

Quod praelaudatum rescriptum plene ab ipso Ordinis Generali probatum fuit, et exequutioni demandatum §. 3. » 157

MINISTER GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA DISCALCEATORUM.

Vide *Ordo Minorum Fratrum S. Francisci de observantia discalceatorum.*

Minister Generalis Ordinis ejusdem ordinis pro conventu Cadicensi.

Vide *Ordo Minorum S. Francisci de observantia discalceatorum.*

Minister Generalis ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum.
Vide *Ordo SS. Trinitatis etc.*

MINORES CAPPUCCINI.

Alternativam electionem Superiorum pro Provincia Mediolanensi jam a Benedicto XIV. approbatam, confirmatur Const 53 §. 2. pag. 137
Ex decreto S. M. Urbani VIII. diei 8. Maji 1631. in Cappuccinorum Ordine, Fratres Laici Professi, Clericis Novitiis praecedunt Const. 140. § 1. » 349
Ad difficultates exinde enatas convellendas in Capitulo Generali Ordinis, Anno 1633 celebrato, declaratum fuit, praecedentiam illam Laicorum, minime in concursu Sacerdotum Novitiorum, locum obtinere §. eod. » ibid.
Quae quidem declaratio confirmata fuit a Diffinitorio Generali Provinciae Beticae posterius habito § 2. » ibid.
Cui superaccessit Apostolicæ Sedis approbatio, et confirmatio §. 3. » ibid.
Ne reliquiae extrahantur ex Sacristia, et Ecclesia Conventus TerraeLugi, Imolen. Dioecesis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum, prohibuit, sub excomunicationis latae sententiae poena, cujus absolutio uni tantum Romano Pontifici reservatur Const. 150 § 2. » 364
In Conventu S. Honorati Parisiensi hujus Ordinis, Orientalium linguarum studium institutum fuit, ad cujus incrementum peculiares conditae fuere leges, nempe. Constit. 161. §. 5. » 404
Numerus Religiosorum, qui Orientalium linguarum studio incumbere debebant, neque sex excedere, nec minor quam quatuor esse poterat §. eod. » ibid.
Candidati ad Scholas linguarum admittendi, proponendi erant a Superioribus in Diffinitione Provinciali §. eod. » ibid.
Qui essent a Diffinitione sic admissi, non poterant ad nutum a Superioribus, sine gravi causa, et Societate reluctante removeri §. eod. » ibid.
Quod si in judicio exclusionis discreparent Superiores Diffinitorii Provincialis, et Societas, tunc totum judicium esse debebat Diffinitorii Generalis §. eod. » ibid.
Ad Linguarum Societatem admissi neque Guardianatum, neque Lectoratum suscipere poterant, alias a numero studentium delebantur §. eod. » ibid.
In casu expulsionis gravioribus ex causis a Societate promotae, querelae deferendae erant ad Diffinitorium Provinciale, cujus si major pars expulsioni minime praeberet assensum, Diffinitorium Generale, proferre judicium suum debebat. §. eod. pag. 404
Interim autem usque ad diffinitivam sententiam, Socius expellendus, inter Accademicos reputabatur §. eod. » ibid.
Graves pro expulsione causae habebantur aut ignavia crassa, aut pravi mores, qui paci, et concordiae, nec non Societatis laboribus nocumento sunt §. eod. » ibid.
Linguis addicti, in regularitatibus, caeterisque omnibus, prout religiosi caeteri, Superioribus omnino subjecti esse debebant. §. eod. » ibid.
Peculiares constitutae fuere regulae pro sumptibus necessariis, vel impressionis novorum operum, vel emptionis librorum, et Sociorum occurrentiis, nec non pro superextantis pecuniae erogatione §. eod » ibid.
Socius Administrator, singulo triennio rationes reddere Societati tenebatur, quae si contra Administratorem reclamasset, alterius Socii subrogationi locus esset. §. eod. » 405
Societas de singulis a Societate gestis, pariter biennio quovis rationes reddere Provinciali debebat. §. eod. » ibid.
Societati liberum erat Bibliothecae communis clavem penes se habere, ex ipsa libros operibus suis necessarios extrahere, et in ipsa post usum reponere, servata eadem clavi, penes Societatis Decanum. §. eod. » ibid.
At nemini ex Sociis jus erat se se in Bibliothecae cura immiscere, vel de libris ad ipsam pertinentibus ullo modo disponere. § eod. » ibid.
Leges, et Ordinationes huc usque ralatas, Clemens XIII. approbavit, et confirmavit, et in Conventu Cappuccinorum S. Honorati Parisii, perpetuo observari mandavit §. eod. » ibid.
Fratres hujus Ordinis Orationem Quadraginta horarum in Ultramontanis partibus, in Ecclesiis Locorum, et Civitatum ubi ipsi Conventus habent, instituere solent. Const. 204. §. unic. » 488
Ad quod pium Opus promovendum Clemens XIII. universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et sacra Comunione refectis, qui per aliquod temporis spatium, tempore quadraginta horarum, Ecclesias hujusmodi visitaverint, plenariam peccatorum indulgentiam concessit §. eod. » ibid.
Insuperque singulis Confessariis ab Ordinariis approbatis, qui in praefatis Ecclesiis tem-

pore quadraginta horarum confessiones audiverint, facultatem fecit absolvendi ab omnibus criminibus, et excessibus licet S. Sedi, et Romano Pontifici reservatis, nec non ab excomunicatione, et censuris, pro prima vice tantummodo §. eod. pag. 488
Excepit tantummodo haeresim, simoniam, duellum, violationem Clausurae Monasterii Monialium, et recursus ad Judices Laicos contra formam sacrorum Canonum §. eod. » ibid.
Benedictus XIV. Provinciam Poloniae hujus Ordinis in binas divisit, secundamque appellatione novae Provinciae Polonae nuncupandam esse constituit Constit. 233. §. 1. » 531
Pro cujus sic novae erectae Provinciae meliori gubernio, et directione, nonnullas adjecit conditiones in literis suis diffuse contentis. §. eod. » ibid.
Quum vero tractu temporis conditiones illae, Provinciae, illiusque Professoribus detrimentosae repertae fuerint, de consensu praestito a Ministris Provincialibus utriusque Provinciae, preces porrectae fuerunt Pontifici, ut juxta Ordinis regulas, et usum aliarum Provinciarum, nonnullae de novo praescriberentur Ordinationes §. 3. » 535
Pontifex itaque erectam novam Provinciam Polonam a Benedicto XIV. plenissime, confirmavit, et approbavit, eique attribuit omnes Conventus jam erectos, et erigendos qui in toto Regno Poloniae, ac Ditionibus, et Provinciis eidem Regno adnexis reperiebantur §. 4. » ibid
At conditiones omnes in praelaudatis Benedicti XIV. literis contentas annullavit, novasque constituit observandas nempe ; §. 5. » 536
1. In electione Ministri Provincialis, nulla nationalitatis ratio habeatur, sed ille eligendus, qui secundum conscientiam Capitularium, dignior visus fuerit. § eod. » ibid.
2. Diffinitores quatuor eligendi, duo sint nationales, et alii duo de exteris, professis tamen, seu incorporatis in Provincia Polona § eod. » ibid.
Itemque ex duobus Custodibus eligendis unus sit nationalis, alter professus, seu incorporatus ut supra § eod. » ibid
3. Guardianatus, et Vicariatus officia pro aequali numero tribuatur inter nationales, et exteros, sed in Provincia incorporatos §. eod. » ibid.
Quod si propter imparem numerum, aequalitas servari non poterit, minor numerus sit ex illa parte, cui pertinet actualis Provincialis §. eod. pag. 536
4. Cathedrae Praedicationis, conferantur a Diffinitorio generali, nulla nationalitatis habita ratione, lecturae vero Philosophiae, et Theologiae pari numero tribuantur inter nationales, et Professos in Provincia, seu incorporatos § eod. » ibid.
5. In Arbitrio Ministri Generalis sit, Commissarium deputare ex quacumque Provincia in Provinciam Polonam mittendum, nulla habita nationalitatis ratione §. eod. » ibid.
6. Supra relatae munerum distributiones observandae erunt usque ad futurum Capitulum Generale, infra Octennium celebrandum §. eod. » ibid.
Indulgentia Plenaria ad septennium concessa fuit universis Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, qui Fratrum hujus Ordinis Ecclesiam vel aliam quamcumque secularem, in qua sollicitudine dictorum Fratrum et de licentia Ordinariorum generalis Comunio agetur, una ex Dominicis cujuscumque Mensis visitaverint, ibique Eucharistiam sumpserint. Constit. 240. § unic. » 572
Quod sane indultum, ad Provincias hujus Ordinis Helvetiae, aliarumque in literis expressarum, cohiberi deberet. § eod. » ibid.
Quamplurima incommoda derivabant ex vigenti methodo habendi Discretos, seu Socios Guardianorum in Comitiis pro electione Provincialis Provinciae Franciae, seu Parisiensis hujus Ordinis Cons. 241. §. 1. » 572
Adeoque supplices preces Diffinitorium Provinciale Summo Pontifici porrexit, pro abrogatione usus eligendi Discretos seu Socios in dicta Provincia §. eod. » 573
Cui postulationi Pontifex annuit demandando, quod in posterum, ad Capitula Provincialia praedicta accedere deberent, cum voce, et voto Minister Provincialis, Diffinitores Provinciae, Custodes, Guardiani actuales, ac omnes Ex-provinciales et Ex-Diffinitores § 2. » ibid.
Indulgentia plenaria conceditur omnibus Christifidelibus, qui Ecclesias visitaverint, in quibus tempore Quadragesimali verbum Dei praedicaverint Fratres hujus Ordinis, et quadraginta horarum exercitium, de licentia Ordinarii, institutum in eis fuerit, dummodo sint confessi et Sacra Comunione refecti. Const. 261. §. unic. » 612
Illis vero, qui Sacra Comunione refecti non

fuerit, sed vere poenitentes, et firmum propositum confitendi habentes orationi hujusmodi interfuerint, decem Anni, et totidem Quadragenae conceduntur §. eod. pag. 612

MINORES CONVENTUALES S. FRANCISCI.

Eminentissimo Protectori Collegii S. Bonaventurae non competit jus admittendi Collegiales supranumerarios in eodem Collegio, sed tantummodo substituendi in locum et in casu deficientis alicujus Collegialis, aliquem ex approbatis in concursu, qui superfuerint. Const. 86. §. 1. » 246

Sixtus V. Constit. Idib. April. Pontificatus Anno V. statuit, studium, a Collegialibus S. Bonaventurae, faciendum in quatuor Libris Sententiarum S. Bonaventurae §. eod. » ibid.

Supra relatas dispositiones servandus esse decrevit peculiaris ad id deputata Eminentissimorum Cardinalium Congregatio, decretumque Apostolica auctoritate confirmatum fuit §. 2. » 247

Omnibus, et singulis Religiosis hujus Ordinis ad Missiones mittendis ad diversas Christianae Reipublicae Provincias, ubi tamen non erunt Missionarii de Propaganda Fide, indulgentiam plenariam concedit, defunctis etiam applicandam pro una vice in qualibet Missione, de licentia Ordinariorum explenda Constit. 271. §. unic. » 624

Quae etiam pro una vice, in qualibet Missione extenditur, Universis Christifidelibus confessis, et S. Comunione refectis, qui Missionibus ipsis interfuerint §. eod. » ibid.

Ex veteribus hujus Ordinis Constitutionibus, quotannis habebantur Visitationes Conventuum per Ministrum Provincialem, itemque annuatim Provinciales etiam congregationes. Constit. 296. §. 2. » 680

Quae sane methodus in singulorum Conventuum perniciem et incomodum vergebat, ob magnos ingentesque sumptus, quibus subire oportet §. eod. » ibid.

Hinc diffinitorium Generale per secreta suffragia censuit, supplicandum esse Pontificem pro dictarum Constitutionum moderatione, et abrogatione §. eodem. » ibid.

Cui postulationi Pontifex annuens decrevit, Ministros Provinciales una tantum vice, integro triennio eorum exercitii, teneri Congregationes Provinciales convocare §. 3. » 681

Itemque Guardianorum electionem, seu confirmationem, non de anno in annum explendam esse, sed tantum de sexquianno ad sexquiannium seu singulis decem, et octo Mensibus §. eod. pag. 681

Tandem praedictos Ministros Provinciales, bis tantummodo, durante exercitii triennio, visitationem Conventuum respectivae Provinciae explere debere §. eod. » ibid.

Ad evitanda dissidia inter filios Conventus Assisiensis, et Ministros Provinciales, usque ab Anno 1741, a Diffinitorio Generali Ordinis, demandata fuit immediata subjectio dicti Conventus Ministro Generali. Constit. 307. §. 1. » 846

Qua tamen immediata subjectione non obstante, plures aderant adhuc defensionis causae §. 3. » 847

Et prima quidem dissidiorum causa habebatur ex incorporatione Conventus Assisiensis Provinciae Umbriae §. 4. » ibid.

Itemque dissidia augebantur ex filiatione, qua gaudent Fratres Conventus Assisiensis §. 5. » ibid.

Ad quas dissidiorum causas eliminandas, Minister Generalis, plurimum conferre putavit, si ea amplecterentur media adhibita pro Conventu SS. XII. Apostolorum de Urbe §. 6. » ibid.

Describitur methodus constituta pro Conventu SS. XII. Apostolorum de Urbe, super filiatione eorum, qui praelaudato Conventui addicti sunt. §. 7. » 848

Hinc perutile fore proponitur, si subjectione Ministro Provinciae Umbriae remota, et filiatione suppressa, Ministro Generali subjiciatur Conventus Assisiensis §. 8. » ibid.

Itemque suppressio studiorum Theologiae Scholasticae, et Dogmaticae, atque suffectio studii Theologiae Moralis §. 9. » 849

Tandem deputatio annualis unius Alumni ex qualibet Italica Provincia, ut in Conventu Assisiensi, Noviliatus annum expleat. § 10. » ibid.

Pontifex Ministri Generalis votis annuens, Assisiensem Conventum, ab omnimoda subjectione Ministri Provincialis Provinciae Umbrae eximit. §. 11. » ibid.

Et Conventus idem, sub immediata subjectione, regimine, et gubernio Ministri Generalis ponitur §. 12. » 850

Eidemque Ministro Generali committitur oeconomicum regimen atque administratio redditũum praelaudati Conventus §. 13. » ibid.

Praefinitur numerus quatuordecim Religiosorum *de Domo* nuncupandorum, qui a quacumque Ordinis Provincia, sive Italica, sive

Ultramontana sumendi erunt in futurum a Ministro Generali §. 14. pag. 850
Inhibetur ne deinceps aliquis ad filiationem Conventus Assisiensis specialiter admittatur §. 15. » 881
Suppresso Collegio Theologiae Scholasticae, et Dogmaticae, Collegium Theologiae moralis, subrogatur. §. 16. » ibid.
Mandatur singulis Ministris Provincialibus Italiae, ut unum ex qualibet Provincia assumendum, ad Assisiensem Conventum mittant, ut inibi Novitiatus annum expleat §. 17. » ibid.

MINORES S. FRANCISCI DISCALCEATI.

In Capitulo Generali hujus Ordinis habito Murciae Carthaginensis Diaecesis in Hispania Anno 1756 a Diffinitorio Generali commissum fuit Commissario Generali Familiae Ultramontanae, ut aliquos eligeret Fratres in Provinciis Regnorum Hispaniae, Lusitaniae, et Neapolis, qui nova statuta conderent, quibus Provinciae ipsae in posterum regi, et gubernari deberent, Constitut. 234. §. 2. » 537
Qui Commissarii electi ad praefatum effectum, quum commissa illis statuta condidissent, supplices fuere preces Pontifici porrectae ad hoc ut illa approbare, et confirmare Apostolica auctoritate dignaretur §. eod. » ibid.
Pontifex statuta praedicta, in forma generica confirmavit, illisque perpetuae firmitatis robur adjecit. §. 3. » ibid.
Decreto S. Congregationis Rituum diei 9. Feb. 1762. approbantur lectiones Secundi Nocturni Beati Martini de Ascensione de Aguirre Martyris hujus Ordinis, indultumque, ut eaedem ab utroque Clero seculari, et Regulari Villae Vergara, et universae Dioecesis Calaguritanae die 5. Feb. cujuscumque Anni perlegi possint. Constit. 272. §. 1. » 625
Quod sane Decretum, Pontificia auctoritate confirmatum fuit. §. 2. » 626
Recensentur incommoda provenientia Provinciae S. Graegorii in Indiis ex transitu Religiosorum hujus Ordinis ad aliam Provinciam. Constit. 320 §. 1. » 718
Provincia S. Gregorii pluribus indiget Operariis, quippe quae amplissimis Missionibus incumbit §. 2. » 719
Qua de re preces porrectae fuere Sacrae Congregationi Episcoporum, et Regularium, ad impediendum transitum de una in aliam Provinciam Religiosis hujus Ordinis §. 3. » ibid.
Quae Sacra Congregatio declaravit, non esse permittendum transitum illum, nisi expleto decennio ab incorporatione sub nullitatis vitio, certisque poenis § 4. pag. 719
Hanc vero Sacrae Congregationis resolutionem, Pontifex approbavit, et observari mandavit §. 5. » ibid.
Benedictus XIII. facultatem tribuit Ordini huic erigendi Collegium, seu Seminarium Missionariorum in unaquaque Provincia Ultramontana, et Indiarum Constit. 327. §. 1. » 726
Clemens XII. approbavit erectionem Collegii Missionum erecti in Conventu S. Francisci de Pacheca, cum prohibitione transitus ad alias Provincias §. 2. » ibid.
Postulante Ministro Provinciali S. Didaci in Indiis pro reformatione Statutorum Collegii Pachecani, Sacra Congregatio de Propaganda Fide quamcumque innovationem prohibuit §. 3. » ibid.
Ad quam resolutionem firmius observandam, Procurator Generalis Ordinis postulavit ejusdem Apostolicam confirmationem §. 3. » 727
Illamque Pontifex suprema sua potestate approbavit, et observari mandavit §. 4. » ibid.

MINORES DE OBSERVANTIA.

Minoribus de Observantia facultatem concedit, ut Hospitium S. Rosae de Ocopa in Collegium, sive Seminarium Apostolicum Missionariorum ipsius Ordinis erigi possit sicut Chirographo suo diei 2. Octobris 1757. permiserat Ferdinandus Hispaniarum Rex Catholicus. Const. 4. §. 3. » 22
Pro Minoribus de Observantia Hispanicae Provinciae de Extremadura confirmatur Decretum S. Congregationis Episcoporum, et Regularium circa alternativam quoad omnia munia, et officia inter Alumnos, Professoresque oriundos ex regionibus sitis supra Tagum, et alios oriundos ex regionibus infra Tagum. Const. 24. §. 3. » 70
Minoribus de Observantia Provinciae Bosnae Argentinae reintegrationem ad honores, et privilegia dictae Provinciae concedit, quam in Custodiam redegerat praecedens Constitutio Benedicti XIV, et approbat hac de re Decretum Ministri Generalis praedicti Ordinis Constit. 27. §. 6. » 85
Electionem Guardianorum trium Conventuum, et Custodiarum principalium, in Astensem, et Pedemontanam Provinciam alternatim faciendam approbat, praevia confirmatione

Decreti Ministri Generalis hujus Ordinis Const. 59. §. 4. pag. 149

Monasteria S. Christophori, et S. Martae Civitatis Brixien. Ministro Provinciali Provinciae Brixiae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia subjicebantur Const. 75. § 1. » 230

Quae sane subjectio, quum incommoda esset praelaudato Ministro Provinciali, Provinciae Alumnis, et Monialibus ipsis, hinc dictorum Monasteriorum gubernium, et administrationem abdicavit, Ordinis ejusdem Minister Generalis, et in Pontificis manus remisit §. eod. » ibid.

Quae deinde abdicatio, et respectiva remissio, Apostolica auctoritate confirmata fuit § 2. » ibid.

Monasteria eadem immediatae curae, regimini, et gubernio Episcopi Brixiensis in spiritualibus, et temporalibus supposita, et subjecta fuere §. 3. » 231

Pro Minoribus S. Francisci de Observantia degentibus in Civitate Hierosolymitana, auxilium, et officia postulat ab Christianis Principibus penes aulam Constantinopolitanam contra Graecos Schismaticos, a quibus divexabantur, et a Sacra Sepulchri D. N. J. C. Cappella ejiciebantur Epist. 76. § 2. » 232

Ex decreto S. Congregationis Episcoporum, et Regularium usque ab anno 1757. introducta fuit in hoc Ordine quaedam alternativa in Provincia Extremadurae inter ipsius Provinciae portiones extra vel infra Tagum super assignatione, et concessione majorum et minorum officiorum, seu munerum dictae Provinciae. Constit. 212. §. 1. » 500

Hanc sane alternativam approbavit Benedictus XIV. Constitutione sua diei 8. Augusti anni 1737. §. eod. » 501

Et in subsequenti Capitulo Provinciali fuit exequutioni comissa a Commissario Generali per suum decretum exequutoriale diei 21. Novembris 1758. quod confirmatum fuit a Clemente XIII. per suas literas diei 4. Decembris 1758. §. eod. » ibid.

Ast postmodum nova discussio habita fuit coram Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium super hac ipsa alternativa, et confirmata fuit illius observantia per Decretum diei 5. Decembr. 1760. in quo etiam adiectus est modus §. eod. » ibid.

Mandatum scilicet fuit, alternativa servaretur quoad studentes et Novitios relata ad postulantes vero habitum, duas ex tribus partibus admittendas esse in Novitiatu supra Tagum, quosque aequalis fieret Religiosorum numerus in utraque Provincia §. eod. pag. 501

Mandatum pariter ut firma remanente aequali portione, et distributione officiorum, liberum esset Superioribus Provinciae, eos indiscriminatim collocare in Districtu vel ultra, vel cis Tagum §. eod. » ibid.

At postmodum ad supplicationem Ministri Generalis imploratum a Pontifice fuit, ut eadem Extremadurae Provincia in duas separatas, et distinctas segregare vellet. §. 2. » ibid.

Cui postulationi libenter Pontifex ipse assentitus est, Rescripto diei 15. Septembris anni 1760. §. eod. » ibid.

Sed reclamantibus quampluribus a praedicta Provinciarum divisione, Pontifex per aliud rescriptum diei 8 Maji 1761, praecedens revocavit, et Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium observari mandavit §. 3. » 502

Quae ut firmius in posterum observentur, Apostolicae literae expeditae fuerunt, quibus praelaudatae Congregationis decretum confirmatum fuit §. 4. » ibid.

Cardinalis Cribellius Praeses Capituli Generalis hujus Ordinis Mantuae celebrandi a Pontifice praeficitur, cum omnibus honoribus, et oneribus, et cum facultate subdelegandi Praelatum sibi benevisum, qui Praesidente ipso impedito, actibus Capitularibus interesse possit. Const. 266. §. 1. » 617

Injunctum fuit singulis in praelaudato Capitulo congregatis, ut Cardinali Praesidi sic deputato, vel Praelato subdelegando obtemperent, et pareant §. 2. » 618

Plurima Religioni incommoda obveniebant ex electione ad Ordinis munia eorum, qui minus idonei, vel indigni essent. Const 294. §. 1. » 677

Ad quae incommoda removenda, Clemens XIII. Ministro Generali tunc exercenti, quousque in eo munere versatus esset, facultatem fecit Provinciales, Diffinitores aliosque Ministros, una vice pro qualibet Provincia nominandi, si earumdem Provinciarum necessitas id exegisset §. 2. » ibid.

Ex constitutionibus Municipalibus Provinciae S. Crucis in Hispaniola in Indiis hujus Ordinis, statuebatur, Visitatores, et Praesidentes Capitulorum Provincialium dictae Provinciae debere esse filios ipsius Provinciae, et in ea residentes Const. 297 §. 1. » 682

Itemque a toto Diffinitorio Provinciali pro

tempore existenti, tres ejusdem Provinciae Professores in ea optime meritos proponendos esse Commissario Generali Peruano, ut ex eis tantum unum eligat in Visitatorem, Provinciae, et Praesidentem Capituli Provincialis §. eod. pag. 682
Quod si praesentatio Diffinitorii ob longam distantiam, ad dictum Commissarium Generalem non pervenisset, Diffinitorium idem, Visitatorem, et Praesidentem eligere per secreta suffragia posse ex tribus antea praesentatis §. eod. » ibid.
Idemque locum habere, quoties Commissarii Generalis resolutio intra ultimos sex menses triennii ad Provinciam non advenisset §. eodem. » ibid.
At aliquando, non obstantibus supra relatis Constitutionibus, Municipalibus, Commissarius Generalis in Visitatorem, et Praesidentem Peruanae Provinciae elegit personam sibi bene visam, extra numerum eorum, quos Diffinitorium Provinciale proposuerat. §. 2. » ibid.
Ad quae arbitria tollenda, Capitulum Generale Anno 1762. Mantuae habitum, servandas esse veteres Constitutiones, expresse jussit §. eod. » ibid.
Hanc vero Generalis Capituli resolutionem Pontifex Apostolica auctoritate confirmavit, et exequi mandavit §. 4. » ibid.
Ex antiquis hujus Ordinis Constitutionibus tercentum quinquaginta vocales accedere debebant ad Comitia Generalia, quod in grave totius Ordinis incommodum vergebat Const. 328. §. 2. » 728
Cui ut incommodo prospiceretur, judicio Diffinitorii, seu Discretorii Generalis remissum fuit, de methodo deinde servanda sententiam aperire. §. 3. » ibid.
Et Diffinitorium idem censuit, ad futura Generalia comitia accedere debere, primum Patres Reverendissimi Diffinitorii, et Custodes regimini Custodiarum. §. eod. » ibid.
Insuperque ex unaquaque Provincia, vocalis unus, nempe Minister Provincialis, et eo impedito Custos, qui unicum Tertiarium suum deferre possint. §. eod. » ibid.
Tandem Discreti Generales, quibus licitum esset secum deferendi unum Socium, vel Sacerdotem, vel Laicum cum Tertiario. §. eod. ibid.
Cujus resolutionis Diffinitorii Generalis, pro majori firmitate, Sanctae Sedis approbatio requisita fuit, praevia praecedentium Pontificiarum Constitutionum expositione. §. 4. » ibid.
Pontifex, praevia moderatione Constitutionis Leonis X. Quarta Kal. Junii 1517. qua mandabatur, ut in Capitulo Generali accedere deberent omnes Ministri, et Custodes, sive Vocales, tam Cismontani, quam Ultramontani, praefatam reductionem postremo propositam a Diffinitorio Generali, approbavit, et confirmavit, §. 5. pag. 729
Magna huic Ordini incommoda obveniebant ex Ministrorum Provincialium, et Diffinitorum electione in Capitulis Provincialibus, eo quia vel non idonei, vel indigni ad talia obeunda munia vocabantur. Constit. 329. §. 1. » 730
Ad quae incommoda removenda Commissario Generali facultas tributa fuit, ut tales officiales per seipsum una vice tantum in unaquaque Provincia Cismontanae Familiae eligere posset ante celebrationem Capituli Generalis §. 2. » ibid.
Idem vero Commissarius Generalis creatus fuit Commissarius Apostolicus, et Visitator, atque Reformator in singulis Conventibus Cismontanae Familiae Constit. 330. §. 2. » 731
Adeoque extraordinariae illi facultates indultae fuere pro meliori Conventuum, et Provinciarum regimine §. 3. » ibid.

MINORES DE OBSERVANTIA REFORMATI.

Fratres hujus Ordinis sub eorum gubernio habebant duo Regia Monasteria Monialium S. Clarae Ordinis S. Francisci, sub regula ejusdem S. Clarae, et S. Mariae Magdalenae Ordinis S. Augustini in Civitate Neapolitana Const. 63. §. 2 » 133
Lites, controversias, et dissentiones promovit Guardianus Monasterii S. Clarae super juribus sibi competentibus, quoad alterum Monasterium S. Mariae Magdalenae in sua qua pollebat qualitate Commissarii Apostolici quoad utrumque Monasterium §. eod. » ibid.
Ad quas dirimendas controversias, postulante utriusque Siciliae Rege, Clemens XIII. statuit, non licere Guardiano Monasterii S. Clarae, uti Commissario Apostolico Monasterii S. Mariae Magdalenae, explere solemnitates, et actus jurisdictionales, invitis Guardiano, et Monialibus secundi Monasterii §. eod. » ibid.
Imo quo facilius, cunctis dissidiis finis imponeretur, alterum eligendum esse, qui Commissarii, seu Visitatoris munus gereret in

utroque Monasterio, exclusis perpetuo ab eodem Officio Guardianis praedictorum Monasteriorum §. eod. pag. 133
Verum Moniales Monasterii S. Clarae demonstrarunt ex Pontificio privilegio derivare, quod Guardianus pro tempore eorum Monasterii, Commissarii Apostolici munere fungi deberet. Const. 127. §. 2. » 329
Adeoque praesenti Constitutione, praecedente abrogata, munus Commissarii Apostolici, restitutum fuit Guardiano Monasterii praedicti S. Clarae, dummodo tamen nullam jurisdictionem, et superioritatem exerceat supra Monasterium, Guardianum, Ecclesiam, Moniales atque Fratres S. Mariae Magdalenae §. 3. » ibid.
Ad quod effectum Cardinali Protectori Monasterii praedicti, facultates tributae fuere, Guardianum, ab eo munere, et exercitio removendi, aliumque in sui locum subrogandi §. eod. » ibid.
Fratres hujus Ordinis inservientes Missionibus Albaniae, et Macedoniae, idoneis ut plurimum Operariis deficiebant, eo quia ad illas accedentes post duodennium completum ad proprias Provincias, absque ullo laborum proemio, redire cogebantur. Cons. 250. §. 1. » 596
Proinde Sacra Congregatio de Propaganda Fide, Pontifici proponendum esse duxit, ut religiosos talium Operariorum labores, aliquo honoris praemio decorare vellet §. eod. » ibid.
Pontifex postulationi inclinatus, indulxit, ut singuli, qui per viginti annorum spatium, ex hoc Ordine in Missionibus praefatis laudabiliter se gesserint, singulis gaudere possent privilegiis, et honoribus quibus fruuntur Fratres in munere Secretarii Generalis versati §. 2. » ibid.
Ita tamen ut Patribus Provinciae nullo modo praecedant, sed ultimum locum semper post illos obtineant §. eod. » ibid.
Hoc etiam conditione adjecta, quod Missionarii Praefati Ordinis, attestatum habere debeant Ordinariorum locorum ubi Sacras exercuerint Missiones §. 3. » ibid.
In Capitulo Generali celebrato Mantuae Anno 1762 recognitum fuit, in magnum Provinciarum profectum recasurum, si ex-Diffinitoribus Generalibus Cismontanae familiae hujus Ordinis, absoluto sexennio eorum muneris, jus suffragandi concederetur in omnibus Capitulis, Congregationibus, et Diffinitoriis Provincialibus suarum respective Provinciarum Const. 286. §. 2. pag. 653
Qua de re, Discretorium, de consensu Eminentissimi Protectoris, edidit decretum pro impetranda a Sancta Sede praecitata concessione §. eod. » ibid.
Quae sane postulatio, Summo Pontifici submissa, probata undique fuit §. 3. » 654

MINORES TERTII ORDINIS S. FRANCISCI DE POENITENTIA.

Dissidia, et difficultates promotae fuerunt a fratribus hujus Ordinis circa Officia, et jura Custodum ad Capitulum Generale, qua de re, plurima dubia proposita fuere decidenda Ministro Generali totius Ordinis, a quo sequentes prodiere resolutiones Const. 79. §. 2. » 225
I. Custos electus in Capitulo generali totius Ordinis, tamquam deputatus ad ferendum suffragium in Capitulo generali, haberi nullo modo potest ut Custos Custodiae, sed Custodibus Capituli Generalis suffragatoribus accenseri dumtaxat debet §. eod. » ibid.
II. Custos tam in actualitate, quam in habitualitate, omnibus privilegiis gaudere debet, quae Diffinitoribus Provinciae sunt attributa, quantum ad suffragium, praecedentiam, et subrogationem §. eod. » ibid.
III. Praecedentia illi in actualitate debetur, respectu Diffinitorum in eodem Capitulo Generali electorum, juxta illam quam cum iisdem habent, priusquam in Custodem eligeretur, etiam quoad praeferentiam in subrogatione §. eod. » ibid.
IV. Non licere Diffinitorii Patribus, privilegia dicto Custodi attribuere, tamquam primo Diffinitori, cui in familia Ultramontana hujusmodi Custos, istius muneris ratione primus Diffinitor non sit. §. eod » ibid.
V. Duo consanguinei, in primo, et secundo gradu, nunquam simul in uno, eodemque Diffinitorio collocari queant §. 3. » 226
Quae sane Ministri Generalis Decreta, auctoritate Apostolica confirmata, et approbata fuere §. 4. » ibid.
Insuperque declaratum, quod Custodes admissi, et ad Capitulum Generale deputati, licet nullo modo possint haberi ut Custodes Custodiae, tamen omnibus quidem, sed solis privilegiis, quae Diffinitoribus Provinciae sunt attributa, tam in actualitate, quam in habitualitate gaudere debeant, quantum ad

suffragium, praecedentiam, et subrogationem §. eod. pag. 227
Tandem Capitula, aliosque actus Provinciales, cum interventu dictorum Custodum celebrata, sanantur, et revalidantur. §. eod. » ibid.
Josephus della Quintana Suarez de Toledo, universa sua bona in Patronatum reliquit Ministro hujus Ordinis Civitatis Gadicensis, sub lege, quod nonnullis piis operibus adimpletis, redditus reliquos erogaret pro ornatu, et cultu Cappellae dicti Ordinis, rationesque de erogatione quotannis Ordini eidem redderet. Constit. 190. §. 1. » 452
At tractu temporis Ministri Gadicenses, administrationem praedicti Patronatus renunciarunt favore Discretorii Ordinis ejusdem §. 2. » 453
Discretorium vero quo cessio praedicta futuris etiam temporibus observaretur, postulavit a Sacra Congregatione Concilii, ut cessionem ipsam confirmaret. §. 3. » ibid.
Quae Sacra Congregatio, audito Episcopo Gadicensi, et Commissario Generali Ordinis, praelaudati Episcopi arbitrio remisit, imploratam cessionis approbationem §. 4. » ibid.
Tributis utens facultatibus, Episcopus cessionem praefatam confirmavit, sub lege quod Patronatus administratio esse deberet penes Discretorium dicti tertii Ordinis, et Ministros pro tempore §. 5. » ibid.
Quod sane Congregationis Concilii rescriptum, et Episcopi decretum exequutoriale, Pontifex confirmavit, et perpetuo futuris temporibus servari mandavit §. 6. » 454

MINORES TERTII ORDINIS S. FRANCISCI REGULARIS OBSERVANTIÆ.

Praevia confirmatione praecedentium Apostolicarum Constitutionum, queis interdicitur ambitus ad Officia Regularia, specialiter Clemens XIII. ambitum ipsum interdixit omnibus, et singulis Religiosis hujus Ordinis. Constit. 166. §. 3. » 416
Ideoque ipsis expresse prohibuit ne directe vel indirecte, publice, vel occulte aut quovis praetextu, neque voce, neque scripto, aut nutu vel signo, nec per se, nec per alios quomodocumque ad officia, et munia obtinenda ambitum procurarent §. eod. » ibid.
Contra vero prohibitionem istam violantes, etiamsi absque effectu, non solum obtentorum officiorum consequutionem annullavit, sed ipsos inabiles declaravit ad futura quaecumque officia obeunda §. eod. » 417
A quibus indictis poenis extendibiles etiam ad complices, et simplices scientes, atque etiam non revelantes, nemo, nisi Summus Pontifex, absolutionem impertire potest §. eod. pag. 417
Prohibetur cuiquam, quoquo modo, vel pro se, vel pro aliis, vocales, superiores, et electores subornare pro impetrandis muniis, vel officiis sub poena excomunicationis ipso facto incurrendae, cujus absolutio impertienda tantummodo a Pontifice, vel a Ministro Generali Ordinis §. 4. » ibid.
Et hoc etiam casu electio, per hanc subornationem facta, ipso facto, et absque ulla declaratione, nulla, et irrita declaratur §. eod. » ibid.
Secularibus etiam interdictum expresse fuit, ut cuique extra Ordinem, vel ad Religiosorum preces, vel sponte etiam officia, et munia pro Religiosis ipsis procurare nequiret, quod si contingat, Religiosi nequeant procuratos hos favores sponte, recipere §. 5. » ibid.
Imo nemo ex dicto Tertio Ordine ad similium secularium, vel extraneorum officia praebeat aures sub poena privationis vocis activae, et passivae, et inhabilitationis perpetuae ad omnia, et singula munia ejusdem Ordinis §. eod. » ibid.
Superiores autem electores, et vocales, ad talium secularium, et extranearum personarum quarumcumque etiam in dignitate positarum preces, nullimodo pro impetrata gratia aures praebeant, sub poena excomunicationis ipso facto incurrenda absque ulla declaratione §. 6. » ibid.
Mandatur, ut singulis annis, intelligibili voce in publica Mensa, atque etiam ante singulos electionum actus in Capitulis, et Congregationibus perlegantur hae prohibitiones, sub poena privationis officii, vocisque activae, et passivae ipso facto incurrendae §. 7. » 418

MIRACULUM.

Non est fides habenda assertoribus miraculorum, fabellae imaginem ut plurimum praeferentibus, sed expectandum tantummodo judicium Ecclesiae sponsae Dei, cui reservata est trutina sanctitatis, et sortis justorum. Const. 433. §. 2. » 894
Miracula ad intercessionem B. Joannae Franciscae Fremiot a Deo patrata illius sanctitatem demonstrarunt ita, ut ad illius sanctificationem tuto procedi potuit. Const. 614. » 1299
Miracula operata a Deo ob B. Hieronimi Æmi-

liani virtutum merita enumerantur in Const 615. pag. 1306
Referuntur miracula operata per intercessionem Beati Joannis Cantii Const. 616. » 1314
De miraculis gestis per intercessionem Beati Seraphini a Monte Granario agitur in Const. 617. » 1321
De illis operatis ad intercessionem Beati Josephi a Cupertino, videnda est Constitut. 618. » 1329
De aliis patratis ad intercessionem B. Josephi Calasanctii consulenda est Const. 619. » 1338

MISSA.

Missa Sanctissimi cordis Jesu pro regnis Poloniae, nec non pro archiconfraternitate Urbis sub ejusdem invocatione concessa fuit a S. Congregationis Rituum decreto, quod Pontifex plene approbavit. Const. 454. » 933
Missae sacrificium exceptis nonnullis solemnioribus diebus celebrari posse indulgetur in capella aedium Universitatis studiorum civitatis Cerverae. Const. 455. » 934
Missae celebrari solitae a canonicis regularibus S. Salvatoris in die obitus praesbyterorum, clericorum, ac laicorum hujus Ordinis, valent ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Const. 526. » 1063
Missa propria B. M. V. de Conceptione indulta fuit universo regno Hispaniarum. Const. 580. » 1141
Celebratio missae sub ritu duplici minori S. Raimundi abbatis Cisterciensis, et S. Veremundi abbatis Hirachensis indulta fuit clero Regni Navarrae Constit. 597. » 1159
Concessio missae propriae de beato Seraphino de Monte Granario habetur in Constit. 617. §. 15. » 1326
Servata obligatione audiendi missam, dies festos imminuit Pontifex aliquando, et speciatim in diaecesi Arborensi Const. 637. » 1376
Id ipsum pro dioecesi Turritana Const. 638. » 1377
Et etiam pro diaecesi Issellensi. Const 639. » 1378
Idem imminutionis dierum festorum indultum, elargitur pro diaecesi Algarensi. Const. 640. » 1379
Pariter id ipsum indulgetur diaecesibus Ampuriensi, et Civitatensi Const. 641. » 1381
In quavis ecclesia Ordinis fratrum minorum S. Francisci cappuccinorum in provincia Picena, valide celebrari possunt missae quae in ecclesia conventus Gradarae ejusdem Ordinis, et provinciae intra annum celebrari nequeunt. Const. 648. » 1387
Missae sacrificium quod celebratur in cappella posita prope, et extra clausuram monasterii Montis Oliveti majoris congregationis Olivetanae, valet pro omnibus christifidelibus in adimplementum praecepti de audienda missa diebus festivis. Const. 688. pag. 1472

MISSIONARII.

Pro Missionariorum Seminarii erectione in Regionibus S. Francisci sub denominatione S Rosae de Ocopa, Chyrographum Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici diei 2. Octobris 1757. confirmat. Const. 4. §. 3. » 21
Binos Missionarios ad Avae Regnum in Indiis mittit, eosque transeuntes in Civitate Siriami Dioecesis Meliapurensis, illius Episcopo summopere commendat. Epist. 118. » 317

MONACHI S. ANTONII
CONGREGATIONIS LIBANENSIS.

Nonnulli Monachi hujus Ordinis inobedientes, recusantes interventum Capitulo Generali, juxta ipsius Ordinis regulas convocando, aliud Capitulum Generale arbitrarie convocarunt, in eoque Abbatem Generalem, Diffinitorem, aliosque locales Superiores elegerunt Const. 51. §. 1 2. » 127
Ex quo factum fuit, ut Patriarcha Antiochenus Maronitarum, datis in id Apostolicis Literis a Benedicto XIV, ad alterius Abbatis Generalis, aliorumque Diffinitorum electionem devenerit. §. 2. » ibid.
Ad quorum Monachorum inobedientiam compescendam Clemens XIII. praelaudato Patriarchae Antiocheno per expeditas Literas Apostolicas commisit, ut inobedientibus praescriberet terminum infra quem illi coram ipso Antiocheno Patriarca, novum Abbatem Generalem, et Superiores electos recognoscere deberent §. 4. » ibid.
Eo autem termino elapso, et submissione inobedientium sequuta, facultas tributa fuit Patriarchae Antiocheno eosdem absolvendi a censuris, in inobedientia vero persistentes, canonicis poenis multandi §. 4. et 5. » 128

MONACHI S. BASILII MAGNI.

Moderantur Literae Apostolicae Benedicti XIV. diei 7. Febr. 1744 super Abbatia de Rosarno ad Abbatem Generalem Ordinis Monachorum S. Basilii Magni, pertinente, Const. 6. § 4. » 25
Abbatiam S. Mariae de Rovito loci de Rosarno, Abbati Generali Ordinis S. Basilii Ma-

qui, cum omnibus juribus, et redditibus concessit Urbanus VIII. Const. V. Idus Maji 1624. pro ipsius Abbatis Generalis substentatione § 1. pag. 24

At Benedictus XIV. praescripsit alternativam erogationis redditum praedictae Abbatiae, quoties Abbas Generalis ex Provinciis Italicis eligi contigerit § 2. » ibid.

Verum Constitutione hac, sublata quacumque alternativa, Urbani VIII. sanctionem servandam esse statuitur § 5. » 25

Ex Decreto Dietae Generalis Ordinis, statutum erat, quod si Officium Vicarii Generalis vacasset ante triennium, tunc eo ipso Assistens Generalis assumeret gubernium Religionis, et Procurator Generalis infra spatium trium Mensium convocare deberet Dietam Generalem, convocandam in ea Provincia, in qua vacasset Generalatus ad effectum eligendi sub praesidentia ipsius Procuratoris Generalis in Vicarium Generalem aliquem ex Abbatibus sive praesentibus sive absentibus ejusdem Provinciae ad complendum sexennium Const. 28. § 1. » 86

Erat pariter in more ex decreto praelaudatae Dietae Generalis, quod si haec fuisset in voto eligendi in Vicarium Generalem ipsum Assistentem, tunc eligi deberet in Assistentem alius ex Abbatibus ejusdem Provinciae, pariter ad complendum sexennium §. eodem. » ibid.

Quoties Officium Generalis vacasset per triennium, tunc ex ipso Dietae Generalis Decreto, Visitator illiusmet Provinciae ex qua fuerat antecessor, aut Visitator antiquior secundum Professionem, si erat in Provinciis unitis, succedere debebat in locum Generalis, et habere eamdem auctoritatem, quam habuisset antecessor, primus vero Definitor gerebat vices Visitatoris Provinciae, donec provisum fuisset de idoneo Visitatore ab Abbate Generali §. eod. » 86

In casum vacationis Officiorum Assistentis, et Procuratoris Generalis, tunc Diffinitorium illius Provinciae, cujus erat Officium vacans, praesentabat intra duos Menses tres Abbates magis idoneos Patri Abbati Generali, qui unum ex illustribus, vel unum ex Diffinitorio in Assistentem vel Procuratorum Generalem tenebatur eligere §. eod. » ibid.

Tandem caetera Officia, aut Praelaturas, quoties vacare contigisset, providebat Abbas Generalis cum voto suorum Assistentium §. eod. » ibid.

At Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium negociis praeposita, suprarelatae Dietae Generalis decreta moderata est Rescripto diei 21. Jan. 1757, modo quo sequitur, videlicet. §. eod. pag. 86

In casum decessus Abbatis Generalis, succedere debebat, usque ad sequens Capitulum Generale, actualis Visitator illiusmet Provinciae, ex qua erat Abbas Generalis defunctus §. 2. » ibid.

Visitator vero actualis, gubernio Religionis, et potestate Abbatis Generalis potitus, statim eligere debebat alium Visitatorem ejusdem Provinciae duraturum usque ad proximum Capitulum Provinciale §. eod. » 87

Vacantibus Officiis Assistentis, aut Procuratoris Generalis, Diffinitorium illius Provinciae, cujus erat officium vacans, praesentare debebat intra duos Menses tres Abbates magis idoneos Patri Abbati Generali, qui unum ex illis tribus, vel unum ex Diffinitorio in Assistentem, et Procuratorem Generalem tenebatur eligere. §. eod. » ibid.

Quoad reliqua vero officia, aut Praelaturas, si vacassent, provvidere debebat Abbas Generalis ad formam Cap. XIV. constitutionum §. eod. » ibid.

Deinceps quamplurima Decreta prodiere ex auctoritate S. M. Benedicti XIV. ab Eminentissimo Cardinali Protectore Ordinis, quorum summa est ut sequitur. §. eod. » ibid.

Cassandum, supprimendum, et annullandum, esse Officium Consultoris Generalis, in Religione temere invectum §. 4. » ibid.

In electione Abbatis Generalis Hispaniae, juxta alternativae turnum, Hispaniarum Provinciae, quae suos tres Vocales ad Capitulum Generale non transmittent, jure vocis passivae ad Generalatum, atque alia Officia pro ea vice cadant, atque illud, et illa ad alias Provincias obedientes devolvantur. §. eod. » ibid.

Vocales Hispanicarum Provinciarum, erunt respectivi Provinciales ex turno, aliique duo a Diffinitoriis cujuscumque Provinciae canonice electi, qui ad Capitulum secum ferre tenentur elenchum a respectivis Diffinitoriis juratum, omnium Religiosorum ad Generalatum idoneorum §. eod. » 88

In casum non interventus novem Vocalium, praevia Apostolica dispensatione, in Generalem eligi poterit quilibet in supradictis elenchis adnotatus, licet absens a Capitulo §. eod. » ibid.

Vicarii Generalis Officium in Hispania supprimitur. §. eod. pag. 88
Pro substentatione Abbatis Generalis, cujuscumque Nationis, confirmantur omnes, et singuli redditus Abbatiae de Rosarno §. eod. » ibid.
Ad substinendas autem alias impensas ad Officium necessarias, nec non ad manutentionem Officialium Generalium, statuendae pacifice sunt taxae ab Abbate Generali in generali visitatione ab eo peragenda §. eod. » ibid.
Secretarius Generalis Italicae Provinciae, absoluto triennali Officio, ad Abbatiam promovetur §. eod. » ibid.
Secretarius Generalis Hispanus, qui ex turno Hispanicis Provinciis pertinet, absoluto laudabiliter triennio, et quoties actu fuerit lector Theologiae, vel jubilatus, absque alio experimento, gradum Magisterii sub nonnullis reservationibus obtinet §. eod. » 80
Decreta supra relata Eminentissimi Protectoris, Apostolica auctoritate confirmavit Clemens XIII. Constitutione hac §. 5. » ibid.

MONACHI BENEDICTINI CASSINENSES.

Monachi hujus Ordinis in Oppido S. Huberti in Ardenna Dioecesis Leodiensis, in ipso Oppido, multisque Pagis, Castris, et Locis exercebant temporalem jurisdictionem, et Domini temporales erant. Const. 205. §. 1. » 489
Quum autem in dictis locis jurisdictionalibus, gravissima delicta committerentur, ea multoties impunita remanebant, cum publicae quietis detrimento, vel corruptione, vel amicitia Laicalium Officialium §. eod. » ibid.
Hinc Clemens XIII. facultatem tribuit Abbati praefati Monasterii, atque Officialibus ab eo de gremio Ordinis deputandis, ut occasione praefatae temporalis jurisdictionis, in causis criminalibus, se se immiscere possent, sententiasque proferre, absque censurarum incursu §. 2 » ibid.
Exceptis tamen sententiis in Causis sanguinis a quibus se se abstinere debebant §. eod. » ibid.
Ex hujus Ordinis Constitutionibus ab Innocentio XI. approbatis, habebatur methodus servanda in decedentium Monachorum suffragiis Const. 351. §. 1. » 770
At Capitulo Generali visum fuit novam suffragiorum methodum decernere §. 2. » ibid.
Quae sane Capituli Generalis resolutio, Pontificia auctoritate approbata fuit §. 3. » 771

MONACHI BENEDICTINI CONGREGATIONIS BAVARIÆ.

Hujus Ordinis observantia erga S. Sedem, et magna sedulitas in curandis iis, quae Monasticam disciplinam respiciunt commendatur. Const. 223. §. unic. pag. 515
Eidem Ordini facultas tribuitur convocandi comitia Generalia pro electione novi Abbatis Generalis, attento obitu praecedentis, non expectato triennio, prout expectandum fuisset ex Constitutionibus Ordinis praelaudati §. eod. » ibid.

MONACHI BENEDICTINI CONGREGATIONIS CÆLESTINORUM.

Capitulum Generale hujus Ordinis, diversas ordinationes, et decreta condidit pro meliori Congregationis regimine, et sunt quae sequuntur. Constit. 270 §. 1. » 622
I. Lectores S. Petri ad Magellam de Aversa, SS. Trinitatis de S. Severo, et S. Petri Coelestini de Mediolano post duodecim annorum exercitium, in Abbates eligi possint, quemadmodum Lectores caeteri, Philosophiae, et Theologiae gaudent, qui per novem, vel duodecim annorum spatium docuerint. § eod. » ibid.
II. Nemo in posterum promoveatur, qui studiis operam minime navaverit, ac iis laudabiliter se gesserit, quod jurato Abbatis loci, et Lectorum testimonio constare debet §. eod. » ibid.
III. In Abbates eligi possint Concionatores postquam per annos quinque, vel duodecim pro dignitate ex catalogis desumenda, laudabiliter, et cum fructu verbum Dei praedicaverint §. eod. » ibid.
IV. Monachi qui per integrum novennium Cancellarii, et Archivistae munus laudabiliter, exercuerint, iisdem gaudeant privilegiis, quibus fruuntur Lectores actu exercentes § eod. » 623
Itemque privilegiis iisdem gaudeant Coadjutores per integrum duodennium in muneribus ipsis versati §. eod. » ibid.
V. Duo alii procuratores eligantur pro administratione reddituum Abbatiae Muronensis, et ii post laudabile novem annorum exercitium, habiles sint Abbatiarum §. eod. » ibid.
VI. Abrogentur tamquam inutilia, incommoda, et perturbationem afferentia, decreta aedita in Capitulo Generali anni 1743. licet

approbata per literas in forma Brevis Benedicti XIV. diei 20. Decem. 1745 §. eod. pag. 623
VII. Magistri professorum, qui per novennium rectae, ac timoratae educationi illorum sedulam navaverint operam, habiles sint ad Abbatialem dignitatem §. eod. » 623
Itemque ad eamdem Abbatialem habilitationem admittantur Vicarius Collegii Sancti Eusebii de Urbe, et Magister Novitiorum Abbatiae Muronensis post tamen laudabile munerum exercitium per duodecim annos §. eod. » ibid.
Pontifex audita super hac re Congregatione Episcoporum et Regularium negociis praeposita, ordinationes, et decreta supra relata confirmavit, et approbavit §. 2. » ibid.

MONACHI BENEDICTINI CONGREGATIONIS MONTIS OLIVETI.

Ecclesiam B. M. Virginis de Lonigo, cui adnexum est Monasterium hujus Ordinis ex Utinensi Diaecesi disjungit, et Vicentinae Dioecesi, in cujus Territorio sita reperitur, incorporat, et unit. Const. 95. §. 3. et 4. » 271
Passivam exemptionem, ad formam, et terminos privilegiorum generaliter dicto Ordini a S. Sede concessorum praeservat Abbati Regulari, et Monachis pro tempore deservientibus in praefata Ecclesia B. M. Virginis de Lonigo. §. 4. » ibid.
Universis Christifidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, Dominica immediate sequenti diem vigesimam primam Augusti a primis Vesperis, usque ad occasum solis, confessis, et S. Comunione refectis, conceditur indulgentia plenaria ad septennium. Constit. 186. §. unic. » 449
Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Olivetanae facultate donati sunt recitandi divinum officium, et horas canonicas juxta ritum dictae Congregationis. Const. 426. §. 1. 2. 3. » 885
Erigitur in nullius diæcesis Monasterium Montis Oliveti et Monachi specialibus privilegiis donantur in Const. 522. » 1057
Vide *Monasterium Montis Oliveti*.

MONACHI BENEDICTINI. CONGREGATIONIS MONTIS VIRGINIS.

Exortis quaestionibus jurisdictionalibus, inter Abbatem Generalem hujus Ordinis, et Episcopum Caputaquen., cuncta dirimit Sacra Concilii Congregatio per infrascripta decreta, quae deinde Apostolica auctoritate fuerunt confirmata. Const. 57 § 1. pag. 143
I. Monasterium San. Honuphrii nuncupatum *di Massa diruta* esse Nullius §. eod. » ibid.
II. Non expedire uti Confessariis ab Ordinario non approbatis, ad audiendas confessiones personarum secularium in dicta Ecclesia S. Honophrii §. eod. » ibid.
III. Sacerdotes Seculares, vel Regulares, alterius Diaecesis, etiam a proprio Ordinario approbatos, audire posse confessiones personarum secularium de licentia P. Prioris seu Abbatis pro tempore existen. Monasterii §. eod. » ibid.
IV. Non esse utendum Fonte Baptismali in eadem Ecclesia posito, nisi consulta ipsa Cardinalium Congregatione §. eod. » ibid.
Vetustum Archivium Monasterii *Montis Virginis* in loco minus tuto positum, ad alterum Monasterium Congregationis, praedictae *il Palazzo di Loreto* nuncupatum transferre posse postulatur Const. 232. §. 1. » 529
Postremum siquidem Monasterium in extrema ipsius Montis parte situm est, in eoque inhabitant Abbates Generales tamquam Ordinarii Nullius, ac Domini temporales cum Vicario Generali, aliisque Officialibus Curiam constituentibus §. eod. » ibid.
Pontifex imploratam hanc Archivii transferendi facultatem concedit, Custodemque illi deputat, quem Notarium Apostolicum nominat, munere eodem perdurante §. 2. » ibid.
Cujus Custodis nominationem tribuit Abbati Generali ipsius Congregationis, et facultatem etiam tribuit alium subrogandi idoneum Monachum, quoties praecedens e Monasterio praedicto, obtenta obedientia, discedere contingat §. eod. » 530
Custodi vero onus injunxit transcribendi Archivii scripturas, et exempla sumendi sive pro commoditate, et usu dictae Congregationis, sive aliarum quarumcumque personarum, ad quas pertinere possent §. eod. » ibid.
Quibus scripturis a praedicto Custode, durante ejus munere sic extractis, et ab eo subscriptis ac Sigillo Congregationis munitis, eamdem haberi voluit fidem, ac si a publico quocumque Notario subscriptae fuissent §. 3. » ibid.
Abbas Generalis hujus Congregationis vigore concessionum Romanorum Pontificum, et praesertim Clementis XIII. quibus ditata fuit gaudet privilegio utendi Mitra, Baculo, An-

nulo, et caeteris insigniis Pontificalibus Constit. 276. §. 2. pag. 630
Nec non Ecclesias, ac paramenta sacra, dictaeque Congregationis Abbates ad regimen, et gubernium Monasteriorum de novo electis, benedicendi §. eod. » ibid.
Pariter jurisdictionem temporalem, et spiritualem, et quasi Episcopalem in nonnullis designatis Terris, Locis, et Oppidis, quorum Dominus etiam in temporalibus existit, exercendi, ac particulare, et separatum Territorium in illis habendi §. eod. » ibid.
Adeoque Synodum convocandi, Examinatores in ea deputandi, Concursus pro Parrochialibus Ecclesiis in locis ipsis, tempore vacationis indicendi §. eodem. » ibid.
Itemque Beneficia pro tempore vacantia, in iisdem locis existentia, conferendi §. eod. » ibid.
Tandem Clericos ordinandi, Literasque dimissoriales concedendi ad Ordines Sacros, nec non Literas Apostolicas exequendi, et confirmationis Sacramentum suis subditis conferendi §. eod. » ibid.
Super quibus juribus, et privilegiis quum obortae plurimae controversiae sint inter Abbatem Generalem, et Episcopum Caputaquensem, harum controversiarum definitio remissa fuit judicio Sacrae Congregationis Tridentini Concilii §. 3. » ibid.
A qua Sacra Congregatione decisum fuit, Monasterium Sancti Honuphrii nuncupatum, *di Massa diruta* non esse Nullius Dioecesis §. eod. » 631
Itemque non expedire Priori, seu Abbati dicti Monasterii, uti Confessariis ab Ordinario non approbatis, ad audiendas confessiones personarum secularium in dicta Ecclesia S. Honuphrii §. eod. » ibid.
Pariter, Sacerdotes Seculares, vel Regulares alterius Dioecesis a proprio Ordinario approbatos posse audire confessiones personarum secularium in dicta Ecclesia, de licentia Prioris, seu Abbatis praefati Monasterii §. eod. » ibid.
Tandem non esse removendum Fontem Baptismalem positum in dicta Ecclesia, sed eo minime utendum, nisi consulta Sacra Congregatione §. eod. » ibid.
Provocante Episcopo a supradictis Congregationis resolutionibus, eaedem confirmatae fuere et deinde per Apostolicas Literas diei 25. Maji 1759. confirmatae §. 4. » ibid.
Hisce non obstantibus, tertium experimentum pertentavit Episcopus Caputaquensis, sed inutili nisu, nam praecedentes resolutiones confirmatae extitere, et mandatum ne amplius super illis disceptari posset. §. 5. pag. 631
Ad quas controversias radicitus, etiam de futuro eliminandas, Pontifex illarum cognitionem ad se avocavit, perpetuoque deinde extinxit §. 6. » ibid.
Tandem privilegia, atque exemptiones, et jurisdictiones praefatae Congregationi Monachorum, praecedenter tributas confirmavit perpetuumque silentium super his imposuit §. 7. » 632
Magna derivabant Congregationi huic incommoda ex gubernali regimine temporali, et spirituali Abbatum Generalium Const. 338. §. 2. » 741
Ad quas praecidendas incommoditates, novas sequentes Ordinationes, Diffinitorium Generale proponendas esse duxit §. 3. » ibid.
I. Ut Abbates Generales, expleto eorum munere remaneant Coabbates Generales in regimine, et Administratione Congregationis, et tamquam Socii, et Collegae Abbatis Generalis noviter electi reputentur §. eod. » 742
II. Ut iidem in omnibus Capitulis, seu Dietis Diffinitorialibus, cum Abbate Generali, ac aliis Diffinitoribus Generalibus, pro quorumcumque negociorum tractatione, jus habeant accedendi, cum aliis deliberandi, primumque locum in Capitulis, et Dietis praefatis post Abbatem Generalem obtinendi, et suffragii ferendi §. eod. » ibid.
Nullitatis insuper poena indicta omnium, et singulorum actorum, quoties dicti Congenerales intimati non fuerint de Capitulo, vel Dieta Generali habenda, et de re ibidem tractanda §. eod. » ibid.
III. Si plures adesse eodem tempore in Dietis Abbates Congenerales, contigerit, et res ob paritatem suffragiorum definiri non possit, tunc Abbati Generali duorum suffragiorum ferendorum jus sit. §. eod. » ibid.
IV. Eveniente obitu Abbatis Generalis, vel quocumque modo illius regimine vacante intra triennium ab ultimo Capitulo Generali, in locum Abbatis Decani, vel Prioris Claustralis Monasterii Montis Virginis, ut in antiquis Constitutionibus statuebatur, regimen spirituale, et temporale Congregationis spectet ad Abbatem Congeneralem in munere antiquiorem, usque ad novum Capitulum §. eod. » ibid.
Nequeat attamen Congeneralis iste aliquid variare de gestis per Abbatem Genera-

lem et Diffinitorium Generale, nullosque actus exercere Abbati Generali spectantibus, sub nullitatis vitio §. eod. pag. 742

V. Ut ipsi Abbates Generales, et Congenerales absoluto eorum officio, unum Monasterium sibi benevisum, pro ordinaria residentia eligere possint §. eod. » ibid.

Quod si ob ingravescentem aetatem, vel aliam legitimam causam, regimen, et Gubernium Monasterii sibi electi explere nequiverint, tres nominare possint Monachos qualitatibus, pollentes pro assequendo Prioratu, ex quibus Diffinitorium Generale Priorem Claustralem eliget. §. eod. » 743

Qui Prior Claustralis curam Monasterii habebit tum in spiritualibus, tum in temporalibus, sub obedientia ejusdem Abbatis Congeneralis, et cum privilegiis, et praerogativis, Prioribus gubernii concedi solitis §. eod. » ibid.

Ut autem relatae reformationes validius subsisterent, Sanctae sedis approbatio requisita fuit § 4. » ibid.

Pontifex Abbatibus Congeneralibus, praeter usum habiti Praelatii, quo Abbates Generales fruuntur, titulum etiam Praelati Domestici concessit §. 5. » ibid.

Insuperque facultates impertitus fuit omnibus vocalibus, ad futura comitia generalis accessuris, approbandi supra relatas reformationes, per duas ex tribus suffragiorum partes § 6. » ibid.

Quae reformationes si approbatae in dictis futuris comitiis Generalibus fuerint, eas Pontifex nunc pro tunc, Apostolica auctoritate confirmat, et observari mandat §. eod. » ibid.

Monachos hujus Ordinis laudibus commendat, cujus fundatio Sancto Gulielmo tribuitur. Const. 339. §. 2. » 744

Referuntur conventiones inter Apostolicam sedem, et Regem Utrius Siciliae quoad exercitium jurisdictionis in causis immunitatis Ecclesiasticae §. 3. » 745

Pluribus privilegiis ditati fuerant Abbates Generales hujus Ordinis, quoad exercitium jurisdictionale, in causis immunitatis, Ecclesiasticae §. 4. » ibid.

Quae sane privilegia antiquissima a nuperis Pontificibus, et signanter ab eodem Clemente XIII. confirmata fuere, et ampliata §. 5. » 746

Adeoque Summo Pontifici supplicatum fuit, ut Abbatibus Generalibus praedictis extenderet privilegia in causis immunitatis, quibus fruuntur ex Romanae Sedis concessione caeteri Ordinarii § 6. pag. 746

Quam sane postulationem Pontifex benigne excepit, et implorata concessit privilegia. §. 7. » ibid.

MONACHI BENEDICTINI CONGREGATIONIS VALLIS UMBROSÆ.

Novam methodum pro studiis praesertim Ecclesiasticis in hac Congregatione faciendis invexit Generale Diffinitorium in supplementum Capituli 38. primae partis Constitutionum hujus Ordinis. Const. 156. § 2. » 380

Referentur distincte novae sanctiones §. eod. » ibid.

Sanctiones praedictas Clemens XIII. Constitutione hac confirmavit, approbavit, et exequi debere jussit §. 3. » 384

MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI.

Parochi Regulares Ordinis Benedictini, exercentes curam animarum personarum secularium, et non commensalium in Parochiis, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, et cura animarum resideat in Abbatibus, Visitationem Episcopi, sive per se, sive per alium factam subire teneutur in iis, quae respiciunt curam animarum. Const. 26. §. 5. et 6. » 80

Ad Episcopum spectat cura clausurae Monasteriorum Monialium Benedictinis subjectarum, eamdemque demandare servandam esse ad praescriptum Sacri Concilii. Tridentini. §. eod. » 81

Competit Episcopo, Praelatis Regularibus Benedictinis prohibere, ne pluries in anno occasione Visitationis ingrediantur septa Monialium sibi subjectarum, sine praesentia ejusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae §. eod. » ibid.

Episcopus prohibere potest Regularibus Benedictinis, ne sine examine Ordinarii, Puellas ad habitum, et Professionem admittant, et precise ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniant, non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus sive per se, sive per alium interesse, et praesidere possit. §. eod. » ibid.

Vetitum est Regularibus Benedictinis, in propriis Ecclesiis, insolitam Imaginem, aut sacram Reliquiam, ab Ordinario non approbatam exponere, nec non in dictis Ecclesiis praedicare petita ab Ordinario benedictione, sive in aliis Ecclesiis sine Ordinarii licentia §. eod. » 82

Monachi Benedictini, Monasterium in loco Murbaci dicto in Alsatia, Nullius, seu Basileen. Dioecesis possidebant Anno 726 extructum ab Eberhardo Sveviae Duce, quod saeculo XIII. incendio, et bellorum injuria deinde vastatum fuit Const. 30. §. 1. pag. 90

Successivis temporibus, praefati Murbacensis Monasterii Abbas, novum construere curavit Monasterium in Castello Civitatis nuncupatae Gebrillae in Alsatia, quae unius leucae spatio a priori Murbacensi distat. §. eod. » ibid.

Monasterium, seu Abbatiam Murbacensem, ad noviter extructum Monasterium in Civitate Gebrillae, cum omnibus juribus, honoribus et oneribus transtulit Clemens XIII. §. 3. et 4. » 92

Monachi Benedictini non admittuntur nisi Nobiles sint, et quatuor utriusque lineae paternae, et maternae probationes fecerint. Const. 30. §. 2. » ibid.

Ecclesiasticis secularibus addictis servitio Monasteriorum, et Granciarum Congregationis Cassinensis Sancti Benedicti, quousque in servitio perduraverint, divinum Officium, juxta ritum dictae Congregationis, et Monasteriorum recitare posse permittit Const. 39. §. 2. » 103

MONACHI CAMALDULENSES.

Ne Urna in qua asservari pie creditur Corpus S. Romualdi in Ecclesia S. Blasii Civitatis Fabriani, ullo unquam tempore, e loco in quo de praesenti existit adsportetur, recludatur, aut amoveatur, prohibet sub excommunicationis poena Romano Pontifici reservata Const. 107. §. 2. » 298

MONACHI CISTERCIENSES.

Parochi Regulares Ordinis Cisterciensis exercentes curam animarum personarum Secularium, et non commensalium in Parochiis, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae et cura animarum resideat in Abbatibus, Visitationem Episcopi, sive per se, sive per alium factam subire tenentur in iis quae respiciunt curam animarum Const. 26. §. 5. et 6. » 80

Abbates sive Parochi Regulares Cistercienses, nequeunt pro libitu, et sine licentia Episcopi constituere modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam, in quo Sacramenta a Parochis subministrentur §. eodem. » 81

Ad Episcopum spectat cura clausurae Monasteriorum Monialium Cisterciensibus subjectarum, eamdemque demandare servandam ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini §. eod. pag. 81

Competit Episcopo, Praelatis Regularibus Cisterciensibus prohibere ne pluries in anno, occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monalium sibi subjecti, sine praesentia ejusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae §. eod. » ibid.

Episcopus prohibere potest Regularibus Cisterciensibus, ne sine examine Ordinarii puellas ad habitum, et professionem, admittant, et precise, ne ad electionem Abbatissarum exemptarum deveniant, non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus, sive per se, sive per alium interesse, et praesidere possit §. eod. » ibid.

Vetitum est Regularibus Cisterciensibus, in propriis Ecclesiis, insolitam Imaginem, et Sacram Reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere, nec non in dictis Ecclesiis praedicare sine Ordinarii licentia §. eod. » 82

Bibliothecariis Bibliothecae Sanctae Crucis in Hierusalem, qui in linguis Hebraicis, atque Graecis Collegiales Monasterii edocuerint, absoluto septennio, activo, et passivo voto in quibusvis Capitulis Generalibus interesse posse, indulget Const. 35. §. 4. » 98

Post aliud decennium expletum in eodem Bibliothecarii munere Abbatis titularis praerogativas cum voto activo, et passivo in Capitulis Generalibus tribuit. §. 5. » 99

Quod si plures Monachi, munus praedictum in praescripto tempore expleverint, ille tantummodo, qui primus Bibliothecarii munus absolverit, Magisterii titulum, cum voce activa, et passiva in Capitulis Generalibus obtinere debere, declaratur §. 6 » ibid.

Si vero plures, per decem, et septem annorum spatium in Officio Bibliothecarii perstiterint, unus tantummodo qui dignus ex illis censeatur, in Abbatem titularem eligendum esse praescribitur §. eod. » ibid.

Ratione autem talis muneris, pluries eodem tempore ad Abbatias Regiminis, sive Gubernii nominari posse permittit §. eod. » ibid.

Absoluto praescripto tempore in munere Bibliothecarii, si quis in Urbis Monasterio remanere desideraret, id ei concedendum de licentia tamen Diffinitorii Patrum, vel Regiminis Ordinis, at in Officio Bibliothecarii, et Lectoris, continuare debere mandat § eod. » ibid.

MONACHI CARTHUSIANI.

Vetus vigebat controversia inter Communitatem Alatrii, et Monachos hujus Ordinis Monasterii S. Bartholomaei *de Trisulti* super proprietate cujusdam Montis confinantis Castro Tecchienae. Const. 348. §. 1. pag. 758

Quae sane controversiae quum actae diutius fuerint coram diversis Tribunalibus, tandem Sacra Congregatio Boni Regiminis, eorum examen ad se avocavit, et universum negocium per concordiam definiendum esse duxit. §. 2. » 759

Ea autem concordia, convenientibus Monachis absente vero Communitate, stipulata fuit ex Officio a praelaudata Sacra Congregatione Boni Regiminis §. eod. » ibid.

Deinde vero Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, supra relatam concordiam approbavit, ejusque exequutionem Episcopo Alatrino commisit §. 3. » 765

Et Episcopus Alatrinus praedictum decretum Sacrae Congregationis, exequutioni demandavit §. 4. » 766

Tandem Summus Pontifex omnia, et singula gesta hac de re confirmavit Apostolica sua auctoritate §. 5. » ibid.

MONACHI CISTERCIENSES.

Alexander VII quum cognovisset Cisterciensem Familiam a primaeva Religiosae institutionis semita deflexisse, animum induxit ad Monasticam disciplinam in ea restituendam. Constit. 159. §. 2. » 392

Adeoque particulari Cardinalium Congregationi commisit, ut reformationis capita a tunc temporis supremo totius Ordinis Praefecto, aliisque Monachis proposita diligenter perpenderet §. eod. » 393

Quo expleto, propositas reformationes, Apostolici roboris munimine confirmavit, et ab universis Cisterciensis Familiae Alumnis custodiri praecepit §. eod. » ibid.

Abbates Cistercienses, caeterique Ordinis Superiores curare debent, ut ab utriusque sexus subditis, exsentialia vota inviolabiliter observentur §. eod. » ibid

Abbates Cistercienses, et omnes Conventus, habere debent propria sigilla, novique Abbates tenentur praestare juramentum de non alienandis, et oppignorandis bonis Monasterii, ac de pecuniis, et redditibus illius inutiliter non expendendis §. eod. » ibid

Omnes hujus Ordinis Officiales, idem juramentum praestare debent, de suis muniis fideliter exercendis, et de mutuis non contrahendis, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis §. eod. pag. 393

Anno quovis expleri debent in hoc Ordine visitationes regulares, queis prudenter, charitative, et cum pietate prospiciatur animarum saluti, cultui divino, votorum exsentialium observantiae, aliisque quae ad mores correctionem, et personarum Regularum edificationem, nec non administrationem, et statum temporalem pertinent §. eod. » ibid.

Visitatores se abstinere debent ab omni donorum receptione, ac etiam ne nimio numeroso comitatu, et familia, gravioribus expensis quam par est Monasteria onerentur §. eod. » ibid.

Visitatores, tempore Visitationis manducare debent in refectorio cum Fratribus, ad Disciplinam servandam §. eod. » ibid.

Abbates Cistercienses etiam perpetui, subjiacere debent Visitationi, et correctioni Visitatorum etiam non Abbatum §. eod. » ibid.

Itemque jurisdictionis suspensioni, aliisque Ecclesiasticis poenis, et censuris, servato juris ordine, cogendi sunt ad sufficientem numerum Monachorum, debite, et religiose enutriendum, ad aedificiorum reparationes, ad annuas Ordinis contributiones solvendas, et communia Ordinis, et Provinciarum onera substinenda §. eodem. » ibid.

Abbates Cistercienses tenentur ad residentiam in propriis Monasteriis, prout de jure, neque in Castellis, Grangiis, aut alibi extra septa Monasterii commorare possunt §. eod. » ibid.

Abbates Cistercienses, sub poena privationis vocis activae ipso facto incurrendae nequeunt, absque expressa Summi Pontificis licentia suscipere regimen, aut visitationem quarumcumque Monialium alterius Ordinis §. eod. » ibid.

Nulla permittitur in hoc Ordine partitio bonorum, fructuum, reddituum et proventuum inter Abbates, Conventus, atque Officiales Monasteriorum, sed cuncta ad communem usum deputanda sunt §. eod. » ibid.

Nisi a Capitulo Generali, vel a comitiis intermediis aliter judicetur, pro meliori regimine, et utilitate quorumdam Monasteriorum, ad impediendas dilapidationes §. eod. » ibid.

Superiores, et Visitatores hujus Ordinis, procurare debent, ut in Monasteriis commen-

datis, quantum fieri poterit, assignentur in bonis stabilibus, pensiones Religiosorum, et famulantium §. eod. pag. 394
Capitulum Generale quolibet triennio celebrari debet apud Cistercium §. eod. » ibid.
Capitulo Generali interesse tenentur omnes Abbates, nec non illi a Congregationibus deputati, Procuratores, Visitatores, Syndaci Provinciarum, et Collegiorum Provisores, seu Rectores, nisi legitime fuerint impediti, aut ob justas causas excusati §. eod. » ibid.
Omnes supra relati, Capitulo Generali rationes reddere debent de sibi commissis muneribus actis et per se gestis, et de agendis, et reformandis in posterum de timore Dei, juxta regularia Ordinis instituta, et Constitutiones Apostolicas §. eodem. » ibid.
In Capitulis Generalibus, soli Diffinitores vocem decisivam, in diffinitionibus audiendis, habent §. eod. » ibid.
Attamen voce consultiva pollent omnes Abbates, et aliae personae idoneae, et de Ordine benemeritae, judicio Abbatis Generalis, et quatuor piorum Abbatum desiguandae, nominandaeque post electionem Diffinitorum § eod. » ibid.
Servandae sunt Constitutiones Ordinis circa numerum eorum, quos Abbates venientes ad Capitulum secum ducere olim poterant §. eod. » ibid.
Nemo, qui jure interveniendi minime polleat, vel non fuerit vocatus, ad Generalia Capitula accedere potest, absque licentia petita, et obtenta ab Abbate Generali §. eod. » ibid.
Quolibet tempore intermedio, inter duo Capitula Generalia, die, et loco ab Abbate Generali designandis, haberi debet Conventus specialis, ad omnia agenda negocia, quae matura indigent deliberatione §. eod. » ibid.
Ad hunc Conventum accedent Abbas ipse Generalis, et quatuor primi Abbates, una cum aliis ex visitatoribus Provincialibus Monasteriorum utriusque Observantiae, Praesidibus Congregationum, Procuratoribus Generalibus, etSyndacis Provinciarum, qui de negociis magni momenti agere debent §. eod. » ibid.
Ut autem celebratio dicti Conventus sit omnibus nota, Abbas Generalis eam ante sex menses indicere tenebitur Praesidibus Congregationum, Visitatoribus Provinciarum, Procuratoribus Generalibus, et Syndacis §. eod. » ibid.
Praeter hunc Conventum, nullus alius celebrari potest in toto Galliae Regno, sub quocumque praetextu, nisi a Capitulo Generali fieri concedatur. pag. 394
Visitatores Provinciarum, et alii Officiales Monasteriorum comunis Observantiae, institui possunt non solum ex numero Religiosorum probatorum communis observantiae, seu abstinentiae, a Capitulo Generali, aut ipso cessante, ab Abbate Generali de consilio, et consensu quatuor priorum Abbatum §. eod. » ibid.
Quod pariter servabitur quoad Provisorem Collegii Parisiensis, Procuratorem, Doctores, Regentes, et alios Officiales, secundum Benedicti XII. Constitutionem §. eod. » ibid.
Eademque ratione, et consultis Provinciarum Visitatoribus quoad merita, vel demerita Religiosorum, instituendi, vel destituendi sunt Priores Claustrales, et Confessores in Monasteriis Monialium ad nutum amovibiles §. eod. » ibid.
Id tamen observandum est, ut in Monasteriis Commendatis strictiori Observantia Virorum, ac Monialium, ii tantum instituantur, qui abstinentiam profitentur §. eod. » ibid.
Omnes Ordinis Officiales, et Monasteriorum Priores, licet ad nutum amovibiles, tenentur quolibet triennio, suorum Officiorum, et Prioratuum voluntariam dimissionem in scriptis facere, in manibus eorum, a quibus instituti sunt. §. eod. » ibid.
Hisce vero jus est, facultatem continuandi in Officiis, et Prioratibus concedere, quamdiu ipsos repererint, et judicaverint idoneos §. eod. » ibid.
A Completorio, usque ad tempus Capituli diei sequentis, servandum est silentium in locis Regularibus, indulta tantum facultate petendi necessaria, submissa voce, absque conscientiae scrupulo §. eod. » ibid.
Forma Officii divini, et psallendi, quae hactenus observata fuit ab Ecclesia Cisterciensi, ab omnibus aliis Ecclesiis dicti Ordinis custodienda est §. eod. » 395
Ad quam servandam uniformitatem, omnes Cistercienses Monasterii uti debent iisdem ritibus, cantu, et libris ad diurnas, et nocturnas horas, et Missas necessariis, secundum praedictam formam Cisterciensis Monasterii §. eod. » ibid.
Horis Canonicis, Officio Beatae Virginis, et Defunctorum in choro recitandis, et decantandis, omnes et singuli cum cocullis interesse debent, easque cum cantu Gregoriano persolvere §. eod. » ibid.

Monachi diebus festis solemnioribus surgere debent hora secunda post mediam noctem, aliis vero diebus temperantius, prout a Capitulo Generali determinatum erit §. eod pag. 395
Horis vero Matutinis post Officium Beatae Mariae Virginis, et post Completorium, aut aliis horis competentibus, vacare debent per mediam horam, qualibet vice meditationi et semel in anno per decem dies exercitiis spiritualibus § eod. » ibid.
Tam Monachi, quam Moniales cujuscumque gradus, tenentur recumbere in communi dormitorio §. eod. » ibid.
Excipiuntur ii, qui vel ratione Officiorum suorum, aut negociorum, aut alia justa causa, excusari promerentur, judicio Superiorum § eod. » ibid.
Tolleratur vero usus cellularum separatarum, ob modestiam majorem, et vitae honestatem, non obstante contraria regula, et Constitutione Benedicti XII. §. eod. » ibid.
At hoc casu juxta decreta Clementis VIII. clavis cellularum retinenda est a Superiore, ut cum sibi videtur, cellulas reserare possit. § eod. » ibid.
Nemo etiam noctu cellulam ita claudere potest, quod aperiri a Superiore nequeat, et insuper foramen pro clavi, pendula, vel ductili tabula cooperiendum est §. eod. » ibid.
Monachi tenentur omnes recumbere vestiti, cum parvo Capulio albo, et habere lectisternia juxta regulas, nec non supellectilem status paupertatis convenientem, sed tamen necessariam, non autem superfluam § eod. » ibid.
Monachi incorrigibiles e Monasteriis, et Ordine ejiciendi sunt ad tramites decretorum S Congregationis Concilii, de *Regularibus Apostatis, et ejectis* §. eod. » ibid.
Officiales tantummodo ad nutum amovibiles, et prout eis injunxerit Abbas, administrationem bonorum habere debeat, secundum decretum Concilii Tridentini §. eod. » ibid
De omnibus autem receptis, et expensis coram Abbate, vel Superiore, et senioribus Domus fidelem reddere tenentur rationem §. eod. » ibid.
Pecuniae retinendae sunt ab uno Bursario deputando per Abbatem, vel Superiorem, sed consilio seniorum, in Arca sub tribus clavibus, quarum unam Abbas, aut Superior, aliam Senior Domus, tertiam idem Bursarius retinere debent §. eod. » ibid.
Interdicitur Superioribus respectivis administratio, et dispensatio pecuniarum, et redituum sui Conventus, etiam nomine Conventus, sed tres Fratres a Generali deputandi sunt quorum unus redditus recolligere, alter pecunias, resque recollectas retinere, alter vero ad jussum Superioris recepta distribuere, juxta charitatis regulas teneantur § eod. pag. 395
Rigurosa vita communis observanda est juxta Concilium Tridentinum, Benedicti XII. et Clementis VIII. decreta §. eod. » 396
Qui abstinentiam a carnibus professi sunt, nequeunt ad communem Ordinis observantiam transire, nisi petita, et obtenta facultate a Summo Pontifice, vel a Capitulo Generali, et eo cessante ab Abbate Cistercii §. eod. » ibid.
Qui vero communi observantiae tantummodo tenetur, nequeunt ad perpetuam abstinentiam transire, nisi petita saltem licentia a suo Patre immediate §. eod. » ibid.
Superiores cogere nequeunt ad abstinentiam eos, qui non fuerint in ea educati §. eod. » ibid.
Nemo uti licentia potest vescendi carnibus ab Apostolica auctoritate concessa omnibus Regularibus Ordinis etiam sanis, nisi tribus diebus saltem in hebdomada, extra tempus Adventus, Septuagesimae, et aliud ab Ecclesia prohibitum §. eod. » ibid.
Jejunia, vel ecclesiastica, vel a regula praescripta, servanda sunt Ecclesiastica moderatione habita ratione, circa tempus refectionis, senum, juniorum et infirmorum §. eod. » ibid.
A Jejuniis regulae, Superioribus est facultas dispensandi, pro personarum, locorum, regionum, et anni tempestatum consideratione §. eod. » ibid.
Superiores Monasteriorum ferventiores esse debent ad hospitalitatem, servata tamen frugalitate §. eod. » ibid.
Nequeunt Religiosi manducare cum consanguineis, et aliis supervenientibus, in dormitorio, cameris privatis, vel extra loca a Superioribus destinata §. eod. » ibid.
Monialibus interdicitur manducare, vel ad crates, vel in loquutorio cum quibuscumque tam Saecularibus, quam Regularibus §. eod. » ibid.
Sine Superioris licentia, non permittitur, vel literas aperire alicui directas, vel dirigendas mittere, sed uno sigillo penes Priorem retinendo, omnes literae sigillari debent §. eod. » ibid
Omnes Abbates, et Monachi ejusdem Ordinis, habito uniformi, modesto, atque decenti uti debent §. eod. » ibid.

Interdicitur Abbatibus intra claustra Monasteriorum suorum pilea deferre, sed Religioso more se se operire tenentur, et in Monasteriisipsis cum Caputiis incedere §. eod. pag. 396

Abbates, et Monachi se vestire debent pannis nigri, et albi coloris, et ab indusiis, et collaribus linei abstinere, sed laneis tantum uti, femoralibusque similibus §. eod. » ibid.

Abbatibus, et Monachis prohibetur capillos, et barbam colere, vel alere prominentes in superiori labro pilos, sed barbam, et capillos circumquaque tondere, relicta in capite Monachali corona §. eod. » 397

Juvenes, qui ad studia non satis propensi judicantur, honestam aliquam artem ediscere cogantur ad vitandam otiositatem §. eod » ibid.

Ut aliquis in novitium recipiatur, sufficienti literatura instructus esse debet, et probationem perficere tenetur in habitu seculari in propriis domibus §. eod. » ibid.

Novitii recipiuntur a Visitatore Provinciae, et Novitiorum Magistro, et praevio examine habitum suscipiunt, et probationem super observantia regulae explent §. eod. » ibid.

Seminaria, seu Professoria Novitios recipiunt pro eruditione ad pietatis, et Religionis exercitium, atque regulae observantiam, neque ad Ordines, et gradus admittuntur, qui probatae vitae, et sufficientiae testimonia non dederint §. eod. » ibid.

Monachi si renuant ad alia Monasteria sese transferre, compellendi non sunt, nisi ob grave aliquod crimen, quod in eodem Monasterio emendari facile non possit §. eod. » ibid.

Visitatores, et Superiores Ordinis attamen, si eis expediens videatur, possunt Monachos ad alia ejusdem Ordinis Monasteria transferre, aliasque idoneas personas subrogare in beneficium Novitiatuum, et Seminariorum §. eod. » ibid.

Qui huic reformationi se se submittere recusant, cogendi sunt sese transferre ad alia Monasteria, per visitatorem Provinciae eis designanda, ibique commorare sub carcerationis poena §. eod. » ibid.

Designata autem Monasteria tenentur illos recipere, et eos tamquam filios, et Professos habere, sub poenis interdicti, aliisque censuris §. eod. » ibid.

Solus Visitator, seu Praeses Provinciae dare potest licentiam conveniendi Superiores Majores, vel extra quatuor Dietas a Monasterio proficiscendi, quae licentia debet esse in scriptis, et sigillo Provinciae munita §. eod. » ibid.

Nemo potest in Abbatem Generalem eligi qui in Ordine non sit expresse professus sub nullitatis electionis poena, et privationis vocis activae, et passivae in perpetuum contra electores incurrenda ipso facto absque ulla declaratione §. eod. pag. 397

Electio Abbatis Generalis explenda est, absque inordinato ambitu per scrutinium in quo omnes Monachi utriusque observantiae voce passiva gaudent §. eod. » 398

Superiores, et Religiosi tenentur ad solitudinem, adeoque non permittendum Religiosis ire ad oppida, vel pagos viciniores, nisi ex gravi necessitate, et cum Socio a Superiore destinando § eod. » ibid.

Causae mere Regulares, inter Ordinis personas emergentes, intra Ordinem terminari debent, neque permittitur alicui extra Ordinem appellare §. eod. » ibid.

Superiores ordinationes, plenissime approbatae fuerunt ab Alexandro VII. §. 3. » 400

Deindeque debita reverentia receptae a subsequenti Capitulo Generali §. eod. » ibid.

Rigida postmodum observantia praemissarum Ordinationum demandata fuit a Benedicto XIV. pro Monasterio Salemitano §. eod. » ibid.

Ad quam observantiam confirmandam Clemens XIII. Constitutiones Alexandrinam, et Benedictinam confirmavit, et exequi voluit §. 6. » 401

Imo interdixit Abbati Generali, Capitulo Generali, Pontificiis Nunciis, et Cardinalibus Legatis, ne aliquid, inconsulta Apostolica Sede, de praefatis Constitutionibus immutare possent §. 7. » ibid.

Capitulum Generale hujus Ordinis Anno 1618. celebratum, facultatem fecit Abbati, Priori, et Monachis Monasterii Beatae Mariae Virginis de Obra Posnaniensis Dioecesis, dividendi, et partiendi bona, tum ad Abbatialem tum ad Conventualem Mensas spectantia Constit. 299. §. 1. » 686

Quae sane divisio anno 1620. effectum sortita fuit §. eod. » ibid.

At tractu temporis maxima permixtio inter bona ad Mensas praedictas spectantia irrepsit, ex quo controversiae sub ortae inter Abbatem, et Monachos praedictos §. eod. » ibid.

Ad quas controversias dirimendas, conferre plurimum visum est, si bona inter partes ita permutarentur, ut segregata deinceps, unusquisque propria cognosceret §. eod. » ibid.

Qua de re quum fuerit Instrumentum confectum anno 1757. illudque ab Abbate Gene-

rali confirmatum, deinceps visum fuit, ut binae portiones suis circumscriberentur finibus, terminique apponerentur, per publicum pariter Instrumentum §. eod. pag. 686

Ut autem quae superius gesta sunt firmitatem majorem haberent, Apostolica auctoritate cuncta confirmata fuere §. 2. » 692

MONACHI DOMUS CARTHUSIÆ MAJORIS DIOECESIS GRATIANOPOLITANÆ.

Monachis in domo Carthusiae majoris dioecesis Grationopolitanae degentibus indulgetur, ut a quolibet Antistite catholico promoveri possint, indulta eidem Antistiti a domus Priore, seu Ministro Generali totius Ordinis eligendo, ut vasa, sacras supellectiles, caeteraque praedicta in ecclesia existentia benedicere possit facultate. Constitut. 536. » 1070

Hoc idem indultum a Paulo V. primitus concessum ad quinquennium, confirmatum postmodum a pluribus successoribus fuit. ibid. §. 1. » ibid.

Preces porrectae pro praecitati indulti prorogatione, et Apostolica in id indulgentia. ibid. §. 2. » ibid.

MONACHI MARONITÆ.

Exorta erat divisio Monachos inter Maronitas, quos Monticulas vocant, et alios appellatos Hyerapolitas, qui uno eidemque Praefecto obtemperare recusabant, contra Monasticam disciplinam, quae non patitur ut unum, idemque corpus, duo habeat capita. Constit. 168. §. 3. » 422

Qua de re Sacra Congregatio Propagandae Fidei, contra Monticulas decrevit, male hos sibi Praesulem constituisse in Regulae contemptum, quam professi fuerant §. eod. » ibid.

MONACHI ORDINIS S. BASILII MAGNI.

Abbati Generali hujus Ordinis, praeter facultates tributas a Constitutionibus, illae etiam conceduntur Commissarii, et Visitatoris Apostolici in singulis etiam reformatis Provinciis existentibus in Hispaniarum Regnis. Constit. 182. §. 2. » 442

Quae facultates singillatim enumerantur pro meliori regimine, et reformatione Ordinis §. eod. » 443

Jus pariter tribuitur eidem Abbati Generali, in casum dissidentiae, eligendi Diffinitores, Abbates, et Officiales alios, qui in Capitulis Provincialibus eligendi fuissent, §. 3. » ibid.

Cunctis hujus Ordinis Religiosis viris in praedictis Hispanicis Provinciis commorantibus, obedientia harum Pontificiarum Constitutionum injungitur §. 4. pag. 443

Urbanus VIII Abbatiam Beatae Virginis *de Rovito*, loci *de Rosarno* hujus Ordinis, pro substentatione Abbatis, et Procuratoris Generalium concessit. Constit. 183. §. 1. » 444

Praecedentes Urbani literas Benedictus XIV. constitutione sua Anni 1744. immutavit et Abbatiae redditibus privavit Abbates Generales, quos ex Provincia Hispanica eligi deinde contigerit §. 2. » ibid.

Benedictinam constitutionem moderavit, et praecedentis reddituum erogationis observantiam demandavit Clemens XIII. constitutione diei 28. Augusti 1758. §. 3. » 445

Ad removenda dubia super alternativa electione Abbatis Generalis, ex Provinciis Italicis, et Hispanicis, aliam hic Pontifex constitutionem edidit die 10. Januarii 1759. §. 4. » ibid.

Hisce tamen Apostolicis Constitutionibus minime obstantibus, nonnulli Abbates, et Monachi Provinciarum Italiae, putantes, dictas literas cessuras in detrimentum Provinciarum Italicarum, praedictis literis se se opposuerunt §. 5. » 446

Quod sane negocium delatum fuit ad Capitula Provincialia, quae unanimiter eo fuerunt in sensu, ut redditus praefatae Abbatiae omnibus indiscriminatim Abbatibus Generalibus tribuerentur, sive in Hispania, sive in Italia §. eod. » ibid.

Quae deinde resolutio quum probata fuerit a Dieta Generali Ordinis, supplicatum Pontifici fuit, ut praecedentes hac de re Constitutiones confirmare dignaretur §. eod. » ibid.

Pontifex attento praefato consensu, praecedentes suas Constitutiones quoad Abbatiam de *Rosarno* confirmat, et observari mandat §. 6. » ibid.

Inter caetera privilegia, quae ex Pontificum concessionibus perfruebant, Superiores, et Monachi hujus Ordinis, accensebatur facultas construendi Altare privatum in quibuscumque locis tenimentorum suorum ad proprium usum, et respectivorum inservientium. Constit. 200. §. 1. » 471

Quum vero indultorum, et privilegiorum, quae prius obtinuerant authographa deperdita tractu temporis fuissent, Gregorius XIII. omnibus, et singulis tum Superioribus, tum Monachis communicavit privilegia, et indulta, queis gaudent Monachi Or-

dinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis §. eod. pag. 472
Post celebrationem vero Concilii Tridentini, eadem privilegia, et gratias confirmavit idem Gregorius XIII. §. eod. » ibid.
Inter privilegia, ut supra concessa, reperiebatur illud Oratorii privati in Domibus ruralibus, praediis, et villis pro singulis, qui vel rusticationis, vel itineris causa ibi immorarentur §. 2. » ibid.
Ad nonnulla dubia exorta tollenda, Abbas Generalis Pontifici supplicavit, pro confirmatione privilegii, illiusque extensione ad quascumque domus tam praesentes, quam futuras §. eod. » ibid.
Privilegium Oratorii privati ut supra, Clemens XIII. confirmat, illudque extendit ad quaecumque Oratoria, post primas concessiones constructa, et imposterum construenda §. 3. » ibid.
Quae Oratoria privata tam constructa, quam construenda, ab Ordinarii visitatione exemit, praedictaeque visitationis peragendae facultatem tribuit Abbati Generali, vel Visitatoribus Generalibus Ordinis §. 4. » 473
Abbas Generalis hujus Ordinis, Monasterium Graeco-Albanensem Medijusti, a jurisdictione Abbatis Provincialis Provinciae Siculae exemit, et praelaudati Abbatis Generalis pro tempore existentis jurisdictioni subjecit. Const. 206. §. 1. » 489
Quod Abbatis Generalis Decretum Pontifex approbavit, et confirmavit §. 2. » 490
Illudque observari a Superioribus, et Monachis hujus Ordinis Provinciae Siculae expresse injunxit §. 4. » ibid.

MONACHI ORDINIS S. BERNARDI CONGREGATIONIS FULIENSIS.

Abbatia Beatae Virginis de Abundantia in Gebennensi Dioecesi, in qua olim duodecim Canonici Regulares S. Augustini inhabitabant transiit deinde in domicilium duodecim Monachorum Ordinis S. Bernardi Congregationis Fuliensis. Constit. 211. §. 1. » 497
Imminutis deinde redditibus Abbatiae, qui tunc temporis eam in commendam obtinuerat S. M. Benedicto XIV. preces porrexit pro nonnullis reformationibus in utilitatem Abbatiae, et Monachorum §. 2. » 498
At vita functo Benedicto XIV., quin propositae reformationes suum fuerint effectum sortitae, novas provisiones proposuit Carolus Emanuel Sardiniae Rex, in cujus ditione Abbatia reperiebatur §. 3. pag. 498
Propositas a Carolo Emanuele provisiones Pontifex approbavit, et Ordinario Gebennensi pro exequutione commisit, ut sequitur, videlicet §. 4. » ibid.
Monachorum Praebendae ad sex tantummodo reducuntur §. eodem. » ibid.
Cuicumque Praebendae assignatur annuus redditus scutorum sexaginta §. eod. » ibid.
Sex Monachi de praedictis Praebendis provisi, ad Monasterium Priorale Lemense transferuntur, reliqui sex dispertiendi sunt ab Abbate Generali in aliis Coenobiis Congregationis Fuliensis §. eod. » ibid.
Curae Animarum, et onerum implemento prospicitur, trium Secularium Presbyterorum deputatione §. eod. » 499
Monachus Congregationis Fuliensis perpetuo eligendus cum titulo, et honoribus Abbatis Abundantiae §. eod. » ibid.
Peculiares dispositiones capiuntur, quoad stabilia, credita, et mobilia ad Abbatiam Beatae Mariae de Abundantia spectantia tum favore Abbatiae, tum etiam favore Monachorum §. eod. » ibid.
Aliae praebentur dispositiones pro iis, quae Monachi impenderunt in Ecclesiae, et Monasterii reparationibus, et in aere alieno pro dictis causis contracto, atque nondum extincto §. eodem. » ibid.
Mandatur, ut quotannis ex redditibus Abbatiae solvantur Monachis Fuliensibus scuta viginti quinque inter Abbatem Generalem, et Abbatem titularem dispertienda. §. eod. » ibid.
Quae superiores dispositiones exequutioni committuntur Episcopi Gebennensis §. 5. » 500
Ad praefatorum observantiam Abbas Generalis, Abbas Commendatarius, et Monachi adiguntur, sublata quacumque aliter judicandi facultate §. 6. » ibid.

MONACHI PRAEMOSTRATENSES.

Parochi Regulares Ordinis Praemonstratensis exercentes curam animarum personarum secularium, et non commensalium in Parochiis, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae et cura animarum resideat in Abbatibus, Visitationem Episcopi, sive per se, sive per alium factam subire tenentur in iis, quae respiciunt curam animarum. Const. 26. §. 5. » 73

MONACHI S. BERNARDI.

Congregatio reformata S. Bernardi Ordinis Cisterciensis de Urbe ad Thermas gaudet privilegio laureae doctoralis obtinendae cum regulis vigentibus pro Collegio S. Bonaventurae Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium SS. Apostolorum de Urbe Const. 423. §. 2. pag. 881
Vide *Congregatio*.

MONASTERIUM MONIALIUM S. BASILII MAGNI IN KESROANO.

Benedictus XIV. Monasterium hoc a Graeco-Melchitis erectum sub S. Sedis protectione recepit, et Patriarchae Greco-Melchitae jurisdictioni immediate subjecit. Constitut. 319. §. 2. » 717
Moniales hujus Monasterii peculiares condidere constitutiones Monastico eorum regimini accomodatas §. 3. » ibid.
Pontifex Constitutiones a Monialibus conditas, et a Sacra Congregatione Propagandae Fidei approbatas, confirmavit §. 4. » ibid.

MONASTERIUM MONIALIUM S. CATHARINÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS VENETIARUM.

Hujus Monasterii laudes, et merita Pontifex exprimit, peculiaresque indigitat suae charitatis causas. Const. 191. §. 1. et 2. pag. 71. Epist. 192. §. unic. » 455
Superiorissa hujus Monasterii, Abbatissae nomine donabatur potius ex consuetudine, quam ex legitimo Apostolicae auctoritatis fonte. Const. 191. §. 3. » 456
Pontifex hic, Superiorissam ipsam perpetuo Abbatissae titulo gratificatur, eique baculi deferendi solemnioribus diebus, et digito annulum benedictum imponendi privilegium confert §. eod. » ibid.
Quae sane religiosa insignia data, et donata esse reputantur, non tamquam incitamentum ad superbiam, sed veluti quaedam indicia, ac documenta virtutum §. 4. » ibid.

MONASTERIUM MONIALIUM S. ELISABETH CIVITATIS FULGINEI.

Subjectio hujus Monasterii Vicario Perusini Conventus, valde incommoda comperta est pro parvo numero Alumnarum, quo Conventus ipse componitur. Const. 324. §. 1. » 722
Adeoque ad tale incommodum removendum eximitur perpetuo a jurisdictione ejusdem Perusini Vicarii §. 2. pag. 723
Sed in spiritualibus, et temporalibus subjicitur pariter perpetuo, jurisdictioni Prioris Generalis Ordinis Eremitani §. 3. » ibid.

MONASTERIA MONALIUM ORDINIS B. M. VIRGINIS DE MONTE CARMELO DISCALCEATARUM.

Benedictus XIV. per suam constitutionem expresse sancivit, ne in Monasteriis hujus Ordinis admitterentur puellae, quam quae expresse declaraverint se suscepturas habitum per Moniales praedictas gestari solitum. Const. 295. §. 1. » 678
Imo jussit ut puellae sic recepturae, saltem in decimo secundo suae aetatis anno constituerentur, praevio univoco Monialium consensu per secreta suffragia, et Superiorum Generalium Ordinis licentia. §. eod. » 679
Verum experientia docuit, hanc receptionis restrictionem, Monialibus majorem perturbationem attulisse, et gravia incommoda quoad educationem, ad dirimendos defectus in saeculo contractos §. 2. » ibid.
Adeoque Clemens XIII. Benedictinam hac de re Constitutionem cassavit, annullavit, et irritavit §. 3. » ibid.

MONASTERIUM MONIALIUM SEPTEM DOLORUM DE URBE.

Monasterium Monialium sub invocatione Sanctae Mariae Septem Dolorum de Urbe, fundatum dotatumque fuit a Matrona Camilla Virginia Sabelli Farnesia Ducissa de Latera. Constit. 189. §. 1. » 451
Cum gravi Monialium incommodo, et mentis evagatione, nonnulla aedificia circa Monasterium idem, et Officinae constructae reperiebantur, novaeque constructiones minitabantur §. eod. » ibid.
Propterea supplices Moniales Pontifici fuere, ne in posterum, sive illud, sive aliud aedificium, aut aliqua fabrica circa Monasterium construi possit §. eod. » 452
Cui postulationi Pontifex annuit sub poenis pecuniariis, aut etiam corporis afflictivis §. 2. » ibid.

MONASTERIUM MONTIS OLIVETI.

Monasterium Montis Oliveti Majoris Ordinis S Benedict. Congregationis B. M. Virginis Montis Oliveti, praevia exemptione ab jurisdictione ordinaria Episcopi Pientini decla-

ratur nullius diaecesis, et statuitur caput totius Ordinis. Const. 522. pag. 1057
Exponitur origo, atque progressus hujus Congregationis, ibid. §. 2. » ibid.
Quamplurimi Romani Pontifices hanc Congregationem privilegiis, et honoribus ditarunt, ibid. §. 3. » ibid.
Etiam Benedictus XIV. nova privilegia, et gratias eidem concessit, ibid. §. 4. » ibid
Preces porrectae ad hoc, ut Monasterio Montis Oliveti Majoris peculiares gratiae indulgeantur, ibid. §. 5. » ibid.
Pontifex Monasterium idem, et Monacos sub immediata Sedis Apostolicae protectione recepit, ibid. §. 6. » 1058
Nec non Monasterium, et Ecclesiam ab Pientinae diaecesis territorio segregavit, et nullius dioecesis constituit ibid. §. 7. » ibid.
Declarationes addit, sub quibus segregationem praedictam locum habere debere intendit, ibid. § 8. » ibid.

MONIALES.

Cura clausurae Monasteriorum Monialium Regularibus subjectarum spectat ad Episcopum cui jus est demandare, ut leges clausurae serventur ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini Const. 26. §. 5., et 6. » 80
Competit Episcopo, Praelatis Regularibus prohibere ne pluries in anno, occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subjecti, sine praesentia ejusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae §. eod. » 81
Episcopus prohibere potest Regularibus ne, sine examine Ordinarii, puellas ad habitum, et professionem admittant §. eod. » ibid.
Nequit ad Abbatissarum electionem deveniri in Monasteriis Regularibus subjectis, non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus, sive per se sive per alium interesse, et praesidere possit §. eod. » ibid.
Jus est Episcopo rationes esigendi ab administratoribus bonorum temporalium Monasteriorum exemptorum Monialium, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere ne dotes alienentur, sine indulto Pontificio et Episcopi licentia § eod. » ibid.
Sine speciali Episcopi approbatione nequeunt in Confessarios Monialium exemptarum destinari Confessarii alias ab Episcopo approbati ad audiendas confessiones fidelium utriusque sexus. §. eod. pag. 81
Ut Regulares facultatem obtineant audiendi confessiones Monialium exemptarum, tenentur personaliter se praesentare Episcopo, neque sufficit a Superioribus de sufficientia, et idoneitate testimonium transmitti §. eod. » ibid.
Confessarii Regulares pro audiendis confessionibus unius Monasterii Monialium exemptarum, vel pro una vice approbati, nequeunt censeri semper et pro omnibus Monasteriis Monialium approbati §. eod. » ibid.
Vetitum in Urbe fuit, ne puellae ad habitum Religionis Monasticae recipiantur nisi integram dotem in Æde S. Spiritus, aut Montis Pietatis depositaverint Const. 38 §. 2. » 102
Imo vetita etiam Monastici Capituli convocatio pro puellae admissione ad Novitiatum, antequam integrum dotis depositum sit confectum §. eod. » ibid.
In casu inobservantiae, poena suspensionis contra Superiorissam Monasterii indicitur, et Monasterio prohibetur postulatio contra Novitiam majoris summae, ultra quantitatem depositam §. 3. » ibid.
Adversatur Tridentini Concilii sanctionibus, Monasteria Monialium in loco aspero collocare, incolis vacuo, et ab hominum frequentia semoto Const. 102. §. 1. » 290
Monasteria quaecumque Virginum, quae Divina religione consecrantur sunt horti conclusi, fontesque signati, Jesu Christi deliciae, et amores. Const. 191. §. 1. » 455
Adeoque Romani Pontifices, ad hujusmodi sacra loca tuenda, excolenda, ornanda, studium, operam, et auctoritatem conferre omnino debent §. eod. » ibid.
Ex constitutionibus Innocentii XIII, et Clementis XII. editis pro Statu Ecclesiastico, vetitum est Monialibus cujuscumque Ordinis, quaecumque medicamenta, pharmaca, Theriacam, et Mitridatum vendere Const. 202. §. 9. » 484
Episcopi habent quaedam jura, etiam in Monasteriis Monialium, quae Regularibus Praelatis subjecta sunt, exercenda Epist. 222. §. 2. » 514
Quum vero ex altera parte Romani Pontifices, Regularibus Praelatis jura quaedam, quoad Monialium ista Monasteria concesserint, quae transgredi minime licet §. eod. » ibid.
Hinc necesse est, suis ita uti juribus Episcopum, ut Regularium privilegia non abroget, et ita vicissim §. eod. » ibid.

Quod si oriatur dissentio inter Episcopum, et Praelatum Regularem, Romano Pontifici spectat praecipere, ut ambo inter praescriptos limites contineantur §. eod. pag. 514

MONIALES CONGREGATIONIS CASINO BURSTELDENSIS.

In Monasteriis hujus Ordinis introductus erat abusus recipiendi tantummodo puellas nobiles. Const. 532. §. 1. » 1067
Qui sane abusus in Monasterii perniciem redolet, quod Monialium numero ad officia obeunda necessario caret, ibid. §. 2. » ibid.
Pontifex indulget, et mandat, ut futuris temporibus recipi in Monasterio Transaguensi hujus Ordinis debeant etiam puellas non nobiles, ibid. §. 3. » ibid.

MONIALES ORDINIS S. BASILII MAGNI.

Moniales Ordinis S. Basilii Magni, Monachis Graeco-Melchitis S. Joannis Baptistae in Soairo subjectae, plurimis virtutibus ornatae laudantur, et constitutionibus a Sancta Sede adprobatis, eorum monasticam vitam conformem esse declaratur. Const. 429. » 889

MONIALES ORDINIS VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Erectio Monasterii monialium laudati Ordinis sub regula, et instituto Sancti Francisci Salesii in civitate Genuae adprobata, et confirmata fuit. Const. 471. » 957
Recensetur origo hujus Ordinis, et monasterii ibid. §. 2. » 958
Supplices preces pro veteri conservatorio erigendo, et adprobatio Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium ibid. §. 3. » ibid.
Archiepiscopus Januensis Monasterium erexit, redditus illius, et religiosarum numerum praefinivit, necnon privilegia concessit, ibid. §. 4. » ibid.
Et omnia ab Archiepiscopo gesta Pontifex laudavit, probavit, et constitutiones in perpetuum observari mandavit, ibid. §. 5. 6. et 7. » 959

MONIALES SANCTI ANGELI CUSTODIS CIVITATIS GRANATÆ.

Donatae fuerunt privilegio assequendi ex massa reddituum quintae partis bonorum ab intestato morientium in dicta civitate, et diaecesi, quaeque in suffragium defunctorum applicari solent, mille ducata aurea de camera pro una vice, ut applicarentur eidem Monasterio pro dimittendo aere alieno, ducata autem sexcenta quotannis pro monialium sustentatione. Constit. 442. pag. 909

MONIALES S. AUGUSTINI CURIEN. DIOECESIS.

Ex peculiaribus statutis, et privilegiis hujus Monasterii a Sancta Sede approbatis, licet ejusdem Monialibus nominare Praesbyteros cujuscumque regionis ad Beneficia, seu Cappellanias Monasterii Collegio, seu Convictui unitas, et incorporatas Constut. 128. §. 1. » 330
Itemque nominandi omnes, et singulos Ministros, et Officiales seculares pro servitio eorum Collegii, seu Convictus §. eod. » ibid.
Quae sane privilegia constitutione hac confirmata fuere §. 3. » ibid.

MONIALES S. SEBASTIANI CIVITATIS ORIOLENSIS.

Monialibus supradictis nunciatur, Monasterium eorum, restitutum esse jurisdictioni Episcopi Oriolensis, jam prius ad Archiepiscopi Valentini jurisdictionem translatum a Benedicto XIV. Const. 497. » 1032

MONIALES SALESSIANÆ.

Praevia revocatione cujuscumque praecedentis privilegii Altaris privilegiati, unum pro quacumque Ecclesia Monasteriorum Monialium Visitationis B. M. V. Immaculatae sub instituto S. Francisci Salesii, ab Ordinariis locorum semel tantum designandum concessit Clemens XIII. Const. 99. §. 1. » 286
Dies designati fuere speciales, queis in dictis privilegiatis Altaribus, celebrantibus Sacerdotibus, sive Secularibus, sive Regularibus, a Purgatorii poena liberatur anima sive Monialium, sive illarum consanguineorum, et affinium primi, et secundi gradus, tandem Benefactorum praedictorum Monasteriorum §. eod. » 287
Quod sane privilegium extensum fuit ad quodlibet Altare Ecclesiarum praedictarum in anniversariis obitus, depositionis, ac tertia, septima, et trigesima die post obitum cujuscumque ex praedictis Monialibus §. eod. » ibid.
Indulgentiae plenariae perpetuae statutis diebus conceduntur universis Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam Monasteriorum hujus instituti visitaverint, ibique pie oraverint, pro Christianorum principum concordia, haeresum extir-

patione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione Const. 100. §. 1. pag. 287
Itemque Indulgentia plenaria pro universis Christifidelibus confessis, et Sacra Communione refectis ut supra, et dictas Ecclesias visitantibus, et orantibus in expositione Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti in dictis Ecclesiis facienda prima, et feria sexta cujuslibet mensis §. eod. » 288
Recensentur aliae peculiares Indulgentiae, tam pro Universis Christifidelibus, quam pro Monialibus hujus instituti §. eod. » ibid.
Indulgentias alias ad septennium duraturas, pro nonnullis peculiaribus piis operibus, et statutis diebus concedit Constit. 101. §. 1. » ibid.

MONS PIETATIS.

In ordinibus directis Sacro Monti Pietatis, et in chirographis mandati procurae certa forma servanda est, pro recognitione characterum, a speciali commissione a Pontifice electa, proposita. Constit. 473. §. 1 et 2. » 964
Tenor novarum regularum propositarum a Pontifice probatur, reservatis specialibus providentiis in casu falsitatis detectae, ibid. §. 3. 4. et 5. » 966
Constituuntur poenae, quibus ministri Montis Pietatis de Urbe, aliique in ejus damnum delinquentes puniri debent. Con. 554. §. 1 » 1096
Constitutiones Benedicti XIII., et Benedicti XIV. confirmantur, et ampliantur ibid. § 2. » ibid
Poenas in praecitatis constitutionibus indictas extendit, et ampliat Pontifex, ibid. §. 3. » ibid.
Sanctiones contra dolosum testimonium perhibentes in recognitione characterum ordinum, et mandatorum procurae, ibid. §. 4 » 1097
Quomodo procedendum sit contra Ministros Montis Pietatis, concredita illis fide abutentes, ibid. § 5. » ibid.
Indicuntur poenae contra falsificantes, alterantes, aut dolose vitiantes libros, et scripturas Montis Pietatis, ibid. §. 6. » ibid.
Item aliae contra ministros recuperantes propria, vel aliena pignora absque mutuatae pecuniae restitutione, ibid. §. 7. » 1098
De criminibus existimatorum, et peritorum, atque de poenis, quibus plectenda ea crimina sunt, ibid. §. 8.
De iis qui fraudolenter, et dolose aurum, argentum, et jocalia falsa pro veris oppignoraverint, et de eorum punitione ibid. § 9 » 206
Confirmatio in forma specifica statutorum conditorum pro recta administratione, et regimine Montis Pietatis de Urbe. Const. 606. » 1173
Pro recto regimine Montis Pietatis, deputatus fuit Cardinalis visitator, ibid. §. 2. pag. 1763
Qui Cardinalis visitator novam statutorum collectionem approbandam exhibet summo Pontifici, ibid. §. 3.
Sequitur tenor Statutorum, ibid. » 1174
Del Senatore, Conservatore, e Priore de' Caporioni, ibid.
Del Giudice del S. Monte, ibid. Cap. II. » ibid.
Della Congregazione Generale, ibid. Cap. III » ibid.
Della Congregazione particolare, detta ordinaria, ibid. Cap. IV. » 1175
Del modo di trattare, e spedire li negozi nella Congregazione particolare detta ordinaria, ibid. Cap. V. » ibid.
Del modo di trattare i negozj nella Congregazione particolare detta straordinaria, ibid. Cap. VI. » 1177
Dell' elezione degli imbussolatori, per fare gli offiziali, ibid. Cap. VII. » ibid.
Della conferma de' vecchi, ed elezione de' nuovi offiziali, e deputati, ibid. Cap. VIII. » 1178
Degli offiziali eletti di nuovo, ibid. Cap. IX. » 1179
Dell' estrazione degli assistenti alla vendita, ibid. Cap. X. » ibid.
Dell' offizio, e potestà de' provvisori, ibid. Cap. XI » 1180
Dell' offizio, ed autorità de' Sindaci de' prestiti, ibid. Cap. XII. » 1181
Dell' offizio de' Sindaci del banco de' depositi, ibid. Cap. XIII. » 1185
Dell' offizio de' deputati alle vendite, ibid. Cap. XIV. » 1186
Dell' offizio di Visitatore delle custodie, ibid. Cap. XV. » 1187
Dell' offizio del deputato Archivista, ibid. Cap. XVI. » 1188
Dell' Offizio del deputato alla cura delle liti, ibid. Cap. XVII. » 1195
Dell' offizio de' Fabbricieri, ibid. Cap. XVIII. » 1196
Dell' offizio del Segretario, ibid. Cap. XIX. » 1198
Del numero, e nome de' Ministri del Sacro Monte, ibid. Cap. XX. » 1200
Del carico del Cappellano, ibid. Cap. XXI. » 1201
Del carico del Mandatario ibid. Cap. XXII. » 1203
Del carico del Procuratore, ibid. Cap. XXIII. » 1204
Del carico del Sollecitatore, ibid. Cap. XXIV. » 1205
Del carico del Computista dei prestiti, ibid. Cap. XXV. » ibid.
Del carico del Sotto-computista de' prestiti. ibid. Cap. XXVI. » 1208
Del carico dell' ajutante del Sotto-Computista, ossia primo giovane della Computisteria, ibid. Cap. XXVII. » 1210

Del carico degli Scritturali del Computista de' prestiti, ibid. Cap. XXVIII. pag. 1211
Del carico de' ragguaglianti, ibid. Cap. XXIX. » 1212
Del carico degli appuntatori, ibid. Cap. XXX. » ibid.
Del carico del Cassiere de' prestiti, ibid. Cap. XXXI. » 1213
Del carico dell' ajutante del Cassiere dei prestiti, ibid. Cap. XXXII. » 1218
Del carico dell' ispettore alla scrittura ibid. Cap. XXXIII. » 1219
Del carico degli otto custodi de' pegni, ibid. Cap. XXXIV. » 1221
De' rincontri de' custodi, ibid. Cap. XXXV. » 1225
Del carico degli stimatori, e loro ajutanti, ibid. Cap. XXXVI. » ibid.
Della scelta de' soprannumeri, ibid. Cap. XXXVII. » 1229
Della custodia de' pegni d' armario, e suo deputato, ibid. Cap. XXXVIII. » 1230
Dei prestiti, ed ordine da osservarsi in essi, ibid. Cap. XXXIX » 1231
Della rinnovazione de' pegni, ibid Cap. XL. » 1234
Della riscossione de' pegni, e pagamenti dei resti, ed ordini da osservarsi in essi, ibid. Cap XLI. » 1236
Delle vendite de' pegni, ed ordini da osservarsi in esse, ibid. Cap. XLII. » 1238
Della proroga delle vendite de' pegni particolari, e della licenza di venderli innanzi al tempo, ibid. Cap. XLIII. » 1241
Degli utili del Monte, ibid. Cap. XLIV. » 1242
Del conto, e pagamento de' sopravanzi, ibid. Cap. XLV. » ibid.
Del modo di rinnovare i bollettini perduti dei pegni, e delle sicurtà da darsi per questo, o altro conto, ibid. Cap. XLVI. » 1243
De' pegni di robe rubate, o impegnate senza consenso de' padroni, e delle ritenzioni dei pegni da farsi in questi, o altri casi, ibid. Cap. XLVII. » 1245
De' pegni perduti, o deteriorati in mano dei custodi, ibid. Cap. XLVIII. » 1247
Del banco de' depositi, ibid. Cap. XLIX. » ibid.
Dei due libri mastri generali del banco dei depositi, e dei prestiti, ibid. Cap. L. » 1248
Del carico del computista del banco de' depositi, ibid. Cap. LI. » 1249
Del carico dell' ajutante del Computista, ibid. Cap. LII. » 1253
Del carico dello scritturale del libro mastro generale, ibid. Cap. LIII. » 1254
Del carico dello scritturale de' depositi vincolati, ibid. Cap. LIV. » 1257
Del carico dello scritturale de' depositi de' luoghi pii, ibid. Cap. LV. pag. 1260
Del carico dello scritturale de' depositi liberi, ibid. Cap. LVI. » ibid.
Del carico dello scritturale delle cedole libere, ibid. Cap. LVII. » ibid.
Del carico del registro de' depositi vincolati ibid. Cap. LVIII. » 1262
Del carico del registro de' depositi de' luoghi pii, ibid. Cap. LIX. » 1264
Del carico del registro de' depositi liberi, e dell' altro delle cedole libere, ibid. Cap. LX » 1265
Del carico degli appuntatori, ibid. Cap. LXI. » 1266
Del carico del cedolista, ibid. Cap. LXII. » ibid
Del carico del cassiere del banco de' depositi, ibid. Cap LXIII. » 1268
Del carico del sotto-cassiere, ibid. Cap. LXIV. » 1271
Del carico del contatore, ibid. Cap. LXV. » 1274
Del carico dei due giovani di entrate-uscite, ibid. Cap. LXVI. » 1275
Del carico dell' esattore del banco de' depositi, ibid. Cap. LXVII. » 1277
Dell' archivista del banco de' depositi, ibid. Cap. LXVIII. » 1278
Del carico del bollatore de' ricapiti, e revisore de' depositi liberi, ibid. Cap. LXIX. » 1282
Delle cedole, de' depositi, e pagamenti di essi, de' sequestri, e cedole giudiziali perdute da rinnovarsi, ibid. Cap. LXX. » 1284
Demandatur omnimoda relatorum statutorum observantia, ibid. §. 4. » 1286

MUSÆUM VATICANUM.

Bina Musaea instituit Benedictus XIV. Bibliothecae Vaticanae contermina, quorum alterum pro monumentis profanis a Cardinali de Carpineo coemptum, alterum pro sacris et Christianis Monumentis, jam Commendatori Francisco Vettori pertinens. Constit. 289. § 13. » 660
Quum vero Benedictus XIV. plura quoad bina ista Musaea sanciverit, ea Clemens XIII moderatus est, et peculiares edixit dispositiones §. 14. » ibid
Hinc, sub poena excommunicationis *latae Sententiae*, prohibuit ne aliquid ex memoratis monumentis extrahi posset §. 15. » 661
Itemque normam praebuit pro expensis in novorum monumentorum acquisitionibus faciendis §. 16. » ibid.
Tandem Praefectum Musaeo Sacro a Benedicto XIV. praepositum, post moderni Praefecti

obitum suppressit, et universalibus Bibliothecae legibus regi, et hoc etiam Musaeum jussit §. eod. pag. 661

N

NEOPHITI.

Neophiti in Urbe plurimis gaudent privilegiis, Const. 605. » 1166
Refertur tenor chyrographi, quo privilegia indulta fuere, et primo agitur de veteribus Neophitorum privilegiis, ibid. §. 1. » ibid.
Clemens XI. singulas controversias Neophitos respicientes tam presentes, quam futuras jurisdictioni Vicesgerentis ablegavit, ibid. §. 2. » ibid.
Neophiti artes exercentes ab statutis universitatum, et a solutione patentium eximebantur, ibid. §. 3. » 1167
Pariterque eximebantur a vectigalibus viarum, quoad artium exercitationes, ibid. §. 4. » 1168
Item aliis quam plurimis donabantur privilegiis, quoad passivorum nominum solutiones, ibid. §. 5. » ibid.
Preces porrectae pro generica, et specifica privilegiorum conservatione, ibid. §. 6. » 1169
Pontifex precibus annuit, et singula privilegia confirmata designat, ibid. §. 7. » ibid.
Praevia avocatione causarum Neophitorum, eas jurisdictioni perpetuae Vicesgerentis submittit, ibid. §. 8. » 1170
Regulae traduntur pro admissione Neophitorum ad artium exercitium, ibid. §. 9. » ibid.
Eximuntur a taxis pro artium exercitio, ibid. §. 10. » ibid.
De distantiis servandis, quoad eorum apothecas, ibid. §. 11. » ibid.
A taxis viarum immunes declarantur, ibid. §. 12. » 1171
Statutis pro Neophitis conditis subjiciuntur, ibid. §. 13. » ibid.

NOTARII.

Notarii curiae nuncupatae » *Turroni* » in civitate Bononiae.
Vide *Bononiae civitas.*

NOTARII ROTALES.

Vide *Collegium Notariorum Sacrae Rotae.*

NUNCIUS COLONIENSIS.

Exponitur nimia durities Regularium Ordinum in Germania quoad coercitionem Professorum, qui fortasse in aliquos errores, et crimina etiam inciderint. Const. 402. §. 2. pag. 856
Indulget huic Nuncio facultatem visitandi carceres Regulares, noxiosque demoliri faciendi, atque novos construendi salubriores, indicto Regularium Ordinum Superioribus, moderatae Reorum coercitionis praecepto §. 3. » ibid.
Indicuntur poenae contra inobedientes Apostolici Nuncii praeceptis §. 4. » ibid.
Praecipitur Regularibus cujuscumque gradus, Pontificiae hujus voluntatis observantia. §. 5. » 857

NUNCIUS POLONIÆ.

Poloniae Nuncio facultates tributae fuerunt conferendi tres Canonicatus, et Praebendas in Metropolitana Ecclesia Gnesnen. in mensibus S. Sedi reservatis per obitum illos obtinentium primo vacaturos, et ad nominationem Archiepiscopi Gnesnen Const. 56. §. 1. » 142
Qui sane ita nominati, et instituti, Apostolicas Literas sub plumbo expedire tenebantur intra octo menses a collationis die sub poena privationis §. 1. et 4. » ibid.
Eaedem facultates praelaudato Nuncio tributae fuerunt pro tribus Canonicatibus in Cathedrali Ecclesia Culmen. et sub iisdem legibus Const. 58. per tot. » 144

O

OFFICIUM.

Officium, et missa Sanctissimi cordis Jesu pro Regnis Poloniae, nec non pro archiconfraternitate Urbis, sub ejusdem invocatione concessum fuit a S. Congregatione Rituum decreto, quod Pontifex plene approbavit, Constit. 454. » 933
Officium proprium B. M. V. de Conceptione indultum fuit universo Hispaniarum Regno, Constit. 580. » 1141
Celebratio officii sub ritu duplici minori S. Raimundi abatis Cisterciensis, ut S. Veremundi abbatis Hirachensis, indulta fuit clero regni Navarrae. Con. 597. » 1159
Concessio officii sub ritu duplici de B. Seraphino a monte Granaro, habetur in Const. 617. §. 15. » 1326
Pro officio Mariano a Benedicto XIII. Antistite olim Beneventano instituto canonici, et mansionarii admittuntur ad consequutionem distributionum. Const. 656. » 1401

OLEUM SANCTUM.

Sacra Olea ab Episcopo accipere tenentur Parochi Regulares cujuscumque Ordinis illi sint, quamvis Abbates Const. 26. §. 5. et 6. pag. 81
Cardinalis Archipresbyter Vaticanae Basilicae, quotiescumque Episcopali dignitate sit insignitus, Sacra olea perficere, potest Alloquut. 16. §. 3. » 80

ORDINATIO.

Nihil praestantius, quam Sacerdotalis Ministerii Ordinationi, diuturna sacrarum rerum contemplatione, multisque ascensionibus chordis in Deum se comparare. Epist. 106. §. unic. » 297
Cardinalis Archipresbyter Vaticanae Basilicae quotiescumque Episcopali dignitate sit insignitus, Vaticani Cleri Ordinationes habere potest. Alloquut. 16. §. 3. » 80

ORDO B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Refertur consuetudo monasterii hujusce Ordinis civitatis Pacensis in Indiis admittendi nonnullas moniales supranumerarias album velum deferentes, et exceptionibus quampluribus donatas. Constit. 521. §. 1. » 1055
Preces porrectae pro talium monialium supranumerarium suppressione, ibid. §. 2. » ibid.
Pontifex precibus annuit, et hac de re Pacensi Episcopo opportunas tribuit facultates, ibid. §. 3. » 1056
Dismembratio decem conventuum hujus Ordinis ex provincia minori Poloniae ejusdem Ordinis, et erectio eorumdem in separatum provinciam Lituanam nuncupatam habetur in Constit. 539. » 1074
Per decretum capituli provincialis dicti ordinis, statuta fuit in Romana provincia alternativa electio provincialis, caeterorumque officialium inter exteros, et eos, qui temporali Pontificis dominio subjecti sunt. Constit. 457. §. 2. » 940
Quod decretum pontificia auctoritate fuit aeque approbatum, ibid. §. 2. » ibid.

ORDO CANONICORUM S. RUFFI.

Canonici regulares Ordinis S. Ruffi in Delphinatu arbitrarie suppressi fuere, cum applicatione bonorum militaribus equitibus S. Lazzari. Constit. 431. » 890
Illorum suppressio reprobata fuit a sacra congregatione concistoriali, ibid. §. 1. pag. 891
Et Pontifex sese paratum ostendit, ut ordo praedictus ad pristinam observantiam revocaretur, ibid. §. 2. » ibid.
De commisso processu ab Apostolica Sede super reformatione canonicorum S. Ruffi commonetur Archiepiscopus Viennensis. Constit. 564. » 1117
Pro congregatione canonicorum S. Ruffi persecutionem passus est Episcopus Diensis. Constit. 578. » 1140

ORDO FRATRUM BETHELEMITARUM IN INDIIS.

Cum semel hic Ordo cessasset ab observantia constitutionum, datae fuere literae praescribentes gesta in illarum contemptum, novaeque ordinationes pro restituenda pace in ipso Ordine. Constit. 432. §. 1. » 891
Praesertim super methodo convocandi capitulum generale ejusdem Ordinis, ibid. §. 2. 3. 4. 5. » 892
Mexicano Archiepiscopo, vel eo defuncto, Vicario Generali, facultates concessae fuere pro convocando Generali capitulo. Const. 470. » 956
Exponitur quanta cum Ordinis utilitate capitulum idem celebraretur, si in eo nonnulli designati religiosi interesse possent, ibid. § 2. » ibid.
Conceduntur facultates ordinario Mexicano admittendi ad capitulum, quos utiliores in in eo fore prospexerit, ibid. §. 3. et 4. » 957
Quae Mexicano Archiepiscopo, vel eo defuncto, vicario Capitulari facultates indultae fuerant per hujus Pontificis constitutiones anni 1763. Julii 7. itemque anni 1765. Junii 8. pro convocando capitulo generali Ordinis hujusce extendit Pontifex ad successorem in ipso Mexicano Aschiepiscopatu. Const. 559. » 1112

ORDO FRATRUM MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA DISCALCEATORUM.

Urbanus VIII. praescripserat, quod Religiosi hujus Ordinis ad Aulam Regiam Matriti sese conferentes stato tempore dumtaxat diversare possent in Conventibus S. Ægidii, et S. Bernardini. Const. 440. §. 1. » 904
Deinde idem Urbanus VIII. arbitrio Ministri Generalis, vel Commissarii Generalis reliquit praefiniendi tempus, quo in praefatis

Conventibus immorari posseut exteri Religiosi Matriti accedentes, ibid. §. 2. pag. 905
Innocentius XI. dum Urbani VIII. literas confirmavit, nullam fecit mentionem de superiori facultate Ministro Generali, et Commissario Generali indulta, ibid. § 3. » ibid.
Dissidia subinde orta ex arbitraria destinatione Procuratoris Generalis, qui cunctarum Provinciarum in Hispaniis negocia Matriti agerent, ibid. § 4. » ibid.
Data autem a Ministro Generali sententia pro componendis dissidiis, et in posterum observanda, ibid. §. 5. » 907
A qua sententia, appellatione interposita, causa delata est ad S. Congregationem Episcoporum, et Regularium, ibique deserta, ib. » ibid.
Tenor sententiae confirmatoriae praecedentis §. ibid. » 908
Quam sententiam, orante Procuratore Generale Ordinis Pontifex comprobavit, praevia confirmatione literarum Urbani VIII., et Innocentii XI, ib. §. 6. 7. 8. et 9. » ibid.
Ordinationes factae in actu S. Visitationis a Ministro Generali Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum pro conventu Cadicensi, et pro reformatione cappellae ejusdem conventus adnexae pro tertiariis saecularibus utriusque sexus fuerunt confirmatae. Constit. 451. » 929
Tenor ordinationum factarum a Ministro Generali hujus Ordinis in actu visitationis ibid. § 2 » 930
Pontifex ad preces laudati Ministri Generalis ordinationes supra relatas confirmat, et adprobat, ibid. §. 3. » 931
In Murciensi custodia S. Paschalis Baylon Ordinis S. Francisci discalceatorum, si numerus religiosorum duodenario fuerit minor, eligi possunt tres, vel saltem duo, qui officiis iisdem jam sint perfuncti, licet non sint de corpore capituli Const. 461. » 944
Quod resolutum approbante etiam Ministro Generali totius Ordinis, ut removerentur incommoda, ibid. §. 2. et 3. » ibid.
Et resolutio a Summo Pontifice fuit confirmata, ibid. §. 4. 5. 6. » ibid.
In Custodia S. Paschalis Baylon nullus extabat conventus pro professorio, seu choristatu, et congregatio ejusdem custodiae domum ad hoc destinavit, et peculiaria condidit statuta. Const. 464. §. 1 » 946
Tenor Statutorum, ibid. §. 2. » ibid.
Et Ordinationem praedictam Pontifex confirmavit, ibid. §. 3. » 949

ORDO MILITARIS SS. MAURITII, ET LAZZARI.

Rex Sardiniæ est hujus Militaris Ordinis supremus moderator, et Magnus Magister Const. 98. § 2. pag. 278
Per concordiam initam Anno 1758 die 21. Maji, inter Sardiniae Regem, et Archiepiscopum Calaritanum, qui directum sibi asserebat jus in Insulam Sulcitanensem S. Antiochi, Insula ipsa cessa fuit favore hujus Militaris Ordinis pro illius erigenda nova Comenda §. 4. » 279
In hac vero cessione praefinitus fuit modus divisionis, redditum Insulae, inter Regium Sardiniae Ærarium, Archiepiscopum Calaritanum, et Militarem Ordinem SS. Mauritii et Lazzari §. eod. » ibid.
Itemque casus contemplati, quo actuales Insulae redditus, futuris augerentur temporibus §. eod. » ibid.
Quae sane pactiones, ex speciali reservatione, fuerunt deinde Apostolica auctoritate confirmatae §. 9. » 286

ORDO S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Collegium hujus Ordinis erigitur in Provincia Mantuana. Constit. 568 » 1123
Exponuntur incommoda obvenientia ex actuali divisione conventuum de quibus agitur, ibid. § 2. » ibid.
Precibus annuens Pontifex, ad novae Mantuanae Provinciae erectionem devenit, ibid. §. 3. » 1124
Novae erectae Provinciae statuuntur regulae, quibus moderari in posterum debeat, ibid. § 4. » ibid.
In nova Provincia studium generale erigitur, ibid. §. 5. » ibid.
Novae Provinciae moderatores, Provincialesque usque ad futura comitia deputantur, ibid. §. 6. » ibid.
Nationalitas provinciarum Romanae, Sabinensis, Campaniae, et Exterorum, aboletur pro conventibus, et recessibus in iisdem provinciis existentibus. Const. 569. » 1125
Fratres Ordinis S. Francisci de observantia, qui theologiam dogmaticam per decennium in studio publico civitatis Pergulensis legerint, iis privilegiis, perfruantur, ac si publicis studiis sui Ordinis legissent. Const. 601. » 1162
Abrogata constitutione Clementis XII. diei 26. Octobris 1730. Collegium Castri de Oz-

zier hujus Ordinis, unitur provinciae Sardiniae ejusdem ordinis. Const. 657. pag. 1403

ORDO SANCTISSIMÆ TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVOTUM.

Religiosi Ordinis hujusce instituti in conventu B. M. V. de Virtutibus in Provincia Castellae, habent collegium cursorum vulgo « *Pasantes* » cujus erectio fuit confirmata. Constit. 452. §. 1. » 921
Collegii institutio, ibid. cap. I. » 922
De Rectore, ibid. Cap. II. » ibid.
De Regentibus, ibid. Cap. III. » ibid.
De cursoribus, eorumque delectu, ibid. Cap. IV. » ibid.
De distributione temporis, ib. Cap. V. » 923
Exercitia collegii, ib. Cap. VI. » 924
De diebus vacationum, ib. Caput VII. » ibid.
De cursoribus, ib. Cap. VIII. » 925
De aliis degentibus in collegio. Cap. IX. » ibid.
De cellis cursorum, ib. Cap. X. » 926
De officio erga vicinos Patres Augustinianos, ib. Cap. XI. » ibid.
Procurae officium cursoribus vetitum, ibid. Cap. XII. » ibid.
De annualibus informationibus, ib. Cap. XIII » ibid.
De concionibus habendis, ibid. Cap. XIV. » ibid.
De familiari conversatione habenda inter cursores, ibidem Cap. XV. » 927
Comica vetuntur ib. Cap. XVI. » ibid.
De subsidiis. ib. Cap XVII. » ibid.
De bibliotheca. ib. Cap. XVIII. » 928
De interpretatione statutorum, ib. Cap. XIX. » ibid.
De eorum observatione. ibidem Cap. XX. » ibid.
De eligendo conservatore. ibid. Cap. XXI. » ibid.
Confirmatur resolutio definitorii Provinciae Castellae, Legionis, et Navarrae Ordinis hujusce Const. 504. » 1037
Pro majori bono, ac felici hujus Provinciae gubernio, censuit definitorium provinciale, quod electio Ministrorum conventum, fiat in posterum in comitiis provincialibus §. 2. » ibid.
Tenor resolutionis definitorii provincialis. §. eod » 1038
Tenor decreti S. Congregationis Episcoporum, et Regularium, quo superior resolutio approbatur §. eod. » ibid.
Preces porrectae pro apostolica approbatione, quae concessa fuit ib. §. 3. et 4. » 1039
Facultas concessa fuit Ministro Generali Ordinis hujusce deputandi Vicarium Generalem, et tres assistentes ejusdem Ordinis sub certis legibus, et conditionibus in provinciis Castellae, Bethicae, et Aragoniae. Const. 681. pag. 1459

P

PALLIUM.

Pallium repraesentat plenitudinem Pontificalis officii. Const. 158. §. fin. » 391
Sumitur e corpore B. Petri Apostoli, et a Romano Pontifice eis transmittitur quibus eo uti permittitur, dummodo illud reverenti instantia postuletur §. eod. » ibid.

PAROCHUS.

Parochi Regulares cujuscumque Ordinis illi sint, exercentes curam animarum personarum secularium, et non commensalium in Parochiis, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, et cura animarum resideat in Abbatibus, Visitationem Episcopi, sive per se, sive per aliam factam subire tenentur in iis, quae respiciunt curam animarum Const. 26. §. 5. et 6 » 81
Parochi Regulares procurationem solvere tenentur, vocati ad Synodum, accedere sunt cogendi, Festa Dioecesis populo annunciare, et celebrare debent, tandem Chrisma, et Olea Sacra ab Episcopo accipere §. eod. » ibid.
Nequeunt Regulares dari in coadjutores Parochorum a Superioribus Regularibus sine expressa licentia Episcopi §. eod. » ibid.
Abbates, et Parochi Regulares, nequeunt pro libitu, et sine licentia Episcopi, constituere modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam, in qua sacramenta a Parochis subministrentur ibid.
Praelati Regulares, quoties purum Juspatronatum Parochialium habeant, vel acquisitum vel cessum a Laicis, tenentur praesentare Episcopo Sacerdotes seculares pro Parochi munere obeundo, neque istis possunt Monachos substituere, eosque pro libitu removere, absque Episcopi assensu § eod. » ibid.
Iniquum est, eum, qui suos labores, et cogitationes, ad animarum curam convertit, inopia conflictare, eique necessaria vitae deesse Const. 102. §. 4. » 291

PASCHA.

Celebratione Paschae, omnium solemnitatum dignitas est consecrata Const. 104. §. 1. » 295
Per jejunium ad Paschalium Sacramentorum mysteria, parationes accedimus, et in ejus

resurrectione resurgimus; in cujus Passione, deposito veteri nomine, sumus commortui §. eod. pag. 295

PATRIARCHA.

Patriarchatus Antiochenus ab Ignatio Gioar invasus.
VIDE *Archiepiscopi Graeco-Melchitae.*
Quae contra intrusum Patriarcham a Sancta Sede gesta sunt exponuntur. Const. 490. » 1019
Potentis Viri Ali Gemblat requiritur auxilium contra intrusum Patriarcham, et favore alterius legitime a S. Sede instituti, ib. §. 2. » ibid.
Patriarcha ecclesiae Ulixibonensis occidentalis inter S. Romanae Ecclesiae Cardinales recensentur; ipso Portugalliae, et Algarbiorum Rege annuente. Const. 514. » 1046
Motu proprio decernit Pontifex Patriarcham Ecclesiae Ulixibonensis occidentalis in consistorio electum in amplissimum S. R. E. senatum in altero immediate sequenti consistorio esse cooptandum ibid. §. 2. » ibid.
Declaratur quo casu huic Patriarchae jus sit cardinalitiam dignitatem assequendi ibid. §. 3. » ibid.
Cardinalibus in consistorio secreto coadunatis die 6. Aprilis 1767. significat Pontifex electionem Patriarchae Antiocheni. Const. 584. » 1145

PATRIARCHA ANTIOCHENUS GRÆCO-MELCHITA.

Antiochena Ecclesia, Romanae semper cara fuit Constit. 157. §. 1. » 484
S. Innocentius Papa ajebat, Antiochenam Ecclesiam Romanae esse minorem, quod illa quidem Petrum Apostolorum Principem in transitu possederit, haec vero susceptum apud se consummatumque gavisa fuerit §. eod. » ibid.
Quam ob causam Romani Pontifices, maximopere gavisi sunt ubi venerabiles illius reliquias in Graeco-Melchitis vere Orthodoxis, errorum, schismatisque tenebris discussis, reviviscere, et reflorescere conspexerunt, una cum unitate erga Catholicam fidem. » ibid.
Clemens XIII. abdicationem Cyrilli Antiocheni Patriarchae, et consequentem Sacerdotis Ignatii in illius locum designationem, nullas, irritasque declaravit Constitutione hac §. 2. et 4. » 385
Quod ideo decretum fuit, quia Cyrillus, nullum ab Apostolica Sede permissum impetraverat, quod necesse fuisset, statim ac ejusdem electio a praelaudata Sancta Sede fuerat approbata, et exequutioni commissa per juramenti praestationem et pallii transmissionem §. 2. pag. 385
Quae duo in causa fuerunt cur sub finem saeculi decimi septimi irrita declarata fuerit renunciatio Josephi I. Caldeorum Patriarchae §. eod. » ibid.
Nova vero electio eo magis proscripta fuit, tum quia quatuor Episcopi contra Cyrilli renunciationem ad Sanctam Sedem appellaverant, et noviter electus in aetate annorum viginti septem reperiebatur, quae satis non est ut quis ad Episcopatum promoveri possit §. 3. » ibid.
Eveniente morte Patriarchae pendente appellatione ad Sanctam Sedem, super renunciationis validitate, novi Patriarchae electio, ad praelaudatam Apostolicam Sedem devoluta est. §. eod. » ibid.
Quae propterea secundum Sacros Canones, et antiquissimam consuetudinem, Patriarchali Ecclesiae de persona sibi benevisa debet ex integro providere §. eod. » ibid.
Antiochenam Graeco-Melchitarum Ecclesiam ex persona Maximi Episcopi Hyerapolitani provisit Clemens XIII. Constitut. 157. §. 2. » 387
Patriarcha Antiochenus, antequam regimini, et administrationi suae Ecclesiae in aliquo se immisceat, debet in manibus Catholici alicujus Episcopi, gratiam, et communicationem Apostolicae Sedis habentis fidei Catholicae professionem, et juramentum fidelitatis, a Sede praedicta Orientalibus praescriptum, praestare §. 5. » 388
Formula professionis fidei habetur in §. eodem. » ibid.
Itemque formula juramenti praestandi §. eodem. » 390
Pallii transmissionem Pontifex promittit, Antiocheno Patriarchae, quoties debita in id instantia Sanctae Sedi dirigatur. §. fin. » 391

PATRIARCHA INDIARUM.

Condolet quod pragmaticae novissimae in Hispaniis introductae sint, quibus veteres pactiones inter Hispanicos Regnos, et Apostolicam Sedem evertuntur. Epist. 333. §. 1. » 734
Quae moliri certe non poterunt, quam ab iis, qui sunt Catholicae Religioni adversantes §. 2. » 735
Adeoque Patriarcham hunc obsecrat, ut zelum,

et doctrinam suam conferat, ad impias hasce novationes removendas §. 3. pag. 735

PATRIARCHA MARONITARUM.

Memoriae revocat dissentiones, et controversias obhortas super electione Patriarchae Melchitarum, et excomunicationem contra intrusum electum a Sancta Sede indictam. Epist. 278. §. 1. » 637

Dolet, quod cum intruso hoc Patriarcha perhonorifice egerit, et jubet, ut ab intrusi consuetudine se abstineat, quoad ille aerrorem suum poenitendo correxerit § 2. » ibid.

PATRIARCHA VENETIARUM.

Monasterii S. Catharinae Virginis, et Martyris Venetiarum laudes, et moenita enumerat, atque Pontificiae suae erga illud affectionis argumenta designat. Epist. 192. §. unic. » 456

Eidem Patriarchae exponit, se decorasse Superiorissa millius Monasterii perpetuo titulo Abbatissae, facultatemque fecisse gestandi Baculum, et Annulum digito imponendi, §. eod. » 457

Ecclesia S. Georgei Venetiarum ex concessione Leonis X. Episcopalis declarata fuit, pro uno Episcopo Ritus Graeci-Catholici. Epist. 267. §. 2. » 618

Condolet cum Patriarcha Venetiarum, quod Graeci ipsius Ecclesiae S. Georgei, Episcopum selegerint extra Catholicam Ecclesiam Ordinatum, et ita Schisma in sinu Venetiarum introduxerint §. eod. » ibid.

Adeoque cum adhortatur, ut omni studio, et religiosa sua sedulitate curet, quod indignus hic Episcopus removeatur, neque eumdem, ad fidei professionem admittat §. 3. » 619

PAUPERES.

Pauperibus prodest, ut qui inter Ecclesiasticos caeteris dignitate praefulgent, redditibus quoque abundantius fruantur, unde abundantius eleemosynas, et largitiones in egentes, ac miseros effundere queant. Const. 22. §. 4. » 66

Ecclesiarum enim bona sunt pauperum patrimonium §. eod. » ibid.

PIETAS.

Fervente in populis sincero pietatis cultu, publicarum legum observantia, Regnorumque felicitas constabilitur, ac Reges ipsi, et subjectae illis nationes, Divinae protectionis praesidio magis communiuntur Const. 29. §. 2. pag. 89

PONTIFICIS AUDITOR.

Vide *Collegium Cantorum Capellae Pontificiae*.

PRÆDICATIO.

Praedicare non possunt in propriis Ecclesiis Regulares, non petita ab Ordinario Benedictione, aut in aliis Ecclesiis, sine Ordinarii licentia Const. 26. §. 5. » 82

PRÆFECTUS PALATII APOSTOLICI.

Vide *Bibliotheca Vaticana. Collegium Cantorum Capellae Pontificiae. Musaeum Vaticanum*.

PRINCIPES ELECTORES S. R. J.

Principibus Electoribus S. R. J. qui Antistites sint, indultum tribuitur, conferendi Ecclesiastica Beneficia in mensibus Apostolicae Sedi reservatis vacantia, sive quibuscumque canonicis causis eidem sibi affecta Epist. 12. §. 2. » 40

Vide *Germanici Imperii Electores*.

Suum Principibus Electoribus desiderium participat Pontifex, pro electione Josephi Austriae Archiducis in Romanorum Imperatorem. Epist. 395. §. 1. » 845

Eisdem Principibus Electoribus in unum congregatis, Religionis negocia comendat, illiusque tutelam §. 2. » ibid.

PRINCEPS HOHENLOCHICUS.

Illustris hujus Principis Religionem, et gesta pro Catholica fide comendat, atque ut prosequatur in laudabili opere hortatur ferventissime Epist. 130 §. unic. » 332

PRINCEPS MONTISMAURENTIACI.

Principi significat, non omnia, quae a Pontifice postulantur, ab ejusdem pendere voluntate, sed postulationes ad Sacrorum canonum normam esse expendendas. Epist. 251. §. 1. » 597

Qua de re dolet se illius postulationibus obsecundare minime posse, quibus sollicitabat Episcopatum *in partibus* pro Religioso viro, quampluribus virtutibus praeclaro §. eodem. » ibid.

Trydentini siquidem Concilii canonibus adversantur Episcopi illi, neque clerum, ne-

que populum, neque Sedem, permanentem habentes § 2. pag. 597
Idcirco creandi minime sunt, sine gravi necessitate, et evidenti Ecclesiae utilitate, et dummodò prius honesto patrimonio dotati fuerint. §. eod. » ibid.

PRINCEPS NACHADIORUM.

Hujus Principis humanitatem erga Christifideles comendat, hortaturque ut in hac perseveret voluntate, et Apostólica decreta exequutioni comitti curet. Const. 168. §. 1. » 421
Eidem significat electionem Monachi Ignatii in Patriarcham Graeco-Melchitam, tamquam pluribus vitiis infectam proscripsisse, novumque idoneum Patriarcham praefècisse §. 2. » 422
Tandem quum subortae fuissent controversiae inter Monachos Maronitas Monticulas appellatos, et Hyerapolitanos, quae acta fuerunt ad eos conciliandos, Pontifex Principi significat, ejusque implorat auxilium pro pace confirmanda §. 3. » ibid.

PRIVILEGIUM.

Privilegia Dapiferorum. Vide *Dapiferi*.
Privilegia Conclavistarum. Vide *Conclavistae*.
Privilegia pro Cappellanis Pontificiis. Vide *Cappellani Pontificii*.
Privilegiis, exemptionibusque Cardinalium, detrimentum si afferri contigerit, egre id semper tulerunt Romani Pontificès. Const. 22. §. 2. » 65
Privilegia pro Familiaribus Pontificiis. Vide *Familiares Pontificii*.
Privilegium Notariatus Apostolici cum habito Praelatitio, perpetuo conceditur Plebanis pro tempore Collegiatae Ecclesiae S. Felicis Venetiarum, in qua Summus Pontifex Sacro Baptismate fuit regeneratus Const. 37. § 2. » 101

PRIVILEGIUM FORI.

Vide *Homicidae*.
Vide *Sardiniae Regnum*.

PROCURATIO.

Parochi Regulares cujuscumque Ordinis, tenentur solvere Procurationem Constit 26. §. 5. et 6. » 81

PROHIBITIO LIBRORUM.

Opus uno, alioque idiomate vetitum, proscriptumque, quacumque alia lingua postimodum exhiberi contingat, eadem proscriptione notatum intelligitur Const. 23. §. 1. pag. 67
Italico idiomate traductum opus cui titulus » *Storia del Popolo di Dio dalla Nascita del Messia, sino alla fine della sinagoga seconda parte* » Una cum dissertationibus, et Apologia proscripsit Benedictus XIV. per Literas in forma Brevis diei 17. Febr 1758. §. 2. » ibid.
Et Clemens XIII constit. hac diei 2. Decembris 1658 sub gravissimis censuris damnavit opus aliud Gallico Idiomate perscriptum, et in plures Tomos distributum, cui titulus » *Histoire du peuple de Dieu, troisieme partie* § 3. » ibid.
Librum Gallico idiomate publicatum, cui titulus » *De l' Exprit* », utpote refertum propositionibus impiis, scandalosis, atque haereticis damnat, et reprobat Const. 34. §. 4 » 97
Opus cui titulus » *Encyclopedie, ou Dictionaire raisonnè des sciences, des Arts ec.* » utpote refertum propositionibus contra Christianam pietatem, et morum disciplinam damnavit S. Congregatio Indici Librorum prohibendorum, et expurgandorum praeposita Const. 84. §. 1 » 244
Illud, et subsequuntam editionem, licet emendatam, notisque refertam, attamen falsas, et perniciosas doctrinas continentem proscripsit Sacra Cardinalium Congregatio Inquisitionis adversus haereticam pravitatem § 2 et 3. » ibid.
Decreta praelaudatarum Congregationum confirmavit, et approbavit Pontifex, et opus ubique, quocumque idiomate, et etiam cum notis, et correctionibus impressum perpetuo damnavit, prohibuit, et ne retineri a quovis posset, sancivit, severioribus Ecclesiasticis poenis adjunctis §. 4. » ibid.
Quamvis decreto S. Congregationis Indicis diei 21. Novembris 1757. prohibitum fuerit Opus Gallico sermone perscriptum, et in plures Tomos distributum, cui titulus » *Exposition de la Doctrine Chretienne, ou instructions sur les principales veritèes de la Religion* » attamen Italico deinde sermone traductum, typis mandatum fuit. Constit. 228. §. 1. » 521
In qua sane versione animadvertere debuit Romanus Pontifex ex regula Sanctae Sedis, quod opus, uno nempe idiomate aeditum, atque proscriptum, quocumque alio versum sit, eadem proscriptione notatur, §. eod. » ibid.
Neque confert ad talem proscriptionem eva-

dendam, si versio castigata sit privato tantum ingenio, non quidem eorum ad quos legitima spectat auctoritate §. eod. pag. 521
Hinc Pontifex, novam hanc Italicam versionem, prius a pluribus S. Theologiae magistris examinatam, concorditerque reprobatam damnavit, utpote continentem, propositiones respective falsas, captiosas, male sonantes, scandalosas, et Apostolicis decretis contrarias §. 2. » ibid.
Insuperque hujus operis non solum Italicam versionem, sed aliam quocumque idiomate, vel factam vel faciendam damnavit, et ne legi, et retineri a quibuscumque posset, prohibuit sub poena excomunicationis ipso facto incurrendae §. eod. » 522
Tandem jussit, ut quicumque, opus praedictum, vel versionem apud se habuerit, statim hujus prohibitionis accepta notitia, tradere, et consignare teneretur vel locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus §. eod. » ibid.

Q

QUADRAGESIMA.

Quadragesimale tempus est plenum Mysteriis, magnamque illam Paschae celebrationem praecedit, qua una, omnium solemnitatum dignitas est consecrata. Const. 104. §. 1. » 295

R

REGINA HUNGARIAE.

Cum postulasset apostolicum assensum, ut plenum robur obtinerent pactiones quasdam initas a majestate sua cum Republica trium Rhetiae faederum, gravissimis ob rationibus idem assensus fuit denegatus. Const. 430. §. 1. 2. » 890
Reginae Hungariae declarat Pontifex, quanta cura studuerit, ut noxiorum librorum lecturam prohiberet. Const. 572. § 1. » 1129
Dolet de recenti decreto aedito pro Ducato Mediolanensi quoad censuram imprimendorum, et introducendorum librorum, ibid. §. 2. » ibid.
Cujus decreti maximum fuit gravamen, laicam potestatem in judicem censurae erigere, maxime in materiis ecclesiasticis, ibid. 3. » 1130
Quin gravamen tollatur per demandatam binorum ecclesiasticorum deputationem in censorum numero, ibid. §. 4. » ibid.
Semper enim praevalebit sententia laicorum censorum pro ecclesiasticorum opinione. ib. §. 5. pag. 1130
Ad quae avertenda mala, hortatur Imperatricem Reginam ne aliquid innovari sinat praescriptis in conciliis Tridentino, et Lateranensi: ibid. §. 6. » ibid.
Reginae Ungariae electae Romanorum Imperatrici commendat Pontifex afflictas catholicae Religionis res in Regno Poloniae Const. 642. » 1381
De Greci ritus Episcopo in Hungariae Regno minime constituendo agit Pontifex, et duorum rituum incompatibilitatem demonstravit. Const. 682. » 1461

REGNUM POLONIÆ.

Ex concessionibus Leonis X. et Clementis VII. alternativa semestralis inducta fuit in Poloniae Regno, quoad Beneficiorum collationem Const. 366. §. 2. » 798
Hinc Pontifici preces porrectae fuere ab Archiepiscopo Gnesnensi nomine cunctorum in Poloniae Regno Archiepiscoporum, pro supradictae alternativae confirmatione §. 3. » ibid.
Pontifex praecedentem alternativam prout in praecitatis constitutionibus indulta fuit, confirmavit, et approbavit. §. 4. » ibid.

REGNUM SARDINIÆ.

Vide *Sardiniae Regnum*.

REGULARES.

Regulares cujuscumque Ordinis sint, exercentes curam animarum, personarum secularium, et non commensalium in Parochiis, licet illae Monasteriis exemptis sint unitae, et adnexae, et cura animarum resideat in Abbatibus, visitationem Episcopi, sive per se, sive per alium factam subire tenentur, in iis quae respiciunt curam Animarum Constit. 26. §. 5. et 6. » 81
Parochi Regulares, procurationem solvere tenentur; vocati ad Synodum, accedere sunt cogendi; Festa Diaecesis populo annunciare, et celebrare debent; tandem Chrisma, et Olea Sacra ab Episcopo accipere §. eod. » ibid.
Sine approbatione Episcopi, nequeunt Parochi Regulares, etiamsi sint Abbates, Superioribus Regularibus, ad curam animarum destinari, illamque exercere §. eod. » ibid.
Regulares nequeunt dari in coadjutores Parrochorum Regularium a Superioribus Regularibus, sine expressa licentia Episcopi §. eod. » ibid.

Episcopi in approbatione Confessariorum Regularium, limitare possunt eorumdem facultates, non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas, et loca in quibus debent confessiones audire §. eod. pag. 81

Parrochi Regulares, et Abbates, nequeunt pro libitu, et sine licentia Episcopi constituere modo unam, modo alteram Ecclesiam, sive Cappellam, in qua Sacramenta à Parochis subministrentur §. eod. » ibid.

Praelati Regulares habentes purum Jus-Patronatus Parrochiarum acquisitum, vel cessum a Laicis, quibus in hoc succedunt, tenentur praesentare Episcopo Sacerdotes Seculares, ut antea Laici tenebantur, neque possunt substituere Monachos, eosque pro libitu, absque Episcopi licentia removere §. eod. » ibid.

Regulares, qui subjecta habent Monasteria Monialium, subjiciuntur Episcopo quoad curam clausurae dictorum Monasteriorum, et quoad praedictae clausurae observantiam ad praescriptum Sacri Concilii Trydentini §. eod. » ibid.

Praelatis Regularibus prohibere potest Episcopus ne pluries in anno occasione Visitationis ingrediantur septa Monasterii Monialium sibi subjecti, sine praesentia ejusdem Episcopi, sive alterius personae ab eo deputandae §. eod. » ibid.

Regulares sine Ordinarii examine, nequeunt Puellas ad habitum, et Professionem admittere in Monasteriis illis subjectis, neque ad electionem Abbatissarum exemptarum devenire possunt non significata Ordinario die electionis, cui Episcopus, sive per se, sive per alium interesse, et praesidere possit §. eod. » ibid.

Confessarii Regulares pro audiendis confessionibus unius Monasterii Monialium exemptarum, vel pro una vice approbati, nequeunt censeri semper, et pro omnibus Monasteriis approbati §. eod. » ibid.

Regulares tenentur, pro obtinenda facultate audiendi confessiones, sive secularium, sive Monialium, se personaliter coram Episcopo praesentare, neque sufficit a Superioribus de sufficientia, atque idoneitate testimonium transmitti §. eod. » ibid.

Praelati, et Abbates Regulares, nequeunt sine speciali indulto, Calices, Campanas, aliaque Vasa Sacra in quibus intervenit sacra unctio, benedicere pro usu alienarum Ecclesiarum §. eod. » ibid.

Abbates, et Praelati Regulares tenentur servare Decretum ab Alexandro VII. editum circa usum restrictum Pontificalium Praelatis inferioribus concessum §. eod. pag. 81

Vetitum est Regularibus Eucharistiam in propriis Ecclesiis exponere, sine licentia Ordinarii, neque possunt in propriis Ecclesiis insolitam imaginem, aut Sacram Reliquiam ab Ordinario non approbatam exponere; tandem impediuntur in iisdem Ecclesiis praedicare non petita ab Ordinario Benedictione, aut in aliis Ecclesiis sine Ordinarii licentia §. eod. » ibid.

Ut Regulares in propriae Religionis observantia contineantur, et debitis Visitationibus indictis, Christianarum virtutum, bonarum artium, et operum germina proferre non desinant, curare debent Romani Pontifices Const. 94. §. 1. » 265

Decet servare pacem, atque concordiam inter Religiosos, qui se totos Christianae humilitatis, et poenitentiae exercitationibus devoverent. Const. 140. §. 1. » 349

Quod si ob humanae indolis infirmitatem, quid exadverso contigerit, Summus Pontifex, discordiarum semina sedulo extirpat, ne parvis ex scintillis magnum exurgat incendium §. eod. » ibid.

Cavere debent Regulares Praelati, ne nimia facilitate expellant Religiosos homines, qui nulla ratione ad bonam frugem per eos revocari possunt, quique incorrigibiles dicuntur. Epistol. 145. §. 4. » 359

Id enim gravem Episcopis molestiam, seculari autem Clero ignominiam infert, illi enim assumpto Clericali habitu, expulsionis infamiam operire satagunt, quin interim a veteri pravitate resipiscant §. eod. » ibid.

Adeoque ipsi Praelati Regulares, juxta Decretales Gregorii IX., debent singulis annis, eosdem Religiosos viros interpellare, ac requirere ut ad poenitentiam suis in Coenobiis agendam revertantur, §. eod. » ibid.

Religiosi viri a respectivis Regularibus Praelatis expulsi, ab Ordinum exercitio suspensi sunt, quin possint Ordinarii locorum hanc suspensionem laxare, §. eod. » ibid.

Quae in Pontificiis Constitutionibus, ad Regularem disciplinam servandam constituta sunt ubi labefactata reperiantur, separanda sunt, Apostolicae auctoritatis praesidio. Const. 159. §. 1. » 392

Ad Regularium disciplinam restaurandam, et restitutam conservandam, plurimum conferre possunt annuales Visitationes, §. 2. » 393

Qui Regularem Ordinem professi sunt, contemptis omnibus Mundi illecebris, et humilitate sibi proposita, dedecet eos honoris, et praeeminentiae gradus, inani ambitu conquirere. Constit. 166. §. 1. pag. 416
Hinc plures Romanorum Pontificum Constitutiones, non solum ambitum ipsum prohibuere, sed insuper gravissimas indixerunt poenas contra subornationes Electorum, ac etiam Saeculares personas, quae preces porrexissent ad Regularia officia procuranda §. 2. » ibid.
Ex Constitutionibus Innocentii XIII. et Clementis XII. editis pro Statu Ecclesiastico vetitum est Regularibus cujuscumque Ordinis, quaecumque medicamenta, pharmaca, Teriacam, et Mitridatum vendere. Constit. 202. §. 9. » 484
Ast Innocentius XIII. pro dicto Statu Ecclesiastico, et praesertim pro Alma Urbe, Benedictus vero XIV. pro statu Mediolanensi a prohibitione ipsa exemit Fratres Ordinis Sancti Joannis de Deo §. eod. » ibid.
Praelatis Regularibus, Romani Pontifices jura quaedam quoad Monasteria Monialium eorum Ordinum concesserunt, quae transgredi minime licet Constit. 222. §. 2. » 514
Episcopi etenim quibusdam pollent juribus etiam in Monasteriis Monialium, quae Regularibus Praelatis subjecta sunt, exercendis §. eod. » ibid.
Hinc necesse est, eos ita suis juribus uti, ut neuter alterius turbet jurisdictionem §. eodem. » ibid.
Quod si, horiatur dissentio, inter Episcopum, et Praelatum Regularem, Romano Pontifici spectat praecipere, ut ambo inter praescriptos fines contineantur §. eod. » ibid.
Vide. *Benedictio Papalis. Judices Conservatores. Nuncius Coloniensis.*

RELIQUIÆ

Vide *Sacrae Reliquiae.*

RESPUBLICA GENUENSIS.

Antiquam Genuensium pietatem, et perpetuam erga Apostolicam Sedem observantiam commendat. Epist. 143. §. 4. » 354
Vide. *Insula Corsicae.*
Vide. *Archiepiscopus Genuensis.*

RESPUBLICA LUCENSIS.

Laudat Lucensium Magistratuum docilitatem; quod controversiam patronatus Archiepiscopatus Lucensis, judicio S. Sedis remiserint. Epist. 399. §. 1. pag. 852
Declarat, Lucensem Rempublicam ex indulto Benedicti XIV. jure praesentandi ad vacantem Archiepiscopatum pollere, minime vero jurepatronatu, quod praesentatione valde distat §. 2. » ibid.
Ex quo concludit, S. Sedem suo esse in jure seligendi Archiepiscopum ex iis quos Lucensis Respublica praesentaverit, nec non reservandi super fructibus Mensae Archiepiscopalis, moderatam pensionem §. eod. » ibid.

RESPUBLICA LUCERNENSIS.

Reipublicae Lucernensi ratio redditur, cur in scriptis minime responsum dedit Pontifex binis epistolis pertractantibus de subsidio praestando ab ecclesiasticis. Constit. 494. §. 1. » 1029
Seniori consilio respublica postulavit, ut loco perpetui subsidii licitum eidem foret ab ecclesiasticis voluntarias accipere oblationes, ibid. §. 2. » 1030
Quam postremam postulationem Pontifex judicio peculiaris congregationis commisit, ibid. §. 3. » ibid.

RESPUBLICA VENETA.

Venetam Rempublicam laudibus commendat, eique suum amorem exprimit. Const. 177. §. 1. » 429
Venetae Reipublicae Sixtus V. concessit locum pro uno Sacrae Rotae Auditore, qui prius obtinebatur a Regno, quod à Catholica Fide defecerat §. 2. » ibid.
Eidem Reipublicae facultates in eligendo Romanae Rotae Auditore tribuit Clemens XIII. quibus pollent Summi Reges, Romanorum scilicet, Francorum, et Hispaniarum §. 3. » ibid.
Condolet cum Venetae Reipublicae moderatoribus, quod iis probantibus, ut Graeci sibi Episcopum ad regendam Ecclesiam S. Georgei eligere possent, virum elegerint non modo a schismatico Episcopo Ordinatum, sed minitantem manus impositionem obtinere extra Catholicam Ecclesiam. Epist. 268. §. 2. » 619
De qua re, Pontifex subdit, quaerimonias suas detulisse hujus Reipublicae Legato penes S. Sedem, eique commendasse, quod Graecorum res Venetiis perturbatae, ad pristinam sincerae doctrinae sanitatem reducerentur, §. eod. » 620
Quum vero nullum captum consilium fuerit a

Veneta Republica, eidem significat dedecus in quo incurret quoties schismati minitato pro viribus non obsistat, §. 3. pag. 620
Nec non originem Ecclesiae pro Graecis Catholicis, atque salutares pro Veneta Republica praecedentium Pontificum sanctiones commemorat, §. 4. » ibid.
Vivis admodum coloribus pingit perturbationem Catholicarum rerum in Ecclesia S. Georgei, et graviora imminentia damna §. 5. » ibid.
Adeoque Venetae Reipublicae Magistratus obsecrat, ut tot impendentibus malis obsistant, Catholicamque fidem tueantur. §. 6. » 621
Praecedentes literas de intruso Episcopo Graeci ritus in Ecclesia S. Georgei, Venetae Reipublicae perscriptas commemorat. Epist. 335. §. 1. » 736
Ad mentem deinde revocat, quanta semper fuerit Venetorum Magistratuum sedulitas, ut in Ecclesia S. Georgei, Catholica puritas servetur. §. 2. » ibid.
Adeoque quaeritur, quod intrusus hic schismaticus Episcopus, sacris se se immiscuerit, et publice Episcopalibus insigniis sit usus in eadem Ecclesia §. 3. » 737
Hinc Reipublicae Moderatores hortatur, ut tam turpe scandalum removeant §. 4. » ibid.
Alias minitatur Pontifex supremae suae dignitatis exercitium, ne Catholici Graeci, cum pseudo-Episcopo ulterius communicent, § 5 » ibid.
Iterum ad Venetae Reipublicae moderatorum memoriam revocat praecedentes literas perscriptas, quoad Episcopum schismaticum in Ecclesia Graeca S. Georgei, illiusque expulsione, Epist. 394. §. 1. » 843
Valde confidit Pontifex in Religione, sapientia, et prudentia Venetorum Magistratuum §. 2. » ibid.
Commemorat Ecclesiam S. Georgei ex Pontificum voluntate, pro Graecis Catholicis aedificatam, sub immediata reperiri Apostolicae Sedis potestate §. 3. » ibid.
Iterum sacrilegam schismatici viri electionem condemnat, in Antistitem Ecclesiae S. Georgei deputati §. 4. » ibid.
Quantum damni sit Catholicae Religioni, si schismaticus Antistes ulterius in Ecclesiae administratione tolleretur. §. 5. » 844
Vetera decreta Venetae Reipublicae memoriae revocat, quibus consultum fuerat gubernio Ecclesiae S. Georgei, §. 6. » ibid.
Suum exprimit dolorem quoties ad tot mala removenda, Auctoritatem Apostolicae Sedis interponere cogatur, §. 7. » ibid.

REUS.

Ex Sacrae Inquisitionis consuetudine, quoties Reus in judicio constitutus, ad primas, et generales Judicis interrogationes delictum suum plene, distincte, et sincere fateatur, mitius agitur, et poena plectitur in gradu minori. Const. 44. §. 5. pag. 113

REVERENDA CAMERA APOSTOLICA.

Quamplurima bona allodialia, feudalia, et jurisdictionalia possidebat Franciscus Romanorum Imperator electus, tamquam haeres Annae Mariae Aloysiae Principissae Hetruriae, atque in Ecclesiastica ditione sita. Constit. 365. §. 1. » 797
Eadem bona, exceptis illis in Urbe sitis cupiens pro R. C. A. emere Pontifex, plenipotentias ad contractum conciliandum cum praelaudato Imperatore electo, dedit Apostolico Nuncio penes dictum Imperatorem §. 2. » ibid.

REX BRITTANNIAE.

Brittanniae Regi Jacobo III. jus nominationis ad Catholicos Episcopatus esse declaravit, ac confirmavit Clemens XIII. Epistol. 103. §. unic. » 294

REX FRANCORUM.

Francorum Rex inclyto Primogeniti Ecclesiae filii titulo donatur Epist. 19. §. 2. » 61
Francorum Regem per Literas in forma Brevis hortatur, ut saluberrimum opus Jubilaei Generalis, per Galliarum Regnum publicati, juvare ac Regii favoris auxilio Sacris Ecclesiarum Praesulibus impenso promovere non dedignetur Const. 29. §. 2. » 89
Francorum Regem laudat, ob suam observantiam erga Sedem Apostolicam, obedientiam Ecclesiae decretis, desideriumque suum, ut omnes subditi Constitutioni *Unigenitus* omnino pareant, atque eam, quo par est honore prosequantur §. 3. » 90
Ab Regis Francorum consiliis, et Religione repetit, Universos Archiepiscopos, et Episcopos Galliarum, praelaudatam Constitutionem *Unigenitus* expresse recipisse, eique debitam observantiam, et subjectionem, a Fidelibus Pastorali eorum curae concreditis, exhibere studuisse, §. eod. » ibid.
Adeoque Regem ipsum hortatur, atque impense rogat, ut omnem operam suam, Regiaeque potestatis praesidium iisdem animarum

Pastoribus praebere non desinat, quo omnes tandem subditi in eumdem sensum, eamdemque sententiam adducantur §. eod. pag. 90

Christianissimi Regis laudes, et moerita commemorat, eique imminens significat periculum Ordinis Hierosolymitani, cujus Melitensis insula a Turcharum navibus minitatur Epist. 196. § 1. » 468

Eumdem hortatur, ut Equitibus periclitantibus, auxilium praebere velit, pro bono Christianae Reipublicae §. 2. » ibid.

De ingravescentibus in Germania Ecclesiasticis rebus, malisque contra Ecclesiam imminentibus condolet cum hoc Rege, eique commendat religionem pro desiderio quo fragrat tuendae Catholicae Fidei. Epistol. 214. §. 1. » 504

Significat Christianissimo Regi consilium initum ab inimicis Catholicae fidei, ut in proximis Comitiis pro pace habendis Augustae Vindeliciorum, antiquum propositum consumarent, in dies semper aggravandi Germanicarum Ecclesiarum, jam miserandam conditionem §. eod. » ibid

Qua de re postulat Francorum Rege, ut in habendo Augustano congressu id curet, ut ea consilia suscipiantur, quae futura damna impedire, et perpessa reparare possint §. 2 » ibid.

In qua opera praestanda, Rex suis prospiciet rationibus, et divinum sibi fore auxilium comparaturum §. eod. » ibid.

Commemorat Pontifex Francorum Regi praecedentes literas, quibus Germanicas Ecclesias commendaverat contra Acatholicorum conatus. Epist. 314. §. 1. » 712

Eorumdem Acatholicorum Principem molimina designat, pro Ecclesiarum Germanicarum subversione §. 2. » ibid.

Omni studio Germanicas Ecclesias defendere teneri Francorum Regem, qui Germanicorum foederum arbiter reputatur §. 3. » ibid.

Peculiares aderant conventiones inter S. Sedem, et Francorum Regem quoad Milites a signis suorum exercituum discedentes, ac in Civitate Avenionensi, et Comitatu Venaysino perfugio utentes. Constitut. 418. §. 1. » 878

Ad eas renovandas, et ampliandas, specialis plenipotentia data fuit Apostolico in Galliis Nuncio §. eod. » ibid.

Quum vero pactiones istae, multa fuerint consensione conciliatae, novas Pontifex dedit plenipotentias Secretario Status, ad pacta haec firmanda, et illorum exequutionem promittendam §. 2. » ibid.

Regi francorum indultum fuit privilegium ad hoc, ut juxta concordatum cum Sancta Sede, ad commendam beatae Mariae » *de Monte Chiaro* » licet eamdem vacare contigerit per mortem commendatarii apud sedem praedictam, posset nominare. Const. 447. pag. 915

De nuper evulgatis regiis edictis, ecclesiasticae libertati infensis condolet cum francorum rege Pontifex. Constit. 546. » 1087

Praelaudatum regem hortatur, ut Gallicanos Episcopos, hac de re benigne audire velit; illisque, obsecundare dignetur, ib. §. 2. » 1088

Ex decreto ab francorum rege lato, quo jura Apostolicae Sedis laeduntur, quoad beneficia ecclesiastica comitatus Burguntiae conqueritur Pontifex. Constit. 565. » 1119

Memoriae revocantur concordata Germaniae, a quibus jura S. Sedis derivant quoad beneficia ecclesiastica in comitatu Burguntiae, ib. §. 2. » ibid.

Hortatur christianissimus rex, ut suam auctoritatem interponat, ne in galliis reformatio regularium intercedat inconsulta Sancta Sede. Const. 567. §. 4. » 1122

Christianissimo Galliarum regi, Pontifex regem, regnumque Poloniae dessidentium turbis divexatum commendavit. Const. 591. » 1154

REX HISPANIÆ.

Chirographum Ferdinandi Regis Hispaniarum die 2 Octobris 1757. quo concessa facultas, ut hospitium S. Rosae de Ocopa, Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci in Collegium, sive Seminarium Apostolicum Missionariorum erigi possit, confirmat Const. 4. §. 3. » 21

Rex Hispaniae est administrator perpetuus Militiae S. Jacobi de Spatha, ex Apostolica auctoritate Const. 11. §. 1 » 39

Praelaudato Hispaniarum Regi tribuitur facultas eligendi, et nominandi Priores cujuscumque Conventus hujus Militiae, quoties ob discrepantiam vocalium, vel ob paritatem suffragiorum, nulla in successivis scrutiniis, canonica Priorum electio concludi possit, §. 2. » 40

Hispaniarum Rex Apostolica auctoritate, est administrator perpetuus militiae B. M. *de Montesa*. Const. 43 § 1. » 109

Ferdinandi VI. Hispaniarum Regis mortem nunciatur Cardinalibus in Concistorio coadunatis, nec non Caroli III. in Regnis ipsis successionem Alloquut. 83 §. 1. » 242

Praelaudati defuncti Ferdinandi VI. virtutes, et merita commendat, solemnesque pro illius anima exequias indicit, de more in Pontificio Sacello celebrandas §. 2. pag. 242
Caroli III. Religiosos mores, et devotionem erga Sanctam Sedem, laudibus prosequitur §. 3. » 243
Hispaniarum Regi suum Pontifex dolorem exprimit, pro discessu ex Italia, cui lenimentum praebet successio Ferdinandi illius Filii in Regno Utriusque Siciliae Epistol. 116. §. 1. » 315
Eumdem de concessa Regni Utriusque Siciliae investitura favore Ferdinandi illius Filii, certiorem reddit §. 2. » ibid.
Hortatur, ut filium suum paternis monitis in Religione, et erga S. Sedem observantia confirmet §. 3. » 316
Cum Catholico Rege conquaeritur quod Cephaldiensis Episcopus in Sicilia, absque ullo S. Sedis assensu, jurisdictionem quasi Episcopalem contulerit Presbytero Seculari in Territorio Balneariae, quod separatum omnino erat, et Sanctae ipsi Sedi immediate subjectum Epistol. 129. §. 1. et 2. » 331
Presbyter siquidem cui jurisdictio quasi Episcopalis, Romano Pontifice minime assentiente tribuitur, legitima caret missione, et quidquid operatur, id agit, in populi nulliter illi concrediti, spirituale detrimentum §. 2. » ibid.
Hortatur Regem Hispaniarum, ut in sua protectione recipiat Principem Hasso-Cassellanum, neque exequutioni comitti permittat iniquas pactiones ab illo extortas dum Lutheranae haeresi ejuravit Epist. 132. per tot. » 333
Hispaniarum Regi significat Pontificium dolorem, ob repentinam expulsionem e Portugalliae Regnis Cardinalis Philippi Acciajoli, qui penes Fidelissimum Regem Nuncii Apostolici munere fungebatur Epistol. 151. §. 1. » 365
Cui tamen dolori levamen attulit honorifica benevolentia, qua ab Hispanicis Magistratibus exceptus fuit, pietati, et Religioni Catholici Regis tribuenda §. eod. » ibid.
Hinc praelaudatum Catholicum Regem hortatur, ad hoc ut pulsum Apostolicum Nuncium in suis Regnis commorari permittat, et opem praesidiumque Apostolicae Sedi afferat, ut ejus jura, honor, et dignitas quamcito vindicetur, atque sarciatur. §. 2. » ibid.
Preces porrexit Hispaniarum Catholicus Rex, ut Beata Virgo, sub immaculatae Conceptionis mysterio, Patrona assignaretur Hispanicis Regnis. Constit. 167. §. 2. pag. 420
Apostolica auctoritate Clem. XIII. confirmavit electionem factam in Hispanicis Regnis ejusdem Beatae Virginis in Regnorum praefatorum Patronam §. 4. » ibid.
Insuperque Festum immaculatae Conceptionis, sub ritu duplici primae classis, assignavit pro universis Hispanicis Regnis §. 5. » 421
Tandem omnibus Christifidelibus in ipsis Regnis, qui confessi, et Sacra Comunione refectis, et orantes pro Principi Christianorum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione, visitaverint aliquam Ecclesiam Beatae Virgini dicatam, in die ejus immaculatae Conceptionis indulgentiam plenariam concessit, §. 6. » ibid.
De hisce omnibus certiorem Pontifex facit Hispaniarum Regem, precesque Deiparae Virgini se porrectum promittit pro Hispanicae Ditionis, Regique familiae felicilitate. Epist. 172. §. Unic. » 426
Rex Hispaniarum Pontificem supplicavit pro concessione Officii, et Missae propriae die festo immaculatae Virginis Conceptionis pro Universis Hispanicis Regnis. Cons. 180. §. 2. » 438
Pontifex proprium officium cum octava concedit universo per Hispanicos Regnos Clero tam Seculari, quam Regulari utriusque sexus, quod concessum jam reperiebatur Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci §. 3. » ibid.
Proprio dolore expressio Catholico Regi pro tot vulneribus, quibus Christiana Respublica affligitur, novissimos exponit Turcarum conatus contra Melitensem Ordinem, et Catholicorum populum. Epist. 197. §. 1. » 469
De cruento condolet bello quo aliqui summi Reges distrahuntur a qua gratulatur exempta esse tum Hispaniarum, tum utriusque Siciliae Regna. §. 2. » ibid.
Catholicum adprecatur Regem, ut Melitensi Ordini, et periclitantibus universae Italiae littoribus, opportunis, et efficacibus auxiliis, praesto esse non desinat. §. 3. » ibid.
Imminentia Germanicis Ecclesiis damna designat in proxime habendo Augustae Vindeliciorum congressu pro pace, ad dissidentium bello Principum lites finiendas. Epist. 231. §. 1. » 528
Exponit, plures Acatholicos Principes pertentasse, Germanicas Ecclesias veteribus juribus, et antiquissimis dominationibus expoliare. §. 2. » ibid.

Adeoque Catholico Regi demonstrat, quantum periculi insit Romanae Ecclesiae, si Germanicarum oppressio permittatur, ad quam impediendam illius postulat auxilium, §. 3. pag. 529
Suspicionem suam patefacit Pontifex, quod in proxime inheundo pacis foedere, Germanicarum Ecclesiarum, juribus offensiones parentur Epist. 315 §. 1. » 713
Hinc Catholici Regis auxilium implorat, ne temporali illae pellantur dominatione, suisque juribus priventur §. 2. » ibid.
Cum Elisabetha Hispaniarum Regina vidua gratulatur, quod a Carolo Catholico Rege illius filio revocatae fuerint pragmaticae noviter in Hispaniis introductae contra Apostolicae Sedis dignitatem, et libertatem. Epist. 364. §. Unic. » 796
Vide *Cappellanus major Exercituum Hispaniarum.*
Catholico regi Hispaniarum praecipienti ecclesias futuris facultatibus ditari non posse, demonstratur quantum sit a justitia alienum, ecclesiasticas largitiones prohibere. Const. 479. §. 1. » 1010
CXXVII. Neapolitani Monasterii S. Clarae in statum pristinum restituitur titulus, ac munus Commissarii Apostolici, sed ejudem Monasterii tantum. » 328

CXXVIII. Confirmatio, seu innovatio privilegii alias per Sedem Apostolicam concessi, eligendi, et nominandi Presbyteros cujuscumque regionis ad Beneficia, seu Convictui Monialium de Schonis nuncupato, Ordinis S. Augustini Curien. Dioecesis. » 330

CXXIX. De Cephaldiensis Episcopi arbitrio quoad potestatem quasi Episcopalem Sacerdoti tributam in Civitate Balneariae, a sua Dioecesi omnino disjuncta, et absque Apostolicae Sedis auctoritate, certiorem reddit Catholi-

cum Regem, huncque obsecrat ut periculosi schismatis initium removere pro sua curet religione. pag. 330

CXXX. Illustris Principis Hohenlochici Religionem, et gesta pro Catholica fide commendat, atque ut prosequatur in laudabili opere hortatur ferventissime. » 332

CXXXI. Commendat rationem redditam ab Episcopo Elnensi circa regimen cujusdam Pareciae, cui se prospecturum in sacra visitatione pollicitus fuerat. » ib.

CXXXII. Ut Hasso-Cassellanum Principem in sua protectione recipiat, neque iniquas pactiones ab eo extortas dum Lutheranae haeresi ejuravit exequutioni committat, per hasce Literas hortatur Catholicum Regem. » 383

CXXXIII. Dolet cum Poloniae Rege illustri, quod Filius, quasdam Religioni exitiosas conditiones ratas habuerit in delato illi Curlandiae Ducatu hortaturque, ut pacta sic corrigat, quod Catholicorum jura salva, ac tecta permaneant. » 334

CXXXIV. Poloniae Regis confessario in idem argumentum praescribit, eumque hortatur, ut cum Rege ipso de novis hisce scandalis removendis agat. » 335

CXXXV. In eodem argumento, novo Curlandiae Duci Epistolam mittit. » ib.

CXXXVI. Super idem argumentum Generalis Archiepiscopi adjutrices operas provocat. » 336

CXXXVII. De iidem novationibus in Curlandiae Ducatu cum Livoniensi Episcopo agit. » 337

CXXXVIII. Ecclesiam S. Petri *a Colonnello* Salernitanae Dioecesis segregat, ac dismembrat a Monasterio S. Mariae Matris Domini dictae Dioecesis, Ecclesiamque, et redditus incorporat Collegio S. Jesu Familiae in Civitate Neapolitana pro Sinensibus, et Indis, cum obligatione alendi alios quatuor Alumnos. » 338

CXXXIX. Quae contra Homicidas, et deferentes arma prohibita Benedictus XIV. pro Dioecesibus, et locis, Parmensi, Placentina, Burgi S. Domnini, et Guastallae sanciverat, eadem extendit ad terras, loca et oppidi directi dominii seu Ditionis temporalis Placentinae, in Dioecesi Papiensi. » 343

CXL. Approbatio decreti Diffinitorii Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, quo statuitur, Praesbiteros Novitios in omnibus antecellere debere Laicos professos. » 348

CXLI. Alloquutio habita in Consistorio diei 7. Maji 1760. qua Pontifex exponit, gesta per Rempublicam Genuensem contra Praesulem Crescentium Apostolicum Visitatorem missum in Insula Corsicae, et Cardinalium in hac tanta re consilium exquirit, ab unoquoque scriptis tradendum. pag. 350

CXLII. Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum et Regularium, quo approbatur Conservatorium, seu secessus pro Mulieribus animum a mundi illecebris revocare cupientibus erectum in Dioecesi Bachien. in Indiis. » 352

CXLIII. Cum Genuensi Reipublicae Duce, et Gubernatoribus graviter dolet de edicto quod promulgaverant adversus Signinum Episcopum Visitatorem Apostolicum in Corsicae Insulam delegatum, ac serio monet ut illud e medio tollant. » 353

CXLIV. Abrogatur Edictum in Civitate Genuensi nomine Ducis, et Gubernatorum illius Reipublicae promulgatum contra R. P. Cesarem Crescentium de Angelis Episcopum Signinum Visitatorem Apostolicum in quibusdam Corsicae Dioecesibus a Sanctitate Sua deputatum. » 354

CXLV. Gnesnensis Archiepiscopi per Pontificias Literas de Alternativa collatione Beneficiorum, et de nominatione ad quinque Cathedralium Dignitates in Poloniae Regno, datis postulationibus respondit, nonnullasque alias Ecclesiasticas questiones resolvit. » 358

CLXVI. Abbati Monasterii S. Juliani de Samos Ordinis S. Benedicti, Nullius Dioecesis Provinciae Compostellanae, facultatem injungit permittendi in sua Diaecesi artium exercitationes, et opera servilia, audita tamen Missa in Festis diebus aliquibus tamen solemnioribus exceptis. » 361

CXLVII. Idem indultum conceditur Abbati Monasterii de Sahagun Ordinis ejusdem, sub iisdem legibus et reservationibus. » 362

CXLVIII. Respondit Literis illustrium virorum in Ecclesiasticis Parisiensibus Comitiis congregatorum, quibus nunciaverunt, se Encyclicam Benedicti XIV. Epistolam uti stabilem normam sumpsisse, de quo summopere gratulantur. » ib.

CXLIX. In idem argumentum scribit Narbonensi Archiepiscopo. » 363

CL. Prohibitio extrahendi, et commodandi reliquias extra Ecclesiam Conventus Terrae de Lugo Imolen. Dioecesis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum sub excommunicationis poena, nec non privationis vocis activae et passivae quoad Regulares. » 364

CLI. Gratias Catholico Hispaniarum Regi reddit quod honorifice ab Hispanicis Magistratibus exceptus sit Apostolicus, penes Fidelissimum

Regem Nuncius e Portugalliae Regnis violenter expulsus, eumdemque Hispaniarum Regem rogat, ut praefatum Nuncium in sua protectione recipiat, atque Apostolicae Sedis contemptam dignitatem vindicet pro sua Religione. pag. 365

CLII. Confirmatio, et innovatio Literarum Benedicti XIV. super erectione Magistratus, privilegiis, et indultis Civitatis Forolivien. » 366

CLIII. Bibliothecam ab Advocato Marco Antonio Albicini Congregationi Missionis ad proprium, et publicum Civium Foroliviensium usum praelegatam, attenta ejusdem Congregationis Sacerdotum praelegato eidem renunciatione, Communitati Civitatis Forolivii ad publicum pariter usum donat, praevia derogatione dispositioni Testamentariae Advocati Albicini. » 371

CLIV. Confirmantur omnia privilegia Auditorio Causarum Palatii Apostolici concessa: restituitur in eo antiqua methodus in casu aequalitatis suffragiorum servanda, cum opportunis ordinationibus etiam circa Commissiones Causarum minus gravium, et Personas, studiis penes Auditores ipsius Auditorii addictas. » 373

CLV. Chirographum Pontificium, quo prospicitur editioni Monumentorum, et Inscriptionum posterioris aevi existentium in Ecclesiis, aliisque locis Almae Urbis cum privilegio decennali favore Camerae Capitulinae. » 378

ANNO III.

CLVI. Confirmatio nonnullorum Statutorum approbatorum ab Abbate Generali, et Diffinitorio Generali Ordinis S. Benedicti Congregationis Monachorum Vallis Umbrosae super nova methodo studiorum in dicto Ordine. » 380

CLVII. Electio Sacerdotis Ignatii in Patriarcham Antiochenum Greco-Melchitarum ab Antistitibus illius Nationis dissidentibus facta cassatur, et annullatur, reservata S. Sedi Patriarchalis Ecclesiae provisione. » 384

CLVIII. Graeco-Melchitarum Patriarchalis Ecclesia Antiochena, auctoritate Apostolica, et jure devolutionis providetur in personam Maximi Archiepiscopi Hyerapolitani. » 386

CLIX. Monasterium S. Mariae de Salem Ordinis Monachorum Cistercensium, in specialem S. Sedis protectionem suscipit, et Apostolicas Literas Alexandri VII., super Monasticae disciplinae observantia confirmat, una cum Const. Benedicti XIV. super Clausura Monasteriorum. pag. 391

CLX. Pontificum Romanorum, praecipuam fuisse curam, ut Ecclesiastica Immunitas, et Episcoporum jura sarcta tecta serventur, Clerique disciplina ad Sacrorum Canonum praescriptum revocetur, significat Guesnensi Archiepiscopo, cunctisque in Polonia Antistitibus. » 402

CLXI. Approbatio, et confirmatio sanctionum quarumdam, pro studiis Linguarum Orientalium Cappuccinorum, Conventus S. Honorati Parisiorum. » ib.

CLXII. Indulgentiae pro Fidelibus visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis Praedicatorum, aliqua ex septem feriis sextis, praecedentibus Festum S. Vincentii Ferrerii. » 406

CLXIII. Paraensem Episcopum summopere commendat pro eximio charitatis studio quo flagrat, et arduis periculis queis occurrit, ut animas ad Christi ovile reducat. » ib.

CLXIV. Approbatio, et confirmatio legum servandarum a piis Virginibus, quas vocant *Magistrae Piae*, quae regimini subsunt Piorum Operariorum. » 407

CLXV. Jacobo III. Magnae Britanniae Regi, jura nominationis ad Episcopales Sedes Catholicas praeservat. » 415

CLXVI. Omnibus Tertii Ordinis S. Francisci Regularis Observantiae Professoribus interdicitur ambitus ad officia, et munia dicti Ordinis. » 416

CLXVII. Magna Dei Genitrix sub Immaculatae Conceptionis Mysterio in Patronam, et Advocatam Universalem Ditionum omnium Hispaniae, et Indiarum, Serenissimo Regi Catholico subjectarum confirmatur, et nonnulla quoad Festivitatem, et Indulgentias quotannis servanda, praescribuntur. » 419

CLXVIII. Nachadiorum Principem laudat de ejus humanitate erga Christifideles suis in Ditionibus degentes, et ut in proposito persistat hortatur; nec non eumdem Principem certiorem facit de iis, quae pro Greco-Melchitis a S. Sede gesta sunt, de ejusdem S. Sedis voluntate, ad removenda dissidia inter Maronitas Mouticulos, et Hyerapolitanos. » 421

CLXIX. Jacobo III Magnae Britanniae Regi significat provisionem Ecclesiae Alladen. factam favore nominati a Majestate Sua, rationesque exprimit cur de nominatione ipsa mentio minime occurrat in Literis expeditis favore provisi. » 423

CLXX. Praevia derogatione dispositioni Testa-

mentariae Canonici Caroli Bellincini, medietatem redditiuum illius haereditatis applicat piae domui pauperum mendicantium in Civitate Regii, loco novi hospitii pro ipsis pauperibus erigendi. pag 423

CLXXI. Ne quaestio jurisdictionalis exorta inter Parochum Kerpensem, et Archiepiscoporum Coloniensem, jam a Sanctitate Sua composita, resurgat, Imperatrici Mariae Theresiae summopere commendat, atque adjutricem requirit operam. » 424

CLXXII. Hispaniarum Regi Catholico per has Literas significat, ejusdem, subditorumque votis annuisse, Deiparam Virginem sub Immaculatae Conceptionis Mysterio, tamquam totius Hispaniae, et Indiarum praecipuam Patronam elargiendo. » 425

CLXXIII. Illustrem Poloniae Regem certiorem facit, se illius votis obsecundasse, et adjutorem Cracoviensi Ecclesiae dedisse, novi Episcopi Auditoris institutione, a quo Lublinensis, et Sandomiriensis Clerus regeretur. » 426

CLXXIV. Viennensem Archiepiscopum summopere commendat, pro denegato assensu arbitrariae abolitioni Canonicorum Regularium S. Ruffi, et translationi eorumdem bonorum omnium ad manus Militum S. Lazzari, utque in proposito persistat conservandae Ecclesiasticae, et Regularis disciplinae, hortatur » 427

CLXXV. In idem argumentum Episcopo Valentino perscribit, ejusque studium sollicitudinemque laudibus prosequitur, quibus obstiterat arbitrariae abolitioni, et bonorum translationi. » ib.

CLXXVI. Significat satis non esse, ut quis ad Episcopalem dignitatem evehatur, qui Regularem vitam est amplexus, quod vir probus, et doctus sit, sed requiri, vel Ecclesiae necessitatem, vel magnam hujus utilitatem. » 428

CLXXVII. Locum in Sacrae Romanae Rotae Auditorio, quod Sixtus V. Reipublicae Venetae concesserat, pro uno ex Venetis Juris utriusque Doctoribus, a Republica praesentandis, et a Romano Pontifice seligendo, confirmat, et indulget, ut futuris vacationibus, unum tantum Nobilem, vel honestum Venetum Civem, utraque Laurea donatum, praesentare debeat Respublica ipsa. » ib.

CLXXVIII. Episcopo Clusino facultates tribuuntur pro unienda quadam Cappellania Curae Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis, cum onere constituendi Cappellanum Curatum pro spirituali Parochianorum bono. » 430

CLXXIX. Committitur Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis in Sardiniae Regno observantia peculiarium instructionum super Ecclesiastica disciplina, Ecclesiastici Fori privilegio, et Clericorum, aliorumque Ecclesiae servitio addictorum exemptione personali. pag. 431

CLXXX. Officium proprium, et missa diei Festi, et Octavae Immaculatae Conceptionis Magnae Matris Virginis, extenduntur ad Universas ditiones tum Hispanienses, tum Indicas Catholicae Monarchiae subjectas. » 437

CLXXXI. Approbatio, et confirmatio omnium gestorum per tunc existentem Episcopum Mindoniensem in exequutionem cujusdam Brevis Clementis XII., super translatione Missarum de uno ad aliud Altare pro Decano, et Capitulo Ecclesiae Mindoniensis. » 439

CLXXXII. Facultates speciales tribuuntur Abbati Generali totius Ordinis S. Basilii Magni pro Visitatione Provinciarum Hispaniarum. » 442

CLXXXIII. Confirmatur Constitutio diei 28. Augusti 1758. qua Pontifex hic, fructus Abbatiae B. M. Virginii de Rovito, loci de Rosarno tribuit pro substentatione Abbatum Generalium pro tempore Ordinis S. Basilii Magni cujuscumque Provinciae. » 444

CLXXXIV. Suum dolorem exprimit pro dissidiis obortis inter Missionarios Indiarum Occidentalium, ad quae removenda, decreta nonnulla S. Congregationis de Propaganda Fide adprobasse, et Apostolicum Delegatum, ad cuncta componenda deputasse significat. » 447

CLXXXV. Arbitrariam conventionem inter Canonicos Regulares S. Ruffi, et Equites S. Lazzari, se haud probaturum promittit Episcopo Diensi, nisi exquisito voto Sacrae Congregationis Consistorialis, et Universis auditis Ordinariis, in quorum Dioecesibus, praefati Canonici Regulares reperiuntur. » 448

CLXXXVI. Indulgentia plenaria ad Septennium conceditur cunctis Christifidelibus Visitantibus Ecclesias Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, Dominica immediate sequenti diem vigesimam primam Augusti, a primis Vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi. » 449

CLXXXVII. Indulgentiae tum plenaria, tum temporaneae conceduntur Confraternitatibus sub titulo Beatae Mariae Virginis de Bono Consilio, erectis, et erigendis in Ecclesiis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Ditionibus Bavariae, cum praecedentium indulgentiarum revocatione. » ib.

CLXXXVIII. Sodalitiorum institutionem sub

B. V. de Bono Consilio invocatione, in Ecclesiis Religiosorum Eremitarum S. Augustini, et indulgentias favore ipsorum Sodalitiorum approbasse, per alias Literas in forma Brevis, significat Mariae Antoniae Principissae Poloniae. pag. 451

CLXXXIX. Prohibitio sub poenis arbitrio Summorum Pontificum imponendis, ne ullo umquam tempore in viciniis Monasterii Septem Dolorum de Urbe, fabricetur, vel licentia construendi aedificia concedatur. » ib.

CXC. Confirmatio Rescripti Sacrae Congregationis Concilii, et Decreti exequutorialis Episcopi Gadicensis, quibus administratio pii Operis ab Josepho della Quintana Suarez de Toledo relicti, et retinenda a Ministro Tertii Ordinis S. Francisci de poenitentia Conventus Gadicensis, ceditur perpetuo favore Discretorii praelaudati Tertii Ordinis. » 452

CXCI. Superiorissae Monasterii S. Catharinae Virginis, et Martyris Venetiarum Ordinis S. Augustini, Abbatissae titulum, quo ex consuetudine donabatur, Apostolica auctoritate perpetuo tribuit, itemque baculi deferendi privilegium in solemnioribus festis, et annuli benedicti digito gestandi. » 455

CXCII. Venetiarum Patriarchae committit exequutionem Literarum, quibus Superiorissam Monasterii S. Catharinae ejusdem Civitatis, Abbatissae titulo perpetuo ditaverat, addita facultate gestandi baculum, solemnioribus diebus, et annulum benedictum digito deferendi. » 456

CXCIII. Concordia, seu transactio inter Episcopum Oscensem, et Capitulum Collegiatae Ecclesiae Villae de Sarinena ejusdem Dioecesis quoad exactionem nonnullarum decimarum confirmatur, et approbatur. » 457

CXCIV. Ex Conciliorum Sanctionibus, et Apostolicis Constitutionibus, interdictum esse eidem Pastori plures Ecclesias conferre, significat S. R. E. Cardinali ex Ducibus Bavariae, cui licet tres alios Episcopatus concrediti essent, Coloniensis, et Monasteriensis Episcopatuum collationem postulaverat. » 466

CXCV. Pontificium auxilium promittit Ordinis Hierosolymitani Magno Magistro, contra Turcas, Navali apparatu Melitensem Insulam minitantes, Christianumque Regum adjutrices copias provocaturum spondet. » 467

CXCVI. Christianissimi Francorum Regis auxilium implorat pro Melitensi Ordine, ab Turcarum apparatu in Melitensem Insulam minitato. » 468

CXCVII. Ab Catholico Hispaniarum Rege, idem pro Melitensi Insula, et toto Christiano Orbe auxilium implorat contra Turcas. pag. 469

CXCVIII. De eodem supra relato argumento Illustri Utriusque Siciliae Regi literas mittit, auxiliumque contra Turcas postulatur. » 470

CXCIX. De eodem Argumento agit cum Illustri Sardiniae Rege, cujus etiam sollicitat auxilium, contra imminens Turcarum periculum. » ib.

CC. Privilegia alias a Summis Pontificibus concessa Ordini Monachorum S. Basilii Magni, et praesertim quoad Altare privatum in tenimentis, prediis, villis ad dictum Ordinem spectantibus, confirmantur, et ampliantur, privataque Oratoria Monachorum, ab Ordinariorum Visitatione eximuntur, et Visitationi Abbatis Generalis, seu Visitatorum Generalium subjiciuntur. » 471

CCI. Imperatricis, atque Reginae Mariae Theresiae, auxilium implorat pro Melitensi Ordine, a Navali Turcarum apparatu minitato, sicut ab Universis Catholicis Regis implorаverat. » 473

CCII. Novum in Civitate Faventina erectum Hospitale, nec non illius Aromatariam, administrationi, et curae Religiosorum Virorum Ordinis S. Joannis de Deo concedit, nonnullasque regulas praescribit, pro majori pauperum infirmorum, tam in dicto Hospitali, quam in Faventina Civitate domi egrotantium, levamine. » 474

CCIII. Deputatio Emi. Cardinalis Banchieri in protectorem Ordinis Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, servata forma Constitutionis Innocentii XII. super moderatione facultatum Protectorum Ordinum Regularium. » 487

CCIV. Indulgentia Plenaria pro visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum in Ultramontanis partibus, in quibus Oratio Quadraginta Horarum, de locorum Ordinariorum licentia fieri contigerit. » 488

CCV. Abbati Monasterii S. Huberti in Ardenna Ordinis S. Benedicti, et Officialibus ab eo deputandis, facultas tribuitur se se immiscendi absque censurarum incursu in causis criminalibus ejusdem Oppidi S. Huberti adnexorumque locorum, in quibus jurisdictionem temporalem praefati Monachi exercent, dummodo se se abstineant a ferenda sententia in causis sanguinis. » ib.

CCVI. Exemptio Monasterii Graeco-Albanensis Medijusti a jurisdictione Abbatis Provincialis

Provinciae Siculae, illiusque immediata subjectio Abbati Generali Ordinis S. Basilii, jam decreta a praelaudato Abbate Generali, Apostolica auctoritate confirmatur, et observari a Superioribus, et Monachis praefatae Provinciae Siculae expresse injungitur. pag. 489

CCVII. Eligibilitatis indultum ad Ecclesiam Hildesiensem assequendam, licet de Trevirensi jam provisus sit, concessisse praelaudato Archiepiscopo Trevirensi significat, eumdemque hortatur ut quamcitius impedimenta removeat opposita contra Praeposituram Limburgensem, de quam jam S. Sedes, per Apostolicas literas, difficultates cunctas composuerat. » 491

CCVIII. Applicatio, et assignatio reddituum superextantium, post impleta injuncta onera, Confraternitatum Laicalium Civitatis, et Dioecesis Ariminensis, favore Seminarii, et Hospitalium Pauperum, et Peregrinorum ejusdem Civitatis. » ib.

CCIX. In Canone Missae, post mentionem factam Romani Pontificiis, et Dioecesani Antistitis, nomen Imperatricis Reginae, ejusque Conjugis nuncupari permittit in Regnis Hungariae, Bohemiae, et in universis Austriacae Domus ditionibus, hancque gratiam, ad quoscumque legitimos in illis dominationibus successores, perpetuo extendit. » 495

CCX. Universis per Hungariae, Bohemiae, et Austriacae Domus ditionibus, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ordinariis, indultum nominationis Mariae Theresiae Austriacae, ejusque Conjugis in Canone Missae, post Pontificis, et Dioecesani Antistitis nomen, significat, illiusque committit exequutionem. » 496

CCXI. Peculiares dispositiones, quoad Abbatiam B. M. de Abbundantia Dioecesis Gebennae, ad Monachos Ordinis S. Bernardi Congregationis Fuldensis spectantem, de jurepatronatu Regis Sardiniae, uti Sabaudiae Ducis. » 497

CCXII. Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, et Regularium, circa observantiam alternativae inter Fratres Minores Observantes Ordinis S. Francisci Provinciarum super Tagum, et infra Tagum. » 500

CCXIII. Jubetur omnibus Ecclesiarum Praesulibus, omnibusque Regularium Ordinum Superioribus Generalibus, quod curare, et efficere debeant, ut bis saltem quotannis, necessitates Sanctorum Palestinae locorum proponantur, et commendentur. » 502

CCXIV. Properantibus Comitiis indictis Augustae Vindelicorum pro foedere paciscendo inter Principes bello decertantes, Francorum Regem hortatur, ne sinat Germanicarum Ecclesiarum bona, ad secularium manus transire, neque Orthodoxae Religionis libertatem diutius divexari. pag. 504

CCXV. De damnis perpessis in perlongo acto bello ab Regia Polonica domo condolet, Illustremque Poloniae Regem hortatur, et Germanicis Ecclesiis prospiciat in proxime habendis comitiis pro pace firmanda Augustae Vindeliciorum. » 505

CCXVI. De impendenti plurium Ecclesiarum Germanicarum periculo, in proximo pandendo foedere, cum Francisco in Romanorum Imperatorem electo condolet, illudque hortatur, ut Ecclesiae Patrocinium assumat in comitiis, pro ipso foedere conciliando habendis Augustae Vindeliciorum. » ib.

CCXVII. Hildesiensis Capituli sollicitudinem commendat, in tuenda libertate electionis Antistitis, suumque praesidium, ne ea mala, quae timentur obveniant, pollicetur. » 506

CCXVIII. Ne Germanicarum Ecclesiarum bona ad saeculares Principes transferri sinant, in componendi belli compensationem, proximis habendis comitiis Augustae Vindeliciorum, Mariae Theresiae Imperatrici Romanorum electae quamplurimum commendat. » 507

CCIXX. Archiconfraternitatis S. Catharinae Senensis de Urbe, indultum liberandi quotannis unum reum ab ultimo supplicio, jam alias concessum, confirmat, et qualenus opus sit, de novo concedit. » 508

CCXX. Perceptoria seu Commenda nuncupata de Silla Militiae Beatae Mariae de Montesa Equestris Ordinis de Calatrava, unitur, et perpetuo incorporatur ejusdem Militiae Mensae Magistrali. » 509

CCXXI. Praevia derogatione dispositioni Testamentariae Canonici Jacobi Savioli, pium legatum ab eodem relictum pro erectione Orphanotrophii in Terra Plebis Dioecesis Bononiensis, applicatur Hospitali S. Mariae dictae Terrae, et Bononiensi Archiepiscopo exequutio concessionis committitur. » 513

CCXXII. De componendis dissentionibus inter Episcopum, et Abbatem Tennebacensem super jurisdictione exercenda in Monasterio Lictenthalii agit cum Marchione Badensi, in cujus jurisdictione Monasterium idem reperitur, et Ecclesiasticam disciplinam commemorat servandam ab Episcopis, et Regularibus quoad Monialium Monasteria. » ib.

CCXXIII. Facultatem concedit Monachis Ordi-

nis S. Benedicti Congregationis Bavariae, ut non expectato triennii lapsu, comitia habere queat pro eligendo Supremo Praeside in alterius praecedentis vita functi loco . . pag. 515

CCXXIV. Bina legata Pia a Principe Hieronymo Pamphily relicta pro dotandis puellis Orphanis, subveniendisque miserabilibus familiis Civitatis Viterbii, praevia testamentariae dispositionis derogatione, Conservatorio nuncupato *delle Zittelle sperse* ejusdem Civitatis applicantur, datis super erogatione peculiaribus normis. . . . . » ib.

CCXXV. Viterbiensi Episcopo facultates impertiuntur concedendi antiquum Episcopale Palatium favore Conservatorii *delle Zittelle sperse* ejusdem Civitatis, ad hoc ut major illarum numerus recipi, et ali eo in Conservatorio possit facilius, et commodius . . » 517

CCXXVI. De periculis imminentibus Germanicae Ecclesiae in foedere pro pace ineundo, cum Bavariae Duce agit, eumdemque hortatur, ut Religionem, et Ecclesiae jura protueatur. » 518

CCXXVII. Passaviensi Episcopo de imminenti Germanicarum Ecclesiarum periculo scribit, eumque hortatur, ut futura haec damna a Religione, quantum illi permittitur, avertat. » 519

CCXXVIII. Damnatio, et prohibitio versionis Italicae Operis Gallice scripti hoc titulo *Exposition de la Doctrine Chrétienne, ou instructions sur les principales verités dela Religion* editae quinque voluminibus, quorum primo titulus est: *Spiegazione del Simbolo della Fede Cattolica*; Secondo: *Esposizione Domenicale*: Tertio: *Esposizione del Decalogo*: Quarto: *Esposizione de' Sacramenti*: Quinto: *Esposizione de' Comandamenti della Chiesa con la giunta di un trattato della giurisdizione.* . . » 520

CCXXIX. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Universae Ecclesiae Catholicae de uniformi fidelium instructione in Catholica fide agit, et Cathechismi Romani praestantiam, et utilitatem demonstrat, atque commendat. . . . . . » 522

CCXXX. Regulae, atque Statuta Confraternitatis S. Sebastiani, et S. Barbarae Virginis, et Martyris in Parrochiali Ecclesia Bergensi in Territorio, et Principatu Monasterii S. Galli Ordinis S. Benedicti, Nullius Dioecesis Provinciae Moguntinae, confirmantur, et approbantur, cum concessione indulgentiarum . . » 525

CCXXXI. Catholicum Hispaniarum Regem hortatur, ut Germanicarum Ecclesiarum damna in proxime ineundo foedere pacis avertat, et pro nomine quo pollet, Catholicae Religionis jura tueatur. . . . pag. 528

CCXXXII. Ut Archivium Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, e Monasterio Montis Virginis in quo asservabatur, ad aliud Monasterium *del Palazzo di Loreto* transferri possit, indulget, Custodemque nominat, cum qualitatibus Notarii Apostolici, eo in munere persistente. . » 529

CCXXXIII. Moderantur Literae Benedicti XIV, quibus Custodia Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum in Polonia, erigi in novam Provinciam Polonicam permittebatur, novis additis providentiis pro pace, et concordia, inter Religiosos viros servanda . » 530

CCXXXIV. Confirmatio Statutorum quibus post hac regi debet corpus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum in singulis Provinciis. . . . . » 537

CCXXXV. Montem secundum Annonae in Rivitate Bononiae prius a Clemente VIII. erectum, deinde vero ab Urbano VIII. reformatum, iterum erigitur, et reformatur, praevia confirmatione constitutionis Urbani VIII., eique Monti nomen tribuitur *Montis secundi Annonae secundo reformati*, peculiaribus additis statutis super impositione, ac solutione datiorum, et Gabellarum pro dote ejusdem Montis. . . . » 538

CCXXXVI. Privilegia alias a Summis Pontificibus concessa Universitati Hebraeorum, Turcarum, et Graecorum aliorumque Orientalium, negociationem in Civitate Anconitana exercentium, confirmatur, innovatis tantummodo nonnullis, quoad causas criminales, et solutiones novae taxae. » 545

CCXXXVII. Collegii Umbri, et Nicetae Lassi in Urbe Statuta a Cardinali Protectore concinnata, Apostolica auctoritate approbantur, et exequutioni committuntur. . . » 559

CCXXXVIII. Terdecim Nobilium Familiarum aggregatio Civitati Tolentini pro publicis Muneribus Communitatis obeundis, attenta Veterum Familiarum extinctione, approbatur, et confirmatur. . . . . » 568

CCXXXIX. Veteri suppressa methodo super venditione pellium inter Universitates Lanionum, alteramque nuncupatam *de' Vaccinari* de Urbe, novas servandas regulas praescribit. . . . . » 569

ANNO IV.

CCXL. Indulgentia plenaria etiam defunctis applicanda conceditur Christifidelibus visitan-

tibus Ecclesias Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum, vel aliis in quibus Communio generalis, sollicitudine dictorum Fratrum peragitur, una ex Dominicis cujuscumque Mensis, in Provinciis Helvetiae, aliarumque in hac concessione enunciatarum. pag. 572

CCXLI. Abrogata veteri methodo electionis Ministri Provincialis Provinciae Franciae, seu Parisiensis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, nova pro electionibus futuris methodus statuitur, approbatur, et servari mandatur. » ib.

CCXLII. Confirmatio laudi, seu compromissi inter Episcopum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Saguntinae, quo controversiae cunctae jurisdictionales inter partes conciliantur, et definiuntur. » 574

CCXLIII. Poloniae Regi illustri significat, favore Clementis ejus quintogeniti demandasse expeditionem Brevis eligibilitatis, ad hoc ut ad tres Ecclesias nominari possit Episcopus, nempe Monasteriensem, Paderbonensem, et Hildesiensem, praevia contrariarum praecedentium prohibitionum derogatione. » 585

CCXLIV. Ne vagi, titularesque tantum Episcopi, absque evidenti necessitate creentur, vetitum esse ex Canonica, et maxime ex Tridentina sanctione, significat Poloniae Regi Illustri, neque proinde illius votis obsecundare potuisse de tribus titularibus in Poloniae Regno creandis, sed tantum adjutorem Prismaliensi Episcopo concedere paratum esse. » 586

CCXLV. Gratum animum significat Badensi Duci pro illius studio quo curat dissentiones componere hortas inter Spirensem Episcopum, et Abbatem Tennebacensem, super jurisdictione exercenda in Monasterio Lictenthali, seu Lucidae Vallis. » ib.

CCXLVI. De eodem Argumento scribit Episcopo Spirensi, eumdemque sollicitat, ut controversiae statum Sanctae Sedi referat, a qua opportunae sumi possint providentiae. » 587

CCXLVII. Decretum Congregationis Cardinalium, negociis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium propositae, quo reformationes nonnullorum Capitum Constitutionis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum approbantur, Apostolica auctoritate confirmatur, et roboratur. » 588

CCXLVIII. Suppressio Conventus Monialium S. Clarae de Meridia Militiae S. Jacobis de Spatha, nec non alterius S. Petri de Brozas, ejusdem Ordinis, ac incorporatio, et unio primi cum Conventu S. Crucis Vallis-Oletanae, et secundi cum Conventu S. Spiritus de Alcantera ab Hispaniarum Catholico Rege facta, tamquam Administratore perpetuo Militiae praefatae S. Jacobi de Spatha, et de Alcantera, Apostolica auctoritate approbatur, confirmatur, et exequi mandatur, datis peculiaribus regulis pro exequutione. pag. 590

CCXLIC. Venerabilem Dei servum Gregorium Barbadigum S. R. E. Cardinalem, et Episcopum Patavinum, inter Beatorum numerum adscribi, ac pie coli, Constitutione haec praescribitur. » 594

CCL. Qui ex Ordine Minorum S. Francisci de Observantia Reformati Religiosi Viri, Sacras Missiones in Albania, et Macedonia viginti annis peregerint, adnumerari Secretariis Generalibus indulgetur, facta tamen lege, ut ultimum teneant locum inter Provinciae Patres. » 595

CCLI. Quantum a Tridentini Concilii sanctionibus adversetur, Episcopos titulares constituere, absque Clero, absque Populo, et absque Sede, significat Principi Montis Maurentiaci, talem Episcopatum postulanti, pro Religioso viro, meritis aliunde praeclaro. » 596

CCLII. Concordia, qua, intercedente Catholico Rege, lites inter Episcopum, et Capitulum Cathedralis Carthaginensis in Hispania extinctae fuere, Apostolica auctoritate confirmatur, et approbatur. » 597

CCLIII. Doletur quod Apostolici Nuncii jurisdictio violetur in appellationibus ab judicatis in prima instantia interpositis, hortaturque Trevirensem Antistitem, ut impedimenta a Trevirensi Curia allata removere curet, et Ecclesiasticam protueatur disciplinam. » 600

CCLIV. Praevia moderatione Literarum Benedicti XIV. super adimplemento onerum perpetuorum Missarum in Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum, servari mandatur, quod ante dictas Literas in praefato Ordine observabatur in Provincia Messinensi tantum. » 601

CCLV. Pontificiae Sedis indulgentias, erga Ecclesiasticas personas, incitamento esse debere, ad excolendas Ecclesiasticas disciplinas, protuendaque Religionis jura, significat Clementi, Illustris Poloniae Regis Filio. » 603

CCLVI. Capitulo, et Canonicis Cathedralis Hildesiensis, prorogat tempus ad Episcopi electionem, retardatam ex peculiaribus superventis impedimentis. » 604

CCLVII. S. R. E. Cardinalibus in Consistorio coadunatis commemorat vetus institutum cooptandi in S. Collegium, delectos viros ex omnibus Christiani Orbis partibus, novosque in praesenti cooptandos designat. pag. 604
CCLVIII. Novo electo Episcopo Conceptionis de Chile in Indiis Occidentalibus significat per Literas praesentes, praefatae Ecclesiae praepositum fuisse ad nominationem Catholici Regis, eique praecipit ut commissum sibi opus acceptet, eumdem absolvendo a quocumque juramento, vel voto de non accepianda quacumque dignitate. » 605
CCLIX. Ne recursus ad Appellationes Fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum haberi debeant contra Statuta Ordinis, et peculiare S. Congregationis, specialis decretum, jubet sub nullitate aliisque poenis. » 606
CCLX. Favore Mensae Archiepiscopalis Ferrariae confirmatur, et de novo conceditur privilegium extrahendi, et asportandi extra Statum Ecclesiasticum absque solutione Gabellae, frumentum, aliasque segetes. » 608
CCLXI. Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus Ecclesias Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum visitantibus, qui confessi, et Sacra Communione refecti in iisdem oraverint, occasione Quadraginta horarum, tempore Quadragesimali. » 612
CCLXII. Quae alias a S. M. Clementis VII. privilegia, et exemptiones concessae fuerant Hospitali quinque plagarum D. N. J. C. Civitatis Ispalensis, eae communicantur, et conceduntur alteri Hospitali S. Ermenegildi in dicta Civitate. » 613
CCLXIII. Ne Provincialis Clerus Trevirensis ultra vires suas gravaretur in militaribus caeterisque contributionibus, ultra conventiones jam initas, plurimum commendat Trevirensi Archiepiscopo. » 614
CCLXIV. Ut alter ex Alumnis Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis ad officium Confessarii Familiae Pontificiae, qui S. Theologiae Magisterio fungatur, perpetuis futuris temporibus eligatur, statuit, atque decernit, addito eidem privilegio suffragii activi, et passivi in Capitulis, Diffinitoriis, caeterisque Generalibus Comitiis Ordinis. » ib.
CCLXV. Attenta alternativa super electione Ministri Generalis, et Procuratoris Generalis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, divisi in binas Familias, nempe intra, et extra Hispaniam, statuitur methodus suffragiorum ferendorum tam in Capitulis Generalibus Ordinis quam in Capitulis respectivarum Familiarum, quae singula Pontificia authoritate confirmantur. pag. 615
CCLXVI. Eminentissimus Ignatius Cribellus proximi Generalis Capituli Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci in Civitate Mantuana celebrandi, deputatur Praeses. » 617
CCLXVII. Quod ad regendam Ecclesiam S. Georgii Venetiarum Episcopus electus fuerit a Graecis extra Ecclesiam Catholicam Ordinatus, vehementer conqueritur cum Patriarcha Venetiarum, eumque rogat, ut hujusmodi electioni pro viribus obsistat. » 618
CCLXVIII. De eodem Argumento agit cum Duce, et Senatu Reipublicae Venetae, eorumque Religionem provocat ad impediendum schisma a Graecis Catholicis minitatum. » 619
CCLXIX. Cum Toletano Episcopo queritur, quod in sua Dioecesi transtulerit jejunium pervigilii S. Mathiae Apostoli, Episcopali tantum auctoritate, et inconsulta Sede Apostolica, cui tantummodo potestas est commutationis jejunii in Ecclesia Catholica. » 621
CCLXX. Ordinationes, et decreta condita in Comitiis Generalibus Congregationis Monachorum Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, pro meliori ipsius Congregationis regimine, confirmantur, et Pontificia auctoritate roborantur. » 622
CCLXXI. Indulgentia plenaria conceditur omnibus Religiosis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium ad Missiones deputatis in diversis Christianae Reipublicae Provinciis, pro unaquaque Missione, extendenda Christifidelibus utriusque sexus confessis, et sacra Comunione refectis, qui Missionibus ipsis interfuerint. » 624
CCLXXII. Approbatio Decreti S. Congregationis Rituum super officio celebrando in festo B. Martini de Aguirre Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum. » ib.
CCLXXIII. Alloquutio in Consistorio secreto die 12. Aprilis 1762. qua exponitur, Romanos Pontifices etiam ex S. R. E. Cardinalibus Ordinis Diaconorum assumpsisse titulares Cathedralium Ecclesiarum sub infidelium potestate iugemiscentium. » 626
CCLXXIV. Qua ratione Mantuanae Ecclesiae Pyrgensem Episcopum praefecerit sine ullo jurium Majestatis suae detrimento exprimit Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, Bohemiae Reginae, et in Romanorum Imperatricem electae. » 627
CCLXXV. Uladimirensem Antistitem graviter

objurgat, quod in administranda Ecclesia, opus Dei negligenter gerat, et commisso sibi Gregi offensioni sit. pag. 629

CCLXXVI. Praevia avocatione ad S. Sedem omnium controversiarum jurisdictionalium inter Episcopum Caputaquensem, et Ordinem Monachorum S. Benedicti Congregationis Montis Virginis in quocumque Tribunali existentium, privilegia alias a Summis Pontificibus, huic Ordini concessa confirmat, et plene observari debere futuris temporibus imperat. » ib.

CCLXXVII. Confirmatio literarum Bonifacii VIII Gregorii XV. et Innocentii X. circa Judices Conservatores cum declaratione, quod superiores Regularium temporarii, nullo casu deligi in Judices Conservatores possint, quodque in Infidelium regionibus, nullomodo expediantur eligendi Judices Conservatores. » 633

CCLXXVIII. Cum Maronitarum Patriarcha queritur, quod intrusum Melchitarum Patriarcham perhonorifice exceperit, eique significationes omnes detulerit, quae veris Patriarchis deferri solent, praecipitque ut eum a sua consuetudine arceat tamquam censuris alligatum. » 637

CCLXXIX. Excusatione accepta pro translatione arbitraria Jejunii, et pervigilio S. Mathiae ad alteram diem, facta ab Episcopo Toletano, eumdem obsecrat, ut conjunctim cum Apostolica Sede in concredita sibi Ecclesia gubernanda se gerat turbidissimis praesertim temporibus. » ib.

CCLXXX. Ut eveniente obitu Cardinalis de Hutten Episcopi Spirensis, etiam apud Sedem Apostolicam, novus Episcopus eligatur, juxta concordatum Germaniae e Capitulo Ecclesiae Cathedralis Spirensis indulgetur. » 638

CCLXXXI. Statuta de novo condita a Superioribus Congregationis Hospitalariorum Divini Pastoris in Regnis Hispaniae et Portugalliae pro recta administratione Hospitalis Cadicensis, nec non decretum Episcopi ejusdem Civitatis illa approbantia, confirmantur. » 639

CCLXXXII. Bibliothecariis Civitatis Valentinae, quoties ad hoc munus eligantur ab Episcopo Beneficiati illius Ecclesiae, ultra exemptionem a Choro, jam alias indultam, facultatem facit percipiendi distributiones quotidianas, iis tantum exceptis, quas Testatores veris praesentibus tribuendas jussere. » 642

CCLXXXIII. De Ecclesiae injuriis illatis graviter conqueritur, ac potissimum de contumeliis contra Societatem Jesu cum Episcopis Regni Galliarum in extraordinariis Comitiis congregatis, illosque hortatur, ut ad tam gravia mala avertenda, Regiam opem implorent pag. 643

CCLXXXIV. Approbatio, et confirmatio concordiae inter Archiepiscopum Ritus Graeci Ruthenorum, et Collegium Societatis Jesu in Civitate Poloki, super donatione jam alias praelaudato Collegio facta. » 645

CCLXXXV. Ordinationes pro Capitulis Provincialibus, et Candidationibus Clericorum Regularium Scholarum Piarum Matris Dei, a Capitulo Generali propositae confirmantur, et observari mandantur. » 648

CCLXXXVI. Patribus Ex Diffinitoribus Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci tam de Observantia, quam Reformatorum, jus ferendi suffragium in perpetuum conceditur in Capitulis Provincialibus, et Diffinitoriis propriae Provinciae, absoluto sexennio eorum muneris. » 653

CCLXXXVII. Facultatem conferendi tres Canonicatus vacantes in mensibus S. Sedi reservatis postulatam ab Episcopo Warmiensi, haud elargiendam esse Pontifex significat Poloniae Regi illustri, ne Romanae Ecclesiae patrimonium imminutionem patiatur. » 654

CCLXXXVIII. Indulgentia plenaria conceditur omnibus, et singulis Religiosis Societatis Jesu, ad Missiones mittendis, ubi tamen non erunt Missionarii de Propaganda Fide, pro una tantum vice pro unoquoque, extendenda Christifidelibus utriusque sexus, confessis, et Sacra Communione refectis, qui Missionibus ipsius interfuerint. » 655

CCLXXXIX. Nonnullae Ordinationes pro recta administratione, et conservatione Bibliothecae Vaticanae, atque Musaeorum illi adnexorum Pontificio Motu Proprio praescribuntur, et futuris temporibus observari mandantur. » 656

CCXC. Firmana Congregatione suppressa, Civitatis Firmii, illius Provinciae administratio tum judicialis, tum oeconomica ad instar aliarum Civitatum Ditionis Pontificiae equiparatur. » 662

CCXCI. Tribunali Gubernatorum Civitatis Perusiae declaratur nullum jus esse judicandi in figura Signaturae, illique interdicitur cognoscendi in Causis Appellationum, tum in sententiis laicos spectantibus, tum in iis quae Ecclesiasticos respiciunt. » 665

CCXCII. Derogatio Literarum Benedicti XIV. in ea parte, qua mandabatur, ut in iis tantum taxis viarum denegaretur appellatio su-

sponsiva, quae Pontificia tantum authoritate imponerentur. pag. 667
CCXCIII. Veteribus Constitutionibus confirmatis, atque reformatis, novas praescriptiones, pro recta Carcerum Urbis administratione, praesenti Motu-Proprio constituit. » 669

ANNO V.

CCXCIV. Facultas tribuitur Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, ut quosque in eo munere versatus sit, Provinciales, Diffinitores, aliosque Ministros Provinciales, una vice pro qualibet Provincia, ipse nominare possit, si id ipsarum Provinciarum necessitas exegerit. » 677
CCXCV. Breve Benedicti XIV, quo receptio Puellarum in Monasterii Monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Discalceatarum educationis causa prohibebatur, revocatur, et novae in id provisiones statuuntur. » 678
CCXCVI. Derogatis veteribus Constitutionibus Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, statuitur, ut Congregatio Provincialis, semel inter triennium, et visitatio Conventuum, atque electio Guardianorum de sesquianno in sesquiannum haberi possint, et peragi. » 680
CCXCVII. Confirmatio decretorum in duobus Capitulis Generalibus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia editorum pro Provincia S. Crucis Hispaniolae, seu Caracharum super Visitatione, et Praesidentia Capituli Provinciali. » 682
CCXCVIII. Ordinationes, et provisiones confectae pro recta administratione Bibliothecae nuper erectae in Conventu B. M. V. *di Piazza* Civitatis Placentinae Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, approbantur, et Pontificia auctoritate confirmantur. » 683
CCXCIX. Concordiam, et bonorum divisionem inter Mensam Abbatialem, et Conventualem Monasterii B. M. V. de Obra Ordinis Cirsterciensis in Polonia initam, Pontifex approbat, et observari mandat. » 686
CCC. Veteribus indultis, et privilegiis revocatis pro impertienda solemniter Populo Apostolica benedictione, novae praescriptiones generaliter observandae statuuntur. » 692
CCCI. Declarat Augusto Poloniae Regi Illustri, per novum indultum elargiendum, super alternativa collatione Beneficiorum ab Ordinariis facienda in Poloniae Regno, nil innovatum censeri debere Constitutionibus Leonis X. et Clementis VII. super eadem alternativa collatione. pag. 695
CCCII. De eodem argumento Gnesnensi Archiepiscopo scribit. » 696
CCCIII. Nunciat Cardinali de Gesures, in publico Consistorio reprobata fuisse acta nonnullorum Parlamentorum Regni Galliae contra Jesuitas gesta, illumque hortatur, ut Ecclesiae jura defendat. » 697
CCCIV. De eodem argumento scribit Cardinali Rochechouartio. » ib.
CCCV. Injuriam Romanae Ecclesiae factam a Laicis Comitiis Regni Galliarum damnasse in secreto Concistorio significat Cardinali de Bernis, cui Societatem Jesu commendat. » 698
CCCVI. De eodem argumento Epistolam mittit Cardinali de Luines. » 699
CCCVII. Cardinalis de Choiseul excitat Religionem, ad protuenda Romanae Ecclesiae jura, temeritate summa conculcata a Laicis Comitiis Regni Galliarum, impia condemnatione instituti Societatis Jesu. » ib.
CCCVIII. De eodem argumento scribit Cardinali de Rohan. » 700
CCCIX. Ad novitates evertendas Christianae Religioni, et Sanctae Sedis juribus adversas, a triennio inductas in utriusque Siciliae Regno, Pontificia charitate scribit Ferdinando Regi illustri, illiusque excitat zelum, ad emulanda majorum exempla. » 701
CCCX. Catanensem Antistitem de atrocibus injuriis ejus Ecclesiae illatis a potestate laica consolatur, auxiliumque promittit, eumdemque de Episcopatu abdicando cogitantem, a tali consilio retrahit. » 702
CCCXI. Badensem Marchionem hortatur, ut serio cogitet de Catholica servanda Religione in sua ditione, dum post ejus mortem Marchionatus ad aliam deferretur lineam Acatholicam. » 704
CCCXII. Novae Ordinationes pro gubernio, et directione Domus correctionis, et poenitentiae in Civitate Corneti, quae regimini subjicitur Episcopi Montis Falisci, et Corneti. » 705
CCCXIII. Regimen, et gubernium Collegii Cantorum Cappellae Pontificiae statuitur, opportunaeque hac de re Ordinationes dantur, veteribus, confirmatis, vel innovatis. » 706
CCCXIV. Christianissimum Francorum Regem rogat ne in futurae pacis componendis sanctionibus, sinat Westphalicis Ecclesiis, et juribus earum Pastorum detrimentum afferri in Acatholicorum commodum. » 711

CCCXV. De eodem argumento agit cum Hispaniarum catholico Rege. pag. 713
CCCXVI. Poloniae Regi illustri Germanicas commendat Ecclesias, neque patiatur obsecrat, ut in futuro pacis foedere eisdem inferatur injuria pro sarciendis acti belli infortuniis. » ib.
CCCXVII. Romanorum Imperatorem obsecrat, ne sinat Germanicas quamplures Ecclesias, quae et spirituali, et temporali Episcoporum dominio subjiciebantur, et dominationem temporalem Acatholicorum Principum transire in proxime ineundo pacis foedere. » 714
CCCXVIII. Germanicarum Ecclesiarum conservationem contra Acatholicorum conatus Imperatrici Mariae Theresiae commendat, et futura mala Catholicis imminentia, si quid ipsarum Ecclesiarum juribus detrahatur. » 715
CCCXIX. Constitutiones pro Monasterio in Kesroano a Graeco-Melchitis erecto sub regula S. Basilii, approbantur, et observari mandantur. » 716
CCCXX. Decretum S. Congregationis Episcoporum, et Regularium, circa transitum, et adscriptionem Fratrum Ordinis S. Francisci Discalceatorum Provinciae S. Gregorii Philippinarum, confirmatur, et observari mandatur. » 718
CCCXXI. Sardiniae Regi illustri de deteriori statu rerum Ecclesiasticarum in suo Regno conquerenti, promittit Pontifex se promptum, paratumque esse opportuna praebere remedia, ad incolumitatem Catholicae fidei servandam, et restituendam. » 720
CCCXXII. Poloniae Regem illustrem hortatur, ne Diploma nominationis praebeat Schismatico cuiquam pro Episcopatu Mokilowiensi, violenter a Polocensi Dioecesi avulso, et eidem restituendo. » ib.
CCCXXIII. Polocensem Episcopum hortatur Pontifex ut serio incumbat recuperationi Mokilowiensis Ecclesiae, jam prius Polocensi unitae; ei significat transationem jam probasse cum Clericis Societatis Jesu, qua finis impositus diuturnis litibus inter partes actis. » 721
CCCXXIV. Dismembratio Conventus S. Elisabethae Civitatis Fulginei Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini a jurisdictione, et gubernio Vicarii Conventus Perusiae, et illius subjectio tam in spiritualibus, quam in temporalibus Priori Generali ejusdem Ordinis. » 722
CCCXXV. Dolet cum Maguntino Archiepiscopo quod Ecclesiastica judicia, et Clericorum causae ab Ecclesiastico foro, ad curias Laicales deferantur, et Pontificiam sollicitudinem promittit, ut haec Sacris Canonibus illata injuria tollatur. pag. 723
CCCXXVI. Ecclesiasticam libertatem turbatam esse in universa fere Germania queritur cum Spirensi Episcopo, eumque hortatur, ut sub temporalis negocii mixtura, non sinat Clericorum causas ad Laicorum judicia deferri. » 724
CCCXXVII. Approbatio Decreti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quo statuitur nil esse innovandum in statutis, et regulis Collegii Pachecani in Indiis, Missionum Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia Excalceatorum, et Recollectorum. » 725
CCCXXVIII. Praevia moderatione Constitutionis Leonis X, circa numerum vocalium ad Comitia Generalia Ordinis minorum S. Francisci de Observantia, pro electione Ministri Generalis, approbatur Decretum Discretorii Generalis ipsius Ordinis, quo ipsorum Vocalium numerus reducitur. » 727
CCCXXIX. P. Comissario Generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci tam de Observantia, quam Excalceatorum, et Reformatorum, facultas tribuitur eligendi semel per semetipsum in Provinciis singulis Cismontanae Familiae, ubi necessitas, vel utilitas earumdem id postulaverit Ministrum, Diffinitores, aliosque Officiales, si tunc tamen P. Minister Generalis e Familia absit. » 730
CCCXXX. Commissarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, tam de Observantia quam Reformatorum Excalceatorum, creatur Commissarius Apostolicus, Visitator, ac Reformator Cismontanae Familiae, Ministro tamen Generali absente. » 731
CCCXXXI. Quum binae pragmaticae in Hispaniarum Regnâ constitutae sint, Pontificiae auctoritati, et veteribus pactionibus adversantes, Toletanum Episcopum hortatur, ut Catholicum Regem a reprobandis hisce novationibus, amoveat. » 732
CCCXXXII. De eodem argumento Epistolas mittit Hispalensi Archiepiscopo. » 733
CCCXXXIII. Indiarum Patriarchae de eodem argumento perscribit. » 734
CCCXXXIV. Capitulo, et Canonicis Hildesiensibus gratulatur, quod remotis obstaculis, et impedimentis pro novi Episcopi electione, viduatam Ecclesiam Pastore providere promiserint, eosque hortatur, ut talem eligant Episcopum, qui Hildesiensi Ecclesiae fructus ferat uberrimos. » 735
CCCXXXV. Cum Duce, atque Veneta Republica

